The Institute of Mediaeval Studies
LIBRARY
Toronto, Ontario

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/srecardinalissbo12bona

OPERA OMNIA

SANCTI BONAVENTURÆ

BESANÇON. — IMPRIMERIE D'OUTHENIN CHALANDRE FILS.

S. R. E. CARDINALIS

S. BONAVENTURÆ

EX ORDINE MINORUM

EPISCOPI ALBANENSIS, DOCTORIS ECCLESIÆ SERAPHICI

OPERA OMNIA

SIXTI V, PONTIFICIS MAXIMI JUSSU DILIGENTISSIME EMENDATA

ACCEDUNT

SELECTA MULTA TUM EX POSTREMA VENETA EDITIONE, TUM EX PRODROMO ERUDITISSIMO FR. BENEDICTI A CAVALESIO ORDINIS MINORUM REFORMATI

EDITIO ACCURATE RECOGNITA

AD PURAM ET VERIOREM TESTIMONIORUM BIBLICORUM EMENDATIONEM DENUO REDUCTA

CURA ET STUDIO

A. C. PELTIER

CANONICI ECCLESIÆ REMENSIS

TOMUS DUODECIMUS

PARISIIS

LUDOVICUS VIVES, BIBLIOPOLA EDITOR

VIA DELAMBRE, 9

M DCCC LXVIII

18 68

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.
APR - 9 1932
4894

PRÆFATIONIS LOCO

Examen operum quæ hicce duodecimus tomus exhibet.

ARTICULUS I.

Fr. Benedicti a Cavalesio disquisitiones criticæ.

§. I. — Itinerarium mentis in Deum. (*Prodrom.*, col. 551 et seq.).

Hujus auctorem se prodit ipse Bonaventura illis Prologi verbis : « Cum exemplo beati patris nostri Francisci hanc pacem anhelo spiritu quærerem, ego peccator, qui loco illius beatissimi post ejus transitum septimus generali Fratrum ministerio, per omnia indignus succedo, contigit, ut nutu divino, anno post ipsius beati patris transitum trigesimo tertio ad Montem Alvernæ, tanquam ad locum quietum, amore quærendi pacem spiritus declinarem, » etc. Iisdem verbis satis quoque indicat, ipsum ab se scriptum in Alvernæ monte, ubi B. Franciscus sacris Christi stigmatibus insignitus apparuit. Idem magis magisque declarat dicens [1] : « Quod etiam ostensum est beato Francisco, cum in excessu contemplationis in monte excelso, ubi hæc quæ scripta sunt, mente tractavi, apparuit Seraph sex alarum in cruce confixus : ut ibidem a socio ejus, qui tunc cum eo fuit, ego et plures alii audivimus, » etc. Si id contigerit *post ipsius beati patris transitum* (is accidit anno 1226) *anno trigesimo tertio,* fateamur necesse est, cum Minorum Chronicis MSS. xv, ac etiam xxiv Generalium nuncupatis, cumque S. Antonino, lucubratum non anno 1260, sed 1259. In eodem edendo Opusculo D. Bonaventura illud implevit, quod ipse docuit, inquiens [2] : « Cum Theologia sit de Creatore et de creaturis, utile est ut Theologus doceat quomodo homo per alias res tendat ad Deum. »

Aureum istud Opusculum tantopere a Gersone commendatum, adeo certum ac indubium est ob multiplices editiones, codices manuscriptos, ac testes longe locupletissimos, ut de ipso æque ac de Breviloquio scripserit Oudinus [3] : « Ut de stylo S. Bonaventuræ et dictione sincerius discrimen haberem, attente perlegi aliquot Opuscula indubia, quo de cæteris sanius censerem : nempe *Breviloquii*, et *Itinerarii mentis in Deum*, quæ duo Opuscula ex auctoritate Henrici Gandavensis certo spectant ad sanctum Bonaventuram. »

Quum ergo ingenuam hanc Oudinianam confessionem teneamus, percontari libet, an *Itinerarium* hujusmodi unam duntaxat aut alteram præferat ex illis vocibus illatinis, quarum ratione alia plura Oudinus ipse respuit, tanquam stylo Doctoris seraphici, *inter elegantiam et negligentiam* medio, prorsus indigna. Idipsum enim disserentes de *Breviloquio* præstitimus [4]. Et certe vel in ipso *Itinerario* hæc illatina offenduntur, videlicet : « Corpora complexionata, incircumscriptibilitas, consiliabile, intransmutabile, infallibile, indijudica-

[1] Cap. vii et ult. — [2] In lib. I *Sentent.*, dist. i, dub. vi. — [3] Tom. iii, col. 392. — [4] Vid. tom. VII, p. iv.

bile, sempiternalia, sempiternaliter, certitudinaliter, intellectualiter, improportionaliter, imperatio, diversificatio, comprædicatio, coadoratio, coexaltatio, virtuositas, exemplaritas, configuralitas, cointimitas, defectibilitas, innascibilitas, dualitas, proportionalitas, scientialis, hyposticalis, punctualis, habitualis, potentialis, coæternalis, individualis, comprincipians, exemplans, » etc.

Nihil dixerim de similiter desinentibus : « infallibiliter, indelebiliter, indubitanter, irrefragabiliter, indijudicabiliter, incommutabiliter, » etc. Nihil de frequente superlativorum usu : « Esse spiritualissimum, simplicissimum, actualissimum, summe actualissimum, perfectissimum, præsentissimum, immutabilissimum, superexcellentissima, et universalissima, et sufficientissima causa, virtus summe infinitissima, et multiplicissima in efficacia, » etc. Nihil de insolitis illis vocibus : « superessentialis, superdeus, superbonus, superoptime, superbeatus, superimplens, supersplendens, superlucens, superincognitum, superexcellentissimum, supersublimissimum, supermanifestissimum, » etc. Quocirca si hoc, et id genus similia plura, non tollant, quominus dictum *Itinerarium certo spectet ad sanctum Bonaventuram*, sitque *genuinum, et divo Bonaventura dignum* [1]; cur ipsa aut eorum similia debeant Opusculis aliis officere, ne genuina et certa credantur, plane non video.

§ II. — Incendium amoris. (*Prodrom.*, col. 553 et seq.)

Hujusmodi titulus ad finem Prologi perhibetur his verbis : « Istius libri titulus *Incendium Amoris* dicatur. » Quippe, ut ibidem dicitur : « Hic universos excito ad amorem, amorisque superfervidum ac supernaturalem affectum. » Quum autem ita excitet ad amorem, jure alii appellandum existimant *Incentivum amoris*. Dici quoque potest *Stimulus amoris* ; unde capite primo dicitur : « Inflammandus est igniculus iste, et hoc ex conversione affectionis super amorem Sponsi. » Insuper nuncupari potest *Stimulus conscientiæ*, quum eodem capite primo dicatur : « Ad *stimulum conscientiæ*, debet homo exercere seipsum : » et infra : « Viso qualiter exasperari debeat *stimulus conscientiæ* in recordatione peccati, videndum qualiter sit exacuendus stimulus in circumspectione sui. » Quapropter inscribitur etiam *Regimen conscientiæ*. Haud minus apposite appellari posset *Liber meditationum* : in eo siquidem proponitur modus triplex *meditandi*, *orandi* et *contemplandi*. Itidem *Mystica Theologia*, quum agat *de triplici via, purgativa, illuminativa* et *perfectiva* sive *unitiva*. Illud autem vocantibus *Fontem vitæ*, suffragatur illa ejusdem Opusculi clausula : « Nota diligenter prædicta, quoniam in illis est fons vitæ. » Aliis diversisque titulis prænotatum jam audivimus [2], puta *Itinerarii mentis in seipsam*, et *in seipsum* : *Itinerarii de contemplatione* : *Theoricæ contemplationis* : *Trinarii de vita contemplativa* : *Libelli de triplici via* : *Speculationis* : *Contemplationis* : *Parvi boni* : *Operis aurei* : *Operis gloriosi*, etc. Sed quibuscumque adornetur titulis, de ipso dubitare vetant monumenta citatis libris allata, videlicet Chronicon 15 Ministrorum Generalium [3], alterum 24 Generalium [4], sanctus Antoninus [5], Franciscus Samson [6], pluresque alii testes, editiones quoque pervetustæ, necnon codices manuscripti non pauci, et bonæ notæ.

Hujusmodi Opusculum fuisse a D. Bonaventura perfectum post *Itinerarium mentis in*

[1] Oudin., tom. III, col. 421. — [2] *Prodrom.*, lib. V, VI et VII. — [3] Ibid., col. 222. — [4] Ibid., col. 221. — [5] Ibid., col. 232. — [6] Ibid., col. 236.

Deum, ac utrumque in Alvernæ monte ortum habuisse, antiqua et nova Minorum chronica testantur. Lucubratum itidem fuisse post illud de *Reductione artium ad Theologiam* [1] palam est ex capite primo præsentis Opusculi, ubi sese referens Bonaventura ad ea, quæ in eamdem rem prius conscripserat, inquit : « Sicut ostensum est supra in tractatu *de Reductione omnium artium ad Theologiam*. Animadvertendum autem est quoad hanc citationem, in Coloniensi Opusculorum editione anno 1486 facta, ubi ponitur immediate post *Itinerarium mentis in Deum*, et ubi mox incipit ab illis verbis : *Ecce descripsi eam*, legi quidem : *Sicut ostensum est supra*, sed deesse : *in tractatu de Reductione omnium artium ad Theologiam* : id quod desideratur etiam in editione Opusculorum Argentinensi anni 1489. In hac tamen quum opusculum proxime subsequatur illud *de Reductione artium ad Theologiam*, perinde est dicere : *Sicut ostensum est supra*, et exprimere : *In tractatu de Reductione artium ad Theologiam*. Quopropter in alia editione Argentinensi anni 1495, ubi cum prologo *Evigilans*, continuo collocatur post *Itinerarium mentis in Deum*, diserte legitur : *Sicut ostensum est supra in tractatu de Reductione artium ad Theologiam :* lectionemque hanc postea servavit etiam Veneta anni 1564, Vaticana, et aliæ plures, quas inter et novissima Veneta.

Perpendendum insuper, quod in prædictis editionibus Argentinensibus an. 1489 et 1495, post verba illa : *Sciendum ergo est, quod triplex est modus exercendi se circa hanc triplicem viam, scilicet legendo, meditando, orando;* habeatur in corpore, licet non sine indicio auctarii in editione anni 1489 : *Quidam liber habet sic : Sciendum igitur, quod triplex est modus exercendi se circa hanc triplicem viam, scilicet meditando, orando, et contemplando.* Quamobrem vel in Veneta editione novissima id rejicitur ad marginem. Sed hæc posterior lectio, sive indicata velut auctarium in corpore, sive extra corpus rejecta, præsenti Opusculo magis quadrat, quum totum versetur circa tria, nempe meditationem, orationem et contemplationem, nihilque de lectione tradat. Unde in Veneta anni 1487, ac Brixiensi 1495, in quibus desideratur nedum illud : *Sicut ostensum est supra in tractatu de Reductione artium ad Theologiam,* sed etiam illud : *Legendo, meditando, orando,* recte impressum cernitur : *Sciendum est igitur, quod triplex est modus exercendi se circa hanc triplicem viam, scilicet meditando, orando, et contemplando.* Non tamen debita laude fraudandos censeo editores Argentinenses, quod utramque indicaverint lectionem, secundum diversos codices, quos præ oculis habuisse inde manifeste colligitur.

In eodem Opusculo, ut ut certo ac legitimo, planeque digno Doctore nostro Seraphico, passim occurrunt similiter desinentia, habentur quoque repetita superlativa, eorumque similia, quæ in Opusculo præcedente notavimus. Sicut in Opusculo *Expositionis Missæ* Auctor in Crucis laudes effunditur, sic in hoc Crucis amorem vehementer inspirat. Parcus admodum est in allegationibus, utpote Dionysii atque Augustini contentus.

His præmissis, quid contra hujuscemodi Opusculum habeat Oudinus, audiamus : « Plenum, inquit, multa devotione ac pietate Opusculum, sed quod ex solo Prologo non spectare ad sanctum Bonaventuram cognoscitur. Quid enim primo magis illatinum, quam hæc verba, quibus incipit tractatum : *Evigilans vero animam meam tanquam frigiditate tenebratam calescere conor, quam devotione desertam scio incendi, et ingenti nimirum de-*

[1] Vid. huj. edit. tom. VII, pag. 498.

13Q
6464
186 T

siderio super terrigenas elevari? Illudne latinum : *Frigiditate tenebratam calescere conor?* Tum postea : *Donec iterum posthabitis omnibus, quibus exterius possem detineri, solummodo Salvatoris aspectibus assistere contenderem, in internisque doloribus commorare.* An *commorare* latinum est pro *commorari?*

» Secundo idem scriptor arguit Theologos scholasticos et carpit in suo Prologo, quod nunquam fecisset S. Bonaventura ipse scholasticus. *Istum ergo librum offero intuendum, non mundi sapientibus, non magnis Theologis... Solis Conditoris inardescant desideriis mancipati* [1]. Nunquam autem hoc modo S. Bonaventura scripsisset, aut objurgasset Theologos scholasticos, ipse huic scientiæ per plures annos occupatus, ut summos hujus palæstræ magistros appellaret *quæstionarios*, *et in amore Christi inferiores.*

» Tertio habet hic scriptor verba quædam barbara, quæ Gallum illum produnt, ut sunt *rectificandi, rectificandus, habilitans*, etc., quæ absque dubio e gallica lingua procedunt, gallice *rectifier*, *habiliter*, qualia Italus non adhibuisset, sed latina magis.

» Quarto adhuc magis barbariem sonant verba ejusdem auctoris, cap. 1, ubi de stimulo conscientiæ agit his vocibus : *Secundo acuitur, dum considerat..... mollificando,* etc. *Tertio acuitur, dum considerat..... infugibilis* [2], etc. Quis autem unquam credat S. Bonaventuram ita fuisse semilatinum, ut *mollificare* pro *emollire* assumpserit, et adjectivum *infugibilis* confinxerit, quod Gallo pronum fuit ob idioma proprium? Atque hinc patet Opusculum istud non esse D. Bonaventuræ. »

Verum enim vero hæc omnia plus grammaticæ, quam solidæ artis criticæ sapere mihi videntur. Ad summum namque prima duo unice probant addititium esse hujusmodi Prologum, non autem universum. Opusculum Dixi *ad summum,* quia nequidem prima duo id omnino evincunt : quippe τὸ [3] *tenebratam* pro *obscuratam* exemplum habet apud Lactantium, S. Petrum Chrysologum, Guibertum, Joannem de Janua, et Martianum Capellam [4]. *Commorare* quoque pro *commorari* solius librarii vitio verti potest; præterquam quod in activa etiam forma a Plinio sumi norunt Eruditi [5]. Neque in illo Prologo Seraphicus Doctor arguit et objurgat promiscue omnes magni nominis Theologos, summosque hujus palæstræ magistros; sed eos duntaxat, qui *ita infinitis quæstionibus implicantur,* ac ita *in omni scientia sunt summi*, ut *in amore Christi* sint *inferiores :* nec alios carpit, quam qui plus *scire,* quam *Deum diligere cupiunt*, cujusmodi certe non fuit Seraphicus Doctor, sed e contrario ex illis, qui *posthabitis et oblitis cunctis, quæ ad mundum pertinent, solis Conditoris inardescunt desideriis mancipati.* Ceterum ab hujus Opusculi lectione adeo non arcentur magni Theologi, et in omni scientia summi, ut potius invitentur, ea tamen lege, « ut omnem terrenam dignitatem fugiant, omnem ostentationem scientiæ et vanam gloriam odiant, ac demum paupertati altissimæ [6] se conformantes, orando et meditando divinæ lectioni jugiter assistant... Quo enim scientiores sunt, eo aptiores sunt, vel essent, ad amandum, si vere spernerent seipsos, et ab aliis sperni gauderent [7]. »

Quod autem Bonaventura suum inscripserit Opusculum *rudibus et indoctis, magis Deum diligere, quam multa scire cupientibus,* id in aliis quoque genuinis Opusculis familiare,

[1] Vid. textum integrum, huj. tomi, pag. 22. — [2] Vid. pag. 24. — [3] Prodromus pro τὸ habet *ly*, et sic deinceps. — [4] Vid. *Glossar. Cangian.*, verbo *Tenebrare.* — [5] Vid. *Lexic. Taurin.* verbo *Commoror.* Papias quoque habet sic : *Commoro* pro *Commoror. Calepinus* utrumque perinde habet. — [6] Hæc verba satis indicant Franciscanum *paupertatis altissimæ* amatorem, sicut fuit S. Bonaventura. — [7] Vid. huj. tom. pag. 24-25.

ac solemne est incomparabili ejusdem modestiæ. Unde et præcedens Opusculum in Prologo legendum proposuit [1] solummodo *præventis divina gratia humilibus et piis, compunctis et devotis*, etc. Quod etiam fateatur ingenue, *non potuisse ardorem spiritualem sentire*, dum esset *corporaliter nimis aggravatus, et fatigatus præ itinere, aut etiam immoderate occupatus* [2], id conforme est iis, quæ in eodem præcedentis Opusculi Prologo dixerat [3], se « ad montem Alvernæ tanquam ad locum quietum, amore quærendi pacem spiritus, declinasse. »

Nec dixerint novissimi Editores [4], hoc Opusculum apud Joannem Trithemium non exordiri *Evigilans*, sed *Ecce descripsi*, adeoque « Prologum operis hujusce ad alium scriptorem verius, quam ad Bonaventuram pertinere : » quia idem Trithemius recenset etiam *Soliloquium* cum initio : *Dic, quæso, o homo*, et tamen ad Bonaventuram spectat ejus Prologus incipiens : *Flecto genua mea*. Melius probaretur adscititius hujusmodi Prologus *Evigilans*, eo quod a plerisque codicibus manuscriptis, necnon a vetustioribus editionibus absit, uti probat P. Sbaralea, qui nihilominus ait : « De Prologo non satis liquet an verus, vel adscititius sit. »

Quoad cætera quæ Oudinus objectat, nempe verba *Rectificandus, Habilitans*, ea jam demonstravimus ab ipsomet Bonaventura in certissimis Operibus ac Opusculis adhibita. Verbum autem *Mollifico* in eodem sensu habet quoque Catholicon Joannis de Janua [5], ut non sit mirum, si vel in certioribus scriptis fuerit a Bonaventura Scholarum more loquente usurpatum. Et quamvis adjectivum *Infugibilis* esset confictum, quid tum? Nonne et alii Scholæ magistri invexerunt nova vocabula? Numquid ars critica ferat, ut unius voculæ caussa *plenum alias multa devotione et pietate Opusculum* a Bonaventuræ catalogo arceatur? « Aliqua, » monet laudatus P. Sbaralea, « donanda sunt sæculo, quo scripsit Bonaventura, et personis quibus se aptavit. »

Silentio prætereo, quod etrusce redditum in manuscripto codice habeatur [6]; quodque ab Antonio Possevino, et a Dominico Gandulpho perperam tribuatur Bonaventuræ Baduario de Peraga Augustiniano. Sed potius commonefecerim lectorem, quod *Incendium Amoris*, de quo hactenus disserui, multo diversum sit a D. Laurentii Justiniani *Incendio Amoris* : hoc enim affinitatem habet solummodo cum *Stimulo Amoris* inter Opuscula Bonaventuriana, unde plura vel ad verbum desumpta in eo leguntur.

§ III. — Amatorium. (*Prodrom.*, col. 558.)

Hujus Opusculi non minor certitudo, quam præcedentis. Id evinco ex hac Oudini confessione, quam non piget integram exscribere, utpote in rem nostram apprime facientem : « Collectaneum, inquit, est, ex diversis sanctorum Patrum excerptis, cujus ex Prologo, et stylo, colligo esse ejusdem auctoris, cujus est Opusculum *Incendium Amoris* appellatum. Utrumque enim Opusculum est ad ecstasim et divinum amorem excitandum, et utriusque nomine ab Scriptore, ad Prologi utriusque finem, ex affectatione auctoris designatum est [7]. » Unde ita argumentum ad hominem conficio : *Amatorium* est ejusdem auctoris,

[1] Vid. huj. tom. pag. 2, col. 2. — [2] Huj. tom. pag. 24, col. 1. — [3] Ibid., pag. 2, col. 1. — [4] *Diatrib.*, quam vid. nostræ edit. tom. I, pag. XLII. — [5] In *Amalthea Onomastica*, verb. *Mollifico*. — [6] Scilicet in Biblioth. Florentina olim Marchionis Gabr. Richardi. — [7] Tom. III, col. 424.

cujus est *Incendium amoris :* sed *Incendium amoris,* ut paulo ante probavimus, est Bonaventuræ : ergo et *Amatorium.*

Hujus meminit Marianus Florentinus his verbis : « Opus nuncupatum *Amatorium* incipit : *Ad te sermo meus.* » Ex quo colligi posse videtur, non esse Bonaventuræ Prologum, qui exorditur : « Præsens Opusculum qui legerit, intentionem esse sciat opificis, quasdam sanctorum auctoritates sub continuatione ordinare studuisse, » etc. Bonaventura siquidem in tertia et alienigena persona profecto non ita locutus fuisset, sed de more in prima et propria, uti videre est in Prologo præcedentis Opusculi, ad cujus finem inquit in prima et propria persona : « Quia hic universos ad amorem excito, etc., istius libri titulus *Incendium amoris* dicatur. » In fine autem Prologi præsentis Opusculi in tertia et alienigena persona ait : « Ratio ergo intentionis Opificis, hominem sui Creatoris provocare satagens ad amorem, præsenti labori *Amatorium* nomen imponit. »

Cæterum utrumque Opusculum redolere indolem, religionem sanctitatemque Bonaventuræ, nemo inficias ierit, nisi qui ne primoribus quidem labiis ejus scripta delibaverit. In eodem, sicut et in aliis certis Opusculis, digeruntur Patrum sententiæ, videlicet Augustini, Leonis, Gregorii, Anselmi, Bernardi, Guerrici Igniacensis, Hugonis a S. Victore, etc., quorum *nomina e contra in margine* [1] *intitulata,* non autem in textu posita, Prologi auctor testatur.

§ IV. — Lignum vitæ. (*Prodrom.*, col. 560 et seq.)

1. Incipit : *Christo confixus sum.* Nomenclatores, editiones, et manuscripti codices numero plures testatum faciunt. De hoc scriptum reliquit P. Sbaralea : « Opus forsan est, quod Bartholomæus Pisanus dicit *Librum de Contemplatione*, nisi sit *Incendium amoris*. Et quidem in veteri editione Opusculorum parvorum, qua utor, quamque puto Venetam anni 1487, fert titulum : *De Jesu Christi vita Contemplatio.* » In hujusmodi Opusculo nulla fit Patrum citatio, quum sit, instar *Fasciculi myrrhæ*, duntaxat *ex Sacri Evangelii Sylva* collectum. Ex eo verba mutuati sunt Ubertinus Casalensis [2], et Gabriel Biel [3] : ipsumque vel Oudinus agnovit *non indignum Doctore Seraphico ob gravitatem et dictionem latinam* [4].

2. Nihilo tamen secius vel in solo ejus Prologo legitur : « Vivaciter, pullulatio, scaturitio, maturitas saporosa, condescensio, sublimitas spiritualium charismatum diffusiva. » In Opusculi autem processu : « Coæternus, coæqualis, counitum, cohabitabat, nobilitatio, sublimatio, reinventus, vis regenerativa, sanguiflua mulier, perfruitio, impretiabile pretium, sustentamentum, gemina amaricatio, colaphizatur, clamationes, flagellatores, acetosum poculum, artificiositas, superinenarrabile donum, superefflluentissima charitas, gratia septiformis, septempliciter, indeterminata voluntas, superessentialis radius, puritas imperturbabilis, lux sapientiæ indeceptæ, speculum contentivum, profunditas imperscrutabilis, amplitudo incircumscriptibilis, æternæ majestatis reverentiale pondus, » etc. Si hæc non tollant, quin hoc Opusculum contineat *gravitatem, et dictionem latinam,* sitque *non indignum* (dixerim ego dignissimum) Doctore Seraphico; cur, amabo, similia vir

[1] Apud nos in ima parte paginæ cujusque. — [2] In libro cui titulus : *Arbor vitæ crucifixæ.* — [3] In tractatu *de Historia Dominicæ passionis*, part. principalis II, art. 2, pag. 26 et seq., edit. Brixiens. 1583. — [4] Tom. III, col. 407.

prudens judicaverit cæteris obfutura? Si in eodem Opusculo, in quo certe major *dictionis latinæ* nitor effulget, plura exciderunt minus latina, quid mirum, si longe plura deprehendantur in iis, in quibus aut in scholastica, aut in mystica Seraphicus Doctor consuevit excurrere, ne scilicet videretur a propriis eorum vocabulis abhorrere?

3. Dicentne Editores novissimi *non sine risu legendum* illud Sermonis in Parasceve : *Sicut tympano pellis super lignum, ita Christus in cruce distensus est* [1], quum tamen in hoc quoque Opusculo idem Christus cruci suffixus dicatur [2] *in pellis modum hinc inde extensus?* Requirantne in Bonaventuriana poesi majorem concinnitatem, quam quæ spectatur in illis versiculis :

O Crux frutex salvificus, vivo fonte rigatus,
Cujus flos aromaticus, fructus desideratus?

4. Eidem Opusculo præfigenda est *arbor*, ut in Argentinensi editione anni 1495, necnon *arbor* alia metrica incipiens : *O crux frutex* (*a*) *salvificus*, quæ in manuscriptis codicibus Mantuanis et Patavinis exstat. Quod in Prologo legitur, nempe : « In prima quidem ramorum serie quatuor altrinsecus secundum alphabeti ordinem ponentur versiculi, » accipiendum est non quod hujusmodi versiculorum litteræ initiales sint primæ quatuor alphabeti, sed quod iisdem versiculis præmittuntur hoc modo : *A. Origine præclarus. B. Humiliter conversatus. C. Virtute præcelsus. D. Pietate plenus.*

§ V. — Soliloquium. (*Prodrom.*, col. 561 et seq.)

Incipit : *Flecto genua*. Certum itidem Nomenclatores, editiones et codices manuscripti comprobant. Neque Oudinus ipse diffitetur [3] *dignum Opusculum D. Bonaventura, ex anterioribus auctoribus collectum*. Si *certum*, ut ego quoque certum arbitror, non ergo certis Bonaventuræ opusculis obsunt *similiter desinentia*, quibus abundat ejusdem Opusculi Prologus, quæve Oudino alias videntur incerti ac falsi Opusculi indicium. Nihil itidem officiunt illatina illa ejusdem Prologi *originaliter, exemplariter, finaliter, pœnalitas, deliciositas*, etc., ac nequidem illud deponens in passiva significatione sumptum : « Fructus illius salutiferæ exercitationis, si digne et laudabiliter *exequatur*, est felicitas æterna, » etc.

Porro ex eodem Prologo habetur, hujusmodi *Soliloquium* jure quoque vocari *Dialogum*. In eo enim Bonaventura inquit : « Hunc Tractatum instigante conscientia, propter simpliciores quosque simplicibus verbis de sanctorum dictis compilavi per modum cujusdam dialogi, in quo anima devota veritatis æternæ discipula interrogat, et homo interior mentaliter loquendo respondet. » Miror, quod Oudino in ejus lectione non occurrerit *virtus amaricans*, tametsi de voce *Amaricatus* loquens haud censuerit *dignam Doctore, quem Franciscani appellant Seraphicum*, sed potius *digniorem rudi et rustico homine*.

In hoc Opusculo plane eodem modo, ac primo capite *Itinerarii mentis in Deum*, distinguitur in anima quod est *formatum per naturam, deformatum per culpam, reformatum per gratiam*. Nomina autem sanctorum, quorum dicta in eodem collecta leguntur, hæc sunt : ex Græcis Gregorius Nazianzenus, atque Joannes Chrysostomus; ex Latinis autem

[1] *Diatrib.*, pag. 108, hujus nostræ edit. tom. I, pag. LXV. — [2] Sub tit. *Jesus cruci elevatus*, huj. tom. pag. 76. — [3] Tom. III, col. 421.

(*a*) Prodr. *fructus*.

Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Prosper, Fulgentius, Leo, Gregorius, Anselmus, Bernardus. Laudatur etiam auctor *de Spiritu et Anima*, neque prætermittitur Algazel. Habet præsertim idem *Soliloquium* multa desumpta ex illo Hugonis a S. Victore *de Arrha animæ*, cui est valde simile, quodve in præsenti semel iterumque a D. Bonaven tura refertur. Repetentne, vel contra hoc *Soliloquium*, post Oudinum Editores novissimi, quod contra Opellam *de Reductione artium ad Theologiam* scripsere [1] : « Hæc affectata propensio in Hugonem a S. Victore satis indicat, Victorinum esse aliquem Canonicum Regularem, qui suum opus ad Hugonis lucernam composuerit? »

§ VI. — De sex alis seraphim. (*Prodrom.*, col. 562.)

Incipit : *Da occasionem.* Inter hujus Opusculi testes, præter Bartholomæum Pisanum aliosque posteriores, adducimus antiquiorem omnibus Gulielmum de Rubione, Theologum doctissimum, atque Ministrum provinciæ Aragoniæ Ordinis Minorum sub initio sæculi decimi sexti, a quo citatur, in 1. *Sent.*, dist. 48, q. 2, ad finem. Plures etiam afferri possunt editiones ab anno 1495, etiam seorsim factæ, scilicet Coloniæ 1598, Antuerpiæ 1627, Barcinone 1622, Romæ 1642, Monachii in Bavaria 1608. Codices quoque manuscripti duo existunt, unus scilicet Mantuæ in Biblioth. S. Mariæ gratiarum, Minorum Observ., alter Ravennæ in Biblioth. S. Apollinaris, Minorum Observantium. Idem Opusculum forte etiam indicatur per *Speculum Prælatorum et Subditorum*, quem manuscriptum quidem codicem in Bibliotheca Trajectina ad Rhenum quærere libet. In eo siquidem, post instructionem illorum, qui obedientiæ jugo subesse debent, ita instituuntur, qui animarum regimini præsunt, ut edoceantur, quibus virtutibus pollere debeant, nempe zelo justitiæ, pietate, patientia, exemplo vitæ, discretione circumspecta, et devotione ad Deum cæteris eminere.

Porro sicut Seraphicus Doctor noster senarum alarum Seraphim, illiusque visionis Seraph alati instar crucifixi, quæ in Alvernæ monte, una cum sacratissimis passionis stigmatibus contigit beato Francisco, mentionem injecerat in *Itinerario mentis in Deum;* haud secus in hoc quoque Opusculo de hujusmodi sex alis mystice acceptis ita pertractat, ut præfatam visionem, ac etiam stigmata mirifice ex eadem visione a beato Francisco relata, commemoret : utque se Franciscanum proderet, illum vocat *sanctissimum patrem nostrum Franciscum.* Ut se quoque Franciscani Ordinis præfectum satis indicaret, invehitur in enatam suo tempore paupertatis seraphicæ obfuscationem, in frequentiores pro acquirendis necessitatibus discursus, in exquirentes vias insolitas in petendo contra regulam, in evagationes ac familiaritates in regula prohibitas, in areas dilatatas, sumptuosaque palatia exaltata, in præproperam promotionem juvenum et nondum probatorum ad ordines et officia confessionis, prædicationis et prælationis, etc. Horum autem similia legere est in ejus epistolis de reformandis Fratribus Ordinis ad Ministros Provinciales et Custodes, et ad quemdam Provincialem Ministrum, de quibus epistolis postea.

Jure ergo novissimi Editores, hoc Opusculum, de quo non constat ubi et quando compositum fuerit [2], legitimum habent, quum de eo nullum possit rationabile dubium exoriri. Oudinus etiam consentit, illud agnoscens *genuinum, et dignum D. Bonaventura Opusculum,*

[1] Vid. haj. nostræ edit., tom. I, pag. LI. — [2] *Diatribr.*, pag. 78, hujus vero nostræ edit. tom. I, pag. XLIV.

etsi unam aut alteram habeat vocem incongruam[1]. Sed videamus, an *unam* duntaxat, aut *alteram* habeat *vocem* ex illis, quas dicit *incongruas*. Certe in ipso legere est : « Aliqualem practicando, ex partibus aliquotis, viri mentales, ex quadam habilitatione, gastrimargiæ, licentiet, eo irrequisito, pro posse, infistulari, accidentali languore, sustentamentum, coincidunt, non compassivis pastoribus, christiformes, condescendit, præceptorie, schola palæstralis, diffamator, irreprehensibiliter, compaginatione nervorum, interpolate, reaccendamus, ordinarie, extraordinarie, absorptione, inhæsione, insensibiliter, ab præmiandum, » etc. His tamen nihil obstantibus, vel quod latinam spectat dictionem, ego quoque Doctore Seraphico prorsus dignum judico, ac ita certum, ut ubique germanam ejus spiret indolem atque doctrinam.

Quamvis autem in eo soli ex Patribus laudentur Gregorius et Bernardus : attamen a capite ad calcem summam præfert divinarum litterarum peritiam, ac vehemens subditis prælatisque juvandi desiderium. Ex ipso non obscure licet arguere quam integre, pie, moderate, prudenter, sapienter sancteque Seraphico Ordini præfuerit Bonaventura, quum ab eo tradita animas regendi saluberrima documenta, ad unguem fuisse exsequutum dubitari nequeat. Utinam præfatum Opusculum diurna nocturnaque manu versetur a subditis atque prælatis : ab illis quidem, ut obediendi, ab istis autem ut regendi sacerrimam normam ediscant. Quisquis ad ipsum sese exegerit, cum sancto sanctus erit. Certe sedula ejusdem lectione plurimum profecisse scimus venerabilem P. Euphemium de Milionico Minoritam Reformatum, atque ex eo præcipue suum locupletasse Tractatum *de Officiis Prælatorum et Subditorum*[2].

Ipsum commendat Franciscus Lamata Doctor Theologus, et unus ex Vaticanis Editoribus, in Epistola nuncupatoria Clementi VIII, inquiens : « Etsi alii ejus (Bonaventuræ) Tractatus ad illud, quo ardes, studium plurimum conferant : præcipue tamen unus est, et is quidem brevissimus, *de sex Alis Seraphim* inscriptus, in quo sex enumerat vere pontificias virtutes, zelum scilicet justitiæ, pietatem, patientiam, vitæ exemplum, discretionem circumspectam, et devotionem ad Deum. De quibus per comparationem ad sex alas Seraphim, quas vidit Isaias, ita ibi artificiose disserit, ut nec in summa claritate brevitas, nec in compendiosa brevitate copiosa dicendi ubertas desideretur. » Eumdem insuper laudat P. Michael Vivienus[3], eo quod *perfectissimum divini amoris exercitium ostendat*. Meritis laudibus extollitur quoque a duobus non obscuri nominis scriptoribus inclytæ societatis Jesu, videlicet a Justo Nigronio Italo, et a Joanne Paulo Fontio Hispano. Ille enim ait[4] : « Sanctus Bonaventura reliquit posteris libellum aureum *de sex Alis Seraphim*, quo continetur religiosæ gubernationis magisterium. Hunc, quia conformis est spiritui nostro, congruique cum modo procedendi societatis, jussit P. N. Claudius typis excudi, ac per omnes provincias disseminari, ut nostri præsertim superiores eum evolverent, ac doctrinam tanti viri ad praxim referrent. » Fontius autem inquit[5] : « In nostra religione societatis Jesu (quæ in materia de libris aliquod tenet votum) tanti pretii tractatum hunc *de Sex Alis* existimamus, quod in nostra bibliotheca eumdem fere locum, quem nostri Instituti libri, obtinet. »

[1] Tom. III, col. 420. — [2] In ejus vita apud Legendarium Francisc. P. Petri Antonii de Venetiis, tom. II, pag. 32, edit. Venet. 1721. — [3] Tom. I, *Tertull. Prædic.*, pag. 502. — [4] *Commentar. regular. commun. soc. Jesu*, part. II, n. 66. — [5] Commentar. ejusd. tract. *de sex Alis Seraph.*, cui tit. *Mysticus Seraphim* in proœmio, circa fin. Barcinon. 1622.

Ante hos omnes tanto in pretio habuit ejusdem libri doctrinam ex nostris antiquioribus supra [1] memoratus Gulielmus de Rubione, ut ipsa non solum roboraverit sententiam suam de morali bonitate, dependente *ab omnibus circumstantiis, et principaliter a circumstantia finis debiti, sine quo intento non potest voluntas creata esse moraliter bona;* sed et eadem suo scripto super primum *Sententiarum* hanc coronidem imposuerit : « Bonaventura, *de Sex Alis Seraphim*, sic ait : « Non est considerandum quod quisque faciat, sed quo animo faciat. Finis enim operis totius consistit in simplicitate intentionis [2]. »

§ VII. — De pugna spirituali contra septem vitia capitalia (incipit : *Eia nunc, milites Christi*). — VIII. Collatio de contemptu sæculi (incipit : *Septem sunt in mundo*). — IX. Exercitia quædam spiritualia (incipit : *Ut in virtutibus*). — X. Fascicularius de exercitiis spiritualibus (incipit : *Scire debes*). (In hæc omnia et singula, *Prodrom.*, col. 564 et seq.)

De his novissimi Editores hanc ferunt opinionem [3] : « Digna profecto Doctore nostro, eaque in catalogum ejusdem referenda, si vel antiquitas monumentorum, vel testium auctoritas extra omne dubium illa poneret. Sed cum neque pro, neque contra, aliquid afferre possimus, maturiori judicio discutienda relinquimus. »

Si autem *maturiori judicio discutiantur,* quum ipsis suffragentur antiquæ editiones, deque iis non omnino sileant codices manuscripti, ac nomenclatores, inter dubia et incerta ab iisdem editoribus perperam recensentur. Profecto Oudinus, post Opusculum *de Sex Alis Seraphim,* referens Collationem *de Contemptu Mundi,* ita illud censet *genuinum, et dignum D. Bonaventura,* ut et de hac citra ullam dubitationem adseveret [4] : « Digna quoque quæ eidem attribuatur. » Ipse quidem de *Pugna spirituali contra septem vitia capitalia* inquit [5] : « Hic Tractatus legenti simplicior est, et dictione sua humilior, quam ut S. Bonaventuræ adscribi mereatur, licet barbariem in dictione non deprehenderim. » Tum de *Exercitiis quibusdam spiritualibus* loquens, ait [6] : « Opusculum, quod ob sui modicitatem vix censuram meretur, quia tamen, ut breviter dicam, simplicioris atque negligentioris dictionis est, D. Bonaventuræ tribuendum non videtur. » Item de *Fascicularío* cum *Passione Christi* pergit [7] : « Hæc duo Opuscula, in impressionibus distincta, unicum atque idem sunt, ab eodem auctore compositum, qui sub initium secundæ partis primam allegat, seu ex his duobus opusculis primum. Utrumque devotum est, dictio tamen non mihi satis gravis apparet, sed simplicior, quam ut S. Bonaventuræ adscribi possit. » At hujusmodi Oudinianæ censuræ ea eliduntur, qua præfati Editores non diffitentur prædicta Opuscula *digna profecto Doctore nostro,* etc.

Quod primum *de Pugna spirituali* spectat, quum ejus auctor nobis tradat [8] « nihil possidere in hoc mundo, sed duntaxat capere usum necessarium, et frequenter pati penuriam cibo, potu et vestitu, » satis se Franciscanæ paupertatis cultorem significat. Quum etiam ab illo doceamur [9] « semper niti exercere nos in humilibus operibus, vilibus et despectis officiis, puta, ministrare in coquina, lavare scutellas, » etc., optime S. Doctori nostro quadrat, qui nuntium cardinalatus accepit, dum scutellas in coquina lavaret [10]. Nihil etiam in

[1] Initio hujus §, pag. viii. — [2] Locus ille, bona pace Benedicti a Cavalesio dixerim, non est Opusculi *de Sex Alis Seraphim*, sed alterius inscripti *de Sex Alis Cherubim*, huj. tom. pag. 507, col. 2. — [3] *Diatrib.*, pag. 89, hujus vero nostræ edit. tom. I, pag. lii. — [4] Tom. III, col. 420. — [5] Ibid., col. 418. — [6] Ibid., col. 421. — [7] Ibid., col. 421. — [8] Cap. iii. Vid. huj. tom. pag. 160, col. 1. — [9] Cap. ix, ibid., pag. 163, col. 2. — [10] Consule Wadding., ad ann. 1273, n. 13, necnon ipsum *Prodrom.*, lib. I, c. xiv, n. 13.

ipso citatur, quod a Bonaventura nequiverit allegari. Namque testimonia proferuntur Ambrosii, Jo. Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, Cassiani, Jo. Climaci, Gregorii, Isidori, etc. Idem Opusculum, quod a Lud. Carbone laudatur [1], prodiit primum, quod sciam, in Collectione Veneta, anno 1504.

Neque dixeris ipsum, utpote agentem (*a*) de septem vitiis capitalibus, et eorum remediis, esse non posse Bonaventuræ, propterea quod in alio singulari opusculo inscripto *De vitiis et eorum remediis,* longe fusius de hoc ipso pertractaverit : nam contra est, non fuisse eidem Bonaventuræ insolens ab se alibi fusiori calamo scripta in compendiosiorem formam reducere, uti patet in *Legenda Minori B. Francisci*, in *Breviloquio* et *Centiloquio*. Non etiam objeceris, præfatum Opusculum una cum *Fascicularío* exstare in Tractatu *de Reformatione mentis seu virium animæ* Gerardi Zutphaniensis, qui fuit unus ex primis Clericis Regularibus, seu Fratribus vitæ communis, quique obiit an. 1398 [2]. Rursus enim contra est, quia cum apud eumdem Gerardum fusiora legantur, fieri potuit ut ille a Bonaventura, quem cap. XXVIII laudat, acceperit et auxerit. Ne autem adseramus aliquem alium, cujus nomen et institutum ignoratur, a Gerardo decerpsisse, ac Bonaventuræ attribuisse, vetant quæ paulo ante diximus.

In secundo Opusculo de *Contemptu Sæculi* digna notatu inter cætera plura sunt ea verba S. Doctoris : « Beatus homo qui scit Christum, etiamsi alia nescit. Infelix, qui scit omnia alia, illum autem nescit. Unde versus :

Hoc est nescire, sine Christo plurima scire :
Si Christum bene scis, satis est si cætera nescis. »

Quamvis autem *genuinum et dignum D. Bonaventura* Oudinus fateatur, in ipso tamen haud desunt similiter cadentia : « exitus horribilis, judex terribilis, et pœna infugibilis, » etc. ; ac nequidem abest barbarum illud adverbium *finaliter*, quod usurpatum itidem fuisse scimus a Guiberto de Tornaco, et Hugone de Dina sæc. XIII scriptoribus. Quanquam etiam in ipso pro ejus brevitate solus nominetur Augustinus, ex diversis nihilominus S. Gregorii locis constare Romani Editores adnotarunt. Exstat in collectione Argentinensi an. 1495, in Chronicis Marci Ulyssiponensis, necnon inter manuscriptos codices Bibl. Monasterii Pollingani, Ord. Canon. Reg. S. Aug., in Bavaria, et Bibl. Richard. Florentiæ, etrusce.

In tertio Opusculo *de Exercitiis spiritualibus*, quod adhuc brevius est, nostro Bonaventuræ, in suis Opusculis de more ingerenti orationis studium, omnino congruit illud monitum : « Ante cujuslibet operis vel facti inceptionem, Dominum invocabis, et modicum orabis [3], » etc. In eodem, ut (ex novissimorum Editorum confessione) *profecto digno Doctore nostro*, hæc illatina offenduntur : *Incustodia, incompositio*. Sic in eo proponuntur exercitia spiritualia numero tredecim, ut post ultimum exercitium brevis adjungatur formula ex D. Bernardo desumpta, qua ab exterioribus ad interiora, ab inferioribus ad superiora oportet conscendere. Habetur in citata collectione Argentinensi an. 1495, in Chronicis Marci Ulyssiponensis, et inter manuscriptos codices Biblioth. Monast. Polling. Ord. Canon. Reg. S. Aug., in Bavaria, et Bibl. Richard. Florentiæ, etrusce.

[1] *Introd. in Theol.*, lib. VI, c. XVI. — [2] Laudatur a Trithemio, Miræo, Fabricio, et Oudino tom. III, col. 1244. Ejus opus exstat in Bibliotheca Vet. Patr., tom. II, col. 1422 et seq., edit. Paris, an. 1610, ubi a cap. XXIX, fol. 248 et seq., incipit *Fascicularius*; edit. vero Lugd., an. 1677, tom. XXVI, col. 237 et seq. — [3] Vid. huj. tom. pag. 163, col. 1. — (*a*) *Prodr.* agens.

In quarto demum, quod *Fascicularius* vocitatur, etiam decet Bonaventuram, non minus timore reverentissimum, quam desiderio flagrantissimum erga eucharisticum sacramentum, illa doctrina, quæ in eodem *Fascicularío* traditur [1] : « Si autem quæris quo te affectu magis debeas excolere, timoris scilicet, » etc. usque ibi : « est sæpe pejus, et pluribus periculosius. »

Præter Gregorium, in ipso laudantur quoque Chrysostomus et Augustinus, occurritque modus ille loquendi, nostro Bonaventuræ familiaris : « de gaudiis supercœlestibus, donum superexcellentiæ, charitas superexcellens. » Item illa superlativorum repetitio de natura Christi « delicatissima, nobilissima, vivacissima. » Insuper in adjecto Opusculo *de Passione Christi breviter collecta ad modum fasciculorum* [2], legere est illam superlativorum repetitionem : « Hic diligentissime considera, qualis est qui patitur, et illi configurare, ut compatiaris innocentissimo, mitissimo, amantissimo, et nobilissimo ; » illaque similiter cadentia : « Admirare igitur illam majestatem annihilari, speciositatem decolorari, felicitatem tormentari, æternitatem mori, » etc.

Mentionem faciunt ejusdem *Fascicularii* Marianus Florentinus, et Ludovicus Granatensis. Prodiit una cum aliis Opusculis Argentinæ an. 1495, habeturque inter manuscriptos codices Bibl. monast. Polling. Ord. Canon. Reg. S. Aug. in Bavaria, et Bibl. regiæ (nunc imper.) Parisiorum, cod. 2975, memb. olim Faurian. Hujusmodi *Fasciculus* transcriptus fuit an. 1467 post S. *Augustini Manuale*, quod manu antiquiori, nempe sæc. XIV, exaratum videtur.

§ XI. — De Regimine animæ. (*Prodrom.*, col. 567 et seq.)

Incipit : *Primum omnium.* Quia vero continuo subditur : « Necesse habes, anima mea, altissime, piissime, sanctissime de optimo Deo sentire, » satis sese præbet auctor eumdem esse cum eo, qui scripsit *Breviloquium*, ubi itidem ait [3], « de Deo esse sentiendum altissime et piissime. » Suffragantur huic Opusculo Marianus Florentinus, Trithemius et Forestus, editiones quoque Colon. an. 1486, Argentin. 1489 et 1495, Brixien. an. 1497, ac aliæ subsecutæ, necnon pervetustus codex Assisiensis, in Tabulario S. Francisci Minor. Conventualium [4].

Prologo caret, factumque propterea est, ut cui missum fuerit, non satis constet. Marianus atque editiones prædictæ ad Blancam Hispaniæ Reginam; Trithemius et Forestus, ad Blancam Ducissam; codex vero, ad quamdam Dominam, sanctamque mulierem datam adnotant. Oudinus, et quoad inscriptionem, et quoad opusculum sic censet [5] : « Falsum est opusculum istud esse scriptum ad Blancam Hispaniæ Reginam, ut titulus præfert, nullumque vel leve indicium, quod ad reginam aliquam, vel ad mulierem directum fuerit unquam. Nec procuratores primæ editionis *Opusculorum S. Bonaventuræ* Argentinensis an. 1495 inscripsissent, si legissent : quod correxissent bibliopolæ in aliis editionibus, si tantisper opusculum volvissent. Est enim *Soliloquium*, vel Bonaventuræ, vel alterius, *ad suam animam*, quam scriptor alloquitur.

[1] Vid. huj. tom. pag. 177, col. 2. — [2] Huj. edit. tom. XIV. — [3] *Breviloq.*, part. I, c. II, huj. nostr. edit. tom. VII, pag. 249, col. 2. — [4] Scilicet sub hoc tit. *Meditatio, quam scripsit Fr. Bonaventura cuidam devotæ Dominæ*, characteribus rubris. Incipit *Ave Maria*, etc. *Primum omnium.* Spectat cum variantibus ad *Regimen animæ.* Notatu autem dignum, quod illa *devota Domina*, neque *Blanca Ducissa*, neque *Blanca Hispaniæ Regina* dicitur. — [5] Tom. III, col. 416.

» Quod opusculum istud ad Blancam Hispaniæ reginam directum non sit, patet 1. ex his verbis, quibus excitat auctor animam, vel personam ad quam scribit, « ad justitiam, ordinatam per obedientiam ad superiores, societatem ad pares, et per castigationem ad inferiores. » Hæ voces optime conveniunt, vel homini ecclesiastico, vel conventuali, vel cœnobitico, non autem reginæ Hispaniarum Blancæ, quæ nec superiores habuit, quibus obediret, nec pares, quibuscum sociaretur, nec inferiores, quos castigaret. 2. Hortatur eamdem personam « ad pietatem salvationis animarum, nunc adjuvando per orationum frequentiam, per sermonum informationem, » etc. Hæc conveniunt et clericis, et monachis, qui concionantur, et orationi frequentius instant : reginæ (ut opinor) non conveniunt, quæ concionari non solet. 3. Hortatur eamdem personam « ad pietatem divini cultus, attente, et devote, et reverenter scilicet horas persolvendo canonicas, » etc. An voces istæ reginæ Hispaniarum conveniant, quam Bonaventura ad quotidianum Breviarium adstringeret, an clericis vel monachis, quos per soliloquium istud auctor alloquitur, vident, ut opinor, vel viri mediocres.

» Incertum est, an Opusculum spectet ad S. Bonaventuram. Habet enim, quamvis modicissimum sit, voces barbaras sufficientes, ut D. Bonaventura indignum censeatur. Ita sub initium Opusculi appellat misericordiam Dei *summe viscerosam*, semel atque iterum. Vult postea *dolere hominem vehementer propter annihilationem omnis boni divinitus sibi dati*, etc. *vehementissime propter vilipensionem Dei*, etc. Utitur vocibus *deordinasti*, et aliis minus latinis. Non tanta tamen rusticitas, quanta in antecedentibus opusculis, unde Bonaventuræ concedi utcumque potest, et excusari. »

Post Oudinum, quem hactenus disputantem audivimus, novissimi Editores ita pressius loquuntur [1] : « Duo sunt in præsentia, quæ potissimum examinanda sumimus : unum, an Opusculum istud inscriptum sit Blancæ Reginæ Hispaniarum; alterum, an legitimus hic Bonaventuræ fœtus habendus sit. Primum quod spectat, fidentissime negamus Opusculum hoc ad aliquam erudiendam mulierem scriptum fuisse. Illuc enim respexit auctor, ut nimirum religiosum virum nescimus quem in perfectionis via perlustranda manuduceret, etc. Alterum solvendum remanet, num verum, an falsum Opusculum sit : in quo stabiliendo diu certe non immorabimur, eo quod indignum Bonaventura non videatur. »

Sed repono ego, si *indignum Bonaventura non videatur*, totaque dubitatio versetur, *an Opusculum istud inscriptum sit Blancæ Reginæ Hispaniarum*; cur ergo, expuncta sola inscriptione, inter cætera Bonaventuræ scripta refertum non est, sed ad incerta ablegatum, quum tamen, rejectis Prologis *Centiloquii, Incendii Amoris,* et *Amatorii* adhuc apud eosdem Editores novissimos inter certa Bonaventuræ scripta locum habeant hujusmodi Opuscula? Siccine est sibi constare, et non potius secum pugnare?

Ad primum ab Oudino objectatum quod spectat, falsissimum evincitur ex ipsomet Opusculo, *nullum vel leve indicium* deprehendi, *quod ad reginam aliquam, vel ad mulierem aliquam directum fuerit unquam;* cum auctor diserte *mulierem* alloquatur inquiens : « Abusa es, » etc. « Exerce teipsam, » etc. « Sis imitatrix perfecta, » etc. Exempla etiam *filiarum Judæ* et *Canticorum sponsæ,* potius quam *virum religiosum,* devotam mulierem indicant : cui quidem devotæ mulieri optime convenire potest *sanctissimam pro tempore Eucharistiam*

[1] *Diatrib.*, pag. 90, huj. vero nostræ edit. tom. I, pag. LII.

sumere, et quotidie missam audire (neutiquam vero sacrum facere), uti quoque habere *obedientiam ad superiores, societatem ad pares, et castigationem ad inferiores.* Pari falsitate laborat, primam editionem *Opusculorum*, aut etiam hujusce Opusculi cum inscriptione *ad Blancam Hispaniæ Reginam*, fuisse *Argentinensem an.* 1495, ut ex dictis patescit.

Ad secundum respondeo, nullo negotio post devotam fœminam qua crebris ad Deum precibus, qua salutaribus etiam adhortationibus, qua piorum locorum fundationibus, qua sanctæ vitæ exemplis, etc., salutem animarum promovere. Annon de S. Margarita Cortonensi legitur, quod « ad eam, veluti ad perfectionis magistram, ex dissitis etiam regionibus plurimi conveniebant, » quodve « summa in Deum et proximum charitate fervens, ingentem animarum fructum operata sit; » necnon de S. Rosa Viterbiensi, quod « decennis a Deo inspirata, piis adhortationibus, validisque argumentis multos hæreticos ad fidem et obedientiam Romani Pontificis reduxerit; » ut alia plura omittam exempla?

Ad tertium, mirum est ignorasse Oudinum, quod *vel viri mediocres* probe sciunt, videlicet non solis *clericis, vel monachis*, solemne fuisse horas canonicas recitare. Profecto in Actis S. Elzearii Comitis Ariani, qui nec clericus, neque monachus fuit, sed matrimonio junctus cum virgine S. Delphina, legere est, « horas canonicas ritu, quem tenet sancta Romana Ecclesia, tam devote dicebat, quasi oculis mentis Deum jugiter cerneret; tam integre, ut nequidem iota unum, aut apicem præteriret. » « Reges quoque, » scribit Joannes Grancolas [1], « officium recitasse accipimus. Alfridus, Angliæ rex nono sæculo exeunte, etiam noctu Officium recitabat, atque octo horas precibus impendebat. Sanctus Ludovicus omnibus Officii horis adesse solebat, vel eas cum capellano suo absolvebat, idemque sancta Elisabetha ejus soror factitabat, » etc. Nec prætereundem id quod fertur de S. Elizabeth vidua, Portugaliæ regina [2] : « Annos octo nata cœpit divinum recitare officium, quod usque ad finem vitæ adamussim servavit. » Poterat igitur et regina Hispaniarum Blanca hortationem accipere *ad attente, et devote, et reverenter horas canonicas persolvendas.*

Quod si nosse aveas, quænam illa fuerit, hæc a Romanis Editoribus disce (in Argumento Epistolæ, de qua agitur, præmisso [3]). Trithemius tamen ipsam Blancam non quidem *Hispaniæ Reginam*, sed *Ducissam* nominat, forte quia vir ejus nondum rex e vita migravit. Ad ipsam fortasse viduam, regulamque tertii ordinis S. Francisci profitentem, suum Bonaventura direxit Opusculum. Unde satis datur intelligi, cur eidem suaserit, eam « compositionem actuum, motuum, gestuum, vestimentorum, seu habituum, membrorum et sensuum, juxta quod moralis honestas, et *regularis observantia* id exposcit. »

Sed age non fuerit Blanca *Hispaniæ Regina*, neque *Ducissa*, cui Opusculum hoc inscriptum, ac nequidem Blanca Alphonsi Regis Castillæ filia, et inclyta uxor Ludovici Octavi Regis Franciæ, materque S. Ludovici noni, quæ piissime obiit anno 1253, laudaturque velut tertio ordini adscripta in Martyrologio Franciscano, XXX novembris : « ergone *fidentissime negandum ad aliquam erudiendam mulierem scriptum fuisse?* Nullo modo; in citato enim codice Assisiensi adseritur scriptum *cuidam devotæ Dominæ.*

Hanc verisimiliori conjectura post P. Sbaraleam putamus supra laudatam beatam Isabellam, seu Elizabetham, Blancæ Reginæ Francorum filiam, ac Monasterii Clarissarum

[1] Comment. histor. in Breviar. Roman., c. XVI. — [2] In Martyrol. Franc. Arturi, IV Julii, § 3. — [3] Vid. huj. tom. pag. 180.

Longi-Campi fundatricem. Ad quam quidem conjecturam magis magisque roborandam illud addimus, quod perhibetur in coæva ejusdem Beatæ Vita [1], ex qua constat, nostrum Bonaventuram tunc Parisiis Theologiæ magistrum, una cum aliis Minoritis, ipsa Isabella rogante, illius monasterii regulam examinasse : constat insuper quam magna pietate atque attentione divinum Officium eadem virgo peragendum curaret : quam esset occupata studio sanctarum scripturarum, utpote linguam latinam optime intelligens : et quam sæpe verbum Domini prædicari juberet (*a*).

§ XII. — De septem Gradibus contemplationis. (*Prodrom.*, col. 571 et seq.)

Incipit : *Contemplativorum aquilinus obtutus.* Opusculum hoc Bonaventuræ adscribunt Marianus Florentinus, Ludovicus Prutenus, Trithemius, Forestus, Anonymus Pistoriensis, Gulielmus Eysengrenius, Bartholomæus de Martyribus, etc.; editiones etiam vetustiores, ac singulares; plures denique codices manuscripti, videlicet Assisii in Tabulario S. Francisci Minorum Conventualium, Mellici Austriæ in Biblioth. Benedictinorum, Parisiis in Biblioth. regia (nunc imperiali) cod. 2042 membran. olim Colbertinus, Romæ in Biblioth. Barberina et Chisiana. Neque id ulla solida ratione improbari potest. Respuit quidem illud Oudinus, sed sola permotus ratione *vocum insolitarum,* quas a D. Bonaventura in certioribus Opusculis ignoravit adhibitas. Eumdem Seraphicum Doctorem in principio hujus quoque Opusculi usurpare potuisse *aquilinos obtutus* patet, quia usus est itidem *aquilino intuitu* in *Ligno vitæ* sub primo titulo : *Jesus ex Deo genitus.* Unde tamen abest, quod ex phrasi supposititium sit judicandum, ut potius censeri debeat ex eodem legitimum.

Sed Oudinum ipsum libeat audire [2] : « Indignum Opusculum, quod D. Bonaventuræ tribuatur, ob affectationem quamdam vocum insolitarum. Nam primo explicans primum gradum contemplationis, ait : « Ignis est vehemens divini caloris vel amoris fervor, ex camino supersplendentis Hierusalem flabellatus. » Quis enim ecstaticum et enthusiasticum hunc auctorem, ex hac inflata atque affectata simul descriptione, non statim nugivendulum agnoscat? Quis hunc Bonaventuram agnoscat, virum judicio gravem, atque ad istas imaginationes non adsurgentem? » 2. *Habet autem signare infinitissimam Jesu bonitatem.* 3. *Nunc autem convenientius propter suæ humanitatis superpulchrificam claritatem adjectam, dici queat supersplendens candor, et supercandens splendor,* etc. 4. Postea : *Quod enim purificat ignis concremando, hoc unctio mulcet suam pinguedinem perfundendo, ut capificilior* [3] *sit divinorum, et pulchrificorum radiorum, ab æternaliter oriente aurora ditissime emanantium.* Sane non invenio, nec lego, D. Bonaventuram, licet probum et devotum virum, abiisse in voces illas ecstaticas simul, et phantasticas. 5. *Ad interiora Empyrei, et superlucidissimi tabernaculi se extendit,* etc. Omne Opusculum scatet similibus extraordinariis vocibus, quas scriptor affectavit, ut *superessentialis*, et *superintellectualis, superclarus, superfulgidus, supersplendens, superactivus, superimmensus, supersanctissimus, angelificatus*, etc., quas dum monachi audiunt, et contemplativi

[1] Videatur prædicta vita apud Bollandianos, die XXXI Augusti. — [2] Tom. III, col. 420 et seq. — [3] *Capifacilior* legendum duxerim pro *capificilior*.

(*a*) In hac satis ampla dissertatione plura ducem nostrum fefellisse videntur 1. Blanca illa, de qua Editores Romani, non erat mater Ludovici IX, sed filia. 2. B. Isabella, Longi Campi fundatrix, non erat filia ejusdem sancti regis, sed soror.

magnopere mirantur, et extra se rapiuntur omnino, sed aliter censent viri solidi (*a*), ex quibus fuisse S. Bonaventuram censeo. »

Ad verbalem hanc prolixius, quam par erat, productam censuram, præsto est responsum : Opera Areopagitica, quæ talia sanctorum Thomæ et Bonaventuræ tempore putabantur (*b*), quæve latine reddita tunc vulgatissima erant, magno pretio ipsis fuerunt, ac usui frequentissimo, licet scateant hujusmodi vocibus. Ergo de his, secus ac Oudinus, viri *solidi* censuerunt. Addo Bonaventuram *virum judicio gravem* ab hujuscemodi vocum usu minime abhorruisse, ut ex jam dictis palam est; viderique possunt in *Itinerario mentis in Deum*, ubi etiam legere est illud *de igne divini amoris ex camino Hierusalem*, dum prope ejus finem dicitur : « Ignis est, et hujus caminus est in Hierusalem, » etc. Unde *nugivendulus* potius revincitur Oudinus, qui ex ipsis petitum argumentum, imperitis velut apodicticum venditat. Ab eo proin sibi merito temperarunt novissimi Editores, qui ipso valere jusso, hoc sequens urgent, dicentes [1] : « Opusculum quidem est sæculi XIII, » nam in manibus P. Jac. Echardi perexiguus exstabat tractatulus manuscriptus sic inscriptus..... Quamquam Echardus Auctoris nomen in hoc manuscripto tractatulo non viderit inscriptum, attamen putat opus esse Fr. Humberti de Romanis Ord. Præd. Magistri Generalis, et Patriarchæ Jerosolymitani, qui sancte devixit an. 1277. Id ut Humberto tribuat, ducitur auctoritate Laurentii Pignon, qui quum Humberti Opera recenseret, hoc *de septem Gradibus Contemplationis* commemorat... »

Sed etiam ad hæc ex ipsius Echardi lectione facile est responsum : Laurentium Pignon inter laudati Humberti Opera meminisse quidem libelli *de septem Gradibus Contemplationis*, non tamen sat declarasse, fore hunc, de quo in præsentia sermo est. Neque Echardus de prædicto tractatulo manuscripto disserens, *putavit Opus esse Fr. Humberti*, sed dubitanter scripsit : « Quis auctor non additur, an is Humbertus? » Cæterum Laurentio Pignon Dominicano, qui obiit an. 1446, opposuerim codices supra memoratos Bonaventuræ faventes, scilicet Assisiensem, qui videtur sæculi XIII, recenseturque in inventario an. 1381, Parisiensem, qui itidem sæculo XIII, exaratus videtur, imo et Romanos sæculi XIV.

Quod si nihilominus contra Bonaventuram urgeas auctoritatem Joannis de Weylheim Benedictini Mellicensis, qui an. 1458 præfatum Opusculum exscripsit, illudque potius Compendium, quod vocat, abbati Vercellensi, quam Bonaventuræ attribuendum putavit, hujusmodi Compendio hanc suam censuram præmittens : « Nota, quod auctor tractatuli sequentis *de septem Gradibus Contemplationis* videtur esse abbas Vercellensis, prout potest elici ex suis verbis, cap. VII, super *Cantico Cant.*, ubi inquit : « Si autem quis mente sollicitatur volens scire qui sint isti effectus (*c*), in quibus tantum dilectus delectatur, possumus dicere, quod sunt septem, scilicet : Significatio calidissima, unctio suavissima, exstasis perfectissima, speculatio lucidissima, delectatio deliciosissima, quælibet unicio (*d*) pacatissima, et gloria supergloriosissima, de quibus specialis exstat Tractatus juxta divi-

[1] *Diatrib.*, pag. 116, huj. vero nostræ edit. tom. I, pag. LXX.

(*a*) Dicantur potius moderna philosophia imbuti, et mysticæ theologiæ, atque etiam philosophiæ christianæ, quam apprime noverat Bonaventura, ignari, qui voces illas aspernantur. Etenim juxta christianam, quæ sola vera est philosophia, Deus, cum sit supra et extra omne genus, superlativis et linguam omnem humanam excedentibus potissime debet appellari; quod optime sensit Areopagita, ejusque discipulus Seraphicus Doctor noster. — (*b*) Atque etiam nunc felici retractatione creduntur. — (*c*) *Leg.* affectus. — (*d*) Unitio.

nam bonitatem communicatam : » dictis hactenus addiderim, quod alius videatur *Tractatulus* (uti eum vocat Weylhemius) Bonaventuræ *De septem gradibus contemplationis*, alius Tractatus Abbatis Vercellensis de iisdem gradibus; sicut etiam enumeratio illorum brevior est, ac simplicior apud Bonaventuram, quam apud Abbatem Vercellensem. Accedit, quod prædicti septem gradus recenseantur a Bonaventura nostro etiam in expositione capitis noni S. Lucæ (*a*), eodem quidem ordine, atque ipsissimis verbis, quibus in Opusculo, de quo est sermo, sed ex Fr. Ægidio petitis.

Igitur quum ex una parte satis non constet, hoc Opusculum esse, aut Humberti Ord. Præd., aut Thomæ abbatis Vercellensis Ord. Canon. Reg. S. Augustini; ex alia vero habeamus pro Bonaventura spectabilis antiquitatis testimonia, suffrageturque eidem Seraphico Doctori pacifica et longæva in multis editionibus possessio : ab hac ipsum minime ausim deturbare, atque extra Bonaventuræ Opusculorum seriem ejicere. In eo allegatur Dionysius, interserunturque identidem sacræ Scripturæ textus. Quoad difficultatem, quæ peti posset ex eo, quod quibusdam visum est Bonaventuræ stylum non redolere, jam dictum est supra ab initio, et peremptorie respondendum cum viro, si quis alius, in hac re versatissimo Jo. Mabillonio [1] : « Unius et ejusdem auctoris stylus multifarius quandoque dignoscitur; in aliquo namque interdum Opere, qua elegantior, quave negligentior apparet, quemadmodum in Patrum homiliis sæpe notatur. Præterea unus idemque auctor jam ætate confectus, videtur sibi ipsi, cum adhuc junior esset, plerumque dissimilis. »

§ XIII. — Formula aurea de gradibus virtutum. (*Prodrom.*, col. 573-574.)

Incipit : *Accedite*. Inter Bonaventuriana Opuscula recensetur a Mariano Florentino, et ab Anonymo Pistoriensi. Primum, quod sciam, prodiit in Collectione Argentinensi an. 1495, occurritque inter manuscriptos codices Biblioth. Monast. Pollingani Ord. Can. Regul. S. Aug., necnon Monast. S. Viti cis Rhotam, in Bavaria; item S. Mariæ Gratiarum Minor. Observ., apud Mantuam, et in Bibl. Cæsarea Viennæ, in Austria. « Dignam esse, quæ S. Bonaventuræ attribuatur, » censet P. Sbaralea, nihil moratus Oudini censuram. Auctor se Franciscanum satis manifestat, dum de altissimo paupertatis gradu loquens ait [2] : « In altissimo est, qui nihil habet proprium in communi, nec ad septimanam, vel ad diem, ut Fratres Minores. » Scatet idem Opusculum divinæ Scripturæ testimoniis, in eoque laudantur Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Damascenus, Bernardus, Glossa.

Duo tamen in eo cavillari potuit Oudinus. Primum, quod de largitate dicitur [3] : « In altum gradum largitatis ascendit, qui dat quidquid ab eo petitur, sicut Herodes facit, qui filiæ dixit : *Quidquid petieris, dabo tibi.* » Secundum, quod de confessionis gradibus pronuntiatur [4] : « Altus gradus est confiteri tantum uni sacerdoti, juxta illud : *Vade, et ostende te sacerdoti ;* altior est confiteri pluribus sacerdotibus religiosis, qui diligentes sunt circa confessionem et confitentes. » Utrumque improbat Oudinus [5]; secundum, novissimi Editores [6], perperam tamen.

[1] *De recta in Deum fide*, lib. VI, c. XXIII, fol. m. 216, a tergo. — [2] Cap. VIII, huj. tom. pag. 192, col. 1. — [3] Cap. XV, huj. tom. pag. 195, col. 1. — [4] Cap. XXIII, pag. 198, col. 2. — [5] Oudin., tom. III, col. 416 et seq. — [6] *Diatrib.*, pag. 116, huj. vero nostræ edit. tom. I, pag. LXX.

(*a*) Vid. huj. nostræ edit. tom. X, pag. 465-466, et *Cf.* huj. tom. XII, pag. 188.

Quod enim primum spectat, adducitur exemplum Herodis non quidem relate aut ad factum impudicitiæ, aut ad illud promissum prodigalitatis : *Licet dimidium regni mei*, sive ad gratam puellæ saltationem; sed ad illam simplicem promissionem, prout ab hujusmodi vitiis præcisa consideratur. Addit laudatus P. Sbaralea, S. Doctorem nec laudare, nec tueri Herodis actum, sed in exemplum inducere id, quod vulgo existimatur largitatis gradus, nempe dare quidquid petitur; ut Herodes, et qui cum eo erant, factum illud pro Herodiadis filia *largitatem* esse crediderunt. Secundum autem accipiendum est, non ad invidiam sacerdotibus sæcularibus conflandam, sed cohærenter ad ea, quæ circa mores peritiamque cleri suæ tempestatis idem Bonaventura tradiderat in Opusculo inscripto : *Quare Fratres Minores prædicant, et confessiones audiant*, ubi concludit [1] : « Cum igitur jam sit Ecclesia quasi navis tempestate concussa, in qua remigantibus pavore trepidantibus, procellæ tumentes pene operiunt navem, missi sunt Fratres a summo Gubernatore, fulti auctoritate Sedis Apostolicæ, ut in naviculis suis discurrentes per mundum, quos ex naufragio periclitantes invenerint, rapiant ex undis, et ad littus salutis reportent. » Videatur etiam ejusdem Doctoris Seraphici *Libellus apologeticus in eos, qui Ordini Fratrum Minorum adversantur* [2].

§ XIV. — Epistola continens viginti quinque memorialia seu memorabilia. (*Prodrom.*, col. 653-654.)

Incipit : *In Christo suo dilecto*, etc. Quoniam, dilecte mi frater, etc. Prænotatur quoque : « Epistola de spirituali profectu; de modo proficiendi compendioso; de Ordine spiritualis vitæ; Exhortatorius ad Fratrem; Speculum viginti quinque graduum vitæ spiritualis; Speculum Fratrum et Sororum; Speculum Fratrum Minorum; Speculum Religiosorum; Speculum Monachorum; Ordinarium vitæ religiosæ, » etc. Ipsam indubiam reddunt, præter inscriptionem, et Mariani Florentini, Joannis Trithemii, atque Jacobi Philippi Foresti testimonia, editiones an. 1484, Colon. 1486, Argentinen. 1489 et 1495, Venet. 1504 et 1564, Vatic. 1596, Venet. 1754, necnon codices manuscripti numero haud pauci, vetustate spectabiles fideque dignissimi ; qui si etiam deessent, Oudinus ingenue fatetur [3], « ex inscriptione et dictione Operis certo spectare ad D. Bonaventuram. » Quis ergo non miretur videre illam apud Editores novissimos rejectam *ad incerta S. Bonaventuræ scripta* [4], ut contra ipsam nihil adferre potuerint? In hoc certe præfati Editores peccarunt immaniter contra canonem illum, sive regulam Oudinianam [5] : « Nec audiendi sunt scriptores recentes qui S. Thomæ Aquinati (*dixerim ego* S. Bonaventuræ Balneoregiensi) scripta ab antiquis collata auferunt (*ego addiderim* vel de illis dubitant) ex proprio capite, absque rationibus idoneis, aut demonstrativis, uti nostro sæculo a nonnullis factum est. »

Eamdem, Mss. codicibus inhærentes, scriptam dicimus non *ad Fratrem E.*, uti habent plures editiones, sed *ad Fratrem Petrum*. Quisnam autem fuerit iste *Petrus*, aliis investigandum relinquimus, subdentes tantummodo, binos innotuisse nobis illius ævi Fratres *Petri* nomine vocatos; quorum alter Minister Franciæ Bonaventuram nostrum laudavit in epistola scripta an. 1268 [6]; alter vero Minister Turoniæ memoratur ab eodem Bonaventura in Epistola *ad Abbatem B. Mariæ Blesensis*.

[1] Edit. Vat., tom. VII, pag. 368; edit. Ven., 1754, tom. V, pag. 725. — [2] Edit. Vat., tom. VII, pag. 374; edit. Ven., tom. V, pag. 702, huj. vero edit. tom. XIV. — [3] Tom. III, col. 424. — [4] *Diatrib.*, pag. 89, hujus vero nostræ edit. tom. I, pag. LII. — [5] Tom. III, col. 301. — [6] Vid. *Prodrom.*, lib. I, c. XI, n. 3, col. 45.

§ XV. — De Perfectione vitæ ad Sorores. (*Prodrom.*, col. 558 et seq.)

Incipit : *Beatus vir*. In hoc piissimo Opusculo « primo agitur de vera sui ipsius cognitione ; secundo de humilitate ; tertio de perfecta paupertate ; quarto de silentio ; quinto de studio orationis ; sexto de passionis Christi memoria ; septimo de perfecta Dei charitate ; octavo de finali perseverantia [1]. » Auctor ejusdem satis se prodit Franciscanum, diserte aiens [2] : « Hac vilitate viluit pater noster Franciscus ; » ac Fratrum Minorum paupertatis evangelicæ imitatorem inquiens [3] : « Si inter Judæos duros et crudeles pascebat Dominus discipulos suos sine omni sollicitudine, quid mirum si pascat Fratres Minores, et pauperes sorores, paupertatis evangelicæ imitatores, inter populos christianos et fideles ? »

Ad unam ex Sororibus, potius quam *ad Sorores*, sermonem dirigere ostendit laudatus auctor in Prologo dicens [4] : « Tu itaque Deo devota, dilecta mihi, reverenda soror, rogasti me, » etc. Rursumque in eodem Prologo [5] : « Rogo autem beatitudinem tuam, soror sanctissima, » etc. Se quoque Clarissam alloqui demonstrat, talia fatus [6] : « Sed tu, Christi Virgo, ancilla Domini, qua mente quæras divitias, cum paupertatem voveris, cum inter pauperes Christi vivas, cum patris pauperis Francisci velis esse filia, cum pauperis matris Claræ velis esse imitatrix ? » Ac iterum [7] : « O beata Dei famula, recordare paupertatis Domini nostri Jesu Christi, imprime cordi tuo paupertatem pauperis patris tui Francisci, memorare matris tuæ Claræ, » etc. Vertit tamen etiam sermonem *ad Sorores*, in plurali sic loquens [8] : « Sitis ergo, o famulæ Dei, ancillæ Christi, humiles...., quia patrem habuistis humilem, scilicet B. Franciscum. Sitis humiles, quia matrem habuistis humilem, scilicet B. Claram, » etc.

Adeo demisse de se sentit (id quod nostro Bonaventuræ perquam familiare erat), ut scripserit [9] : « Sed certe fateor, pro insufficientia mea, hujusmodi eruditione me potius indigere, » etc. Et iterum [10] : « Licet ego in hac parte, et in hoc negotio magis indigeam reformari, quam tu. » Ignem seraphicæ devotionis ostendit illis verbis [11] : « Audi, soror devotissima : Altare Dei est cor tuum, in hoc altari debet semper ardere ignis fervidæ devotionis, quem singulis diebus debes nutrire per ligna crucis Christi, et memoriam passionis ejus, » etc.

Hocce Opusculum nostro Bonaventuræ adscribunt Marianus Florentinus, Anonymus Pistoriensis, Bartholomæus de Martyribus, et Ludovicus Granatensis. Exstat inter manuscriptos codices Biblioth. Monast. Pollingani Ord. Can. Reg. S. Aug., in Bavaria. Ipsum novissimi Editores non solum agnoscunt [12] « Bonaventura dignum, sed etiam à nomenclatoribus laudatum, » etsi nullum nomenclatorem nominent, nullumque manuscriptum codicem indicent. De eo ita censet Oudinus [13] : « Habetur in editione Argentinensi anni 1495, et in omnibus sequentibus, in quo cum nihil invenerim, quod Bonaventura indignum sit, immerito de illo ambigerem. »

Hoc tamen parum est ; non solum enim in eo nihil exstat *Bonaventura indignum*, sed quidquid in ipso legitur eodem Bonaventura omnino dignum est. Bonaventura plane

[1] Vid. huj. tom. pag. 210. — [2] Cap. II, pag. 212, col. 1. — [3] Cap. III, pag, 215-216. — [4] Pag. 209, col. 2. — [5] Ibid. — [6] Cap. III, pag. 215, col. 2. — [7] Ibid., pag. 216, col. 1. — [8] Cap. II, pag. 213, col. 2. — [9] In Prologo, pag. 241, col. 2. — [10] Cap. V, pag. 218, col. 2. — [11] Cap. VI, pag. 221, col. 2. — [12] *Diatrib.*, huj. nostræ edit. tom. I, pag. XLIII. — [13] Tom. III, col. 435.

dignum quod ipsum passim ditarit luculentissimis D. Bernardi sententiis, verbaque pro re nata etiam protulerit ex Joanne Chrysostomo, Augustino, Prospero, Gregorio, Isidoro, Anselmo, Hugone de S. Victore, *Vitis Patrum, Glossa,* necnon ex ipso Philosopho. Neque *Bonaventura indignum* in eodem iterasse superlativa et similiter desinentia. Nequidem Bonaventura indignæ illæ voces : « Hausorium, supermundanum, vituperatissimum, saporosum, defectibile, confusibile, despectibile, præamicabile, præamabile, præcordiale, incineratio, coronatio, flagellatio, insipiditas, contrarietas, insufficientia, totaliter, » etc. Multoque minus *Bonaventura indignum* verbum *scopare,* pro *expurgare* ex Vulgata repetitum.

Quum itaque nihil obsit, quominus genuinum credatur, et plura sint, quæ D. Bonaventuræ adscribendum persuadeant : aliunde vero, quod ego sciam, nullus hactenus ipsum Bonaventuræ nostro eripuerit, ut alteri restitueret : frustra sim, si tali Commentariolo defendendo diutius immorari velim.

§ XVI. — Sermones de decem præceptis. (*Prodrom.*, col. 664 et seq.)

Incipiunt : *Si vis ad vitam ingredi,* etc. *Verba ista.* De his minime dubium testimonium habemus ab Henrico Gandavensi, Joanne Francisco Pavino, Mariano Florentino, Trithemio, Foresto, Anonymo Pistoriensi, Eysengrenio; ab Edit. Colon. an. 1486, Argentin. an. 1489, 1495, etc., necnon ab Inventorio librorum Sacri Conventus Assisiensis S. Francisci scripto an. 1381, tandemque a codicibus manuscriptis Collegii Baliolensis Oxoniæ, Colleg. Caio-Gonvilens. Cantabrigiæ, et quidem in pluribus exemplaribus, Aulæ dein Pembrochianæ ejusdem urbis, in Anglia; tum Tabularii S. Francisci Minor. Convent. Assisii, in Italia; deinde Biblioth. Corsendencanæ Canonic. Regular., itemque Biblioth. Monast. Alnensis ditionis Leodiens., Ord. Cisteri., in Belgis; ac præterea Biblioth. Eremitarum S. Romualdi Camalduli, in Etruria, necnon S. Margaritæ Cortonensis, Minor. Observ. Cortonæ; adde Biblioth. S. Francisci. Minor. Convent. Ferrariæ, Biblioth. S. Mariæ Gratiarum Minor. Observ. Mantuæ, Biblioth. S. Apollinaris Minor. Observ. Ravennæ : quibus adjicimus Opusculum manuscriptum ex Archivo S. Jacobi Minor. Reform. Tuderti, Cod. membr. in-4, anonymum quidem, sed idem ac editum inter Opuscula S. Bonaventuræ.

Nihilo tamen secius Oudinus, post recitata duo exempla in iisdem Sermonibus [1] contenta, ita subdit [2] : « Nullus, opinor, lectis his duabus fabulis, etiam Franciscanus, erit qui in posterum tam propudiosum Opus sancto Bonaventuræ, viro docto et gravi, adscribere velit : nullus, nisi omnino insanus, qui tam absurdas narrationes, tanquam ipso indignas, propugnare velit, vel dicere audeat. » Ast exemplum persimile primo de filio non agnoscente matrem suam indutam vestibus ab humili statu suo alienis refert S. Antoninus [3]; secundum autem, etsi nonnihil variatum, de alio filio non honorante patrem suum, terrificentissima punitione bufonis faciei ejus tenaciter adhærentis a Deo plexo, Thomas Cantipratanus Ord. Prædicatorum, D. Bonaventuræ coævus [4], atque ex eodem Cantipratano Thomas Lohner Jesuita [5] : quodve magis est, Jacobus Echardus loquens de suo Fr. Stephano a Borbone, nato versus finem sæc. duodecimi, mortuo autem circa an. 1261, qui Tractatum *de sep-*

[1] Videlicet serm. v, huj. tom. pag. 248, col. 1-2. — [2] Tom. III, col. 413. — [3] *Hist.*, part. III, tit. XX, c. IX, in Prol. — [4] *De Apibus,* lib. II, c. VII, part. IV. — [5] *Bibl. manual. Concion.*, tom. II, tit. XLIX, § IV, n. 24.

tem donis Spiritus sancti composuit, se vidisse testatur[1] codicem manuscriptum coævum, dictum Tractatum continentem, in cujus margine ad fol. 244, col. 2, hæc annotatio, eadem prima manu scripta, legebatur : « De isto, cui adhæsit bufo in facie, vidit Fr. Stephanus Operis hujus auctor plures, qui illum viderunt. » Hos autem omnes *insanos* dixerit pro sua, si superis placet, modestia, solus Oudinus : cui quidem si adhuc nimis portentosum videatur secundum exemplum de *capone in bufonem converso,* noverit illud deesse in manuscripto codice Cortonensi.

Post eumdem Oudinum Editores novissimi censuram hanc subjiciunt[2] : « Auferendi sunt Bonaventuræ, et legitimo auctori Gotschalco Hollen, Germano, Eremitarum S. Augustini alumno, scriptori sæc. XV, restituendi, » etc. Sed quei *restituendi Gotschalco scriptori sæculi* XV, cum vel hic *insanus* nequaquam fuerit, neque de re, quæ accidit sæc. XIII, circa tempora Borbonii et Cantipratani, dicere potuerit : « Vidi illum, qui novit illum, cui hoc accidit; » et multo ante Gotschalcum iidem ipsi sermones innotuerint? Quum Philippus Ellsius, seu Ellessius, Augustinianus, a prædictis Editoribus laudatus, testetur[3], « Gotschalcum in Italia studuisse anno 1466, consequens est, ejusdem *Præceptorium,* seu *Commentarium in decem præcepta,* post an. 1466 in lucem prodiisse, adeoque longe antiquiores fore *Sermones de decem Præceptis* inter Opuscula Bonaventuriana, quum de ipsis testes sint nedum manuscripti Codices multo vetustiores an. 1466, verum etiam scriptor synchronus Henricus Gandavensis.

Neque reposuerint prædicti Editores[4] *vel ipsum Gandavensem allucinatum* fuisse, *Aquinatem autem verum auctorem Sermones hos, quos laudat Gandavensis, jure sibi vindicare, ac satis firma esse quæ P. Jac. Echardus in rem hanc scripsit.* Ab omni enim veri specie abest, Gandavensem coævum, ac minime Franciscanum, qui non pauca vera Opuscula D. Bonaventuræ silentio præteriit, sic abstulisse Aquinati hujusmodi sermones, ut illos nostro Bonaventuræ adfingeret. Tam etiam *firmum* non est, sed commentitium, *Aquinatem auctorem sermones illos, quos laudat Gandavensis,* jure sibi vindicare, quam apud Echardum ipsum constat Opusculum *de decem præceptis* Aquinati adscriptum, omnino diversum esse a sermonibus *de decem præceptis*, qui Bonaventuræ tribuuntur. Nam Echardus hoc præfati Opusculi principium exhibet : *De duobus præceptis charitatis, et decem legis præceptis,* seu *Tractatus, quod lex amoris fuit necessaria homini,* sive *Collationes de decem præceptis, quas collegit Fr. Petrus de Adria.* Nec titulo tantum diversa sunt duo ista Opuscula, sed et initio. Nam illud Bonaventuræ incipit : *Si vis ad vitam ingredi;* illud autem Thomæ, vel apud ipsum Echardum[5] : *Tria sunt homini necessaria.* Sed quid in his moramur? Alterum cum altero a capite ad calcem conferatur, et luce meridiana clarius fiet, ea esse omnino diversa.

Idem quidem initium : *Si vis ad vitam ingredi*, præter libellum *de decem præceptis* Arnoldi Haldrenii Vesaliensis, canonici ecclesiæ summæ Coloniensis XVI. sæculo[6], habet etiam *Præceptorium* Gotschalci; sed idem Opus non est. Quippe nostri Bonaventuræ *Sermones de decem præceptis* sunt *Opusculum*, sive *Epitome*; sermones vero Gotschalci

[1] *De Script. Ord. Præd.*, tom. I, pag. 184, col. 2. — [2] *Diatrib.*, pag. 110, huj. vero nostræ edit. tom. I, pag. LXVI. — [3] *Diatrib.*, ubi sup. prox. — [4] Ibid. — [5] *Script. Ord. Prædic.*, tom. I, pag. 333, col. 1. — [6] Apud Sextum Senensem, *Biblioth. Sanctæ*, lib. IV.

apud Sextum Senensem constituunt *volumen ingens, quod Præceptorium divinæ legis inscribitur*[1], et apud Oudinum appellantur[2] *majus Opus, quod inscribitur Præceptorium.* Adde Pavinum quoque, Trithemium ac Forestum, scriptores certe non *insanos* sed *graves*, retulisse inter Bonaventuriana Opuscula et hoc *de decem Præceptis*, locumque obtinuisse in Collectione Coloniesi an. 1486. Jam quis credat Pavinum, Trithemium ac Forestum, Gotschalco Hollen coævos, et maxime Forestum, utpote ejusdem Eremitani Ordinis scriptorem egregium, eo desipuisse, ut recentissimum ipsius Gotschalci Opus, seu potius puram putamque laciniam ex majori Gotschalci opere ad verbum non ita pridem desumptam, D. Bonaventuræ adscriberent, neque minus delirasse Colonienses publicantes sub nostri sancti Doctoris nomine laciniam eamdem surreptam *ex grandiori Præceptorio*, quod sub dicti Gotschalci nomine paucis ante annis, nempe an. 1481, per Joannem Guldenschæffium civem suum vulgaverant? Sibi id quidem persuaserit Oudinus; mihi autem minime, ut qui certissimus sim, tam a veritate ipsum aberrasse, dum putavit[3] *Gotschalci Præceptorium impressum sub proprii auctoris nomine* annis quatuordecim antequam sub nomine D. Bonaventuræ *in Epitomen redactum ederetur*, quam e contrario verissimum est, sermones Bonaventuræ *de decem præceptis* in manuscriptis codicibus habere Gotschalci *Præceptorio* longe antiquioribus, atque ab editione hujusmodi *Præceptorii* facta Coloniæ an. 1481, utque ad editionem itidem Coloniensem an. 1486 dictorum S. Bonaventuræ sermonum, nullatenus effluxisse *annos quatuordecim.*

Vidi tandem ego ipse die 30 decembris 1766 in Bibliotheca nostrorum Patrum Reformatorum Coneglani sæpe memoratum *Præceptorium Domini Gotschalci Hollen Eremitarum S. Augustini*, gothico, ut aiunt, charactere impressum, fine carens, ac etiam in principio absque nota loci, et anni, atque nomine Typographi. Deprehendi convenire quidem cum nostro Bonaventuriano in his verbis Proœmii : « *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata Dei*, Matthæi XIX. Ista sunt verba nostri Salvatoris, in quibus explicatur summa nostræ totius salutis, quantum ad duo : primo, quantum ad præmium retributionis divinæ, ibi : *Si vis ad vitam ingredi;* secundo, quantum ad meritum operationis humanæ, ibi : *Serva mandata :* » Sed in sequentibus omnino discordare, ac sese multo fusius extendere, ita ut justum volumen in-4 componat, quum e contrario Bonaventurianum Opusculum multo brevius sit. Hoc præ oculis habuisse Hollenium patet ex recitatis ab initio verbis, ex Bonaventura certe desumptis : quod etiam constat ex iis, quæ idem tradit Hollenius, præcepto primo, fol. 8, col. 2, pro sacris imaginibus in ecclesia servandis, *primo propter simplicium ruditatem, secundo propter affectuum tarditatem, tertio propter memoriæ labilitatem :* quæ triplex divisio apud nostrum Bonaventuram libro tertio Sententiarum habetur[4]. Adducit Hollenius eodem primo Præcepto, fol. 14, col. 1 et 2, exemplum cujusdam litterati, qui ludificatus est a dæmone, sicut videre est apud Bonaventuram, serm. II[5]. Affert insuper, præcepto quarto, fol. 70, col. 2 et 3, terrificum miraculum *pulli* conversi in *serpentem*, uti narratur apud Bonaventuram, de quarto præcepto, serm. V, in fine[6]. Et ne Sermones Bonaventuræ dicantur *Epitome* Hollenii Præceptorii, Bonaventura non *pullum*, sed *capo-*

[1] Apud Sixtum Senensem, *Biblioth. Sanctæ*, lib. IV. — [2] Tom. III, col. 415. — [3] Ibid. — [4] Scilicet dist. IX, art. 1, q. II, huj. nostræ edit. tom. IV, pag. 203, col. 1. — [5] Huj. tom. XII, pag. 236, col. 1. — [6] Ibid., pag. 248, col. 2.

nem nominat, non *serpentem*, sed *bufonem;* non id memorat Bonaventura, sicut Hollenius, ex *Cæsario*, sed ex alio, de quo ait : « Vidi illum, qui novit illum, cui hoc accidit, » etc.

Sermones igitur, de quibus loquimur, non sunt *epitome* Præceptorii Gotschalciani, sed potius *Epitome* eorum, quæ Bonaventura fusius tradidit in *Centiloquio*. Unus etiam aut alter eorumdem locus conformis est iis, quæ docuit in *Breviloquio*, et in Opusculo *de Reductione artium ad Theologiam*, ut Romani Editores bene adnotarunt. Quibus adjecerim tradita inibi de *observantia diei Dominicæ et aliarum solemnitatum*, contra *usuram*, etc., optime convenire cum traditis a Doctore nostro in tertium *Sententiarum* [1]. Eodem quoque modo disserit adversus *usuram* in *Commentario super Lucam* [2], etc. Neque omiseris animadvertere hujusmodi sermones in manuscripto codice Assisiensi dici *prædicatos Parisiis*, et in Coloniensi editione an. 1486 haberi hanc clausulam : « Expliciunt Sermones de decem Mandatis, quos sanctus Bonaventura de ordine Fratrum Minorum Parisius prædicavit ad Clerum; » hinc enim arguere licet, fuisse forte post ipsum dicentem collectos, sicut supra relatas Aquinatis *Collationes* Fr. Petrus de Adria collegit. In hac autem hypothesi collector illorum facile potuit stylum nonnihil immutare, ac etiam de suo addere illa miracula, quæ Oudino heterodoxo deridiculo sunt. Sed de hoc quidquid sit, illud certum est, sæpe dictos sermones, more verorum Doctoris Seraphici Opusculorum, refertos esse pluribus divinæ Scripturæ locis, præferreque sententias Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Gregorii, Petri Damiani, Anselmi, ac etiam Senecæ, præsertim vero Augustini; refellere errores Philosophorum, Arianorum, Sabellianorum, Donatistarum, Pelagianorum, Epicureorum, Nicolaitarum, Saracenorum, Manichæorum, etc. Quoad prædictos errores philosophorum narrat [3] : « Quando audivi de Aristotele, dum fui scholaris, quod ipse posuit mundum æternum, et audivi rationes et argumenta, quæ fiebant ad hoc, incepit concuti cor meum, et incepi cogitare, quomodo potest hoc esse? Sed modo sunt ista ita manifesta, quod nullus possit dubitare. » Barbarum non esse hujus Opusculi stylum monet P. Sbaralea inquiens : « Falsum est stylum hujus Opusculi barbariem redolere, cum sit stylus illorum temporum, nec ab illo Bonaventuræ dissimulis. »

§ XVII. — Expositio Missæ. (*Prodrom.*, col. 576 et seq.)

Incipit : *Christus assistens Pontifex*. De hac inquit Oudinus [4] : « Opusculum nonnulla continens haud spernenda, sed sanctum Bonaventuram auctorem non habet. » Cur? Respondet : « Primo enim absque judicio hic scriptor sub initium Opusculi, postquam locutus est de sacerdotalibus indumentis ad celebrandam Missam ab Ecclesia institutis, ait : « Si quis ex his indumentis aliquid per oblivionem omitteret, graviter peccaret. » Hoc enim falsum est, nec rectæ rationi conveniens, ut qui *per oblivionem*, vel stolam, vel manipulum in dicenda Missa omitteret, *graviter peccaret :* quæ enim in his casibus ex oblivione omittuntur, gravia peccata nullus censet. »

Sed nullus quidem censet hujusmodi omissiones, ut in re sacerrima, talis tantique mysterii vel ipsis angelis metuendi, *gravia peccata*, id est mortalia; nihilo tamen secius cum

[1] Dist. XXXVII, dub. III et VII, tom. V, pag. 153, 156 et seq. — [2] Tom. X, pag. 379. — [3] Vid. huj. tom. pag. 237, col. 1. — [4] Tom. III, col. 419.

judicio, veritate, rectaque ratione censeri possunt *gravia* comparate ad leviora inter venialia. Quis enim tam rudis, qui nesciat inter eadem venialia peccata, alia esse leviora, alia mediocria, et alia graviora, utpote indicata per *lignum*, *fœnum*, et *stipulam?* Nonne apertissime docuit ipse Bonaventura [1] : « Per *lignum* quidem peccata venialia graviora designantur, per *stipulam* leviora, per *fœnum* mediocria designantur? » Nonne alibi quoque disertissime tradidit [2] : « Qui negligit ex hoc, quod habet diligentiam semiplenam, peccat venialiter, sed tamen graviter peccat? » Cæterum quam apertissime distinxit [3] etiam inter *peccare mortaliter* et *graviter peccare*. Gravem malitiam ebrietatis quis neget? At tamen Bonaventura non semper putat mortalem [4]. Hinc studio dixit in præsenti *Expositione* : *graviter peccaret*, non autem *mortaliter*, adeoque in editione Veneta R. P. Zamoræ illa nota in margine scite apposita legitur : « Cujusvis ornamenti omissio in Missæ celebratione peccatum est.» Ubinam ergo *palmare* erratum? Quorsum exclamationes illæ : « Hæccine Bonaventura digna sententia? Quis tam rudis, qui nesciat, omne ab invito procul esse facinus [5]? » Nos hujusmodi exclamationes, generatim omne peccatum vel levissimum excludentes, benignis Casuistis indulgendas existimamus.

« Secundo, urget Oudinus, gravem solœcismum admittit, dum ait : « Cingulus designat virginitatem Christi et suæ castissimæ Matris, » etc. Nec enim Cingulus latina vox, sed *Cingulum* neutrum, quod Divus Bonaventura non ignorasset. » Verum si id non ignoraverit D. Bonaventura, nequidem ignoratus ab eo fuisse videtur *Cingulus* a Cicerone [6] usurpatus; ut nihil dicam, quod *Cingulus* legatur etiam in Glossario Cangiano, atque in elegantioribus Dictionariis.

« Tertio, instat Oudinus, nugax est hic scriptor in explicatione *Casulæ*, et in etymologia nominis, quam assignat, quæ omnino D. Bonaventura indigna est : « Casula, id est parva casa, vel domus, signat cœlum et terram, quæ Christus et sua majestas implet, sicut ipse dicit per Prophetam : *Cœlum et terram ego impleo*. Non ita ignarus fuisset S. Bonaventura, ut etymologiam nominis *Casulæ* a parva casa seu domo derivasset : nec ita ridiculus, ut diceret, *parvam casam seu domum signare cœlum et terram*, *quæ Christus sua majestate implet :* nam parva casa, seu domus, ex se non significat aliquid amplum et magnum, qualia sunt cœlum et terra. »

Nugax tamen potius ac ignarus Oudinus, utpote quem latuit nedum Papiam, sed et Isidorum scripsisse [7] : « Casula est vestis cucullata, dicta per diminutionem a *Casa*, quod totum hominem tegat quasi minor casa. » Ejusdem *Casulæ* etymologiam a *parva casa* desumpsit quoque Rabanus [8], et ex eo Hugutio, Joannes de Janua, Durandus [9], etc. In quam derivationem Carolus Cangius in suo Glossario scite adnotat : « Cum scriptores plerique casulam dictam a *Casa* scribunt, quod totum hominem ut *casa tegat*, respexerunt ad veterum casularum formam, quæ totum revera sacerdotem a collo ad pedes ambiebat, atque adeo brachia ipsa et manus tegebat, ut si iis ad sacra facienda, aut ad alios usus

[1] *De tribus peccat. tem.*, c. v, huj. edit. tom. VII, pag. 516, col. 1. — [2] In IV *Sent.*, dist. XI, part. II, art. 1, q. 3, tom. V, pag. 498, col. 1. — [3] *De modo confit. et de purit. consc.*, c. x, tom. VII, pag. 570, col. 1. — [4] *Centiloq.*, part. I, sect. VI; ibid., pag. 350, col. 2; *Specul. animæ*, c. III, ibid., pag. 543, col. 2. — [5] *Diatrib.*, pag. 194, hujus vero nostræ edit. tom. I, pag. LXI. — [6] *De Somn. Scipion.*, c. VI. — [7] *Orig.* seu *Etymol.*, lib. XIX, c. 24, col. 472, edit. Basil. 1577, in-fol. — [8] Lib. *de Ordine Antiphon.*, c. 21. — [9] *Ration. divin. Offic.*, lib. III.

vellent uti, necessum haberent casulam ad utrumque latus aut fibula cohibere, » etc. Quis *nugaces* dixerit aut Cangium, aut cardinalem Joannem Bonam [1], qui eamdem nominis etymologiam neutiquam improbant? *Ridiculus* argutator est etiam Oudinus, dum ait : « Parva casa, seu domus, ex se non significat aliquid amplum et magnum, qualia sunt cœlum et terra : » quippe reposuerim ego : Ampla et magna non sunt cœli et terra comparate ad divinam Christi majestatem, quæ implet omnia, sed longe minora quam parva casa, seu domus. Quod si terra comparate ad cœlos sit instar puncti, quid, amabo, erit cœlum et terra respectu divinitatis Christi ?

« Quarto, objectat Oudinus, dum de sequentiis in Missa cantatis loquitur, ita habet : « Fecit autem sequentias Notherus (lege Notkerus) abbas Sancti Galli. Quidam autem monachi grisei sequentias non cantant, quia ipsi antiquum usum non sequuntur in cantando. » Ubi absque dubio scriptor hujus Opusculi de *Fratribus Minoribus* loquitur, qui soli *Monachi grisei* sunt. At D. Bonaventura Franciscanus non ita cum contemptu de suis confratribus locutus fuisset, quos ille cum honore *Fratres Minores* vocavisset, vel aliter, non autem *Monachos griseos*. Ergo Opusculum istud non spectat ad sanctum Bonaventuram, imo nec ad ullum ex ordine Fratrum Minorum, qui suos confratres, vel Ordinem non sic appellavissent. »

Rursum repono ego : Oudinus se probat *nugacem* ac *ignarum*. Ignoravit enim, quid Jacobus de Vitriaco gravissimus sæculi XIII. scriptor, per *Monachus griseos* intelligat, nempe *Cisterienses Monachos*, qui *nigrum habitum primi in griseum commutarunt* [2] : de quibus etiam Cangius existimat [3] intelligendos Marianum Scotum, Cæsarium, Brochardum, Albertum Stadensem, Cromerum, etc. His accedit Dominicus Macrus, aiens [4] : « *Griseus Monachus*, id est Cisterciensis, quia in primordio illius instituti grisei coloris habebant cucullum, ut scriptores illius sæculi referunt. » Censet quidem Carolus Macrus, Dominici frater, quod « *griseus Monachus* potius laicum, seu conversum Cisterciensem significat; nam laici istius ordinis griseo colore vestiuntur : » nemo tamen eorum, quos modo laudavimus, somniavit per *griseos Monachos* intelligendos Fratres Minores. Hos a monachis griseis diversos ostendunt quoque Fratres Guiberti de Tornaco Ordinis Minorum sæculi XIII, *Sermones ad Status :* inter eos enim plures habentur inscripti nedum *ad Monachos nigros, ad Moniales nigras*, *ad Monachos albos, ad Moniales albas*, *ad Conversos Cistercienses*, etc., sed etiam *ad Monachos griseos*, *et ad fratres Minores*. Quo ergo fundamento nixus dixerit Oudinus : « Absque dubio scriptor hujus Opusculi de Fratribus Minoribus loquitur, qui soli Monachi grisei sunt, » plane non video.

Immanem Oudini circa hoc errorem redarguit eruditissimus quoque P. Sbaralea ex eo quod « Monachi griseo colore induti sub Paschali II circa an. 1100 ortum habuerint, teste Dodechino in appendice ad Mariani Scoti Chronicon. » Observat autem idem P. Sbaralea cum P. Christiano Lupo in scholiis ad canonem XLII concilii Trullensis, « Cistercienses olim gestasse griseos floccos, Monialesque griseam cucullam. Insuper falsum esse monet *Fratres Minores non cantare sequentias in Missa :* id autem evincit cum ex eorum Regula, ex qua ritum Romanum servare tenentur, tum ex statutis generalis capituli Romæ

[1] Bona, *Rer. Liturg.*, lib. I, c. XXIV, n. 8. — [2] In *Hist. Occid.*, c. XIV ac XX — [3] In *Glossar.*, verb. *Ordo Griseus*. — [4] In *Hierolexico*, edit. Ven. 1735, verbo *Griseus Monachus*.

habiti an. 1256 sive 1257, unde habetur iisdem Fratribus concessum ab Alexandro IV, prædicto anno, ut sequentias in solemnioribus Missis cantari, ac in privatis legere possint.

« Quinto, ariolatur Oudinus, dum scriptor hujus Opusculi de elevatione hostiæ in Missæ sacrificio loquitur, *ratione sexta* sic habet : « O fideles Christi, gaudete, et aspicite ! hæc est enim cœlestis præbenda angelorum, quam vobis transmisit largissimus Rex cœlorum, ut omni gratia et benedictione repleamini, » etc. Unde hic mihi videtur sacerdos aliquis præbendatus, vel canonicus collegialis, aut cathedraticæ ecclesiæ, scriptor hujus Opusculi, qui suæ memor præbendæ, sanctam Eucharistiam appellaverit novo epitheto, atque inaudito, *cœlestem præbendam angelorum.* »

Risum teneatis, amici? *Ridiculus* profecto videtur Oudinus in hac conjectatione, seu potius ariolatione; quasi vero solus *sacerdos præbendatus*, vel *canonicus collegialis*, aut *cathedraticæ* ecclesiæ, potuerit sanctæ Eucharistiæ adaptare illud epitheton *cœlestis præbendæ angelorum*, cum tamen apud Cangium *Præbendæ* dictæ sint [1] « cibi ac potus portiones diurnæ, » quæ nedum canonicis, sed et « Monachis aliisve quibusvis dantur ac *præbentur.* » Numquid præbendati omnes, a quibus vox *Præbenda* in sensu annonæ militaris usurpata est, ut sunt Plautus, Livius, Agellius, Ulpianus, etc.? Quidni adhiberi quoque potuerit a non *præbendato* in sensu annonæ spiritualis militi Christi præbendæ? Numquid Bonaventuræ, aut ignotum *Præbendæ* vocabulum, aut insolens usus metaphoræ? Plane non. Ergo nihil obfuit quin vel ipse Eucharistiam vocare potuerit *cœlestem præbendam angelorum;* tamque hanc ita appellare potuit, etsi minime præbendatus, quam unum ex suis primis Operibus inscripsit titulo *Pharetræ*, tametsi non miles.

Cæterum *Præbenda angelorum* in sensu laudati Opusculi idem significat ac *corpus Domini.* Unde in eodem Opusculo mox subjungitur : « Sed væ illi, qui corpus Domini, hanc scilicet sacratissimam præbendam, sumere non curat, aut se ab eo alienat, » etc.: quod quidem corpus Domini dicitur *cibus* sive *panis angelorum*, quatenus scilicet Deus ipsum nobis *præbet*, et [2] « sicut angelos viventes Spiritus cibat Verbo increato, sic mortales homines cibat Verbo incarnato in sacramento suscepto : unde dictum est : *Panem angelorum manducavit homo*, etc., et : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi*, etc. »

Notatu quoque digna videntur supradicta verba, *ut omni gratia et benedictione repleamini.* Hinc enim præter *præbendam angelorum*, habetur etiam *præbenda gratiæ*, quod epitheton minime dicendum est *novum et inauditum*, cum antiquum sit, ac jamdiu auditum a magistro Roberto de Sorbona, S. Bonaventuræ coævo, dicente [3] : « Dominus autem bonus Magister, qui confert omnibus scholasticis suis, et solum suis, præbendas optimas, scilicet *præbendam gratiæ*, quæ prævalet omnibus præbendis de mundo, » etc.

Cum itaque ex una parte nulla solida ratio urgeat, ut præsens Opusculum Doctori nostro Seraphico denegemus; ex altera vero fateatur ipse Oudinus *Opusculum nonnulla continens haud spernenda*, atque etiam a novissimis Editoribus eadem *Missæ expositio* dicatur [4] haud omnino contemnenda; quin imo multo honorificentius de ipsa sentiant Romani Editores [5] : inter legitima ejus Opuscula locum illum jure ac merito sibi vindicat, quem illi

[1] In *Glossar.*, verbo *Præbendæ.* — [2] *De Præpar. ad Miss.*, c. VII, huj. tom. pag. 283, col. 2. — [3] In serm. *De Conscientia*, vulgato in *Bibl. Vet. Patrum*, edit. Paris. 1644. — [4] *Diatrib.*, pag. 104, huj. edit. tom. I, p. LXI. — [5] Vid. in Argumento, huj. tom. pag. 257.

dant Marianus Florentinus, Anonymus Pistoriensis, et Marcus Ulyssiponensis; Editiones insuper ab anno saltem 1495, necnon Ms. Codex Ravennatensis. Ipsum laudant Bartholomæus Gavantus sub titulo *de Mysteriis Missæ* [1], Cajetanus Marius Meratus [2], et cardinalis Joannes Bona [3].

Idem Opusculum more certorum D. Bonaventuræ Opusculorum, refertum est divinæ Scripturæ textibus, in eoque laudatur non semel Augustinus, et allegantur insuper Athanasius, Ambrosius, Chrysostomus, Hieronymus, Gregorius, etc. Quod si de Symbolo in missa cantari solito inibi legatur dici ex statuto « concilii Nicæni, quod statutum in concilio Constantinopolitano a multis sanctis episcopis, inter quos dicitur fuisse B. Augustinus, valde approbatum et firmatum est; » suspicor falsam esse librariorum lectionem. Omnino enim falsum est inter Patres ejusdem Constantinopolitani concilii congregati anni 381, fuisse B. Augustinum. Legendum potius : *inter quos dicitur fuisse B. Ambrosius*; *dicitur*, inquam, ab illis qui confundunt concilium Constantinopolitanum cum Aquileiensi ejusdem anni 381, in quo præcipuum locum tenuit Ambrosius, adversus Palladium et Secundianum episcopos Arianos. Cæterum nequidem Ambrosium recenseri posse inter Patres dicti Constantinopolitani concilii argui potest ex epistola episcoporum, qui ad illud celebrandum Constantinopolim congregati sunt, inscripta « Dominis honoratissimis, et cum primis reverendissimis fratribus et collegis, Damaso, Ambrosio, etc., in magna urbe Roma convocatis. »

§ XVIII. — De Præparatione ad Missam. — § XIX. De Instructione Sacerdotis ad celebrandam Missam.
(*Prodrom.*, col. 584 et seq.)

(Utrumque) Opusculum incertum putant Oudinus [4] ac novissimi Editores [5]. Nobis tamen quodlibet rationabile dubium, tollunt monumenta (nonnulla).

1. Primum siquidem testatum faciunt Marianus Florentinus, Joannes Trithemius, Jacobus Philippus Forestus, Anonymus Pistoriensis, Marcus Ulyssiponensis, Gulielmus Eysengrenius, Bartholomæus de Martyribus, et Ludovicus Granatensis, editiones etiam singulares, et variæ linguæ, ab anno 1495, scilicet Edit. Argentin, part. II; Edit. Ven. an. 1504, part. II; Edit. Ven. 1564, tom. II, etc.; tandem codicis manuscripti plures : in Bavaria, Bibl. Monasterii inferioris Altahæ, et monasterii Ratisbonensis S. Emmerami; in Belgio, Bibl. Corsendoncana Canonicorum regularium, et monast. Lovan. Canon. regul. in valle S. Martini; Lipsiæ, Bibl. Paulin.; Lambaci in Austria, Bibl. Benedictin.; Mediolani, Bibl. Ambros.; Parisiis, Bibl. olim Reg., nunc Imperiali; Romæ, Archiv. S. Isidori Min. Recollect. nation. Hibern.; Viennæ, Bibl. Cæsar.

In eodem Opusculo allegantur Ambrosius, Augustinus et Beda, quos alibi quoque D. Bonaventura sæpe laudare consuevit. Commendatur insuper [6] Oratio illa, quæ incipit *Summe Sacerdos*, tanquam valde efficax et devota. Hanc nos legimus quidem in *Stimulo amoris*, Bonaventuræ nomen præferente in Ms. codice Bibl. S. Firmi Majoris Veronens.; sed nostro Bonaventura vetustiorem esse vel hinc patet, quod ipsam deprehenderis in

[1] In *Thesauro Sacr. Rit.*, part. II, tit. 1, *de præparatione sacerdotis celebraturi*, p. 137 et seq. edit. Ven., 1740, in-fol., necnon tit. 8 *de Canone Missæ usque ad Consecr.*, n. 19, sub nota *e*, pag. 226. — [2] Ibid., n. 22, pag. 227. — [3] *Rer. Liturg.*, lib. II, c. VI, et *de Div. Psalmodia*, c. XVI, § 7. — [4] Tom. III, col. 419. — [5] *Diatrib.*, pag. 90, hnj. edit. tom. I, pag. LII. — [6] Cap. XII, pag. 286, col. 1.

Ordine, Qualiter Pontifex se præparare debeat, scripto jussu piissimi Frederici de Wanga, episcopi ac principis Tridentini vita functi anno Christi 1218. Accedit, quod habeatur etiam inter Opera S. Anselmi, tom. I, orat. XXIX [1], ubi hanc præfert censuram Gabrielis Gerberonii monachi Maurini : «Cum fides Mss. Codicibus integra danda sit, ubi nulla alia suppetit judicandi ratio, et nihil aliunde repugnat; hanc Orationem nulli alii, quam S. Anselmo adjudicandam censuimus. Eam enim in pluribus non ignobilioris notæ codicibus Mss. inter alia sancti hujusce Doctoris Orationes perlegimus, etc. »

Quod in præfato Opusculo animadvertitur [2] : « In *Memento* tam pro vivis, quam pro defunctis, non fiat cum voce et verbis commemoratis, sed tantum mente discurre, » etc., optime quadrat tempori D. Bonaventuræ, quo Diptycorum consuetudo ferme desierat, convenitque cum iis, quæ in laudata *Expositione Missæ* tradidit. Illud insuper quod legitur capite quinto, videlicet : « O quam graves angustiæ, o quantæ angustiæ me undique affligentes! Accedere indigne horrendum est judicium; non accedere ex notabili negligentia, vel contemptu, damnabilis est culpa : » hoc, inquam, apprime quadrat eidem Bonaventuræ, qui, uti ex ejus vita constat, circa accessum ad sacrum faciendum, communionemque sumendam, plurimas animi anxietates passus est, adeo ut quantum ad illum ex immensa caritate pertrahebatur, tantum ex summa reverentia et humilitate ab eodem retraheretur.

Idem Opusculum, prout notat P. Sbaralea, censeri potest valde simile alteri *De modo confitendi et de Puritate conscientiæ*, de quo egimus supra (huj. edit. tom. VIII pag. 19). Voces autem *Paramenta* (c. IV), *Pœnose fiendis* (c. VI), *Remorsio* (c. VIII), *Incensationes* (c. X), debent permitti tanquam illis temporibus usitatæ.

2. Alterius Opusculi *De Instructione Sacerdotis ad celebrandam Missam*, fatemur quidem ingenue tantam non esse certitudinem, quanta præcedentis, sed nihilominus ipsum suo loco movere non audemus. Quamvis enim in quibusdam editionibus, atque etiam Mss. codicibus insertum habeatur *Stimulo Amoris*, de quo (postea) occurret sermo; separatum tamen ab eodem *Stimulo*, ceu singulare Opusculum, exstat inter alia editionis Argentinensis an. 1495, et aliarum posteriorum : notatuque dignum, quod in præfata editione Argentinensi dicatur *Opusculum Bonaventuræ* absque titulo *Beati* aut *Sancti*, cum inde argui possit ad antiqui codicis normam excusum. Suffragantur eidem, tanquam singulari Opusculo, etiam codices Mss. e Tabulario S. Francisci Minor. convent. Assisii; Bibl. Monast. Pollingani Ord. Can. reg. S. Aug. in Bavaria; item Eremit. S. Aug. Cremonæ; Benedict. Casin. Florentiæ, tandem Bibl. Anton. Augustini archiep. Tarraconæ. His addendum, quod iis quæ in Opusculo *de Contemptu Sæculi* leguntur, apprime conformia sint verba illa seraphicæ caritatis fervore plena, cordique insculpenda, quæ in hoc Opusculo continentur [3], videlicet : « Nihil ergo sapiat, nihil delectet, nihil alliciat, nisi Jesus Christus, » etc.

Nec quominus hujuscemodi Opusculum censeamus Bonaventurianum, obstat illud, quod post initium legitur : « Præ cæteris a se sacerdos repellat bestialitatem peccati : » id enim non ideo dictum, quasi non hominis sit peccare, sed bestiæ, quæ peccare non potest; sed alludendo ad illud Psalmographi : *Ut jumentum factus sum apud te*, vel illud : *Sicut*

[1] Vid. *Patrol. latin.* tom. CLVIII, col. 921 et seq. — [2] Huj. tom. pag. 291, col. 1.

equus et mulus, etc. Non etiam illi officit præcedens Opusculum, quasi parum verisimile videatur quod Bonaventura, post primum *de Præparatione ad Missam*, scripserit secundum *de instructione sacerdotis ad celebrandam Missam* : quia, etsi tam primus, quam secundus Tractatus ad idem tendat, materiæ tamen necessitas iteratam tractationem exigere potuit. Forte etiam Bonaventura secundum compendiosiorem primo superaddendum censuit, ut qui brevitatem amarent, omisso primo, secundo proficerent.

§ XX. — Viginti passus de virtutibus bonorum Religiosorum (*idem ac* De Institutione Novitiorum, Pars secunda). — § XXI. De compositione hominis exterioris (*idem ac* De institutione Novitiorum, Pars prima). — § XXII. De interioris hominis, ac mentis reformatione (*idem ac* De profectu Religiosorum). — § XXIII. De Vitiis, et eorum remediis (*idem fere ac* De profectu Religiosorum, liber I). — § XXIV. Regula Novitiorum. — § XXV. Speculum disciplinæ ad Novitios. (*Prodrom.*, col. 612-622.)

1. Opusculum primum per modum secundæ partis *de Institutione Novitiorum* primo, quod ego viderim, prodiit in editione Brixiensi anni 1495. Studio dixi *quod ego viderim;* nam P. Sbaralea vetustiorem allegat editionem, in qua itidem secundæ partis locum obtinet. Nihilo tamen minus ceu singularis liber sub titulo *de Profectu religiosorum* habetur apud Thrithemium et Forestum, subque relato *Viginti Passuum* exstat in Catalogo Mariani Florentini, in codicibus manuscriptis monasteriorum Pollingani, Ord. Can. reg. S. Augustini, et Ratisbonensis S. Emmerami Bavariæ, Bibliothecæ Corsendoncanæ Canonicorum regularium Lovanii, et Antonii Augustini archiepiscopi Tarraconæ, necnon in editionibus magis vetustis, nempe una sine anno, loco, et nomine typographi, alia an. 1484, tertia Coloniensi 1486, quarta Argentinensi 1489, quinta itidem Argentinensi 1495, et sexta Veneta 1504. Apparet igitur, quod si partis secundæ locum teneat in editis recentioribus, id factum non a Bonaventura, sed ab alio, qui singularia Bonaventuræ opuscula ita compegit, et in unum contraxit. Hinc etiam facile intelligitur ratio diversitatis, quæ in editionibus deprehenditur : nam hoc opusculum in antiquioribus, puta Coloniensi an. 1486, constat viginti capitulis, in recentioribus autem, puta novissima Veneta (1756), quatuordecim comprehenditur.

2. Porro quis criticorum abnuere audeat, memoratas priscas editiones vim codicibus manuscriptis fere parem habere, ac vetustate ipsa magnam sibi auctoritatem comparare? Adde præter codices, ac testes laudatos, stylum præsentis Opusculi, ejusque doctrinam, Seraphicum Doctorem minime dedecere. Nihil sane Doctori nostro convenientius, quam quod inibi traditur capite primo editionis Coloniensis : « Funem, ut difficile rumpatur, ex triplici resticulo componat : ex sacrarum Scripturarum devota lectione; ex sedulæ orationis compunctione; ex bonarum actionum humili exercitatione. Lectio dat materiam, et quasi semen bonæ cogitationis. Oratio rigat, et ad profectum roborat, et cor illuminat ad intelligentiam, et impinguat affectum ad amorem. Bona actio maxime condita pinguedine charitatis et obedientiæ, vel alterius virtutis, lætificat conscientiam, et fiduciam spei in Deum : et si ad horam intercipit orationem, tamen meretur postea majorem dulcedinis infusionem, et gratiam puritatis.»

3. Secundi Opusculi auctor videtur ille ipse, qui *Pharetram* compilavit. Nam libro primo ejusdem *Pharetræ*, cap. xxix, agitur de Novitiis; cap. xxx, de juvenibus; cap. xxxiii, de

incipientibus; cap. XXXIV, de proficientibus, et cap. XXXV, de perfectis[1]. Opusculum autem, de quo in præsentia sermo est, a quibusdam nuncupatur *Liber de triplici statu Religiosorum, incipientium videlicet, proficientium et perfectorum*, quamvis ab aliis *de Institutione Novitiorum*, et ab aliis *Formula Novitiorum* prænotetur. Ipsum Bonaventuræ nostro adscribunt Joannes Trithemius, Jacobus Philippus Forestus, et Albertus Castellanus, apud quos etiam singulare constituit opusculum. Tanquam Bonaventurianum, sub titulo *de triplici statu Religiosorum*, laudatur ab Antonio Vercellensi, Alexandro Ariosto, Bernardino de Bustis, Anonymo Pistoriensi, et aliis. Eumdem Bonaventuram scripsisse *Ordinationes*, *Instructiones* et *Institutiones Novitiorum* (per quos titulos intelligi quoque posse *Regulam Novitiorum* non diffitemur) memoriæ proditum est a Francisco Samsone, Baptista de Judicibus, Octaviano de Martinis, et Francisco de Pavinis. Editiones plures prædictum Opusculum continent, quarum vetustior est illa, quam P. Sbaralea suspicatur *Venetam forsan anni* 1487, et Brixiensis anni 1495, ubi tanquam prima pars *Libri de exteriori homine*, *sive alias de triplici statu Religiosorum* exhibetur. Id ipsum habent manuscripti codices non pauci, ac bonæ notæ, puta ille ex Bibliotheca Eremitarum S. Augustini Cremonæ, cui præmittitur prologus incip. *Forma Novitiorum*; alter ex Biblioth. S. Francisci Min. Reform. Fontis Columbæ, seu Palumbæ, aut Palumbarum, diœcesis Reatinæ; alius ex Bibl. Min. Reform. Montis Fortini, diœcesis Signiensis; item ex Bibl. S. Matthiæ, Ord. Camald. Muriani apud Venetias, etc. Cæterum hujuscemodi ordinem et locum non a Bonaventura, sed ab alio accepisse, animadvertere expedit.

4. Sed objectant novissimi Editores quæ tomo septimo editionis Vaticanæ in ejusdem opusculi argumento leguntur, scilicet: « In antiquis impressis non reperitur, sed in recentioribus Venetis editis prodiit sub hoc titulo (*de Institutione novitiorum*), quamvis etiam *de triplici statu Religiosorum, incipientium videlicet, proficientium et perfectorum*, prænotari in eadem editione Veneta scribatur. » Tum addunt: « Et sane in antiquis editis reperiri non poterat. » Optime: *In antiquis editis reperiri non poterat?* Nonne *antiquæ* sunt editiones geminæ præcedenti numero a nobis laudatæ? Repetunt: « Sane in antiquis editis reperiri non poterat; propterea quia inter opera Davidis Augustani hac cum inscriptione impressum cernitur: *Formula novitiorum de exterioris hominis reformatione:* cui quidem Opusculo vel ipse David nuncupatoriam præfixit Epistolam, quam Bertholdo Minoritæ Ratisponensi, perquam suo familiari, dedit. Ex qua nuncupatoria firmum colligimus argumentum, quocum probemus, Opusculum hoc Davidi Augustano tanquam legitimo auctori restituendum esse[2]. »

5. Ad hæc tamen respondemus primo, quod si esset *firmum argumentum* illud, quod ex nuncupatoria Davidis colligitur, probari similiter posset *firmo argumento* ad hominem contra adversarios, *Centiloquium* etiam restituendum alienigenæ manui, cujus secundum ipsos est ejusdem *Centiloquii Prologus*. Itidem *firmum argumentum* haberetur pro restituendo *Incendio Amoris* alteri a Bonaventura scriptori, cui editores memorati tribuendum censent ei præfixum *Prologum*. Respondemus secundo, verum quidem esse, quod sub nomine F. David Augustani ad normam codicis Pollingensis Opusculum sæpe laudatum

[1] Vid. huj. edit. tom. VII, pag. 42, 43, 47 et 48. — [2] *Diatrib.*, pag. 128, hujus vero nostræ edit. tom. I, pag. LXXVII.

prodierit Augustanis typis Joannis Prætorii an. 1597 una cum duobus aliis Opusculis, atque etiam in Magna Patrum Bibliotheca editionis Coloniensis an. 1618, tom. XIII. Sed verum quoque dicimus, multo plures codices, ac editiones Bonaventuræ nomen præferentes haberi. Tertio idem Opusculum in allegata editione Coloniensi multo auctius esse Bonaventuriano, ac valde etiam in ordine capitum inversum. Sic, verbi gratia, caput secundum *de obedientia* plusquam quintupliciter Bonaventuriano auctius est. Caput tertium *de humilitate servanda* apud Bonaventuram desideratur. Capite quarto *de pace habenda cum Prælatis* auctaria insignia videre est. Itidem capite sexto adduntur plura ex Augustino in *Regula;* capite autem septimo resecantur plura, quæ in Bonaventuriano leguntur, et quædam superadduntur, inter quæ allegatio Catonis. Universum caput tertium decimum *de discretione laboris* apud Bonaventuram editionis Vaticanæ frustra quæritur. Caput quartum decimum *de obsequiis communibus* duplo majus est apud Davidem, quam apud Bonaventuram. Caput quintum decimum *de more cellæ* paucis absolutum apud Bonaventuram, multo longius est apud Davidem. Ex his aliisque id genus apud F. Davidem auctariis, quæ brevitatis gratia præterimus, quis dubitet ipsum fuisse, qui Bonaventurianum haud modice adauxit? Quid quod prope finem supra memorati capitis quarti *de pace habenda cum Prælatis* allegatur F. David hisce disertissimis verbis: *Deinde sequitur F. David dicens,* etc? Numquid F. David sui ipsius testimonium adducere potuit? Mirum ac plusquam mirum id non advertisse Editores, et qui illud ex integro ejusdem F. David certo esse contendunt. Hinc in propatulo esse putamus, F. Davidem in pluribus immutasse Opusculum vere Bonaventurianum, atque adauxisse, ac nequidem defuisse, qui illi ipsi a F. Davide immutato et adaucto nonnulla superaddiderit.

6. Sed præstat audire Waddingum de hoc Opusculo disserentem, ut videamus, an reapse tale sit, quale (*a*) ab adversariis exhibetur, quasi vero ad ipsum, et alia similia Opuscula Bonaventuriana credenda, permotus unice fuerit *ex quamplurimis conjecturis, quæ si recte expendantur, nihil ad ea, quæ demonstranda proponit, facere videntur* [1]. Inquit ergo: « Trithemius nil tale Davidem scripsisse commemorat: recenset tamen inter Bonaventuræ Opuscula istud ipsum cum eadem inscriptione, et prima verba exscribit juxta vetusta exemplaria, scilicet: *Quæstio est.* Editiones recentiores ab illo titulo exordiuntur: *Quid semper Novitiis considerandum?* Vetustiores vero codices aliquot ita incipiunt: *Quæstio est quare venerit homo ad Religionem?* Secunda etiam pars ejusdem Opusculi Institutionis Novitiorum habetur in Indiculo Mariani, incipiens ab eisdem verbis, quæ habet editio Vaticana, licet titulus sit diversus, scilicet: *De viginti passibus bonorum Religiosorum.* Initium ait hoc esse: *Si vis in spiritu proficere.* Vetustos ego habeo codices duos manuscriptos, in quibus hujus Opusculi est prima pars sub titulo: *De reformatione Novitiorum,* et nomine S. Bonaventuræ. Mira varietas est in his Opusculis de instruendis Novitiis. Valde discrepant in ordine, et dispositione, in titulis, et exordiis, in partitione, et numero capitulorum, propterea quia plerique addentes, vel dementes aliqua secundum captum suum, vel tironum necessitatem, sive adolescentum qualitatem, immutarunt aliquando titulos, et exordia, aliique ambientes pro auctoribus haberi, alias rerum formas

[1] *Diatrib.*, pag. 128, hujus vero nostræ edit. tom. I, pag. LXXVII.

(*a*) *Prodrom.*, talis sit, qualis.

induxerunt; unde ortum est ambiguum circa genuinos scriptores judicium [1], » etc. Waddingus ergo non solis *conjecturis* nixus est, sed et *vetustis manuscriptis codicibus*.

7. Quæ hactenus diximus nequaquam infirmantur per hoc, quod Gerardus Vossius, Præpositus Tungrensis, omnium primus, Opusculum hujuscemodi sub titulo *de Honestate vitæ* Divo Bernardo vindicaverit, ac ediderit Romæ an. 1594. Non enim evincitur esse Bernardi potius, quam Bonaventuræ illa ratione, quod aureum illud dictum *Ad quid venisti?* in Bernardi ore frequenter versaretur, quum certum sit vel in aliis Opusculis, Bonaventuram Bernardi sententias sæpius adhibere consuevisse. Fieri etiam potuit, ut in aliquo manuscripto codice sigla B. auctorem indicans hujus Opusculi, occasionem præbuerit *Bernardum* interpretandi loco *Bonaventuræ*. Merito igitur qui D. Bernardi Operum editionem Venetam an. 1726 curarunt, illud ad supposititia rejecerunt (*a*).

8. Tertium Opusculum *De interioris hominis, ac mentis reformatione* agnoscit eumdem auctorem ac secundum, uti patet ex illo initio: *In priori formula Novitiorum, quam quibusdam Novitiis nostris scripsi de exterioris hominis compositione*, quæ quidem verba in manuscriptis codicibus, puta Murianensi, ex Bibl. S. Matthiæ ord. Camald., et Romanis, ex Bibl. Aracælitana Min. Observ., et archivo S. Isidori Min. Recollect. nationis hibernicæ, ad *Speculum Disciplinæ* non appellant, sicut nequidem in magis vetustis editionibus ad ipsum respiciunt: quandoquidem leguntur in editione Brixiensi an. 1495, post primam et secundam partem *de Informatione Novitiorum;* in Veneta autem an. 1564, post *Regulam Novitiorum*. In his utrisque editionibus exstat sub Bonaventuræ nomine absque Prologo incipiente *Collationes*, secus ac in Vaticana. Porro cum dictus Prologus *Collationes* sit prior in eadem Vaticana editione, alter vero ille, *In priori Formula*, etc., quis credat Fr. David Augustanum tantum otii, ac quietis habuisse, ut dictos Prologos geminaret? Fatetur ipse in priori: « Non potui in otio et quiete ista colligere, sed vagando per diversas terras, vix vel raro propter multas occupationes habui opportunitatem scribendi modicum, » etc. Cum ergo illius non sit secundus Prologus *In priori Formula*, cujus erit, nisi Bonaventuræ? Quia etiam prædictum initium tertii hujus Opusculi in præfatis editionibus, ac manuscriptis codicibus plane respicit ad primum, vel secundum Opusculum, quæ jam commemoravimus, sicut de his nulla est ratio, quæ cogat eadem inficiari Bonaventuriana, nequidem est, quæ urgeat compellatque ad tertium Bonaventuræ nostro abjudicandum. Neque illud præteeundum, constare quidem ex Trithemio, Marco Ulyssiponensi, Joanne a S. Antonio, etc., Fr. David Augustanum inter alia scripsisse *de compositione hominis exterioris*, et *de compositione hominis interioris;* sed ex Trithemio, ac Joanne a S. Antonio initium primi nec est: *Si vis in spiritu proficere*, neque: *Primo semper debes considerare*, sed: *Profectus Religiosi septem* [2]. Initium quoque secundi non est: *In priori Formula Novitiorum*, sed: *Collationes meas*. Hinc comparate ad singularia Opuscula, de quibus nunc sermo est, dici quidem potest Fr. David collector, et compilator, neutiquam vero primus auctor. Bonaventuram scripsisse *de interiori homine* tradit Jeremias Buchius (*b*).

[1] *De Scriptor. Ord. Minor.*, pag. 78 et seq. — [2] Ut libro secundo *de Profectu Religiosorum*.

(*a*) Ipsum quoque ad supposititia rejecit Jo. Mabillon, sub hoc titulo: *Opusculum in hæc verba, Ad quid venisti?* Sed cum Editoribus *Biblioth. PP. Colon.*, potius Davidi de Augusta, quam S. Bonaventuræ illud tribuere videtur. *Cf.* S. Bern., vol. II, pag. 809, edit. Paris, 1690, in-fol. — (*b*) Vide notam positam ad calcem horumce excerptorum.

9. Quartum Opusculum *de Vitiis et eorum remediis* habet prædictum initium sive Prologum apud Marianum Florentinum, et Argentinenses Editores an. 1495, nec non in manuscripto codice Mantuano Biblioth. S. Mariæ Gratiarum, Min. Observ. Primum capitulum exorditur: *Voluntas nulli.* In duabus autem editionibus aliis, videlicet in Brixiensi an. 1495, ac Veneta 1564, absque Prologo incipit: *Nunc.* Et quod est singulare Opusculum in editione Argentinensi, nec non in citato codice Mantuano, atque alio Ravennatensi, Bibl. S. Apollinaris Min. Observ., in editionibus Brixiensi et Veneta est secunda *de Reformatione mentis.* In Romana [1] continetur libro primo *de Profectu Religiosorum,* cujus Prologus primus incipit: *Collationes meas,* alius: *In priori Formula.* Capitulum primum: *Quatuor autem.* Secunda pars *de Reformatione mentis,* editionis Brixiensis, ac Venetæ, constat 23 capitulis, ac liber primus *de Profectu Religiosorum* capitulis 39. In multis discordantes, in hoc tamen concordant, quod omnes claudant Opusculum postremo titulo *de Remediis contra luxuriam* numero *septem.* Omnibus sincerior mihi videtur editio Argentinensis (utpote exhibens Opusculum singulare, nihil cum Opusculis aliis permixtum, penitusque ab illis secretum): in qua editione cum ante Prologum hæc habeatur inscriptio: *Bonaventura de vitiis, et eorum remediis,* sine ullo titulo *Beati,* aut *Sancti,* hinc conjicio excusum hujusmodi Opusculum ad normam codicis canonizatione antiquioris.

10. Dum testatur Prologi auctor in ipso limine: *Plurimorum instantia requisivit, cum secundum Regulam* (videlicet S. Francisci, quæ ita diserte præcipit, cap. IX) *debeamus prædicare vitia et virtutes;* satis prodit sese Bonaventuram ordinis Minorum, optimum ejusdem Regulæ interpretem, ac Ministrum Generalem præfati Ordinis, quem potuit ad id *plurimorum instantia requirere.* Accedit, quod itidem dixerit laudatus Bonaventura in Prologo Legendæ S. Francisci: «Id nullatenus attentassem, nisi me Fratrum fervens incitasset affectus, generalis quoque Capituli induxisset instantia.» Dum subdit: *Virtutum laudes alibi satis dixisse*, indicat quæ in antecessum dixerat *de Gradibus virtutum* [2], nec non *de quatuor Virtutibus Cardinalibus* [3], antea in laudata editione Argentinensi excusis, atque cum a Mariano Florentino, tum ab Anonymo Pistoriensi, hoc ordine recensitis: *De quatuor Virtutibus Cardinalibus, de Gradibus virtutum, de Vitiis et eorum remediis.* Dum dicit in eodem Prologo se uti velle divisione bimembri, scilicet parte quodammodo *proœmiali*, in qua locuturus est *de radicibus vitiorum*, et *principali,* in qua latius pertractaturus est *de remediis,* recte facit, quia data opera de vitiis satis egerat in *Speculo* [4].

11. Quapropter in eodem Opusculo paucis post initium agens *de triplici superbia*, et inquiens [5]: «De ramis autem superbiæ, qui de ipsa pullulant, prætereo, quia alibi frequentius reperiuntur cum suis descriptionibus, si quis quærat, maxime in Summa Vitiorum,» etc., alludere videtur ad idem *Speculum,* in quo nedum describuntur rami superbiæ, sed etiam exhibetur *summa vitiorum*, ac per consequens, potius quam *Speculum Animæ*, inscribendum esset *Arbor* aut *Summa Vitiorum.* Dum loquens de oratione *Pater noster,* quam Christus docuit, Opusculum ita claudit: «Ideo autem tam brevem orationem fecit, ut facile discatur, et memoriæ commendetur, et minus sit tædiosa, et ne propter prolixitatem superficialiter tantum acceleretur compleri, et profundius possit in ea meditari, et ut sæpius itere-

[1] Pariter ac nostra. — [2] Vid. huj. tom. pag. 187 et seq. — [3] Vid. tom. VII, pag. 506 et seq. — [4] Vid. ibid., pag. 526 et seq. — [5] Vid. hujusce tomi pag. 329, col. 1.

tur,» etc. *Pater noster* require alibi[1] : » nos utique mittit Bonaventura ad suam ejusdem Orationis Dominicæ Expositionem (*a*), in qua dictam Orationem vel propter *brevitatem* commendat, *ut citius sciatur, melius retineatur, frequentius dicatur.* Adde, quod hujusmodi Opusculum, seu stylum spectes, seu doctrinam, sive etiam *Cassiani* (*b*), *Gregorii*, ac *Bernardi* allegationes, ac perquam frequentem divinæ Scripturæ usum, Bonaventuræ conveniat. Certe vox *Garsio* (seu *Garcio*) inibi usurpata congruit potius scriptori Italo, quam Germano. Idem enim significat ac apud Italos *Garzone.* Neque dicatur dedecere Bonaventuram latine scribentem, utpote a S. Bernardo quoque adhibitam capite decimo *de Vita et moribus Religiosorum*, apud Innocentium III, Epistola ad Marchionem Montis ferrati in decretalibus Gregorianis, lib. III, tit. 29, cap. 11 (*c*). Habetur insuper in Catholico Joannis de Janua, et in Glossario Cangiano. Quod in præfata editione Argentinensi post ly *Finit Tractatus de Vitiis et eorum remediis* subditur ex Seneca et Antonio, merum auctarium est.

12. Quinti Opusculi, scilicet *Regulæ Novitiorum*, auctorem fuisse Franciscanum manifestum est ex illis verbis capitis septimi : « Infirmos debes frequenter et sollicite visitare, saltem bis vel ter, cum exhibitione servitii, si oportet, sicut in Regula continetur : *Quod Fratres debeant eis servire, sicut vellent sibi serviri.* » Item ex illis capitis quarti decimi : « Cum paupertas voluntaria sit totius spiritualis ædificii primarium fundamentum, idcirco toto tempore vitæ tuæ in omnibus transitoriis rebus strictam paupertatem observa, ut nihil sub cœlo habeas nisi ea, quæ necessitati tuæ per Regulam conceduntur. Dicitur enim ibi, quod *Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec aliquam rem,* » etc. Quæ omnia verba ex capite sexto Regulæ S. Francisci deprompta sunt. Quod autem Franciscanus ille fuerit S. Bonaventura, vel inde colligitur, quia nonnisi Patres Seraphico Doctori familiares in eadem *Regula Novitiorum* laudantur, puta Gregorius Nazianzenus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Isidorus, Bernardus. Bonaventurianus quoque stylus et crebra divinarum Scripturarum citatio in eadem perinde ac in Opusculis certis elucet, una cum singulari ejusdem erga Beatissimam Virginem devotione, qua capite primo dicit : *Officium beatæ Virginis nunquam dimittat.* Verbo, ut cum P. Sbaralea loquar : « Opus redolet doctrinam et gravitatem Bonaventuræ, etsi habeat tria vel quatuor verba minus latina, ut *appodiare, guerra, campanella;* sed quæ illis temporibus in usu erant etiam in Epistolis Romanorum Pontificum. » Quod verbum *appodiare* in usu fuerit illis temporibus, habemus quoque a Fr. Roberto de Tornaco Minorita, qui se testante scripsit *Sermones Dominicales*, et *de Sanctorum festivitatibus, præcepto et imperio Papæ Alexandri quarti.* Nam in sermone postea lucubrato *de Reliquiis Sanctorum* adfert « Exemplum de sancto Rege Lodoico, qui cum nollet se *appodiare* super scrineum Reliquiarum, et diceretur sibi quod ibi non essent, respondit, etsi modo non sint, fuerunt tamen ibi. » *Guerrarum commotio* legitur in bulla Innocentii quarti, cujus initium : *Ad Apostolicæ dignitatis apicem*, data an. 1245. Opusculum istud affine est alteri Bonaventuriano inscripto : *De partibus domus religiosæ*, de quo Ariostus, Pavinus, Rodolphius, et Mss. Codices.

[1] Hæc in editione Brixiensi omnino desiderantur; desinit enim ea editio (quemadmodum et nostra, pag. 361, col. 2) in ly *hostis roboratur.* Habet quidem Veneta (an. 1564); sed finit illis verbis : *quas ipsemet instituit.*

(*a*) Vid. tom. X, pag. 207. — (*b*) Prodr. *Clementis*, mendose. — (*c*) Has auctoritates minime reperi.

13. Ast ne vel hujusmodi *Regulam Novitiorum* arbitremur nostri Bonaventuræ fœtum, Editores novissimi hanc censuram ei subjiciunt : « Ne vel ipse quidem Marianus Florentinus in suo Chronicorum fasciculo meminit. Hinc nimiam jam vides licentiam Romanorum Editorum, qui tacentibus omnibus, Regulam istam nomine Bonaventuræ promulgarunt[1].» Ego tamen procul sum, ut videam in hoc *nimiam licentiam Romanorum Editorum,* quum notum mihi sit de præfata Regula disertissime locutos fuisse Bartholomæum Pisanum, Jacobum Perusinum, Robertum Liciensem, Jeremiam Buchium, Chronici Norimbergensis auctorem, ac Jacobum Philippum Forestum in editione anni 1490. Falsum ergo est, quod de hujusmodi Regula *tacuerint omnes* ii, qui Romanam ejus editionem præcesserunt. Pari falsitate laborat, quod pronuntiat Oudinus : « Ista Regula conjecta primum est in Opuscula Bonaventuriana editionis Romanæ an. 1596[2]. » Nam certum est sub nostri Bonaventuræ nomine prodiisse in Collectione, quam P. Sbaralea suspicatur Venetam anni 1487, in Brixiensi an. 1495, in Venetis an. 1564, 1572, 1582 et 1584, necnon in antiqua alia sine anno, loco ac nomine typographi, imo et in alia facta Romæ per Joannem Zainer an. 1473. Editiones codicibus Mss. roborantur, uno nempe Cortonensi ex Bibl. S. Margaritæ Min. Observ., altero Florentino ex Bibl. Marchionis Gabr. Richardii Decani metropolit. Ecclesiæ, alio Mantuano ex Bibl. S. Mariæ Gratiarum Min. Observ.; aliis Romani sex Bibl. Aracælitana Min. Observ., atque ex archivo S. Isidori Min. Recollect. nation. Hibernicæ, necnon ex Bibl. Vallicellana Congreg. Oratorii, aliis quoque Stronconiensibus in Umbria ex Bibl. S. Francisci Min. Observ.; alio demum Tudertino ex archivo S. Jacobi Min. Reform.

14. Id quod ad calcem ejusdem *Regulæ Novitiorum* apud Romanos Editores subditur[3], nempe : « In conventu Fratrum Minorum Parisiis conversante bonæ memoriæ Fratre Bonaventura tunc generali Ministro, et post Cardinali, Frater studens ibidem bonæ indolis, » etc., cæcus sit, qui non videat purum putumque esse manus alienigenæ additamentum, non autem verba, quæ ejusdem Regulæ auctor posuerit. Sicut enim in Romana editione caput quintum decimum *de Silentio* extra ordinem est, utpote post jam completum Opusculum per illa verba : *qui vivit et regnat in sæcula sæculorum;* ita multo magis quod post hujusmodi caput quintum decimum inibi subjungitur : *In Conventu,* etc., extra ordinem tenoremque eorum, quæ ibi S. Bonaventura scripsit, certo credendum est. Accedit quod sub titulo *Brevis, et utilis Doctrinæ Juvenum Domini Bonaventuræ Card. Ord. Min.* non postpositum, sed præmissum fuerit Regulæ Novitiorum in antiqua editione sine anno, loco et nomine typographi, et in alia Ulmensi an. 1473. Item quod Romæ in codice Ms. Archivi S. Isidori Min. Recollect. nation. Hibernicæ similiter antecedat sub singulari titulo Regulam Novitiorum; ac tandem, quod in cæteris omnibus codicibus præfatam Regulam continentibus, qui ad nostram pervenerunt notitiam, desideratur omnino, et e contra in aliis, nempe in duobus Cortonensibus jam ex parte laudatis, in uno Parisiensi ex Bibl. (olim) Regis Galliarum, in aliis Romanis ex Bibl. Chisiana et Archivo S. Isidori Min. Recollect. nationis Hibernicæ, atque demum in alio Scorialensi ex Bibl. Regum Hispaniæ, sive monast. S. Laurentii, Ord. S. Hieronymi, sub diversis titulis, ceu singulare Opusculum exhibeatur. Deinceps igitur seorsim a sæpe laudata Regula imprimendum et nos arbitramur.

[1] *Diatrib.*, pag. 129, huj. vero nostræ edit. tom. I, pag. LXXVIII.— [2] Tom. III, col. 434.— [3] Huj. tom. pag. 326

15. Sextum Opusculum, quod *Speculum Disciplinæ* appellatur, non fuit a Bonaventura scriptum, sed reportatum ex ejus ore, atque etiam digestum a Fr. Bernardo Bessano, testibus Editoribus Argentinensibus an. 1495. Quapropter manuscriptum Chronicon 24 Ministrorum Generalium eidem Bernardo Bessano illud tribuit. Neque sit, qui objiciat *Speculum Disciplinæ* ab antiquo auctore *Firmamenti Trium Ordinum* adscribi *cuidam magistro famoso, magnæ sufficientiæ, et virtutis,* qui certe fuit Joannes Pechamus; nam respondeo, majoris esse auctoritatis præfatum Chronicon, quod laudato *Fratri Joanni, viro magnæ sufficientiæ, et virtutis, multum famoso sacræ Theologiæ magistro*, adtribuit quidem *super Sententias Opus utile quæstionum, necnon Librum de perfectione Evangelica contra Religiosis mendicantibus detrahentes, et vitam beatam Antonii Paduani*, sed ne verbum quidem facit de *Speculo Disciplinæ, maxime ad Novitios.* Quinimo, ut monui, hoc diserte adjudicat *Bernardo de Bessa.* Stant quoque pro eodem Bernardo, ceu illud ex ore Bonaventuriano excipiente, et ordinante, Marianus Florentinus, Marcus Ulyssiponensis, et Petrus Rodulphius [1]. Quum autem idem Bernardus fuerit comes atque a secretis Bonaventuræ, dum hic esset generalis Minister, quid verisimilius, quam quod ille qua scripto, qua verbo, qua etiam exemplo, plura didicerit a Bonaventura, qui ea erat morum admirabili compositione, ut vivum regularis disciplinæ speculum omnibus videretur? Tanta quippe arte elaboratum est illud, de quo loquimur, *Speculum*, ut in eo aliquam saltem Bonaventuræ manum nemo non videat. Profecto crebra allegatio *Hugonis a S. Victore*, aliæque *Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, Prosperi, Isidori, Bernardi*, etc., quæ fiunt in eodem *Speculo*, in aliis quoque Bonaventuræ Operibus non raro occurrunt. Summa etiam scriptoris modestia cum in principio, tum in fine, Bonaventurianæ respondet, ejusque imitatrix est. Bonaventurianæ insuper sunt voces *Tractatuli* in Prologo, et *vilificationis* capite sexto primæ partis. Textus in eodem Prologo adhibitus ex Proverbiorum capite nono petitus, nempe : *Da occasionem sapienti, et addetur ei sapientia*, ipsissimus est ac ille, a quo incipit Prologus Bonaventuriani Tractatus *de sex Alis Seraphim.*

16. Hinc Marianus, et Marcus Ulyssiponensis laudati, atque Anonymus Pistoriensis, illud etiam Bonaventuræ attribuunt; Editores autem Brixienses an. 1495 aiunt ipsum *per Fratrem Bonaventuram Ordinis Minorum editum.* Hoc autem accepisse Brixienses ab antiquis codicibus manuscriptis ambigendum non est. Idem sit de Argentinensibus judicium. Et sane antiquos codices Bonaventuræ nomen præferentes non deesse certum est, quales sunt, verbi gratia, in Bavaria, unus ex Bibl. Monasterii Pollingani Ord. Can. reg. S. Aug.; in Belgis, alter ex Bibl. Corsendoncana Canon. regul.; in Palatinatu inferiori, alius Heilsbronæ apud Manhemium; Romæ, alii tres ex Bibl. Aracœlit. Min. Obs.; Tarraconæ denum, alius ex Bibl. Antonii Augustini archiep. A veritate igitur alienum est, quod novissimi Editores inquiunt : « Nullus antiquus exstat codex, qui Bonaventuræ nomen contineat, quique non præferat nomen Davidis Augustani. Et si forte aliquis sit, qui Bonaventuram inscriptum habeat, aut ille recentioris erit notæ, aut ab alienigena manu corruptus [2]. »

17. Quid quod allegant manuscriptum codicem chartaceum in-8, ceu exstantem in Patavina S. Francisci Magni Bibliotheca, et continentem non solum *Opusculum inscrip-*

[1] Apud Wadding., *de Scriptor.*, pag. 77. — [2] *Diatrib.*, pag. 127, huj. vero nostræ edit. tom. I, pag. LXXVII.

tum de Profectu Religiosorum, sed etiam *Speculum Disciplinæ* sub Fr. Davidis nomine, quum tamen ipsummet codicem nobis consulentibus, ac volventibus, nec volam quidem invenire licuerit hujusmodi *Speculi?* De nonnullis editionibus ab eisdem productis quid dicam? nullam hactenus vidi, aut allegatam reperi, quæ Davidi reapse faveat. Non enim *Speculum Disciplinæ* continet editio facta Augustæ Vindelicorum apud *Joan. Prætonem an.* 1593 [1], aut Bibliotheca PP. edit. Coloniensis 1618, et Lugdunensis 1677 [2]. Urgent quidem Joannis Trithemii testimonium inter Davidis Opera referentis: *Ad Novitios de compositione hominis exterioris lib.* I, *incipit: Ad honestatem.* Ast Trithemius neque in editione, qua usus est Waddingus [3], neque in alia quam curavit Joannes Albertus Fabricius [4], adserit hujusmodi librum exordiri *Ad honestatem*, sed *Profectus Religiosi septem.* His adjecerim, quod scriptori Germano (qualis fuit David) improbanti morem solo cognomine, vel nomine patriæ Fratrem aliquem nuncupandi, congruere non videatur, illa tantum posuisse exempla dicendo: *puta Lombardus, vel Gallicus* [5], nihilque adduxisse de Austriaco, Bohemo, Suevo, etc. Subdiderim, forte etiam disconvenire Germano, quod vinum supponere videatur potum Fratrum usitatum [6], nec ullibi cerevisiæ mentionem faciat. Sed age exstare testes editiones, et codices manuscriptos Davidi faventes, quid tum inde? Annon facile conciliari possunt cum aliis monumentis pro Bonaventura stantibus? Dici enim verisimiliter potest, ut unicuique tribuatur quod suum est, hujuscemodi *Speculum* Bonaventuræ tanquam primo auctori, Bernardo Bessano tanquam scriptori et ordinatori, Davidi autem Augustano tanquam politori et amplificatori adscribendum. Non fuisse scriptum a Bonaventura, sed ab alio de ejus, vel aliorum mandato, derivatur etiam ex illis ejusdem *Speculi* verbis, quibus id actum dicitur in Prologo [7] *per Superiorum impositionem*, et in fine [8] *per obedientiam.*

18. Sæpe commemoratum *Speculum Disciplinæ* haudquaquam conjungendum cum libro primo *de Profectu Religiosorum*, ita ut illud huic præmittatur, quum neque in vetusta editione parvulorum Opusculorum, quam P. Sbaralea vidit Ferrariæ in Bibl. S. Francisci, neque in aliis, Brixiensi 1495, Argentinensi itidem 1495, Venetis 1504 et 1564, ac nequidem in manuscriptis codicibus, talis ordo servetur. Hinc abit in fumum argumentum, in quo Casimirus Oudinus mire ampullatur inquiens: « Ejusdem certo auctoris *Speculum Disciplinæ*, cujus est Opusculum *de Profectu Religiosorum*, quod concedunt Sedulius atque Waddingus: neque negari potest, cum auctor Opusculi *de Profectu Religiosorum*, in Prologo Operis sui, expresse dicat se scripsisse Opus *de Compositione hominis exterioris*, quod in *Speculo Disciplinæ* legitur. Atqui Opusculum *de Profectu Religiosorum* spectat ad Davidem de Augusta: ergo et *Speculum Disciplinæ ad Novitios.* » Etenim ma-

[1] Consule Wadding. *de Scriptor.*, O. M., pag. 99, col. 2, ubi legendum puto *Joannem Prætorium*, atque an. 1597. Nam (*a*) editio a me visa continet Vitam brevissimam S. Gualfardi, quam Waddingus innuit. — [2] In duabus istis Collectionibus continentur sub nomine Fr. Davidis de Augusta tria Opuscula, quæ potius Bonaventuræ nostro adscribenda cum Editoribus Romanis censuimus, scilicet I. partem primam Opusculi *de Institutione Novitiorum*, cum hoc diverso titulo: *Formula Novitiorum de exterioris hominis informatione;* 2. librum primum Opusculi *de Profectu Religiosorum*, cum titulo: *Formula Novitiorum de interioris hominis reformatione;* librum secundum ejusdem opusculi, cum titulo: *De septem Processibus religiosi status*, et variis Prologis seu Epistolis Fr. Davidis, quas consule, si sit facultas. — [3] Cit pag. 99. — [4] In sua *Bibl. Eccl.*, edit. Hamburg., 1718. — [5] *Specul. Discip.*, part. I, c. VI, pag. 453, col. 1. — [6] Ibid., c. XXI, etc. — [7] Pag. 441, col. 2. — [8] Pag. 497, col. 2.

a) Fortasse legendum hæc.

jor hujus argumenti laborat falso supposito, quod initium illud Opusculi *de Profectu Religiosorum :* « In priori *Formula Novitiorum,* quam scripsi *de exterioris hominis compositione,* » appellet ad *Speculum Disciplinæ*, quum unice respiciat, ex dictis, ad proxime præcedens Opusculum incipiens : *Primo semper debes considerare.* Minor quoque falsa est, si per Opusculum *de Profectu Religiosorum* intelligantur *Viginti passus de virtutibus bonorum Religiosorum,* incipientes : *Si vis in spiritu proficere* (*a*).

§ XXVI. — Epistola de remediis defectuum Religiosi ad fratrem Robertum. (*Prodrom.*, col. 654-655.)

1. Incipit : *Simplicissimo animo.* Contra hanc Epistolam sic loquuntur novissimi Editores : « Una erimus contenti censura, quam nobis exhibent Romani Editores in Argumento huic Opusculo præfixo, et ex horum ore veritatem eliciemus. « Tredecim capita, inquiunt, quibus constat hoc Opusculum, repetuntur paucis immutatis supra hoc eodem tomo [1], in Opusculo quod inscribitur : *Stimulus Amoris.* » Atqui nos subdimus : *Stimulus Amoris* Bonaventuræ nomen præfert falso ; ergo et *Remedium* hoc perperam Bonaventuræ inscribitur. Minor propositio, ut ante ostendimus, tam certa est quam quod maxime. Altera vero, quæ deducitur, legitima consecutionis lege consequitur [2]. »

2. Attamen nos *minorem propositionem* distinguimus, dicentes quod ille *Stimulus amoris* non sit quidem *Bonaventuræ,* sed *secundum Bonaventuram.* Neque *legitima consecutionis lege consequitur*, ut si alius sit a Bonaventura nostro auctor prædicti *Stimuli Amoris*, alius quoque ab eodem Bonaventura sit scriptor præfati *Remedii.* Fieri quippe potest, ut Henricus de Balma, auctor *Stimuli*, plura mutuatus fuerit, atque in rem suam derivaverit ex Bonaventuriano *Remedio*, sicut in Præfatione prædicti *Stimuli,* quæ incipit : *Transfige,* nonnulla ad verbum exscripta sunt ex Bonaventuriano *Soliloquio* [3].

3. Sed præstat audire, quid in hanc rem scripserit P. Sbaralea : « *Remedium,* inquit, *defectuum Religiosi* stylum Seraphici Doctoris refert, ipsoque non indignum censeri potest. Quod autem exstet in principio Opusculi *Meditationum Fr. Jacobi Lectoris Mediolanensis,* et secundæ partis *Stimuli Amoris* juxta editionem antiquiorem, in aliis vero editionibus partim in parte prima, cap. II, partim in parte secunda, cap. I, ac parte tertia, cap III et XIII, non inde duci debet, ipsum esse putam laciniam Bonaventuræ affixam, ut censet Oudinus; sed auctorem *Meditationum* et *Stimuli Amoris ad Passionem Christi*, quem Henricum de Balma fuisse probabo, isthoc, ut et alia, ex S. Bonaventura desumpsisse, et Operi suo inseruisse. Id quod facile suaderi potest eo, quod Opusculum istud ornatur *Prologo,* in quo dicitur ad preces Fr. Roberti editum fuisse. In *Stimulo* autem *Amoris* istud non habetur, nec ad ipsum ullo modo facit. Præterea quiddam in *Stimulo Amoris*, præsertim parte tertia, cap. XIII, *de Prædestinatione*, ita interpolatum cernitur atque immutatum, ut prope diversum videatur, ac phrasibus piis quidem, sed ita abjectis, ac humi repentibus, ut nihil ad Seraphicum Doctorem. Sociari potest hoc Opus cum altera *de viginti quinque Memorialibus* [4], edique post illud. » Non ergo est Henrici Balmensis. Certe *Re-*

[1] Nempe septimo edit. Vatic. — [2] *Diatrib*, pag. 129, huj. vero nostræ edit. tom. I, pag. LXXVIII. — [3] Vid. in hoc tomo, pag. 633, col. 1 et 93, col. 1. — [4] Vid. hoc tom., pag. 202 et seq.

(*a*) Opusculum incipiens : *Si vis in spiritu proficere,* idem est ac secunda pars opusculi *de Institutione Novitiorum,* ut jam notavimus.

medium hujusmodi non refertur inter Opuscula Henrici, sed Bonaventuræ, cujus nomen præfert apud Marianum Florentinum, Anonymum Pistoriensem, atque Marcum Ulyssiponensem, qui illud integrum suis Chronicis inseruit. Itidem in Argentinensi editione an. 1495, ac subsecutis, necnon in codicibus Monasterii Pollingani Ord. Can. Reg. S. Aug. in Bavaria, et S. Apollinaris Rom., Min. Observ.

4. Ex ejusdem *Remedii* Præfatiuncula constat auctorem piissimum consuevisse surgere *media nocte, ut matutinas Deo laudes offerret,* ac *Deum intimis præcordiis flagitare,* illudque edidisse, dum *visitationis opus prosequi cogeretur.* Quæ quidem sancto nostro Doctori, ac Ministro Generali, optime convenire nemo non videt. Inscriptum est, ut vidimus : *Fratri Roberto.* Sed cui ? Ad rite instituendum Fr. Robertum de Bastia Aquitanicum, qui unus fuit ex quatuor Magistris Regulæ Minoriticæ interpretibus sub Generali Haymone, directum fuisse, verisimile non est, sed potius ad Fr. Robertum de Velis, qui vixit in partibus Parisiensibus *circa regimen Domini Bonaventuræ* [1].

§ XXVII. — Alphabetum Religiosorum. (*Prodrom.*, col. 659-660.)

1. Incipit : *Ama paupertatem, sis vilibus contentus*, ex quibus verbis haud obscure colligitur, auctorem alloqui professorem altissimæ paupertatis, ipsumque rite instituendum suscepisse, quod Bonaventuræ nostro adprime convenire palam est. Et certe hujus Alphabeti auctor idem videtur ac ille, qui scripsit *Viginti Passus de virtutibus bonorum Religiosorum,* quos eidem Bonaventuræ jam adseruimus. Quemadmodum enim capite decimo (*leg.* nono) illius Opusculi dicitur [2] : « Nulla superflua collige, vel curiosa: solis contentus sis necessariis in valore, et numero : ipse habitus tuus, et omnia tua simplicia sint, et inculta, » etc., sic in eodem Alphabeto paucioribus idipsum perstringitur. Horum similia docet Bonaventura sexto capite Opusculi *De sex alis Seraphim* aiens [3] : « Omnia, quæ habere videtur, paupertatem voluntariam demonstrent, scilicet vestes, » etc. Hinc est quod prædictum Alphabetum sub ejusdem Bonaventuræ nomine habeatur in manuscripto codice monasterii Pollingani, in Argentinensi editione an. 1495, et aliis subsecutis, ita ut Waddingus adseruerit : « Hoc Alphabetum nullus sibi vindicat, aut Bonaventuræ esse negat [4]. » Enimvero a plerisque negatur Bonaventuræ esse, Thomæque Kempensi vindicatur alterum Alphabetum parvum boni *Monachi in schola Dei*, de quo (mox) erit sermo, non autem id, de quo in præsenti loquimur.

2. Recte igitur de utroque Alphabeto sermonem habens P. Sbaralea, inquit : « *Alphabetum Monachi* Bonaventuræ defendere conatur Waddingus, impugnat Oudinus, et fateor utriusque rationes et paucas et incertas esse, etc. Ego vero in hac re, cum videam duo exstare *Alphabeta*, alterum oratione soluta inscriptum : *Alphabetum boni Monachi*, incip. *Vias tuas, Domine*, alterum versibus leoninis inscriptum : *Alphabetum Religiosorum,* incip. *Ama paupertatem*, et inter Opera Thomæ a Kempis haberi duntaxat primum, quod una cum secundo prodiit Argentorati an. 1495, et postea Venetiis an. 1504, inter cætera S. Bonaventuræ Opuscula; censeo primum esse dubium, alterum vero certum S. Doctoris

[1] Ex Chron. 24 Gener. Minist. sub Bonagratia.— [2] Vid., hoc tomo, pag. 309, col. 2.— [3] Vid. ibid., pag. 144, col. 2. — [4] *De Scriptor. O. M.*, pag. 76, col. 1.

fœtum : falsumque scribere Oudinum, certum esse, *Alphabeta ascetica* convenire sæculo quinto decimo, cum id non ostenderit. »

3. Sane consuetudo scribendi ordine alphabetico de diversis materiis negari minime potest sæculo quinto decimo vetustior, quum sæculo undecimo Adelmannus Scholasticus Leodiensis, postea episcopus Brixiensis, lucubraverit *Rhythmos alphabeticos de viris illustribus* sui temporis, eosque miserit ad olim condiscipulum suum Berengarium Andegavensem archidiaconum dicens : « Mitto tibi rhytmicos versiculos juxta ordinem Alphabeti digestos [1], » etc. : quum Oudinus ipse inter Opera Alani de Insulis, quem mortuum dicit an. 1294, referat *Opus Concionatoribus idoneum*, id est *Summam Quot modis appellatam*, *quæ procedit secundum alphabeticum ordinem* [2] : quum Pantheologia Fr. Raynerii de Pisis Ordinis Prædicatorum, incœpta an. 1333, in Prologo apud Echardum nuncupetur *Opus secundum ordinem litterarum Alphabeti* [3], ac ita impressa quoque fuerit Venetiis an. 1685 : quum testetur Fr. Bartholomæus Pisanus Ordinis Minorum, sæculi quinti decimi scriptor, quod *si homo vult videre Summas in Legibus, et Decretalibus, Fr. Monaldus ordine alphabetico fecit* unam [4] : quum inter Opera Mauricii cognomento Hibernici Minoritæ sæculi tertii decimi, atque alia de diversis Bindi Senensis Ordinis Eremitarum S. Augustini, ac Joannis Bromiardi Ordinis Prædicatorum, qui floruerunt sæculo quarto decimo, referantur quædam ab eis disposita *secundum ordinem Alphabeti* apud ipsum Oudinum [5]. Quidni ergo admitti poterit similis consuetudo etiam quoad materias asceticas? Maxime quum in *Brevi Historia Ordinis Fratrum Prædicatorum* ab Edmundo Martene vulgata, legere sit Fratrum Stephanum Bisuntinum generalem ejusdem Ordinis Magistrum, vita functum an. 1295, scripsisse *Librum Exemplorum per Alphabetum* [6] : et ipsemet Bonaventura noster in Prologo sui *Ligni Vitæ* dicat : « Et in prima quidem ramorum serie quatuor altrinsecus *secundum Alphabeti ordinem* ponentur versiculi, similiter in secunda et tertia. » Recolantur dicta supra (§ IV), n. 4.

§ XXVIII. — Alphabetum religiosorum, seu Boni Monachi. (*Prodrom.*, col. 680-681.)

Incipit : *Vias tuas, Domine, demonstra mihi.* Ea ex una parte afferuntur testimonia pro Thoma Kempensi apud Heribertum Rosweidum, alia pro Bonaventura ex alia apud Lucam Waddingum, ut quamvis eidem Waddingo *translatum potius a Bonaventura ad Kempensem, quam a Kempensi ad Bonaventuram videatur probabilius;* quum tamen plures emunctæ naris Critici aliter sentiant, nec plane rem evincant, satius putaverim hoc inter incerta et dubia recensere. Ne idem velut certo spurium exploderemus, obfuerunt etiam plura, quæ pro Seraphico Doctore producere licet, inter quæ nedum Argentinensis Collectio an. 1495, sed etiam editio Papiensis an. 1490. Quod autem ex solo Trithemii testimonio, scribentis an. 1494, non conficiatur esse Kempensis, inde probat Sbaralea, quia nequidem sola sufficit ejusdem Trithemii auctoritas ad asserendum eidem Kempensi aureum Opus *de Imitatione Christi*, quandoquidem tale Opus vulgatum est an. 1485, Brixiæ per Jacobum Britannicum, inscriptumque *B. Bernardo, quod Joanni Gersoni Cancellario Pari-*

[1] Exstant apud Mabillonium, *Analect.*, tom. I, a pag. 420, et apud Paulum Galeardum post sermones S. Gaudentii Episc. Brix. a pag. 317, edit. Patav. 1720. — [2] In Supplem. apud Bellarminum. — [3] *Scriptor. O. P.*, tom. I, pag. 636. — [4] *Conform.*, lib. I, fructu VIII, part. II, fol. m. 81, col. 4. — [5] Tom. III, col. 572, et 1220 et seq. — [6] *Ampliss. Collect. Vet. Script.*, tom. VI, col. 571.

siensi attribuitur, inquit Editor. Id quod annotasse puto laudatum P. Sbaraleam, non quod ipse autumet prædictum Opus referendum aut ad S. Bernardum, aut ad Joannem Gersonem, vel ad Abbatem Vercellensem Joannem Gessen, vel ad Gualterum Hiltonum, aut ad Petrum de Corbario, sive denique ad Ubertinum de Casali; sed ne plus æquo Trithemianæ auctoritati hac super re deferatur.

§ XXIX. — De sex Alis Cherubim. (*Prodrom.*, col. 680.)

Incipit: *Prima ala.* Non satis certum, quod hoc Opusculum *Alano Magno de Insulis, Ordinis Citerciensis alumno, scriptori ævi tertii decimi adjudicandum sit.* Ita quidem judicant novissimi Editores [1]; sed nos malumus cum Waddingo ab hoc ferendo judicio supersedere, ancipitesque manere, nedum ob Mariani Florentini testimonium, sed etiam quia in manuscriptis codicibus Bibl. Mantuanæ S. Mariæ Gratiarum, et Ravennensis S. Apollinaris, Min. Observ., nec non in editione Argentinensi an. 1495, aliisque subsecutis omnibus, Bonaventuræ nomen præfert, cum illa tamen nota: *ab aliquibus Alano adscriptum.* Verum quidem est, prodiisse an. 1654, Antuerpiæ typis Gulielmi Lesteenii, cum aliis ejusdem Alani operibus omnino abjudicatum Bonaventuræ nostro: sed notatu dignum, quod hujus editionis curator Carolus de Wisch Ordinis Cisterciensis, monuit, nempe *tunc primum integre in lucem editum fuisse, quum* antea *inter Opera S. Bonaventuræ aliquoties impressum fuerit pro majori sui parte.* Animadvertendum etiam, quod non constat, num illa *plura antiquissima manuscripta exemplaria,* quæ laudantur a Wischio, ita *expresse nomen Alani præferant,* ut nihil indicent de Bonaventura, et num prima vel secunda manu illud exprimant. Cæterum auctor, *Ala quarta*, eodem modo explicat oculum simplicem *Joannis* per *intentionem supernam, sive oculum caritatis*, sicut Bonaventura in Opusculo *de sex Alis Seraphim,* cap. VII (II), exponit per *intuitum intentionis purum charitate.*

§ XXX. — Meditationes vitæ Christi ad quamdam monialem sanctæ Claræ. (*Prodrom.*, col. 697-700.)

Incip. *Inter alia virtutum.* In hoc initio Editiones, quas ego viderim, omnes concordant, non tamen aut in numero capitulorum, aut in fine. Argentinensis enim an. 1495, constat capitulis 108, et sic clauditur: *Hæc Bernardus. Deo gratiarum actio, et beato Bernardo servo suo dulci, et fideli, Amen.* Veneta an. 1564, capitulis 101, ac desinit: *Hæc Bernardus. Deo gratiarum actio viventi in sæcula sæculorum, Amen.* Veneta novissima an. 1755, capitulis 100, in fine tamen cum alia Veneta an. 1564, concordat. Omnibus contractior mihi videtur Veneta alia Petri Quarengii an. 1512. Inter antiquiores P. Sbaralea refert Barcinonensem Petri Michaelis an. 1484, in fol., inter recentiores vero Mutinensem Antonii Capponi an. 1720, ac monet primas *pro dilecta filia Moniali sanctæ Claræ* prodiisse, secundas vero *pro dilecto filio,* atque ita interpolatas, variatasque, ut pene aliæ videantur. Animadvertit insuper primas cap. 45, continere Tractatum *de Paupertate,* a capite autem 46, usque ad 60, Tractatum *de Contemplatione.* Item observat cap. 100, al. 105, binos versiculos pentametros Bonaventuræ insolitos adduci: *Nomine qui in Domini, Rex benedicte, venis: Nunc tibi regnanti pangimus ecce melos:* et in auctoritatibus (*a*) cap. 104, *auctoritatem*

[1] *Diatrib.*, pag. 100, hujus vero nostræ edit., tom. I, pag. LXIX.

(*a*) *Prodr.* auctioribus.

Evangelii Nicodemi, quod a Seraphico Doctore, ac ejus eruditione abhorret. Contra vero Casimirum Oudinum, et Antonium Possevinum, existimantes hujusmodi *Meditationum* auctorem Bonaventuram Baduarium Augustinianum, opponit Jacobi Philippi Foresti ejusdem Instituti hac super re altum silentium.

Profecto, ut ego quoque dicam quod sentio, easdem Meditationes vel perfunctorie legenti facile patebit, non alium earum auctorem fuisse, quam devotissimum quemdam Minoritam Etruscum ad sanctimonialem Clarissam scribentem. In ipso enim Prologo laudat iterato *beatum Franciscum*, ac etiam commemorat ejusdem *impressionem sacrorum stigmatum:* tum quoque sanctimoniali *beatam virginem Claram, Matrem et Ducissam ejus* in mentem reducit. In progressu autem capite tertio loquens de quibusdam *revelationibus a sanctissima Virgine Maria factis cuidam suæ devotæ*, subdit: *Et creditur quod fuit sancta Elisabeth* (*a*), *cujus festum solemniter celebramus*, quæ utique fuit tertii Ordinis Minorum. Capite septimo ingerit paupertatem iis S. Francisci verbis: *Paupertatem noveritis, Fratres, esse spiritualem viam salutis,* quam quidem paupertatem capite duodecimo magis magisque urget exemplo Deiparæ Virginis. Capite 44, de paupertate rursus ait: *Scio, quod in monasterio constituta paupertatem professa es, et nihil habere potes;* abstinentiamque commendans inquit: *Eam tam antiqui Patres,* quam beatus Franciscus, *ac Ducissa tua beata Clara, ut in eorum vita patet, arctissime servaverunt.* Cap. 73, ut doceat revelationes occulere, in exemplum producit iterum iterumque id *quod legitur de beato Francisco,* nempe quod *revelationes occultas non revelabat exterius*, etc. Sicut autem vel antiquis Minoritis in more fuit visitare, atque religiose custodire sacerrima Jerosolymorum loca, ita sermonem habens de Calvarii via, et de loco, ubi Christus Dominus morte crucis damnatus, filias Jerusalem flentes obviam habuit, narrat cap. 77: « In his duobus locis apparent vestigia ecclesiarum adhuc, quæ ibi factæ sunt in memoriam hominum, ut habui a Fratre nostro, qui vidit. » Ex quibus omnibus haud obscuris indiciis, quis hujusmodi Meditationum auctorem Augustinianum potius, quam Franciscanum agnoverit?

Sed audi quoque non Patavinum, sed Etruscum. Quippe cap. XIV, recolens divinam matrem anxie quærentem filium, qui remanserat in Jerusalem, ac ejus inveniendi causa *perambulantem circumstantia loca, nam per plures vias patebat reditus,* e vestigio subjungit: « Sicut qui de Senis vellet redire Pisas, posset ire per Podium Bonichi, et per Colle, et per alia loca. » En virum, qui utpote Etruscus, topographiam Etruriæ optime norat, scribensque ad Clarissam ex eadem Etruria, ex hujus locis unice ad ipsam edocendam exempla sumebat. Describens, citato cap. LXXVII, distantiam inter Calvariæ montem ex una et portam Jerusalem ex altera parte, ait: « Mons Calvariæ, ubi fuit Christus crucifixus, distabat a porta civitatis quantum locus noster a porta sancti Germani. » Heic videre est manifestum mendum aut typographorum, aut librariorum; nihil enim dubito legendum *a porta sancti Geminiani* loco *sancti Germani.* Quei namque pius ille institutor Clarissæ ex Etruria, quæ nihil noverat *de porta sancti Germani* magnæ civitatis Parisiorum illam potius, quam *portam sancti Geminiani* in ipsa Etruria protulisset in exemplum præfatæ distantiæ declarandæ gratia? nonne hoc pacto obscurum per obscurum

(*a*) Scilicet sancta Elisabeth Thuringæ, de qua dicendum erit, quando agemus de Sermonibus nostri Seraphici Doctoris.

explicuisset? Cæterum *sancti Geminiani* lectionem extra omnem disputationis aleam ponit Bartholomæus Pisanus; nam conventus recensens Fratrum Minorum custodiæ Senensis in Etruria, memorat *Locum de sancto Geminiano*, *Locum de Colle*, *Locum de Podio Bonichi* [1], etc. Ut ejusdem lectionis veritas magis magisque claresceret, diligenter consului Joannem Lamium, virum clarissimum, ac vel Etruscæ topographiæ peritissimum, qui pro sua erga me humanitate respondit, nunc quidem in Loco Sancti Geminiani Volaterranæ diœcesis, distante a Florentia triginta, a Podio Bonitii decem, a Colle quinque milliariis, duos exstare Franciscanorum Conventus, alterum scilicet Fratrum, qui Conventuales nuncupantur, alterum Clarissarum; olim tamen Conventum Fratrum Minorum fuisse extra portam sancti Geminiani in modica quadam distantia, ubi quædam vestigia adhuc supersunt. Me insuper certiorem reddidit, olim extitisse Monasterium quoque Clarissarum extra quidem, sed propius dictum Locum sancti Geminiani, ita ut Fratrum Conventus a Sororum Monasterio circa quartam milliarii partem tantummodo distaret. Non dissentit Waddingus : nam ad an. 1211, num. 26, posteaquam commemorasset « oppidum D. Geminiani in Insula, quam Elsæ fluvius, et torrens, qui a Stagnia oppido altero dilabitur Bonitium versus, efficiunt, olim ditionis Senensium, sed nunc Florentinorum, quod Desiderius Longobardorum rex condidit, » subnectit, sanctum P. Franciscum inibi acquisivisse habitaculum, quod modo est *penes Fratres Conventuales sub custodia Senensi*, *ex quo prodiit Joannes de Caulibus, magnus et devotus per universam Italiam prædicator*. Addit : « Sedem autem postea mutarunt Fratres, quia ad constructionem novæ arcis necesse fuit dirui primam domunculam, quæ juxta mœnia oppidi constructa erat; emptoque a D. Fr. Alexandro Laurentii de Bondelmontibus Milite Hierosolymitano situ cum contigua ecclesia S. Joannis Baptistæ, cum onere celebrandi solemniter sancti Præcursoris festum, intra oppidum se receperunt. »

Quæ cum ita sint, hujuscemodi *Meditationum* auctor censendus est Etruscus, videturque laudatus Fr. Joannes de Caulibus a sancto Geminiano. Quandoquidem citatus Bartholomæus Pisanus memorans *Locum de sancto Geminiano,* mox addit : « De quo extitit oriundus Fr. Joannes de Caulibus, magnus Prædicator, et devotus, qui *Meditationes super Evangelia fecit pulchras* [2]. » Ejusdem meminerat quoque prius aiens : « Tractatum Meditationis super Evangelia fecit Fr. Joannes de Caulibus de S. Geminiano [3]. » Floruit post initium sæc. XIV, deque eo agunt Marianus Florentinus, Gonzaga, Rodulphius, Possevinus, Waddingus, Antonius a Terrinca, et Joannes a S. Antonio. Profecto in iisdem Meditationibus nonnulla leguntur, quæ dicto quidem Joanni de Caulibus, neutiquam Seraphico Doctori, convenire videntur, puta quum secundum editionem Argentinensem an. 1495 ipsarum auctor inquit cap. X : « De Expositionibus autem raro me intromittere cogitavi, tum quia insufficiens sum, tum etiam quia nimis esset longa materia : » quum laudat, cap. CIV, *Evangelium Nicodemi :* quum cap. CVIII concludit : « De cætero tempus est signandi librum ; sed ne meis verbis fiat, de uberibus Patris Bernardi, de quibus tibi tot flores, et tam pulchros decerpsi, fiat conclusio, » etc. Idque amplius suadetur, quia idem auctor devotæ phantasiæ, piæque imaginationi indulsisse videtur : e contra vero Seraphi-

[1] Lib. I. *Confor.*, fructu XI, part. II, fol. 123, col. 3. — [2] Loc. cit. — [3] Ibid., fructu 8, fol. 81, col. 4.

cus Doctor videtur ex Evangeliis elicuisse multo diversas Meditationes. Inquit enim in Præfatione Tractatus, qui *Lignum vitæ* nuncupatur : « Ex sacri Evangelii Silva, in qua de vita, passione et glorificatione Jesu Christi diffuse tractatur, colligere studui hunc myrrhæ fasciculum, quem et paucis, et ordinatis, et correspondentibus sibi verbis compegi, » etc. Admiserim tamen, easdem *Meditationes vitæ Christi* posse dici *secundum Bonaventuram*, id est ad normam Bonaventuræ, qui Meditationes exhibet nedum in præfato *Ligno Vitæ*, sed et in *Soliloquio*, in *Itinerario*, etc., cui quidem inscriptioni *secundum Bonaventuram* plures Mss. Codices, atque etiam editiones, quas inter Papiensis an. 1490, et Argentinensis an. 1495 suffragantur. Ipsas Meditationes nihil commune habere cum Revelationibus S. Mechtildis contra Oudinum testantur novi Editores [1]. Quod si conveniant cum iis *Meditationibus in Evangelia*, quæ secundum Altamuram ex Henrico Willotto recensentur ab Echardo inter Opera Fr. Joannis de Sancto Geminiano Ord. Prædic., quem alii *de Goro* vel *Gorinum* a familia nuncupant [2], nostro Fr. Joanni de Caulibus de Sancto Geminiano certe restituendæ sunt, » etc. (*a*)

§ XXXI. — Stimulus Amoris. (*Prodrom.*, col. 703-706.)

1. Incipit : *Ad te, Domine, levavi.* Supposititium habemus hoc Opusculum, quia in initio, in numero et ordine partium, atque capitulorum, haud parum varians deprehenditur apud Trithemium, Editiones et manuscriptos Codices. Insuper quia plura continet ex Bonaventurianis Opusculis derivata, puta ex *Soliloquio*, ex *Remedio defectuum Religiosi*, ex *Instructione Sacerdotis ad se præparandum ad celebrandam Missam*, etc., et alia quæ desumpta videntur ex Tractatu, cujus initium *Transfige*, composito a quodam Minorita Lectore Mediolanensi [3], quem P. Sbaralea *Jacobum* appellat. Quæ quidem omnia collecta fuisse, pluraque alia adjecta per alibi laudatum Fr. Henricum de Balma censemus, quinimo et alia inserta fuisse ab aliis suspicamur, ita ut dici quidem possit secundum Bonaventuram, mimine vero Bonaventuræ.

(*b*) Joannes Gerso part. IV, fol. 18, Epist. ad Petrum de Alliaco Episcopum Cameracensem, in *Annotatione Doctorum aliquorum, qui de Contemplatione locuti sunt*, collocat Bonaventuram inquiens : « Bonaventura in suo *Itinerario* totum miro et compendiosissimo artificio complexus est, et in suo *Stimulo Amoris.* » Huncque Bonaventurianum *Stimulum Amoris* ipse Gerso ab alio distinguit, qui illo tempore sub eodem titulo circumferebatur. Unde mox subdit : « Sunt alii Tractatus compilati a novellis, ut *Stimulus Amoris ad Christi Passionem,* » etc. De hoc *Stimulo Amoris* a Bonaventuriano diverso inquit idem Cancellarius Parisiensis, *De Monte Contemplat.* part. III., cap. XXXVIII, fol. 385, col. 2 :

[1] *Diatrib.*, pag. 120; huj. nostræ edit., tom. I, pag. LXXII. — [2] Tom. I. *Scrip. O. P.*, pag. 528, col. 2. Præ manibus habeo volumen inscriptum : *Summa de Exemplis, et rerum similitudinibus... Fratre Joanne a S. Geminiano Ord. Prædic. auctore* Venetiis apud Dominicum Farreum, 1584, in-4. folior. 283, Card. Hieronymo Rusticutio dedicatum sub data Venet. Cal. Julii 1576 ab Ægidio Gravatio Augustiniano. Sed animadversione dignum censeo, quod in Prologo auctor inquit, scilicet : « Prædicantium igitur commodo... desiderans inservire, ego inter Fratres Ordinis Prædicatorum minimus, nomine *Helvicus, natione Theutonicus*, de multarum rerum exemplis... præsens opusculum edidi, ac librum de exemplis et similitudinibus rerum ipsum intitulavi. Quemdam Joannem de S. Geminiano, clarum circa an. 1297, commemorat Henricus Spondanus Appamiarum in Gallia episcopus, in suo *Auctario chronologico* ad Annales Baronii, pag. 17, edit. Lugd., 1686, in-fol. — [3] Barth. Pisanus, lib. I, Confor. VIII, col. 3, edit. Mediol. 1513, Zanoti Castillionei. — (*a*) Vid. ulterius not. B. — (*b*) Hæc quæ sequuntur usque ad n. 2. desumpta sunt ex Prodromo quidem, sed col. 229-230.

Doctor quidam in libro suo de *Stimulo Amoris* intitulato, istam materiam similiter tractat, et specialiter de Passione Domini nostri Jesu Christi, ostendens quod in ea omne bonum reperitur, et quod eadem Passio sit viæ hujus, puta contemplationis, ostium: volensque aliunde intrare in contemplationem, ipse se seducit, et decipit. Et confirmat dictum suum auctoritate Domini dicentis: *Ego sum via, veritas et vita. Via* per quam progrediendum est. *Veritas* viatorem illuminans. *Vita* eumdem nutriens, sustentans, et remunerans. Utinam præfatus liber esset in gallicum translatus; meo enim judicio valde vobis fieret proficuus.» Quisnam autem fuerit præfatus *Doctor quidam*, præbetur occasio arguendi ex sequentibus, quæ legere est in *Biblioth. Francisc.* P. Joannis Suarez a S. Antonio, tom. III, pag. 3, col. 1: «Quidam Minorita ad instar Seraphici Doctoris scripsit *Meditationes divini Amoris*. De illo apud Bibliothecam Bodleianam, tom. I, fol. 8, ita legitur: *Bonaventuræ Stimulus Divini Amoris*, quem sic in calce Operis auctor inscribit: *Meditationes cujusdam simplicis et pauperculi discalceati, et contemptibilis, et denudati, sapientissimorum rudissimi, electorum infimi, et Minorum minimi.* Exemplar elegans, quod in multis verbis, et sententiis differt ab impresso inter Opera Bonaventuræ.»

Videtur ergo ille *Doctor quidam,* qui *scripsit ad instar Doctoris Seraphici Meditationes*, sive *Stimulum Divini Amoris*, fuisse Ordinis Fratrum Minorum. Cujus autem nominis fuerit, adseverare liceret ex alio Codice manuscripto, qui in bibliotheca Canonicorum Regularium S. Augustini in valle S. Martini Lovanii servatur, quive hunc præfert titulum: *Henrici de Balma Stimulus Amoris*, si satis constaret hunc cum illo omnino convenire. Porro hujusmodi *Stimulum Amoris cujusdam Doctoris Minoritæ* (sive Henrici de Balma fuerit, sive alterius ex eodem pauperum cœtu *novelli*) differre a *Stimulo Amoris*, quem nostro Bonaventuræ tribuit Gerso, ab ipsomet Gersone docemur. In impresso enim *Amoris Stimulo* inter Bonaventuriana Opuscula minime deprehenditur, quod de alio *Stimulo Amoris* a Gersone refertur, tametsi in priori quoque illius parte agatur de Passione. Hinc vereor, ne modo desit purus putusque *Amoris Stimulus* prædicti *Doctoris novelli.*

Difficile nimis fuerit divinare *Stimulum Amoris* a Bonaventura scriptum, quem Gerso compertum habuit, tanquam diversum ab eo quem *Doctor quidam novellus* exaraverat. *Amatorium,* ac *Incendium*, seu *Incentivum Amoris,* nuncupari jure possunt *Stimuli Amoris.* Nec desunt codices manuscripti, in quibus *Soliloquium* vocatur *Stimulus Amoris.* Non etiam caret difficultate, an ille *Stimulus Amoris*, cujus versio gallica ab ipso Gersone facta, postea edita fuit per Petrum Caron in-4, Paris. 1474, vere fuerit ab eodem Gersone *Bonaventuræ*, aut potius *Doctori novello* adscriptus? Primum suaderi potest ex dicta editione apud Caille, ac Maittaire; secundum potest conjectari ex præfatis verbis Gersonis dicentis: *Utinam præfatus liber*, etc. Si primum, verus *Stimulus Amoris* Bonaventurianus quærendus erit in illa Gersoniana gallica versione. Si secundum, dicendum erit librum illum gallice redditum non posse jure præferre S. *Bonaventuræ* nomen, nisi quia talis *Stimulus Amoris* fuit secundum Bonaventuram conscriptus, pluraque Bonaventuriana complectitur. Inter manuscriptos codices *Stimulum Amoris* nostro Bonaventuræ adtribuentes, notatu dignus Assisiensis, ex Tabulario S. Francisci Min. Convent., ac Venetus ex Biblioth. Marciana publica.

2. Cujuscumque autem sit hujusmodi *Stimulus*, certe non meretur Casimiri Oudini,

multoque minus editionis novissimæ curatorum censuras. Ferre quidem hi non possunt, quod legere est in fine capitis secundi partis prioris, ubi auctor, secundum editionem Venetam an. 1564, inquit: « Redde nobis, Domine, redde vulnera nostra, ne tu, qui innocens penitus es, et sanctus, videaris reus, et nocens portando sic in te vulnera aliena. Quod si non vis nobis reddere vulnera nostra, saltem tecum convulnera corda nostra. Volo enim ego penitus mori, nisi vulneres mentem meam. Abhorreo enim, mi Domine, videre cor meum nisi vulneribus plenum, cum videam te salvatorem meum sic crudelissime, et vilissime pro me crucifixum. Aut ergo, benignissime Jesu, des mihi vulnera tua, aut vulnera me tecum, aut certe des mihi licentiam materiali gladio transverberari [1] cor meum. Nolo enim, Domine, nec possum vivere sine vulnere, cum te undique videam vulneratum. » Ad hæc quæ paulo diversa, et detruncata protulerunt, grandiori hiatu exclamant præfati Editores: « Proh stultissimum ferumque facinus! Putasne Bonaventuram tam mente captum, ut se suo gladio ob Christi amorem perimisset (*peremisset*)? Apage non ferendam stultitiam [2]. » Si ita sit, stultissimus ergo fuerit oportet illius *Stimuli* auctor: stultissimus Joannes Gerso Cancellarius Parisiensis, qui secundum eosdem Editores, ipsum gallice reddidit: stultissimus Ven. Ludovicus Granatensis Ord. Prædicatorum, qui eumdem haud minus, quam S. Augustini Meditationes commendavit: stultissimus S. Franciscus Salesius Episcopus Genevensis, qui ipsum *excellentissimum* dixit: stultissimus Jacobus Philippus Bergomensis Ord. S. Augustini, qui ipsum *pulchrum* appellavit; stultissimus Maurus Lapus Calmaldulensis, et alii, qui ipsum in etruscum, et hispanicum idioma verterunt: stultissimi Editores omnes, qui hujusmodi *non ferendam stultitiam* in ipso nequaquam notarunt: stultissimi demum scriptores ascetici omnes, qui auctorem adeo *stolide* scribentem, ejusque verba laudarunt. Unum ergo ex duobus: aut hi omnes *stolidi*, ac *stulti*, aut immerito a præfatis censoribus teterrima nota *stultitiæ*, ac *stoliditatis*, quinimo et *feritatis* auctori prædicto inuritur.

3. Quorsum igitur illud *stultissimum, ferumque facinus,* quum auctor recitata verba non in thesi, sed in hypothesi *datæ sibi licentiæ* duntaxat effuderit, et secundum eamdem hypothesim dixerit postea: « Quomodo, si non esset tuæ contrarium voluntati, me materiali gladio non occido præ dolore, qui fui occasio tuæ mortis [3]? » Putaverimne *Bonaventuram mente captum*, si post semel obtentam per impossibile a Deo *licentiam*, cor suum *materiali gladio transverberasset,* aut ab alio *materiali gladio transverberari* passus fuisset? Ego certe in hac hypothesi nullam *stultitiam* deprehendo, nullamque *feritatem*, sed ingentem potius amoris excessum. Neque aliud mihi videor videre in supra recitatis omnibus verbis, nisi quemdam amoris excessum similem illi, quo S. Ignatius martyr æstuabat inquiens: Quod si venire noluerint bestiæ, ego vim faciam, ego me (*a*) urgebo, ut devorer: ignoscite mihi, filioli; quid mihi prosit ego scio: » nisi illud flagrantissimum desiderium, quo Seraphica S. Theresia vehementer optabat « Angelum ignito jaculo sua præcordia transverberantem, » quove dicebat: « Aut pati, aut mori: » nisi immodicam quamdam commiserationem haud absimilem ei, qua S. Catharina Bononiensis « erga errantes adeo affecta erat, ut suam ipsius ani-

[1] Sic editis pluribus. In aliis tamen legitur *transverberandi*. — [2] *Diatrib.*, page 113, huj. vero nostræ editionis tom. I, pag. LXVII-LXVIII. — [3] Part. I, c. II, tom. hujus pag. 637, col. 2.

(*a*) *Leg.* egomet.

mam precaretur in inferno exuri, dummodo illorum animæ ab incendio (si fieri posset) eriperentur : » nisi grandem illum amorem seraphicum, atque commiserationem, quibus ipse S. Bonaventura in suo *Ligno vitæ* aiebat : Quis mihi det ut veniat petitio mea, et quod expecto tribuat mihi Deus, ut totus tam mente, quam carne transfodiar, crucisque affigar patibulo cum dilecto [1] ? » tum in suo *Soliloquio :* « O Domine Jesu, qui propter me tibi non pepercisti, cor meum tuis vulneribus ita saucia, et mentem meam tuis vulneribus ita inebria, ut quocumque me vertam, semper te videam crucifixum, et quidquid inspexero, mihi appareat tuo sanguine rubricatum, ut sic totus in te tendens, nihil valeam præter te invenire, nihil nisi tua vulnera intueri. Hæc mihi consolatio sit, tecum, mi Domine, crucifigi, et mihi sit intima afflictio, aliquid præter te meditari [2]. » Quid quod idem ipse Bonaventura ibidem contemplatus fuerit divinam Matrem, « dum staret prope Unigenitum pendentem et morientem in patibulo, » non sine ejulatu, et planctu dixisse : « Quis mihi det, ut ego moriar pro te, fili mi Absalon [3] ? » Quæ etiam legere est capite quarto partis prioris laudati *Stimuli Amoris* [4] minime repugnant iis, quæ Seraphicus Doctor in citato *Ligno vitæ* dixit, sed ea potius magis magisque declarant.

4. Ad illa vero, quæ Oudinus ex capite primo partis prioris sæpe dicti *Stimuli* exscribit, nempe : « O quam beata lancea, et beati clavi, qui apertionem ejusmodi facere meruerunt ? O si fuissem loco illius lanceæ, exire de Christi latere noluissem, sed dixissem : *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam,* » etc., subdens : « Quid absurdius potest excogitari expressionibus ejusmodi, quo hujus libri scriptorem ecstaticum aliquem Franciscanum produnt, sed Divi Bonaventuræ gravitatem minime referunt [5] ? » respondeo, non fuisse *ecstaticum Franciscanum* Divum Laurentium Justinianum, qui eadem ad verbum descripsit capite primo sui *Incendii Amoris*. Quod si ejus *gravitatem* referant, quidni *Divi Bonaventuræ ?* Similiter ad ea, quæ capite tertio citatæ partis prioris auctor habet de beata Virgine Maria, quæve tanquam *pari absurditate, et simplicitate* laborantia cavillatur idem Oudinus, videlicet : « O amaritudine plena, quid fecisti ? cur vas sanctitatis fecisti vas pœnalitatis ? O Domina, quare non es solitaria in camera tua ? quare ivisti ad Calvariæ locum [6], » etc., subjiciens : « Nihil istis prosopopœiis puerilius, atque sancto Bonoventura indignius esse potest : » pari facilitate occurro, remittens Lectorem ad laudatum Divi Laurentii Justiniani Opusculum, ubi capite quarto ipsissima transcripta sunt. Unde credat solus Oudinus hujusmodi, quas ipse vocat, *prosopopœiis nihil puerilius, atque indignius esse posse.*

[1] Tom. hujus, pag. 76, col. 1-2, sub hoc titulo : *Jesus Cruci elevatus.* — [2] *Soliloq.*, cap. I, tom. huj. pag. 98, col. 2. — [3] Ibid., pag. 129, col. 2. — [4] *Stimul. Amor.*, part. I, cap. IV, pag. 639 et seq. — [5] Tom. III, col. 423. — [6] *Stim. Amor.*, part. I, cap. III, pag. 638, col. 2.

ARTICULUS II.

Animadversiones in præmissa.

A.

Error Prodromi notandus relate ad libros *de Profectu Religiosorum*, pag. XXXII.

Ista quidem habet Prodromus, parte prima Examinis Operum; sed parte tertia Examinis ejusdem, inter *supposititia* collocatum reperimus Opusculum cui titulus : *De septem Processibus Religionis.* Annon idem est, ac liber secundus *de Profectu Religiosorum*, qui tamen ab auctore Prodromi inter *vera*, *seu verisimiliora*, ut modo vidimus, annumeratus est? Incipit enim, ipso fatente : *Processus Religionis*, seu *Profectus Religiosi septem*, ac proinde iisdem verbis ac liber secundus *de Profectu Religiosorum.* Porro audiamus auctorem ipsum Prodromi suppositionem ejusdem libri probari conantem : « Prima, inquit, quam ego viderim, hujus Opusculi editio, facta est cum nonnullis aliis Bonaventuræ nostri Opusculis Brixiæ an. 1495. P. Sbaralea vetustiorem allegat, quam Venetiis procuratam an. 1487 suspicatur. Cæterum neque a Mariano Florentino, neque a Jacobo Philippo Foresto, neque a Ludovico Pruteno, neque ab aliis antiquioribus adseritur eidem Seraphico Doctori, quinimo Joannes Trithemius in libro suo *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, quem tertio emendavit, atque complevit an. 1494, inter ea, qua Fr. David Augustanus scripsit ad Novitios spectantia disertis verbis recenset : « *De compositione hominis exterioris*, liber unus : *Profectus Religiosi septem* [1]. » Trithemianum testimonium roborari posse videtur ex eo etiam, quod doctrina in hoc Opusculo contenta dissentiat a Bonaventuriana. Doctor enim Seraphicus in Opusculo *de septem Gradibus contemplationis*, quodque magis est, in *Expositione Evangelii S. Lucæ*, hos septem contemplationis gradus enumerat : videlicet : *primum ignem*, *secundum unctionem*, *tertium exstasim*, *quartum speculationem*, sive *contemplationem*, *quintum gustum*, *sextum quietem*, sive *requiem*, *septimum gloriam* [2]. Auctor hujus Opusculi *de septem Processibus* quatuor tantummodo gradus recenset, eosque prorsus diversos, nempe : *Jubilum, ebrietatem spiritus, spiritualem jucunditatem, liquefactionem* [3]. Nonne istud indicio fuerit haud obscuro auctoris omnino diversi? Addiderim quatuor illos gradus tam procul fuisse a nostri Doctoris mente, ut nequidem cum aliis in laudata Evangelii Expositione sive ex Richardo, sive ex Augustino productis conveniant [4]. Neque prætereundum, auctorem *Processuum* diverso prorsus modo disserere de tribus gradibus charitatis [5], ac de iis sermo sit in Opusculo Bonaventuriano *de Gradibus Virtutum* [6]. Quisquis etiam contulerit hoc Opusculum *de Gradibus Virtutum* cum iis, quæ de triplici humilitatis gradu traduntur in *Processibus* [7], auctoris diversitatem fateri necessum erit. »

Quod modus diversus recensendi contemplationis gradus indicio non sit auctoris omnino diversi, testem invoco ipsum Prodromi auctorem, qui librum secundum *de Profectu Religiosorum* eidem adtribuit Bonaventuræ, ac præfatam *Expositionem in Lucam.* Atqui

[1] Cap. 455.— [2] *In Luc.*, cap. IX, huj. edit. tom. X, pag. 465-466. — [3] Processu VII, cap. XV (mihi LXXIII), pag. 430-431, — [4] Cit. cap. IX, hujus edit. tom. X, pag. 465. — [5] Processu VI, cap. XI (m. XXV), pag. 386 et seq. — [6] Cap. I, hujus tomi pag. 187-188. — [7] Cit. processu VI, cap. XXII (m. XXXIII), pag. 394-394.

libro secundo *de Profectu Religiosorum*, capite LXXII (quod in idem recidere videtur ac caput XV de Processu VII), eosdem quatuor, nec plures, contemplationis gradus recenset quos *Processuum* liber, eisque eadem apponit nomina. Ad gradus vero charitatis quod attinet, observandum videtur allegata loca minime pugnare, siquidem in Processibus, processu VI, cap. XI (quod convenit cum libro secundo *de Profectu Religiosorum*, cap. XXV), agitur de charitate erga Deum, in *formula* autem *aurea de gradibus* virtutum, cap. I, quæstio est de charitate erga proximum. Denique si contuleris, ut verbis Prodromi utar, caput tertium *Formulæ aureæ de gradibus virtutum*, quod est *de gradibus humilitatis* cum *Processu* VI, cap. XXII, seu quod idem est, cum libro secundo *de Profectu Religiosorum*, cap. XXXIII, facile perspicies sub diversis quidem respectibus considerari humilitatis gradus, sed non ideo diversum argui auctorem. Unde infero 1. Opusculum *de septem Processibus Religionis* idem esse ac librum secundum *de Profectu Religiosorum;* 2. cum ex dictis liber secundus *de Profectu Religiosorum*, æque ac primus, Bonaventuræ nostro verisimiliter, ne dicam certo, adscribendus sit, Opusculum *de septem Processibus Religionis*, quod idem est, ad eum pariter pertinere.

B.

Pro vindiciis *Meditationum vitæ Christi.*

OBSERVATIO.

Auctor Ephemeridum Romanarum, vulgo *La Civiltà Cattolica*, dubitare minime videtur de authenticitate *Meditationum vitæ Christi*, quas etiam censet unum ex pulcherrimis opusculis Doctoris Seraphici. Ita enim scribit de ipsis, occasione editionis recens factæ Veronæ[1] Operum asceticorum S. Bonaventuræ, qualia italice prodierunt decimo tertio vel certe quarto sæculo: «Quanto alle Meditazioni di S. Bonaventura, chi vorrà acquistarle ci troverà dentro non solo un'aurea lingua ed una grazia di stile commune in genere a tutte le scritture del buon secolo; ma un'eloquenza che scende al cuore, e una dottrina sublimissima quale si dee aspettare da una delle più belle opere del celebre dottore di S. Chiesa, onore dell'ordine Francescano.» *La Civiltà Cattolica*, an. 1851, vol. VI, pag. 699-700.

C.

Num Doctori Seraphico adscribi deceat *Stimulum Amoris.*

Aliud dubitandi motivum desumi posse videtur ex stylo liberiori quo usus est scriptor. Quis enim Bonaventuræ sane pudicissimo adscribere ausit, verbi gratia, hunc locum, qui est partis primæ, capitis primi[2]: « Qui prius fuerat pro peccatoribus in utero virginali, tunc dignatur me servum suum intra viscera sua comportare. Sed multum timeo, ne veniat partus ejus? » etc. Item hunc alterum, totius scilicet Operis capitis ultimi: « Nonne cor meum, Domina, rapuisti? Et ubi, quæso, posuisti illud, ut ipsum valeam invenire? Numquid in sinu tuo, ne inveniam, collocasti? Numquid inter ubera tua posuisti illud? Fortasse ibi posuisti illud cor meum? » etc. Num ista decent virgineæ castitatis amatorem? Lector ipse judicet.

[1] *Opere ascetiche di S. Bonaventura volgarizzate nel trecento.* Testidi lingua aditi ed inediti per la prima volta raccolti per cura di Bartolomeo Sorio P. D. O. di Verona. Verona, Dionigio Ramanzini 1851. — [2] Huj. tom. pag. 634, col. 1.

SERIES

OPUSCULORUM QUÆ IN DUODECIMO HOCCE TOMO CONTINENTUR

I. Itinerarium mentis in Deum. 1
II. Incendium amoris. 22
III. Amatorium. 38
IV. Lignum vitæ. 67
V. Soliloquium. 85
VI. De sex alis Seraphim. 132
VII. De pugna spirituali contra septem vitia capitalia. 158
VIII. Collatio de contemptu sæculi. 165
IX. Exercitia quædam spiritualia. 169
X. De exercitiis spiritualibus. 171
XI. De regimine animæ ad Blancham Hispaniæ reginam. 180
XII. De septem gradibus contemplationis. 183
XIII. Formula aurea de gradibus virtutum. 187
XIV. Epistola continens viginti quinque memorialia. 202
XV. De perfectione vitæ ad Sorores. 209
XVI. Sermones de decem præceptis. 228
XVII. Expositio Missæ. 257
XVIII. De præparatione ad Missam. 278
XIX. De instructione sacerdotis ad se præparandum ad celebrandam Missam. 288
XX. De institutione Novitiorum, pars prima. 292
XXI. Ejusdem pars secunda, seu viginti passus de virtutibus bonorum religiosorum. . . 305
XXII. Regula Novitiorum. 313
XXIII. Brevis et utilis Doctrina juvenum. 326
XXIV. De profectu Religiosorum, liber primus. 327
XXV. De eodem, liber secundus. 362
XXVI. Speculum Disciplinæ ad Novitios. 443
XXVII. Remedium defectuum Religiosi. 498
XXVIII. Alphabetum Religiosorum incipientium. 501
XXIX. Alphabetum Religiosorum seu Boni Monachi. 502
XXX. De sex alis Cherubim. 504
XXXI. Meditationes vitæ Christi. 509
XXXII. Stimulus amoris 631

S. R. E. CARDINALIS
SANCTI BONAVENTURÆ

EPISCOPI ALBANENSIS, DOCTORIS ECCLESIÆ SERAPHICI

OPUSCULUM

CUI TITULUS EST

ITINERARIUM MENTIS IN DEUM [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Hoc opusculum S. Bonaventuræ, Joannes Gerso Cancellarius Parisiensis, prima parte opusculorum suorum, in epistola de laudibus hujus Sancti Doctoris, tantopere commendat, ut non opusculum, sed opus immensum nominet, cujus laus superior est ore mortalium. Præterea idem Gerso, parte secunda, titulo *de Libro Legis*, inter alia S. Bonaventuræ opuscula, quibus et intellectus illuminatur et inflammatur affectus, *Breviloquium* notat, et *Itinerarium*, tanta arte compendii divinitus composita, ut supra ipsa nihil. Sed omisso Breviloquio, mirabile sane est hujus opusculi artificium, in quo nec rerum multitudo et magnitudo prolixum facit opus, nec operis brevitas multitudinem et magnitudinem rerum premit, quominus copiose tractentur. Nam a creaturis ad creatorem per sex gradus scalares usque ad anagogicos excessus procedens, simulque docens et movens, totius naturalis et supernaturalis doctrinæ documenta non minus breviter complectitur, quam abunde explicat [2].

PROLOGUS

In principio primum Principium a quo cunctæ illuminationes descendunt tanquam [3] *a Patre luminum*, a quo *omne* est *datum optimum, et omne donum perfectum*, Patrem scilicet æternum invoco per Filium ejus Dominum nostrum Jesum Christum, ut intercessione sanctissimæ Virginis Mariæ, genitricis ejusdem Dei et Domini nostri

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495; edit. Ven., an. 1611, tom. II; edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, p. 134; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, p. 130; edit. Ven., an. 1753, tom. V, p. 338. — [2] Summam capitum hujus opusculi, quæ hoc loco in cæteris editionibus legitur, ad calcem tomi pro more nostro remittimus. — [3] *Jac.*, I, 17.

Jesu Christi, et beati Francisci, ducis et patris nostri, det [1] *illuminatos oculos* mentis nostræ, [2] *ad dirigendos pedes nostros in viam pacis* illius, [3] *quæ exuperat omnem sensum* : quam [4] *pacem evangelizavit*, et dedit Dominus noster Jesus Christus, cujus prædicationis repetitor fuit pater noster sanctus Franciscus, in omni sua prædicatione pacem in principio et fine annuntians, in omni salutatione pacem optans, in omni contemplatione ad ecstaticam pacem suspirans, tanquam civis illius Hierusalem, de qua dicit ille vir pacis, qui [5] *cum his qui oderunt pacem erat pacificus* : [6] *Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem.* Sciebat enim quod thronus Salomonis non erat nisi in pace, cum scriptum sit [7] : *In pace factus est locus ejus, et habitatio ejus in Sion.*

S. Bonaventura septimus generalis a B. Francisco.

Cum igitur exemplo beatissimi patris nostri Francisci, hanc pacem anhelo spiritu quærere, ego peccator, qui loco illius beatissimi post ejus transitum septimus generali fratrum ministerio, per omnia indignus succedo, contigit, ut nutu divino, anno post ipsius beati patris transitum trigesimo tertio ad montem Alvernæ tanquam ad locum quietum, amore quærendi pacem spiritus declinarem, ibique existens dum mente tractarem aliquas mentales ascensiones in Deum, inter alia occurrit illud miraculum, quod in prædicto contigit loco ipsi beato Francisco, de visione videlicet Seraph alati instar Crucifixi. In cujus consideratione statim visum est mihi, quod visio illa prætenderet ipsius patris nostri suspensionem in contemplando, et viam, per quam pervenitur ad eam. Nam per senas alas illas recte intelligi possunt sex illuminationum suspensiones, quibus anima quasi quibusdam gradibus et itineribus disponitur, ut transeat ad pacem, per ecstaticos excessus sapientiæ christianæ. Via autem non est nisi per ardentissimum amorem Crucifixi, qui adeo Paulum ad tertium cœlum raptum transformavit in Christum, ut diceret [8] : *Christo confixus sum cruci. Vivo ego, jam non ego; vivit autem in me Christus.* Qui etiam adeo mentem Francisci absorbuit, quod mens in carne patuit, dum sacratissima passionis stigmata in corpore suo ante mortem per biennium deportavit. Effigies igitur sex alarum seraphicarum, insinuat sex illuminationes scalares, quæ a creaturis incipiunt, et perducunt usque ad Deum, ad quem nemo intrat recte nisi per Crucifixum. Nam [9] *qui non intrat per ostium in ovile, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. Si quis* vero per ostium *introierit, ingredietur et egredietur, et pascua inveniet.* Propter quod dicit Joannes in *Apocalypsi* [10] : *Beati, qui lavant vestimenta sua* (*a*) *in sanguine Agni, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, et per portas ingrediantur* (*b*) *civitatem* : quasi diceret, quod per contemplationem ingredi non potest Hierusalem supernam, nisi per sanguinem Agni intret tanquam per portam. Non enim dispositus est aliquo modo ad contemplationes divinas, quæ ad mentales ducunt excessus, nisi cum Daniele [11] sit *vir desideriorum.* Desiderio autem in nobis inflammantur dupliciter, scilicet per clamorem orationis, quæ rugire facit a gemitu cordis, et per fulgorem speculationis, qua mens ad radios lucis directissime et intentissime se convertit. Igitur ad gemitum orationis per Christum crucifixum, per cujus sanguinem purgamur a sordibus vitiorum, primum quidem lectorem invito, ne forte credat, quod sibi sufficiat lectio sine unctione, speculatio sine devotione, investigatio sine admiratione, circumspectio sine exultatione, industria sine pietate, scientia sine charitate, intelligentia sine humilitate, studium absque divina gratia, speculum absque sapientia divinitus inspirata. Præventis igitur divina gratia humilibus et piis, compunctis et devotis, unctis oleo divinæ lætitiæ, et amatoribus divinæ sapientiæ, et

[1] *Ephes.*, I, 18. — [2] *Luc.*, I, 79. — [3] *Philip.*, IV, 7. — [4] *Ephes.*, II, 17. — [5] *Psal.* CXIX, 7. — [6] *Psal.* CXXI, 6. — [7] *Psal.* LXXV, 3. — [8] *Gal.*, II, 19, 20. — [9] *Joan.*, X, 1, 9. — [10] *Apoc.*, XXII, 14. — [11] *Dan.*, IX, 23.

(*a*) Vulg. *stolas suas.*— (*b*) *Intrent in.*

ejus desiderio inflammatis, vacare volentibus ad Deum magnificandum, amandum et etiam degustandum, speculationes subjectas propono, insinuans quod parum aut nihil est speculum exterius propositum, nisi speculum mentis nostræ tersum fuerit et politum. Exerce igitur te, homo Dei, prius ad stimulum conscientiæ remordentem, antequam oculos eleves ad radios sapientiæ in ejus speculo relucentes, ne forte, ex ipsa speculatione radiorum, in graviorem incidas foveam tenebrarum. Placuit autem distinguere tractatum in septem capitula, præmittendo titulos ad faciliorem intelligentiam dicendorum. Rogo igitur, quod magis pensetur intentio scribentis, quam opus; magis dictorum sensus, quam sermo incultus; magis veritas, quam sermonum venustas; magis exercitatio affectus, quam eruditio intellectus. Quod ut fiat, non est harum speculationum progressus perfunctorie transcurrendus; sed morosissime ruminandus.

CAPUT PRIMUM.

De gradibus ascensionis in Deum, et de speculatione ipsius per vestigia ejus in universo.

Beatitudo quid. [1] *Beatus vir cujus est auxilium abs te : ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit.* Cum beatitudo nihil aliud sit, quam summi boni fruitio, et summum bonum sit supra nos; nullus potest effici beatus, nisi supra seipsum ascendat, non ascensu corporali, sed ascensu cordiali. Sed supra nos levari non possumus, nisi per virtutem superiorem nos elevantem. Quantumcumque enim gradus interiores disponantur, nihil fit, nisi divinum auxilium comitetur. Divinum autem auxilium comitatur eos, qui petunt ex corde humiliter et devote : et hoc est ad ipsum suspirare in hac lacrymarum valle : quod fit per ferventem orationem. Oratio igitur mater et origo est sursum actionis in Deum. Ideo Donysius [2] in libro *de Mystica Theologia*, volens nos instruere ad excessus mentales, primo præmittit orationem. Oremus igitur et dicamus ad Dominum Deum nostrum [3] : *Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua : lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.* In hac oratione, orando illuminamur ad cognoscendum divinæ ascensionis gradus. Cum enim, secundum statum conditionis nostræ, ipsa rerum universitas sit scala ad ascendendum in Deum, et in rebus quædam sint vestigium, quædam imago, quædam corporalia, quædam spiritualia, quædam temporalia, quædam æviterna, ac per hoc quædam extra nos, quædam intra nos; ad hoc quod perveniamus ad primum principium considerandum, quod est spiritualissimum, et æternum, et supra nos, oportet nos transire per vestigium, quod est corporale et temporale et extra nos : et hoc est deduci in via Dei. Oportet etiam nos intrare ad mentem nostram, quæ est imago Dei æviterna, et spiritualis, et intra nos : et hoc est ingredi in veritatem Dei. Oportet etiam nos transcendere ad æternum spiritualissimum, et supra nos, aspiciendo ad primum Principium : et hoc est lætari in Dei notitia et reverentia majestatis. Hæc est igitur [4] *via trium dierum in solitudine;* hæc est triplex illuminatio unius diei : et prima est sicut vespera, secunda sicut mane, tertia sicut meridies. Hæc respicit triplicem rerum existentiam, scilicet in materia, in intelligentia, et in arte divina, secundum quam dictum est : *Fiat, Fecit,* et *Factum est.* Hæc etiam respicit triplicem substantiam in Christo, qui est scala nostra, scilicet corporalem, spiritualem et divinam.

Mens nostra vocatur animalitas, spi-

Secundum hunc triplicem progressum, mens nostra tres habet aspectus principales : unus est ad corporalia exteriora, secundum

[1] *Psal.* LXXXIII, 7. — [2] Dionys. Areop., *de Myst. Theolog.*, c. 1. — [3] *Psal.* LXXXV, 11. — [4] *Exod.*, III, 18.

ritus, et mens.

quem vocatur animalitas seu sensualitas; alius intra se et in se, secundum quem dicitur spiritus; tertius est supra se, secundum quem dicitur mens. Ex quibus omnibus disponere se debet ad conscendendum in Deum, ut ipsum diligat ex tota mente, ex toto corde, et ex tota anima : in quo consistit perfecta legis observatio et simul cum hoc sapientia christiana.

Quoniam autem quilibet prædictorum modorum geminatur, secundum quod contingit considerare Deum ut A et Ω; seu in quantum contingit videre Deum in unoquoque prædictorum modorum, ut per speculum, et ut in speculo; seu quia unaquæque istarum considerationum habet commisceri alteri sibi conjunctæ, et habet considerari in sua puritate : hinc est, quod necesse est hos tres gradus principales ascendere ad senarium : ut sicut Deus sex diebus perfecit universum mundum, et in septimo requievit, sic minor mundus sex gradibus illuminationum sibi succedentium ad quietem contemplationis ordinatissime perducatur. In cujus rei figura sex gradibus [1] ascendebatur ad thronum Salomonis; seraphin quæ vidit Isaias [2] senas alas habebant; post sex dies [3] vocavit Deus Moysen de medio caliginis; et Christus post sex dies, ut dicitur in *Matthæo* [4], duxit discipulos in montem, et transfiguratus est ante eos.

Juxta igitur sex gradus ascensionis in Deum, sex sunt gradus potentiarum animæ, per quos ascendimus ab imis ad summa, ab exterioribus ad intima, a temporalibus ad æterna, scilicet sensus, imaginatio, ratio, intellectus, intelligentia, apex mentis, seu synderesis scintilla. Hos gradus habemus in nobis plantatos per naturam, deformatos per culpam, reformatos per gratiam, purgandos per justitiam, exercendos per scientiam, perficiendos per sapientiam. Secundum etiam primam naturæ institutionem, creatus fuit homo habilis ad contemplationis quietem, et ideo *posuit* eum [5] *Deus in paradiso deliciarum* (*a*). Sed avertens se a vero lumine ad commutabile bonum, incurvatus est ipse per culpam propriam, et totum genus suum per originale peccatum, quod dupliciter infecit humanam naturam, scilicet ignorantia mentem, et concupiscentia carnem : ita quod excæcatus homo et incurvatus in tenebris sedet; et cœli lumen non videt, nisi sibi succurrat gratia cum justitia contra concupiscentiam, et scientia cum sapientia contra ignorantiam : quod totum fit per Jesum Christum [6], *qui factus est nobis a Deo sapientia et justitia, et sanctificatio et redemptio.* Qui cum sit Dei virtus et sapientia, cum sit Verbum incarnatum, plenum gratiæ et veritatis, gratiam et veritatem fecit : gratiam scilicet charitatis infudit, quæ cum sit [7] *de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta*, totam animam rectificat, secundum triplicem ipsius aspectum supradictum; scientiam veritatis edocuit secundum triplicem modum theologiæ, scilicet symbolicæ, propriæ, et mysticæ : ut per symbolicam recte utamur sensibilibus, per propriam recte intelligibilibus, per mysticam rapiamur ad supermentales excessus.

Orig nale pe catun huma nam n turan duplic ter inf cit.

Quicumque ergo vult in Deum ascendere, necesse est, ut vitata culpa deformante naturam, naturales potentias supradictas exerceat ad gratiam reformantem, et hoc per orationem; ad justitiam purificantem, et hoc in conversatione; ad scientiam illuminantem, et hoc in meditatione; ad sapientiam perficientem, et hoc in contemplatione. Sicut igitur ad sapientiam nemo venit nisi per gratiam, justitiam et scientiam; sic ad contemplationem nemo venit nisi per meditationem perspicuam, conversationem sanctam, et orationem devotam. Sicut igitur gratia fundamentum est rectitudinis voluntatis, et illustrationis perspicuæ rationis; sic primo orandum est nobis, deinde sancte vi-

Vole ad De ascen re qu præst dum.

[1] III *Reg.*, x, 19. — [2] *Isa.*, vi, 2. — [3] *Exod.*, xxiv, 16. — [4] *Matth.*, xvii, 1. — [5] *Gen.*, ii, 15. — [6] I *Cor.*, i, 30. — [7] I *Tim.*, i, 5.

(*a*) *Vulg.* voluptatis.

vendum, tertio spectaculis veritatis intendendum, et intendendo gradatim ascendendum, quousque veniatur ad montem excelsum, ubi videatur [1] *Deus deorum in Sion.*

Quoniam igitur prius est ascendere, quam descendere in scala Jacob, primum gradum ascensionis collocemus in imo, ponendo totum istum mundum sensibilem nobis tanquam speculum, per quod transeamus ad Deum opificem summum : ut simus veri Hebræi transeuntes de Ægypto ad terram patribus repromissam; simus et Christiani, cum Christo transeuntes ex hoc mundo ad Patrem ; simus et sapientiæ amatores, quæ vocat et dicit [2] : *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis adimplemini.* [3] *A magnitudine* enim *speciei et creaturæ, cognoscibiliter poterit horum creator videri.* Relucet autem Creatoris summa potentia, sapientia et benevolentia in rebus creatis, secundum quod hoc tripliciter nuntiat sensus carnis sensui interiori. Sensus enim carnis aut deservit intellectui rationabiliter investiganti, aut fideliter credenti, aut intellectualiter contemplanti. Contemplans considerat rerum existentiam actualem, credens rerum decursum habitualem, ratiocinans rerum præcellentiam potentialem.

Primo modo aspectus contemplantis, res in se ipsis considerans, videt in eis pondus, numerum et mensuram : pondus, quoad situm ubi inclinantur; numerum, quo distinguuntur; et mensuram, qua limitantur. Ac per hoc videt in eis modum, speciem et ordinem, nec non substantiam, virtutem et operationem : ex quibus consurgere potest, sicut ex vestigio, ad intelligendum potentiam, sapientiam et bonitatem Creatoris immensam.

Secundo modo aspectus fidelis, considerans hunc mundum, attendit originem, decursum et terminum. Nam [4] *fide credimus* (a) *aptata esse sæcula verbo vitæ ;* fide credimus trium legum tempora, scilicet naturæ, scripturæ et gratiæ, sibi succedere, et ordinatissime decurrisse ; fide credimus mundum per finale judicium terminandum fore : in primo potentiam, in secundo providentiam, in tertio justitiam summi Principii advertentes.

Tertio modo aspectus ratiocinantis investigans, videt quædam tantum esse, quædam tantum esse et vivere, quædam vero esse, vivere et discernere; et prima quidem esse minora, secunda media, tertia meliora. Videt iterum quædam tantum esse corporalia ; quædam partim corporalia, partim spiritualia : ex quo advertit aliqua esse mere spiritualia, tanquam utrisque meliora et digniora. Videt nihilominus quædam esse mutabilia et corruptibilia, ut terrestria; quædam mutabilia et incorruptibilia, ut cœlestia : ex quo advertit quædam esse immutabilia et incorruptibilia, ut supercœlestia. Ex his ergo visibilibus consurgit ad considerandum Dei potentiam, sapientiam et bonitatem, ut entem, viventem, et intelligentem, mere spiritualem, et incorruptibilem, et intransmutabilem. Hæc autem consideratio dilatatur secundum septiformem conditionem creaturarum, quæ est divinæ potentiæ, sapientiæ et bonitatis testimonium septiforme, si consideretur cunctarum rerum origo, magnitudo, multitudo, pulchritudo, plenitudo, et operatio, et ordo. Origo namque rerum secundum creationem, distinctionem et ornatum, quantum ad opera sex dierum, divinam prædicat potentiam, cuncta de nihilo producentem; sapientiam cuncta lucide distinguentem, et bonitatem cuncta largiter adornantem. Magnitudo autem rerum, secundum molem longitudinis, latitudinis, et profunditatis, secundum excellentiam virtutis longe lateque et profunde se extendentis, sicut patet in diffusione lucis secundum efficaciam operationis intimæ, continuæ et diffusæ, sicut patet in operatione

[1] *Psal.* LXXXIII, 8. — [2] *Eccli.*, XXIV, 26. — [3] *Sap.*, XIII, 5. — [4] *Hebr.*, XI, 3.

(a) *Vulg.* intelligimus.

ignis, manifeste indicat immensitatem potentiæ, sapientiæ et bonitatis trini Dei, qui in cunctis creaturis per potentiam, præsentiam et essentiam incircumscriptus existit. Multitudo vero rerum, secundum diversitatem generalem, specialem et individualem, in substantia, in forma seu figura, et efficacia ultra omnem humanam æstimationem, manifeste trium prædictarum conditionum in Deo immensitatem insinuat et ostendit. Pulchritudo autem rerum, secundum varietatem luminum, figurarum et colorum, in corporibus simplicibus, mixtis et etiam complexionatis, sicut in corporibus cœlestibus, et mineralibus, sicut lapidibus et metallis, plantis et animalibus, tria prædicta evidenter proclamat. Plenitudo autem rerum, secundum quod materia est plena formis secundum rationes seminales; forma est plena virtute, secundum activam potentiam; virtus est plena effectibus, secundum efficientiam : idipsum manifeste declarat. Operatio multiplex, secundum quod est naturalis, secundum quod est artificialis, secundum quod est moralis, sua multiplicissima varietate ostendit immensitatem illius virtutis, artis et bonitatis, quæ quidem est omnibus causa essendi, ratio intelligendi, et ordo vivendi. Ordo autem secundum rationem durationis, situationis et influentiæ, scilicet per prius et posterius, superius et inferius, nobilius et ignobilius, in libro creaturæ, insinuat manifeste primi Principii primitatem quantum ad infinitatem potentiæ; ordo vero divinarum legum, præceptorum et judiciorum, in libro Scripturæ, immensitatem sapientiæ; ordo autem divinorum sacramentorum, beneficiorum et retributionum, in corpore Ecclesiæ, immensitatem bonitatis: ita quod ipse ordo nos in primum et summum, potentissimum, et sapientissimum, et optimum evidentissime manuducit. Qui igitur tantis rerum creatarum splendoribus non illustratur, cæcus est : qui tantis clamoribus non evigilat, surdus est : qui ex omnibus his effectibus Deum non laudat, mutus est : qui ex tantis indiciis primum Principium non advertit, stultus est.

Aperi ergo oculos, aures spirituales admove, labia tua solve, et cor tuum appone, ut in omnibus creaturis Deum tuum videas, audias, laudes, diligas et colas, magnifices et honores, ne forte contra te universus orbis terrarum consurgat. Nam ob hoc [1] *pugnabit orbis terrarum contra insensatos,* et e contra sensatis erit materia gloriæ, qui secundum Prophetam possunt dicere [2] : *Delectasti me, Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum exultabo.*[3] *Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua.*

CAPUT II.

De speculatione Dei in vestigiis suis in hoc sensibili mundo.

Sed quoniam, circa speculum sensibilium, non solum contingit contemplari Deum per ipsa tanquam per vestigia, verum etiam in ipsis in quantum est in eis per essentiam, potentiam et præsentiam, et hoc considerare est altius quam præcedens; ideo hujusmodi consideratio secundum tenet locum, tanquam secundus contemplationis gradus, quo debemus manu duci ad contemplandum Deum in cunctis creaturis, quæ ad mentem nostram intrant per corporales sensus.

Notandum igitur, quod iste mundus sensibilis, qui dicitur macrocosmus, id est longus mundus, intrat ad animam nostram, quæ dicitur microcosmus, id est, minor mundus, per portas quinque sensuum, secundum ipsorum sensibilium apprehensionem, oblectationem et dijudicationem. Quod patet sic : nam in eo quædam sunt generantia, quædam generata, et quædam regentia hæc et illa. Generantia sunt corpora simplicia, scilicet corpora cœlestia, et quatuor elementa : nam ex elementis, per virtutem lucis reconciliantis contrarietatem

[1] *Sap.*, v, 21. — [2] *Psal.* xci, 5. — [3] *Psal.* ciii, 24.

elementorum in mixtis, habent generari et produci quæcumque generantur et producuntur per operationem virtutis naturalis. Generata vero sunt corpora ex elementis composita, sicut mineralia, vegetabilia, sensibilia, et corpora humana. Regentia hæc et illa sunt substantiæ spirituales, sive omnino conjunctæ, ut sunt animæ brutales, sive conjunctæ separabiliter, ut sunt animæ rationales, sive omnino separatæ, ut sunt spiritus cœlestes, quos philosophi *Intelligentias*, nos *Angelos* appellamus; quibus, secundum philosophos, competit movere corpora cœlestia, ac per hoc eis attribuitur administratio universi, suscipiendo a prima causa, scilicet Deo, virtutis influentiam, quam refundunt secundum opus gubernationis, quod respicit rerum consistentiam naturalem; secundum autem theologos, attribuitur ejusdem regimen universi, secundum imperium summi Dei, quantum ad opera reparationis, secundum quæ dicuntur [1] *administratorii spiritus, missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.*

Homo minor mundus.

Homo igitur, qui dicitur minor mundus, habet quinque sensus quasi quinque portas, per quas intrat cognitio omnium, quæ sunt in mundo sensibili, in animam ipsius. Nam per visum intrant corpora sublimia et luminosa, et cætera colorata; per tactum vero, corpora solida et terrestria; per tres vero sensus intermedios intrant intermedia, ut per gustum aquea, per auditum aerea, per odoratum vaporabilia, quæ aliquid habent de natura humida, aliquid de aerea, aliquid de ignea seu calida, sicut patet in fumo ex aromatibus resoluto. Intrant igitur per has portas tam corpora simplicia, quam etiam composita ex his mixta. Quia vero sensu percipimus non solum hæc sensibilia particularia, quæ sunt lux, sonus, odor, sapor, et quatuor primariæ qualitates, quas apprehendit tactus; verum etiam sensibilia communia, quæ sunt numerus, magnitudo, figura, quies, et motus; et omne quod movetur, ab alio movetur, et quædam seipsis moventur et quiescunt, ut sunt animalia: dum per hos quinque sensus motus corporum apprehendimus, manu ducimur ad cognitionem motorum spiritualium, tanquam per effectum in cognitionem causarum.

Sensibilia particularia, communia.

Intrat igitur, quantum ad tria rerum genera, in animam humanam per apprehensionem totus mundus iste sensibilis. Hæc autem sensibilia exteriora sunt, quæ primo ingrediuntur ad animam per portas quinque sensuum. Intrant, inquam, non per substantias suas, sed per similitudines suas, primo generatas in medio, et de medio in organo exteriori, et de organo exteriori in interiori, et de hoc in potentia apprehensiva: et sic generatio speciei in medio, et de medio in organo, et conversio potentiæ apprehensivæ super illam facit apprehensionem omnium eorum, quæ exterius anima apprehendit.

Delectatio in re conveniente sequitur apprehensionem.

Ad hanc apprehensionem, si sit rei convenientis, sequitur oblectatio. Delectatur autem sensus in objecto per similitudinem abstractam percepto vel ratione speciositatis, sicut in visu; vel ratione suavitatis, sicut in odoratu et auditu; vel ratione salubritatis, sicut in gustu et tactu, appropriate loquendo. Omnis autem delectatio est ratione proportionalitatis. Sed quoniam species tenet rationem formæ, virtutis et operationis, secundum quod habet respectum ad principium a quo manat, ad medium ad quod transit, et ad terminum in quem agit: ideo proportionalitas aut attenditur in similitudine, secundum quod tenet rationem speciei seu formæ, et sic dicitur speciositas, quia pulchritudo nihil est aliud quam æqualitas numerosa, seu quidam partium situs cum coloris suavitate; aut attenditur proportionalitas in quantum tenet rationem potentiæ seu virtutis, et sic dicitur suavitas, cum virtus agens non improportionaliter excedit recipientem, quia sensus tristatur in extremis, et in mediis delectatur; aut at-

Pulchritudo quid.

[1] *Hebr.*, I, 14.

tenditur proportionalitas in quantum tenet rationem efficaciæ et impressionis, (*a*) quæ tunc est proportionalis, quando agens imprimendo replet indigentiam patientis, et hoc est salvare et nutrire ipsum, quod maxime apparet in gustu et tactu. Et sic apparet, quomodo per oblectationem delectabilia exteriora, secundum triplicem rationem delectandi, per similitudinem intrant in animam.

Dijudicatio apprehensionem et delectationem sequitur.

Post hanc apprehensionem et delectationem fit dijudicatio, qua non solum dijudicatur utrum hoc sit album vel nigrum, quia hoc solum pertinet ad sensum exteriorem; non solum utrum sit salubre vel nocivum, quia hoc pertinet ad sensum interiorem; verum etiam qua dijudicatur et ratio redditur, quare hoc delectat. Et in hoc actu inquiritur de ratione delectationis, quæ in sensu percipitur ab objecto. Hoc est autem, cum quæritur ratio pulchri, suavis et salubris, et invenitur quia hæc est proportio æqualitatis. Ratio autem æqualitatis est eadem in magnis et parvis, nec extenditur dimensionibus, nec succedit seu transit cum transeuntibus, nec motibus alteratur. Abstrahit igitur a loco, tempore et motu, ac (*b*) per hoc est incommutabilis, incircumscriptibilis, interminabilis, et omnino spiritualis.

Dijudicatio quid.

Dijudicatio igitur est actio, quæ speciem sensibilem, sensibiliter per sensus acceptam, introire facit, depurando (*c*) et abstrahendo, in potentiam intellectivam. Et sic totus iste mundus introire habet in animam humanam per portas quinque sensuum, secundum tres operationes prædictas.

Hæc autem omnia sunt vestigia, in quibus speculari possumus Deum nostrum. Nam cum species apprehensa sit similitudo in medio genita, et deinde ipsi organo impressa, et per illam impressionem in suum principium, scilicet in objectum cognoscendum deducat, manifeste insinuat, quod illa lux æterna generat ex se similitudinem, seu splendorem coæqualem, consubstantialem et coæternalem; et quod ille qui est imago et similitudo invisibilis Dei, et[1] *splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus,* qui ubique est per primam sui generationem, sicut objectum in toto medio suam generat similitudinem, per gratiam unionis unitur, sicut species corporali organo, individuo rationalis naturæ, ut per illam unionem nos reduceret ad Patrem, sicut ad fontale principium et objectum. Si ergo omnia cognoscibilia habent sui speciem generare, manifeste proclamant, quod in illis, tanquam in speculis, videri potest æterna generatio Verbi, Imaginis et Filii, a Deo Patre æternaliter emanantis.

Secundum hunc modum, species delectans ut speciosa, suavis et salubris, insinuat quod in illa prima specie est prima speciositas, suavitas et salubritas; in qua est summa proportionalitas et æqualitas ad generantem; in qua est virtus, non per phantasma, sed per veritatem apprehensionis illabens; in qua est impressio salvans, et sufficiens, et omnem apprehendentis indigentiam expellens. Si ergo delectatio est conjunctio convenientis cum conveniente, et solius Dei similitudo tenet rationem summe speciosi, suavis et salubris, et unitur secundum veritatem, et secundum intimitatem, et secundum plenitudinem replentem omnem capacitatem: manifeste videri potest, quod in solo Deo est fontalis et vera delectatio, et quod ad ipsam ex omnibus delectationibus manuducimur requirendam.

Delectatio vera in solo Deo.

Excellentiori autem modo et immediatiori, dijudicatio ducit nos in æternam veritatem certius speculandam. Si enim dijudicatio habet fieri per rationem abstrahentem a loco, tempore et mutabilitate, ac per hoc a dimensione, successione et transmutatione, per rationem immutabilem, et incircumscriptibilem, et interminabilem; nihil autem

[1] *Hebr.*, I, 3.

(*a*) *Suppl.* et sic dicitur salubritas. *Ita Ubaghs in hunc loc. Observentur nihilominus decreta S. Sedis, 2 Mart. et 30 Aug.* 1866, *in libros philosophicos ejusdem.* — (*b*) *Cæt. edit.* at.— (*c*) *Al.* deputando, *mendose.*

est omnino immutabile, incircumscriptibile et interminabile, nisi quod est æternum; omne autem quod est æternum, est Deus, vel in Deo : si ergo omnia, quæcumque certius dijudicamus, per hujusmodi rationem dijudicamus, patet quod ipse est ratio omnium rerum, et regula infallibilis, et lux veritatis, in qua cuncta relucent infallibiter, indelebiliter, indubitanter, irrefragabiliter, indijudicabiliter, incommutabiliter, incoarctabiliter, interminabiliter, indivisibiliter et intellectualiter, et ideo leges illæ per quas judicamus certitudinaliter de omnibus sensibilibus in nostram considerationem venientibus, cum sint infallibiles et indubitabiles intellectui apprehendentis, sint indelebiles a memoria recolentis tanquam semper præsentes, sint irrefragabiles et indijudicabiles intellectui judicantis, quia, ut dicit Augustinus [1], nullus de eis judicat, sed per illas : necesse est eas esse incommutabiles et incorruptibiles tanquam necessarias, et incoarctabiles (*a*), tanquam incircumscriptas, et interminabiles tanquam æternas, ac per hoc indivisibiles tanquam intellectuales et incorporeas; non factas, sed increatas, æternaliter existentes in arte æterna, a qua, per quam et secundum quam formantur speciosa omnia vel formosa : et ideo nec certitudinaliter judicari possunt, nisi per illam, quæ non tantum fuit forma cuncta producens, verum etiam cuncta conservans et distinguens, tanquam ens in omnibus formam tenens, et regula dirigens, et per quam dijudicat mens nostra cuncta, quæ per sensus intrant in ipsam.

Hæc autem speculatio dilatatur secundum considerationem septem differentiarum numerorum, quibus, quasi septem gradibus, conscenditur in Deum, secundum quod ostendit Augustinus in libro *de Vera Religione*, et in sexto *Musicæ*, ubi assignat differentias numerorum gradatim conscendentium ab his sensibilibus usque ad opificem omnium, ut in omnibus videatur Deus. Dicit enim numeros esse in corporibus, et maxime in sonis et vocibus, et hos vocat sonantes; numeros ab his abstractos, et in sensibus nostris receptos, et hos vocat occursores; numeros ab anima procedentes in corpus, sicut patet in gesticulationibus et saltationibus, et hos vocat progressores; numeros in delectationibus sensuum, ex (*b*) conversione intentionis super speciem receptam, et hos vocat sensuales; numeros in memoria retentos, et hos vocat memoriales; numeros etiam per quos de his omnibus judicamus, et hos vocat judiciales, qui, ut dictum est, necessario sunt supra mentem, tanquam infallibiles et indijudicabiles. Ab his autem imprimuntur mentibus nostris numeri artificiales, quos tamen inter illos gradus non enumerat Augustinus, quia connexi sunt judicialibus; et ab his manant numeri progressores, ex quibus creantur (*c*) numerosæ formæ artificiatorum, ut a summis per media ordinatus fiat descensus ad infima. Ad hos etiam gradatim ascendamus a numeris sonantibus, mediantibus occursoribus, sensualibus et memorialibus.

Cum ergo omnia sint pulchra, et quodam modo delectabilia, et pulchritudo et delectatio non sint absque proportione, et proportio primo sit in numeris, necesse est omnia esse numerosa : ac per hoc numerus est præcipuum in animo Conditoris exemplar, et in rebus præcipuum vestigium ducens in sapientiam. Quod cum sit omnibus evidentissimum, et Deo propinquissimum, propinquissime quasi per septem differentias ducit in Deum, et facit eum cognosci in cunctis corporalibus, et sensibilibus : dumque numerosa apprehendimus, numerosis proportionibus delectamur, et per numerosarum proportionum leges irrefragabiliter judicamus.

Ex his duobus gradibus primis, quibus manuducimur ad speculandum Deum in vestigiis, quasi ad modum duarum alarum

[1] Aug., *de ver. Relig.*, c. XXXI, n. 58.

(*a*) *Cæt. edit.* incoarctibiles, et. — (*b*) *Al.* et. — (*c*) *Ita Edit. Vat. Al.* causantur.

descendentium circa pedes, colligere possumus, quod omnes creaturæ istius sensibilis mundi, animum contemplantis et sapientis ducunt in Deum æternum, pro eo quod illius primi principii, potentissimi, sapientissimi, optimi, illius æternæ originis, lucis et plenitudinis, illius, inquam, artis efficientis, exemplantis et ordinantis, sunt umbræ, resonantiæ et picturæ, sunt vestigia, simulachra et spectacula nobis ad contuendum Deum proposita, et signa divinitus data. Quæ, inquam, sunt sicut exemplaria, vel potius exempla, proposita mentibus adhuc rudibus et sensibilibus, ut per sensibilia, quæ vident, transferantur ad intelligibilia quæ non vident, tanquam per signa ad signata. Significant autem hujusmodi creaturæ hujus mundi sensibilis invisibilia Dei, partim quia Deus est omnis creaturæ origo, exemplar et finis, et omnis effectus est signum causæ, et exemplatum exemplaris, et via finis ad quem ducit; partim ex propria repræsentatione, partim ex prophetica præfiguratione, partim ex angelica operatione, et partim ex superaddita institutione. Omnis enim creatura ex natura est illius æternæ sapientiæ quædam effigies et similitudo; sed specialiter illa, quæ in libro Scripturæ per spiritum prophetiæ assumpta est ad spiritualium præfigurationem; specialius autem illæ creaturæ, in quarum effigie Deus angelico ministerio voluit apparere; specialissime vero ea, quam voluit ad signandum instituere, quæ tenet non solum rationem signi secundum nomen commune, verum etiam sacramenti. Ex quibus omnibus colligitur, quod [1] *invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*: ita quod qui nolunt ista advertere, et Deum in his omnibus cognoscere, benedicere et amare, inexcusabiles sint, dum nolunt transferri de tenebris in admirabile lumen Dei. Deo autem gratias per Jesum Christum Dominum nostrum, qui nos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, dum per hæc lumina exterius data, ad speculum mentis nostræ, in quo relucent divina, disponimur ad reintrandum.

[1] *Rom.*, I, 20. — [2] I *Cor.*, XIII, 12.

CAPUT III.

De speculatione Dei per suam imaginem, naturalibus potentiis insignitam.

Quoniam autem duo gradus prædicti, ducendo nos in Deum per vestigia sua, per quæ in cunctis creaturis relucet, manuduxerunt nos usque ad hoc, ut ad nos reintraremus, in mentem scilicet nostram, in qua divina relucet imago; hinc est, quod jam tertio loco ad nosmetipsos intrantes, et quasi atrium forinsecus relinquentes, in sanctis, scilicet anteriori parte tabernaculi, conari debemus per speculum videre Deum: ubi ad modum candelabri relucet lux veritatis in facie nostræ mentis, in qua scilicet resplendet imago beatissimæ Trinitatis.

Intra igitur ad te, et vide quoniam mens tua amat ferventissime semetipsam; nec se posset amare, nisi se nosceret; nec se nosceret, nisi sui meminisset, quia nihil capimus per intelligentiam, quod non sit præsens apud nostram memoriam. Et ex hoc advertis animam tuam triplicem habere potentiam, non oculo carnis, sed oculo rationis. Considera igitur harum trium potentiarum operationes et habitudines, et videre poteris Deum per te tanquam per imaginem, quod est videre [2] *per speculum et in ænigmate.*

Operatio autem memoriæ est retentio et repræsentatio non solum præsentium, corporalium et temporalium, verum etiam succedentium, simplicium et sempiternalium. Retinet namque memoria præterita per recordationem, præsentia per susceptionem, futura per prævisionem. Retinet etiam simplicia, sicut principia quantitatum continuarum et discretarum, ut punctum, instans et unitatem, sine quibus impossibile est meminisse aut cogitare ea, quæ principiantur per hæc. Retinet nihilominus scientiarum

Memoriæ operatio.

principia et dignitates, ut sempiternalia, et sempiternaliter, quia nunquam potest sic oblivisci eorum, dummodo ratione utatur, quin ea audita approbet, et eis assentiat, non tanquam de novo percipiat, sed tanquam sibi innata et familiaria recognoscat : sicut patet, si proponatur alicui : « De quolibet affirmatio, vel negatio; » vel : « Omne totum est majus sua parte ; » vel quæcumque alia dignitas cui non est contradicere, admittitur ratione. Ex prima igitur retentione actuali omnium temporalium, præteritorum scilicet, præsentium et futurorum, habet effigiem æternitatis, cujus præsens indivisibile ad omnia tempora se extendit. Ex secunda apparet, quod ipsa non solum habet ab exteriori formari per phantasmata ; verum etiam a superiori, suscipiendo et in se habendo simplices formas, quæ non possunt introire per portas sensuum, et sensibilium phantasias. Ex tertia habetur, quod ipsa habet lucem incommutabilem sibi præsentem, in qua meminit invariabilium veritatum. Et sic per operationes memoriæ apparet, quod ipsa anima est imago Dei et similitudo adeo sibi præsens et eum habens præsentem, quod eum (*a*) actu capit, et per potentiam capax ejus est, et particeps esse potest.

ellec- ope- o.

Operatio autem virtutis intellectivæ est in perceptione intellectus terminorum, propositionum et illationum. Capit autum intellectus terminorum significata, cum comprehendit quid est unumquodque per diffinitionem. Sed diffinitio habet fieri per superiora, et illa per superiora diffiniri habent, usquequo veniatur ad superna (*b*) et generalissima, quibus ignoratis non possunt intelligi diffinitive inferiora. Nisi igitur cognoscatur quid est ens per se, non potest plene sciri diffinitio alicujus specialis substantiæ. Nec ens per se cognosci potest, nisi cognoscatur cum suis conditionibus quæ sunt unum, verum, bonum. Ens autem cum possit cogitari ut diminutum et ut completum, ut imperfectum et ut perfectum, ut ens in potentia et ut ens in actu, ut ens secundum quid et ut ens simpliciter, ut ens in parte et ut ens totaliter, ut ens transiens et ut ens manens, ut ens per aliud (*c*) et ut ens per se, ut ens permixtum non enti et ut ens purum, ut ens dependens et ut ens absolutum, ut ens posterius et ut ens prius, ut ens mutabile et ut ens immutabile, ut ens simplex et ut ens compositum : cum privationes et defectus nullatenus possint cognosci nisi per positiones, non venit intellectus noster ut plene resolvens intellectum alicujus entium creatorum, nisi juvetur ab intellectu entis purissimi, actualissimi, completissimi et absoluti, quod est simpliciter et æternum ens, in quo sunt rationes omnium in sua puritate. Quomodo autem sciret intellectus hoc esse ens defectivum et incompletum, si nullam haberet cognitionem entis absque omni defectu? Et sic de aliis conditionibus prælibatis. Intellectum autem propositionum tunc intellectus noster dicitur veraciter comprehendere, cum certitudinaliter scit illas veras esse : et hoc scire est scire, quoniam non potest falli in illa comprehensione. Scit enim, quod veritas illa non potest aliter se habere. Scit igitur veritatem illam esse incommutabilem. Sed cum ipsa mens nostra sit commutabilis, illam sic incommutabiliter relucentem non potest videre, nisi per aliquam aliam lucem omnino incommutabiliter radiantem, quam impossibile est esse creaturam mutabilem. Scit igitur in illa luce, quæ [1] *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, quæ est *lux vera*, et [2] *Verbum in principio apud Deum*. Intellectum autem illationis tunc veraciter percipit noster intellectus, quando videt quod conclusio necessario sequitur ex præmissis : quod non solum videt in terminis necessariis, verum etiam in contingentibus, ut : « Si homo currit, homo movetur. » Hanc autem necessariam habitudinem percipit non solum in rebus entibus, verum etiam in non entibus. Sicut enim in homine

mul- nodis side- m.

[1] *Joan.*, I, 9. — [2] Ibid., 1.

(*a*) *Al.* Deum. *Ita Ubaghs.* — (*b*) *Al.* suprema. *Ita Ubaghs.*— (*c*) *Cæt. edit.* illud.

existente sequitur: « Si homo currit, homo movetur, » sic etiam (*a*) non existente. Hujusmodi igitur illationis necessitas non venit ab existentia rei in materia, quia est contingens; nec ab existentia rei in anima, quia tunc esset fictio, si non esset in re. Venit igitur ab exemplaritate in arte æterna, secundum quam res habent aptitudinem et habitudinem ad invicem, ad illius æternæ artis repræsentationem. Omnis igitur, ut dicit Augustinus in libro *de Vera Religione* [1], vere ratiocinantis lumen accenditur ab illa veritate, et ad ipsam nititur (*b*) pervenire (*c*). Ex quo manifeste apparet, quod conjunctus sit intellectus noster ipsi æternæ veritati, dum, nisi per illam docentem, nihil verum potest certitudinaliter capere. Videre igitur per te potes veritatem, quæ te docet, si te concupiscentiæ et phantasmata non impediant, et se, tanquam nubes, inter te et veritatis radium non interponant.

Electivæ virtutis operatio.

Operatio autem virtutis electivæ attenditur in consilio, judicio et desiderio. Consilium autem est in inquirendo quid sit melius, hoc an illud : sed melius non dicitur, nisi per accessum ad optimum : accessus autem est secundum majorem assimilationem : nullus igitur scit utrum hoc sit illo melius, nisi sciat illud optimo magis assimilari : nullus autem scit aliquid alii magis assimilari, nisi illud cognoscat. Non enim scio hunc similem esse Petro, nisi sciam vel cognoscam Petrum. Omni igitur consilianti necessario est impressa notitia summi boni. Judicium autem certum de consiliabilibus est per aliquam legem : nullus autem certitudinaliter judicat per legem, nisi certus sit quod illa lex recta sit, et quod ipsam judicare non debet. Sed mens nostra judicat de seipsa : cum igitur non possit judicare de lege per quam judicat, lex illa superior est mente nostra ; et per hanc judicat, secundum quod sibi impressa est. Nihil autem est superius mente humana, nisi solus ille qui fecit eam : igitur, in judicando, deliberativa nostra pertingit ad divinas leges, si plena resolutione dissolvat. Desiderium autem principaliter est ipsius, quod maxime ipsum movet : maxime autem movet, quod maxime amatur : maxime autem amatur esse beatum : beatum autem esse non habetur, nisi per optimum et finem ultimum : nihil autem appetit humanum desiderium, nisi summum bonum, vel quod est ad illud, vel quod habet aliquam effigiem illius. Tanta est vis summi boni, ut nihil nisi per illius desiderium a creatura possit amari : quæ tunc fallitur et errat, cum effigiem et simulachrum pro veritate acceptat.

Sum boni.

Vide ergo quomodo anima Deo est propinqua, et quomodo memoria in æternitatem, intelligentia in veritatem, electiva potentia ducit in bonitatem summam secundum operationes suas. Secundum autem harum potentiarum ordinem, originem et habitudinem, ducit in ipsam beatissimam Trinitatem. Nam ex memoria oritur intelligentia, ut ipsius proles, quia tunc intelligimus, cum similitudo, quæ est in memoria, resultat in acie intellectus : quæ nihil aliud est quam verbum. Ex memoria et intelligentia spiratur amor, tanquam nexus amborum. Hæc tria, scilicet mens generans, verbum, et amor, sunt in anima quoad memoriam, intelligentiam et voluntatem, quæ sunt consubstantiales, coæquales et coævæ, se invicem circumincedentes. Si igitur Deus perfectus est spiritus, habet memoriam, intelligentiam et voluntatem, habet et verbum genitum, et amorem spiratum, qui necessario distinguuntur, cum unus ab altero producatur : non essentialiter, non accidentaliter : ergo personaliter. Dum igitur mens seipsam considerat, per se tanquam per speculum consurgit ad speculandam Trinitatem beatam Patris, Verbi et Amoris, trium personarum coæternarum, coæqualium et consubstantialium, ita quod quilibet trium in

[1] Aug., *de ver. Relig.*, c. XXXIX, n. 72.

(*a*) *Suppl.* in. — (*b*) *Deest* nititur *in edit. Vatic. et Venet.* 1754. — (*c*) *Al.* perveniet.

quolibet est aliorum, unus tamen non est alius : sed ipsi tres sunt unus Deus.

Ad hanc speculationem, quam habet anima de suo principio trino et uno, per trinitatem suarum potentiarum, per quas est imago Dei, juvatur per lumina scientiarum, quæ ipsam perficiunt et informant, et Trinitatem beatissimam tripliciter repræsentant. Nam omnis philosophia, aut est naturalis, aut rationalis, aut moralis. Prima agit de causa essendi, et ideo ducit in potentiam Patris; secunda, de ratione intelligendi, et ideo ducit in sapientiam Verbi; tertia, de ordine vivendi, et ideo ducit in bonitatem Spiritus sancti. Rursus prima dividitur in Metaphysicam, Mathematicam, et Physicam. Et prima est de rerum essentiis; secunda de numeris et figuris; tertia de naturis, virtutibus et operationibus diffusivis. Et ideo prima in primum principium Patrem, secunda in ejus imaginem Filium, tertia ducit in Spiritus sancti donum. Secunda dividitur in Grammaticam, quæ facit potentes ad exprimendum; Logicam, quæ facit perspicaces ad arguendum; Rhetoricam, quæ facit habiles ad persuadendum sive movendum : et hæc similiter insinuat mysterium beatissimæ Trinitatis. Tertia dividitur in Monasticam, Œconomicam, et Politicam : et prima insinuat primi Principii innascibilitatem; secunda, Filii familiaritatem; tertia, Spiritus sancti liberalitatem. Omnes autem istæ scientiæ habent regulas certas et infallibiles, tanquam lumina et radios descendentes a lege æterna in mentem nostram. Et ideo mens nostra tantis splendoribus irradiata et superfusa, nisi sit cæca, manuduci potest per seipsam ad contemplandam illam lucem æternam. Hujus autem lucis irradiatio et consideratio sapientes suspendit in admirationem, et e contra insipientes, qui non credunt ut intelligant, ducit in perturbationem, ut impleatur illud propheticum [1] : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis; turbati sunt omnes insipientes corde.*

Philosophia triplex.

[1] *Psal.* LXXV, 5. — [2] *Joan.*, X, 9.

CAPUT IV.

De speculatione Dei in sua imagine, donis gratuitis reformata.

Sed quoniam non solum per nos transeundo, verum etiam in nobis contingit contemplari primum Principium, et hoc majus est quam præcedens; ideo hic modus considerandi quartum obtinet contemplationis gradum. Mirum autem videtur, cum ostensum sit quod Deus ita propinquus sit mentibus nostris, quod tam paucorum est in seipsis primum Principium speculari. Sed ratio est in promptu, quia mens humana, sollicitudinibus distracta, non intrat ad se per memoriam; phantasmatibus obnubilata, non redit ad se per intelligentiam; concupiscentiis illecta, nequaquam revertitur ad seipsam per desiderium suavitatis internæ et lætitiæ spiritualis. Ideo totaliter in his sensibilibus jacens, non potest ad se tanquam ad Dei imaginem reintrare.

Et quoniam ubi quis ceciderit, necesse habet ibidem recumbere, nisi apponat quis et adjiciat ut resurgat, non potuit anima nostra perfecte ab his sensibilibus relevari ad contuitum sui, et æternæ veritatis in seipsa, nisi veritas, assumpta forma humana in Christo, fieret sibi scala reparans priorem scalam, quæ fracta (*a*) fuerat in Adam. Unde quantumcumque sit illuminatus quis lumine naturæ, et scientiæ acquisitæ, non potest intrare in se, ut in seipso delectetur in Domino, nisi mediante Christo, qui dicit [2] : *Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.* Ad hoc autem ostium non appropinquamus, nisi in ipsum credamus, speremus et amemus. Necesse est igitur, si reintrare volumus ad fruitionem veritatis tanquam ad paradisum, quod ingrediamur per fidem, spem et charitatem mediatoris Dei et hominum Jesu Christi, qui est tanquam lignum vitæ in medio paradisi.

(*a*) *Edit. Vatic. et Ven.* 1754, *habent* facta. *Vid. Ubaghs in hunc loc.*

Tribus virtutibus theologicis supervestienda mens nostra.

Supervestienda est igitur imago mentis nostræ tribus virtutibus theologicis, quibus anima purificatur, illuminatur et perficitur: et sic imago reformatur, reficitur et conformis supernæ Hierusalem efficitur, et pars Ecclesiæ militantis, quæ est proles, secundum Apostolum, Hierusalem cœlestis. Ait enim [1] : *Illa quæ sursum est Hierusalem, libera est : quæ est mater nostra.* Anima igitur credens, sperans et amans Jesum Christum, qui est Verbum Patris incarnatum, increatum et inspiratum, scilicet [2] *via, veritas, et vita :* dum per fidem credit in Christum, tanquam in Verbum increatum, quod est verbum et splendor Patris, recuperat spiritualem auditum et visum : auditum, ad suscipiendum Christi sermones; visum, ad considerandum ipsius lucis splendores. Dum autem spe suspirat ad suscipiendum Verbum inspiratum, per desiderium et affectum recuperat spiritualem olfactum; dum charitate complectitur Verbum incarnatum, ut suscipiens ab ipso delectationem, et ut transiens in illud per ecstaticum amorem, recuperat gustum et tactum. Quibus sensibus recuperatis, dum sponsum suum videt et audit, odoratur, gustat et amplexatur, decantare potest, tanquam sponsa, Canticum Canticorum, quod factum fuit ad exercitium contemplationis secundum hunc quartum gradum, quem nemo capit, nisi qui accipit, quia magis est in experientia affectuali, quam in consideratione rationali. In hoc namque gradu recuperatis sensibus interioribus, ad videndum summe pulchrum, ad audiendum summe harmonicum (*a*), ad odorandum summe odoriferum, ad degustandum summe suave, ad apprehendendum summe delectabile, disponitur anima ad mentales excessus, scilicet per devotionem, admirationem et exultationem, secundum illas tres exclamationes, quæ fiunt in *Canticis Canticorum :* quarum prima fit per superabundantiam devotionis, per quam fit anima sicuti [3] *virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris;* secunda, per excellentiam admirationis, per quam fit anima sicut *aurora, luna* et *sol*, secundum processum illuminationum suspendentium animam ad admirandum Sponsum consideratum; tertia, per superabundantiam exultationis, per quam fit anima suavissimæ delectationis [5] *deliciis affluens, innixa* totaliter *super dilectum suum.* Quibus adeptis, efficitur spiritus noster hierarchicus ad conscendendum sursum, secundum conformitatem ad illam Hierusalem supernam, in quam nemo intrat, nisi prius per gratiam ipsa in cor descendat, sicut vidit Joannes [6] in Apocalypsi sua. Tunc autem in cor descendit, quando per reformationem imaginis, per virtutes theologicas, et per oblectationes spiritualium sensuum, et suspensiones excessuum efficitur spiritus noster hierarchicus, scilicet purgatus, illuminatus et perfectus. Sic etiam gradibus novem ordinum insignitur, dum ordinate in eo interius disponitur nuntiatio, dictatio, ductio, ordinatio, roboratio, imperatio, susceptio, revelatio et unitio, quæ gradatim correspondent novem ordinibus angelorum, ita quod trium primo dictorum gradus respiciunt in mente humana naturam, tres sequentes industriam, et tres postremi gratiam. Quibus habitis, anima, intrando in seipsam, intrat in supernam Hierusalem, ubi ordines angelorum considerans, videt in eis Deum, qui habitans in eis, omnes eorum operatur operationes. Unde dicit Bernardus ad Eugenium [7], quod «Deus (in Seraphin) amat ut charitas, (in Cherubin) novit ut veritas, (in Thronis) sedet ut æquitas, (in Dominationibus) dominatur ut majestas, (in Principatibus) regit ut principium, (in Potestatibus) tuetur ut salus, (in Virtutibus) operatur ut virtus, (in Archangelis) relevat ut lux, (in Angelis) assistit ut pietas.» Ex quibus omnibus videtur [8] *Deus*

[1] *Gal.*, IV, 6. — [2] *Joan.*, XIV, 26. — [3] *Cant.*, III, 6. — [4] Ibid., 9. — [5] Ibid., VIII, 5. — [6] *Apoc.*, XXI, 2. — [7] Bern., *de Consid.*, lib. V, c. V, n. 11, in fin. — [8] I *Cor.*, XV, 28.

(*a*) *Cæt. edit.* harmoniacum.

omnia in omnibus, per contemplationem ipsius, in mentibus in quibus habitat per dona affluentissimæ charitatis.

Sacræ riptu- consi- ratio.

Ad hujus autem speculationis gradum, specialiter et præcipue adminiculatur consideratio sacræ Scripturæ divinitus immissæ, sicut philosophia ad præcedentem. Sacra enim Scriptura principaliter est de operibus reparationis : unde et ipsa præcipue agit de fide, spe et charitate, per quas virtutes habet anima reformari ; et specialissime de charitate, de qua dicit Apostolus [1], quod est *finis præcepti*, secundum quod est *de corde puro, conscientia bona, et fide non ficta*. Ipsa est *plenitudo legis*, ut dicit [2] idem. Et Salvator noster asserit [3], totam legem prophetasque pendere in duobus præceptis ejusdem, scilicet in dilectione Dei et proximi : quæ duo innuuntur in uno Sponso Ecclesiæ, Jesu Christo, qui simul est proximus et Deus, simul frater et Dominus, simul etiam Rex et amicus, simul Verbum increatum et incarnatum, Formator noster et Reformator, A et Ω; qui etiam summus Hierarcha est, purgans, illuminans et perficiens sponsam, scilicet totam Ecclesiam, et quamlibet animam sanctam. De hoc igitur Hierarcha, et ecclesiastica hierarchia, est tota sacra Scriptura, per quam docemur purgari, illuminari et perfici : et hoc secundum triplicem legem in ea traditam, scilicet naturæ, scripturæ et gratiæ, vel potius secundum triplicem partem ejus principalem, scilicet legem mosaicam purgantem, revelationem propheticam illustrantem, et eruditionem evangelicam perficientem : vel potissimum secundum triplicem ejus intelligentiam spiritualem, scilicet tropologicam, quæ purgat ad honestatem vitæ; allegoricam, quæ illuminat ad claritatem intelligentiæ ; et anagogicam, quæ perficit per excessus mentales, et sapientiæ perceptiones suavissimas : secundum tres virtutes prædictas theologicas, et sensus spirituales reformatos, et excessus tres supradictos, et actus mentis hierarchicos, quibus ad interiora regreditur mens nostra, ut ibidem speculetur Deum in splendoribus sanctorum, et in eisdem, tanquam in cubilibus, dormiat in pace et requiescat, Sponso adjurante [4] quod non excitetur, donec de ejus voluntate procedat.

Ex his autem duobus gradibus mediis, per quos ingredimur ad contemplandum Deum intra nos, tanquam in speculis imaginum creatarum, et hoc quasi ad modum alarum expansarum ad volandum, quæ tenebant medium locum, intelligere possumus, quod in divina manuducimur per ipsius animæ rationalis potentias naturaliter insitas, quantum ad earum operationes, habitudines et habitus scientiales, secundum quod apparet ex tertio gradu. Manuducimur etiam per ipsius animæ potentias reformatas, et hoc gratuitis virtutibus, sensibus spiritualibus, et mentalibus excessibus, sicut patet ex quarto. Manuducimur nihilominus per hierarchicas operationes, scilicet purgationis, illuminationis et perfectionis mentium humanarum; per hierarchicas revelationes sacrarum Scripturarum nobis per angelos datarum, secundum illud Apostoli [5], quod *lex data* (*a*) est *per angelos in manu mediatoris*. Et tandem manuducimur per hierarchicas et hierarchicos ordines, qui in mente nostra disponi habent instar supernæ Hierusalem. Quibus omnibus luminibus intellectualibus mens nostra repleta, a divina sapientia, tanquam domus Dei, inhabitatur, effecta Dei filia, sponsa et amica ; effecta Christi capitis membrum, soror, et cohæres; effecta nihilominus Spiritus sancti templum, fundatum per fidem, elevatum per spem, et Deo dicatum per mentis et corporis sanctitatem. Quod totum facit sincerissima charitas Christi, quæ [6] *diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*, sine quo Spiritu scire non possumus secreta Dei. Sicut enim [7] quæ sunt hominis,

[1] I *Tim.*, I, 7. — [2] *Rom.*, XIII, 10. — [3] *Matth.*, XXII, 40. — [4] *Cant.*, II, 7. — [5] *Gal.*, III, 19. — [6] *Rom.*, V, 5. — [7] I *Cor.*, II, 11.

(*a*) *Vulg.* ordinata.

nemo scire potest, nisi spiritus hominis qui est in illo ; ita et quæ sunt Dei, nemo scit nisi Spiritus Dei. In charitate igitur radicemur et fundemur [1], *ut possimus comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo* æternitatis, quæ *latitudo* liberalitatis, quæ *sublimitas* majestatis, et quod *profundum* sapientiæ judicantis.

CAPUT V.

De speculatione divinæ unitatis per ejus nomen primarium, quod est Esse.

Quoniam autem contingit contemplari Deum non solum extra nos et intra nos, verum etiam supra nos : extra nos, per vestigium ; intra nos, per imaginem, et supra nos per lumen, quod est signatum supra mentem nostram, quod est lumen veritatis æternæ, cum ipsa mens nostra immediate ab ipsa veritate formetur : qui exercitati sunt in primo modo intraverunt jam in atrium ante tabernaculum ; qui vero in secundo, intraverunt in sancta ; qui autem in tertio, intrant cum summo Pontifice in sancta sanctorum, ubi supra arcam sunt Cherubin gloriæ, obumbrantia propitiatorium : per quæ intelligimus duos modos, seu gradus contemplandi Dei invisibilia et æterna, quorum unus versatur circa Dei essentialia, alius vero circa propria personarum. Primus modus primo et principaliter defigit aspectum in ipsum esse, dicens quod *Qui est*, est primum nomen Dei. Secundus modus defigit aspectum in ipsum *Bonum*, dicens hoc esse primum nomen Dei. Primum spectat potissime ad Vetus Testamentum, quod maxime prædicat divinæ essentiæ unitatem ; unde dictum est Moysi [2] : *Ego sum, qui sum*. Secundum, ad Novum, quod determinat personarum pluralitatem, baptizando [3] *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Ideo magister noster Christus, volens adolescentem, qui servaverat legem, ad evangelicam levare perfectionem, nomen bonitatis Deo principaliter et præcise attribuit [4] : *Nemo*, inquit, *bonus, nisi solus Deus*. Damascenus igitur, sequens Moysen, dicit [5], quod *Qui est* est primum nomen Dei. Dionysius, sequens Christum, dicit [6], quod *Bonum* est primum nomen Dei.

Volens igitur contemplari Dei invisibilia quoad essentiæ unitatem, primo defigat aspectum in ipsum esse : et videat ipsum esse adeo in se certissimum, quod non potest cogitari non esse ; quia ipsum est purissimum, non occurrit nisi in plena fuga non esse, sicut et nihil in plena fuga esse. Sicut igitur omnino nihil nihil habet de esse, nec de ejus conditionibus ; sic e contra, ipsum esse nihil habet de non esse, nec actu, nec potentia, nec secundum veritatem rei, nec secundum æstimationem nostram. Cum autem non esse privatio sit essendi, non cadit in intellectum nisi per esse : esse autem non cadit per aliud, quia omne quod intelligitur, aut intelligitur ut non ens, aut ut ens in potentia, aut ut ens in actu. Si igitur non ens non potest intelligi nisi per ens, et ens in potentia non nisi per ens in actu, et esse nominat ipsum purum actum entis : esse igitur est quod primo cadit in intellectu, et illud esse est quod est purus actus. Sed hoc non est esse particulare, quod est esse arctatum, quia permixtum est cum potentia ; nec esse analogum, quia minime habet de actu, eo quod minime est : restat igitur quod illud esse est Esse divinum. Mira igitur est cæcitas intellectus, qui non considerat illud quod prius videt, et sine quo nihil potest cognoscere. Sed sicuti oculus intentus in varias colorum differentias, lucem, per quam videt cætera, non videt, et si videt, non tamen advertit : sic oculus mentis nostræ intentus in ista entia particularia et universalia, ipsum esse extra omne genus, licet primo occurrat menti, et per ipsum alia, tamen non advertit. Unde ve-

[1] *Ephes.*, III, 18. — [2] *Exod.*, III, 14. — [3] *Matth.*, XXVIII, 19. — [4] *Marc.*, X, 18. — [5] Damasc., *de Fid. Orthod.*, lib. I, c. XII. — [6] Dion., *de Div. Nom.*, c. IV.

rissime apparet, quod sicut oculus vespertilionis se habet ad lucem, ita se habet oculus mentis nostræ ad manifestissima naturæ : quia assuefactus [1] ad tenebras entium et phantasmata sensibilium, cum ipsam lucem summi esse intuetur, videtur sibi nihil videre : non intelligens, quod ipsa caligo summa est mentis nostræ illuminatio, sicut quando videt oculus puram lucem, videtur sibi nihil videre.

Vide igitur ipsum purissimum esse, si potes, et occurret tibi, quod ipsum non potest cogitari, ut ab alio acceptum : ac per hoc necessario cogitatur, ut omnimode primum, quod nec de nihilo, nec ab alio potest esse : quid enim est per se, si ipsum esse non est per se (*a*) a se? Occurret etiam tibi ut carens omnino non esse, ac per hoc ut nunquam incipiens, nunquam desinens, sed æternum. Occurret etiam tibi ut nullo modo in se habens nisi quod est ipsum esse, ac per hoc ut cum nullo compositum, sed simplicissimum. Occurret etiam ut nihil habens possibilitatis, quia omne possibile aliquo modo habet aliquid de non esse ; ac per hoc, ut summe actualissimum. Occurret ut nihil habens defectibilitatis, ac per hoc, ut perfectissimum. Occurret postremo ut nihil habens diversificationis, ac per hoc, ut summe unum.

Esse igitur quod est esse purum, et esse simpliciter, et esse absolutum, est esse primarium, æternum, simplicissimum, actualissimum, perfectissimum, et summe unum. Et sunt hæc ita certa, quod non potest ab intelligente ipsum esse cogitari horum oppositum, et unum horum necessario infert aliud. Nam quia simpliciter est esse, ideo simpliciter primum : quia simpliciter primum, ideo non est ab alio factum : nec a seipso potuit : ergo æternum. Item, quia primum et æternum, ideo non ex aliis : ergo simplicissimum. Item quia primum æternum et simplicissimum, ideo nihil est in eo possibilitatis cum actu permixtum, et ideo actualissimum. Quia primum, æternum, simplicissimum, actualissimum, ideo perfectissimum. Tali omnino nihil deficit, nec aliqua potest fieri additio. Quia primum, æternum, simplicissimum, actualissimum, perfectissimum, ideo summe unum. Quod enim per omnimodam superabundantiam dicitur, dicitur respectu omnium. Quod etiam simpliciter per superabundantiam dicitur, impossibile est ut conveniat nisi uni soli. Unde si *Deus* nominat esse primarium, æternum, simplicissimum, actualissimum, perfectissimum, impossibile est ipsum cogitari non esse, nec esse nisi unum solum : *Audi* igitur [2], *Israel, Deus tuus, Deus unus est.* Si hæc vides in pura mentis simplicitate, aliqualiter perfunderis æternæ lucis illustratione. Sed habes unde subleveris in admirationem. Nam ipsum esse est primum et novissimum, est æternum et præsentissimum, est simplicissimum et maximum, est actualissimum et immutabilissimum, est perfectissimum et immensum; est summe unum, et tamen omnimodum. Si hæc pura mente miraris, majore luce perfunderis, dum ulterius vides, quia ideo est novissimum, quia primum. Quia enim est primum, omnia operatur propter seipsum : et ideo necesse est, quod sit finis ultimus, initium et consummatio, α et ω. Ideo est præsentissimum, quia æternum. Quia enim æternum non finitur ab alio, nec deficit a seipso, nec decurrit ab uno in aliud, ergo nec habet præteritum, nec futurum, sed esse præsens tantum. Ideo maximum, quia simplicissimum; quia enim simplicissimum in essentia, ideo maximum in virtute : quia virtus quanto plus est unita, tanto plus est infinita. Ideo immutabilissimum, quia actualissimum : quia enim actualissimum est, ideo est actus purus. Et quod tale est, nihil novi acquirit, nihil habitum perdit, ac per hoc non potest mutari. Ideo immensum, quia perfectissimum : quia enim perfectissimum, ideo nihil potest cogitari ultra ipsum

Deus præsens est omnibus.

Deus immutabilis.

[1] Arist., *Metaph.*, lib. II, c. 1. — [2] *Deut.*, VI, 5.

(*a*) *Leg.* per se non est.

melius, nobilius, nec dignius, ac per hoc nihil majus : et omne tale est immensum. Ideo omnimodum, quia summe unum : quia enim summe unum, ideo est omnis multitudinis universale principium, ac per hoc ipsum est universalis omnium causa efficiens, exemplans et terminans, sicut causa essendi, ratio intelligendi, et ordo vivendi. Est igitur omnimodum, non sicut omnium essentia, sed sicut cunctarum essentiarum superexcellentissima, et universalissima, et sufficientissima causa. Cujus virtus, quia summe unita in essentia, ideo summe infinitissima, et multiplicissima in efficacia.

Deus causa omnium.

Rursus revertentes dicamus : quia igitur esse purissimum et absolutum, quod est simpliciter esse, est primarium et novissimum, ideo est omnium origo, et finis consummans. Quia æternum et præsentissimum, ideo omnes durationes ambit et intrat, quasi simul existens earum centrum et circumferentia. Quia simplicissimum et maximum, ideo totum intra omnia, et totum extra omnia, ac per hoc est sphæra intelligibilis, cujus centrum est ubique, et circumferentia nusquam. Quia actualissimum et immutabilissimum, ideo, stabile manens, moveri dat universa. Quia perfectissimum et immensum, ideo est intra omnia, non inclusum; extra omnia, non exclusum; supra omnia, non elatum; infra omnia, non prostratum. Quia vero est summe unum et omnimodum, ideo est omnia in omnibus : quamvis omnia sint multa, et ipsum non sit nisi unum : et hoc, quia per simplicissimam unitatem, serenissimam veritatem, et sincerissimam bonitatem, est in eo omnis virtuositas, omnis exemplaritas, et omnis communicabilitas, ac per hoc [1] *ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Et hoc, quia omnipotens, omnisciens, et omnimode bonum, quod perfecte videre est esse beatum, sicut dictum est Moysi [2] : *Ego ostendam tibi omne bonum.*

Deus est sphæra, cujus centrum est ubique, et circumferentia nusquam.

[1] *Rom.*, XI, 36. — [2] *Exod.*, XXXIII, 19.

(*a*) *Cæt. edit.* qui.

CAPUT VI.

De speculatione beatissimæ Trinitatis in ejus nomine quod est Bonum.

Post considerationem essentialium, elevandus est oculus intelligentiæ ad contuitionem beatissimæ Trinitatis, ut alter Cherub juxta alterum statuatur. Sicut autem visionis essentialium, ipsum *Esse* est principium radicale, et nomen per quod cætera innotescunt ; sic contemplationis emanationum, ipsum *Bonum* est principalissimum fundamentum. Vide igitur, et attende, quoniam optimum quod simpliciter est, quo nihil melius cogitari potest : et hoc tale sic est, quod non potest cogitari non esse, quia omnino melius est esse quam non esse ; sic est, quod non potest recte cogitari, quin cogitetur trinum et unum. Nam bonum dicitur diffusivum sui : summum igitur bonum summe diffusivum est sui. Summa autem diffusio non potest esse, nisi sit actualis et intrinseca, substantialis et hypostatica, naturalis et voluntaria, liberalis et necessaria, indeficiens et perfecta. Nisi igitur in summo bono æternaliter esset productio actualis, et consubstantialis, et hypostaticalis æque nobilis, sicut est producens per modum generationis et spirationis, ita quod sit æternalis principii æternaliter comprincipiantis, ita quod esset dilectus et condilectus, genitus scilicet, et spiritus, hoc est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, nequaquam esset summum bonum, quia non summe se diffunderet. Nam diffusio ex tempore in creatura, non est nisi centralis, vel punctalis, respectu immensitatis bonitatis æternæ. Unde et non potest aliqua diffusio cogitari major illa, ea videlicet in qua diffundens communicat alteri totam substantiam et naturam. Non igitur summum bonum esset, si, re vel intellectu, illa carere posset. Si igitur potes mentis oculo contueri puritatem bonitatis, quæ est actus purus principii charitative diligentis amore gratuito, et debito, et ex utroque permixto ; quæ (*a*) est diffusio plenissima per modum natu-

Summum bonum cogitari non potest sine emanatione personarum.

ræ et voluntatis; quæ est diffusio per modum verbi in quo omnia dicuntur, et per modum doni in quo cætera dona donantur : potes videre, propter (a) summam boni communicabilitatem, necesse esse Trinitatem Patris, et Filii, et Spriritus sancti. In quibus necesse est, propter summam bonitatem, esse summam communicabilitatem, et ex summa communicabilitate summam consubstantialitatem, et ex summa consubstantialitate summam configuralitatem, et ex his summam coæqualitatem, ac per hoc summam coæternitatem, atque ex omnibus prædictis summam cointimitatem, qua unus est in altero necessario per summam circumincessionem, et unus operatur cum alio per omnimodam indivisionem substantiæ, et virtutis, et operationis, ipsius beatissimæ Trinitatis.

Sed cum hæc contemplaris, vide ne te existimes comprehendere incomprehensibilem: habes enim adhuc in his sex conditionibus considerare, quod vehementer in stuporem admirationis inducit oculum mentis nostræ. Nam ibi est summa communicabilitas cum personarum proprietate, summa consubstantialitas cum hypostaseon pluralitate, summa configuralitas cum discreta personalitate, summa coæqualitas cum ordine, summa coæternitas cum emanatione, summa cointimitas cum emissione. Quis, ad tantorum mirabilium aspectum, non consurgat in admirationem? Sed hæc omnia certissime intelligimus esse in beatissima Trinitate, si levamus oculos ad superexcellentissimam bonitatem. Si enim ibi est summa communicatio et vera diffusio, vera est ibi origo et vera distinctio. Et quia totum communicatur, non pars, idem ipsum datur quod habetur, et totum. Igitur emanans et producens, et distinguuntur proprietatibus, et sunt essentialiter unum. Quia igitur distinguuntur proprietatibus, ideo habent personarum proprietates, et hypostaseon pluralitatem, et originis emanationem, et ordinem non posterioritatis, sed originis, et emissionem non localis mutationis, sed gratuitæ inspirationis, per rationem auctoritatis producentis, quam habet mittens respectu missi. Quia vero sunt unum substantialiter, ideo oportet quod sit unitas in essentia, et forma, et dignitate, et æternitate, et existentia, et incircumscriptibilitate. Dum ergo hæc per se sigillatim consideras, habes unde veritatem contempleris; dum hæc ad invicem confers, habes unde in admirationem altissimam suspendaris. Et ideo, ut mens tua per admirationem in admirabilem ascendat contemplationem, hæc simul sunt consideranda. Nam et Cherubim hoc designant, quæ [1] se mutuo aspiciebant. Nec hoc vacat a mysterio, quod respiciebant se versis vultibus in propitiatorium, ut verificetur illud quod dicit Dominus in *Joanne* [2] : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Nam admirari debemus non solum conditiones Dei essentiales, et personales in se, verum etiam per comparationem ad supermirabilem unionem Dei et hominis in unitate personæ Christi.

Si enim Cherub es, essentialia Dei contemplando, et miraris quia simul est divinum esse primum et novissimum, æternum et præsentissimum, simplicissimum et maximum seu incircumscriptum; totum ubique, et nusquam comprehensum; actualissimum, et nunquam motum; perfectissimum, et nihil habens superfluum, nec diminutum; et tamen immensum, et sine termino infinitum; summe unum, et tamen omnimodum; ut omnia in se habens, ut omnis virtus, ut omnis veritas, ut omne bonum: respice ad propitiatorium, et mirare, quod in ipso principium primum junctum est cum postremo, Deus cum homine sexto die formato, æternum junctum est cum homine temporali in plenitudine temporum de Virgine nato, simplicissimum cum summo composito, actualissimum cum summe passo et mortuo, perfectissimum et immensum cum modico, summe unum et omnimodum cum individuo composito, et

Multa mirabilia in unione duarum naturarum in Christo.

[1] *Exod.*, XXV, 20. — [2] *Joan.*, XVII, 3.

(a) *Cæt. edit.* per.

a cæteris distincto homine, scilicet Jesu Christo.

Si autem alter Cherub es, personarum propria contemplando, et miraris communicabilitatem esse cum proprietate, et consubstantialitatem cum pluralitate, configurabilitatem cum personalitate, coæqualitatem cum ordine, æternitatem cum productione, cointimitatem cum emissione, quia Filius missus est a Patre, et Spiritus sanctus ab utroque; qui tamen semper est cum eis, et nunquam recedit ab eis: respice in propitiatorium, et mirare, quia in Christo stat personalis unio cum trinitate substantiarum, et naturarum dualitate; stat omnimoda consensio cum pluralitate voluntatum; stat Dei et hominis comprædicatio cum pluralitate proprietatum; stat coadoratio cum pluralitate nobilitatum; stat coexaltatio super omnia cum pluralitate dignitatum; stat condominatio cum pluralitate potestatum. In hac autem consideratione est perfectio illuminationis mentis, dum quasi in sexta die videt hominem factum ad imaginem Dei. Si enim imago est similitudo expressiva, dum mens nostra contemplatur in Christo Filio Dei (qui est imago Dei invisibilis per naturam) humanitatem nostram tam mirabiliter exaltatam, tam ineffabiliter unitam: vivendo simul in unum primum et ultimum, summum et imum, circumferentiam et centrum, α et ω, causatum et causam, Creatorem et creaturam, librum scilicet scriptum intus et extra, jam pervenit ad quamdam rem perfectam, ut (*a*) cum Deo ad perfectionem suarum illuminationum, in sexto gradu quasi in sexta die perveniat; nec aliquid jam amplius restet nisi dies requiei, in qua per mentis excessum requiescat humanæ mentis perspicacitas ab omni opere quod patrarat.

CAPUT VII.

De excessu mentali et mystico, in quo requies datur intellectui, affectu totaliter in Deum per excessum transeunte.

His igitur sex considerationibus excursis, tanquam sex gradibus throni veri Salomonis, quibus pervenitur ad pacem, ubi verus Pacificus in mente pacifica, tanquam in interiori Hierosolyma, requiescit, tanquam etiam sex alis Cherub, quibus mens veri contemplativi, plena illustratione supernæ sapientiæ, valeat sursum agi; tanquam etiam sex diebus primis, in quibus mens exercitari habet, ut tandem perveniat ad sabbatismum quietis: postquam mens nostra contuita est Deum extra se per vestigia, et in vestigiis; intra se per imaginem, et in imagine; supra se per divinæ lucis similitudinem super nos relucentem, et in ipsa luce, secundum quod possibile est secundum statum viæ, et exercitium mentis nostræ: cum tandem in sexto gradu ad hoc pervenerit, ut speculetur in principio primo et summo, et mediatore Dei et hominum Jesu Christo, ea quorum similia in creaturis nullatenus reperiri possunt, et quæ omnem perspicacitatem humani intellectus excedunt: restat ut hæc speculando transcendat, et transeat non solum mundum istum sensibilem, verum etiam semetipsam: in quo transitu Christus est via et ostium, Christus est scala et vehiculum, tanquam propitiatorium super arcam Dei collocatum, et sacramentum a sæculis absconditum. Ad quod propitiatorium qui aspicit plena conversione vultus, aspiciendo ad eum, in cruce suspensum, per fidem, spem et charitatem, devotionem, admirationem, exultationem, appretiationem, laudem et jubilationem: pascha, hoc est transitum, cum eo facit, ut per virgam crucis transeat mare Rubrum, ab Ægypto intrans desertum, ubi gustet manna absconditum; et cum Christo requiescat in tumulo, quasi exterius mortuus, sentiens tamen, quantum possibile est secundum statum viæ, quod in cruce dictum est latroni cohærenti Christo [1]: *Hodie mecum eris in paradiso.* Quod etiam osten-

[1] *Luc.*, XXIII, 43.

(*a*) *Deest* ut *in edit. Lugd. et Ven.* 1754, *sed reperitur in plerisque aliis edit.*

B. Francisco in excessu contemplationis apparuit Seraph.

sum est beato Francisco, cum in excessu contemplationis in monte excelso (ubi hæc, quæ scripta sunt, mente tractavi) apparuit Seraph sex alarum in cruce confixus, ut ibidem a socio ejus (qui tunc cum eo fuit) ego et plures alii audivimus : ubi in Deum transiit per contemplationis excessum : et positus est in exemplum perfectæ contemplationis, sicut prius fuerat actionis, tanquam alter Jacob mutatus in Israel, ut omnes viros vere spirituales Deus per eum invitaret ad hujusmodi transitum et mentis excessum, magis exemplo, quam verbo. In hoc autem transitu, si sit perfectus, oportet quod relinquantur omnes intellectuales operationes, et apex affectus totus transferatur et transformetur in Deum. Hoc autem est mysticum et secretissimum, quod nemo novit, nisi qui accipit; nec accipit, nisi qui desiderat; nec desiderat, nisi quem ignis Spiritus sancti medullitus inflammat, quem Christus misit in terram. Et ideo dicit Apostolus [1], hanc mysticam sapientiam esse per Spiritum sanctum revelatam. Quoniam igitur ad hoc nil potest natura, modicum potest industria : parum est dandum inquisitioni, et multum unctioni; parum dandum est linguæ, et plurimum internæ lætitiæ; parum dandum est verbo et scripto, et totum Dei dono, scilicet Spiritui sancto; parum aut nihil dandum est creaturæ, et totum creatrici essentiæ, Patri, et Filio, et Spiritui sancto, dicendo cum Dionysio ad Deum Trinitatem [2] : « Trinitas superessentialis, et superdeus, et superoptime Christianorum inspector theosophiæ, dirige nos in mysticorum eloquiorum superincognitum, et superlucentem, et supersublimissimum verticem, ubi nova, et absoluta, et inconversibilia, et incommutabilia theologiæ mysteria, secundum superlucentem absconditam occulte docentis silentii caliginem, in obscurissimo, quod est supermanifestissimum, supersplendentem, et in qua omne relucet, et invisibilium superbeatorum splendoribus superimplentem invisibiles intellectus. » Hoc ad Deum. Ad amicum autem, cui hæc scribuntur, dicatur cum eodem : « Tu autem, o amice, circa mysticas visiones corroborato itinere, et sensus desere, et intellectuales operationes, et sensibilia, et invisibilia, et omne non ens, et ens; et ad unitatem (ut possibile est) inscius restituere ipsius, qui est super omnem essentiam et scientiam. Etenim te ipso, et omnibus immensurabili, et absoluto puræ mentis excessu, ad superessentialem divinarum tenebrarum radium, omnia deserens, et ab omnibus absolutus ascendes. » Si autem quæris quomodo hæc fiant, interroga gratiam, non doctrinam; desiderium, non intellectum; gemitum orationis, non studium lectionis; sponsum, non magistrum; Deum, non hominem; caliginem, non claritatem; non lucem, sed ignem totaliter inflammantem, et in Deum excessivis unctionibus (*a*) et ardentissimis affectionibus transferentem. Qui quidem ignis Deus est, et hujus caminus est in Hierusalem; et Christus homo hunc accendit in fervore suæ ardentissimæ passionis, quem solus ille vere percipit, qui dicit [3] : *Suspendium elegit anima mea, et mortem ossa mea.* Quam mortem qui diligit, videre potest Deum, quia indubitanter verum est [4] : *Non videbit me homo, et vivet.* Moriamur ergo, et ingrediamur in caliginem, imponamus silentium sollicitudinibus, concupiscentiis et phantasmatibus, transeamus cum Christo crucifixo ex hoc mundo ad Patrem, ut ostenso nobis Patre, dicamus cum Philippo [5] : *Sufficit nobis;* audiamus cum Paulo [6] : *Sufficit tibi gratia mea;* exultemus cum David, dicentes [7] : *Defecit caro mea, et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.* [8] *Benedictus Dominus in æternum,* [9] *et dicat* (*b*) *omnis populus : Fiat, fiat.*

[1] I *Cor.*, II, 10. — [2] Dion., *de Myst. Theol.*, c. I. — [3] *Job*, VII, 15. — [4] *Exod.*, XXXIII, 20. — [5] *Joan.*, XIV, 8. — [6] II *Cor.*, XII, 9. — [7] *Psal.* LXXII, 26. — [8] *Psal.* LXXXVIII, 53. — [9] *Psal.* CV, 48.

(*a*) *Forsan legendum* ustionibus. — (*b*) *Vulg.* dicet.

INCENDIUM AMORIS [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Multis nominibus reperitur inscriptus liber hic in hactenus impressis. Nam *Parvum bonum*, *Regimen conscientiæ*, *Itinerarium in seipsum*, *Fons vitæ*, vel *Incendium amoris* appellari, Opuscula S. Bonaventuræ Venetiis ultimo edita testantur. Trithemius autem *Regimen conscientiæ, id est*, *Parvum bonum* inscribit, ejusque principium esse ait : *Ecce descripsi eam tibi*, et inter Opuscula S. Bonaventuræ connumerat. Libuit autem magis in hac Vaticana editione *Incendium amoris* inscribere, ne confingeretur titulus alius ab eo, quem Auctor ipse libro suo tribuit. In fine enim prologi sequentis ita ait : « Istius libri titulus Incendium amoris dicatur. » Ex quibus verbis satis constat, quæ sit legitima hujus Opusculi inscriptio. Intentionem vero suam in Prologo itidem Auctor manifestat. Si quis vero seipsum cognoscere, et vitam secundum Deum instituere desiderat, hunc tractatum studeat memoria retinere, et opere exercere [2].

PROLOGUS

Evigilans vero, animam meam, tanquam frigiditate tenebratam, calescere (*a*) conor, quam in devotione desertam (*b*) scio incendi, et ingenti nimirum desiderio super terrigenas elevari. Non enim in otio advenit mihi affluentia amoris æterni, neque dum corporaliter fueram nimis aggravatus, et fatigatus præ itinere, ardorem ipsum spiritualem potui sentire, aut etiam immoderate occupatus solatiis (*c*), vel ut cuidam ultimæ dispositioni deditus : imo me in talibus refrigescere deprehendi, donec iterum postpositis omnibus, quibus exterius possem detineri, solummodo Salvatoris aspectibus assistere contenderem, in internisque odoribus immorare (*d*). Istum ergo librum offero intuendum non philosophis, non mundi sapientibus, non magnis theologis infinitis quæstionibus implicatis, sed rudibus et indoctis, magis Deum diligere, quam multa scire conantibus. Non enim disputando, sed agendo scietur ars amandi. Arbitror autem ea, quæ hic continentur, ab istis quæstionariis, et in omni scientia summis, sed in amore Christi inferioribus, non posse intelligi. Unde nec eis scribere decrevi, nisi postpositis et oblitis cunctis quæ ad mundum pertinent, solis (*e*) Conditoris inardescant desideriis mancipati (*f*). Primo quidem, ut omnem terrenam dignitatem fugiant, omnem ostentationem scientiæ, et vanam gloriam odiant; ac demum paupertati altis-

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, part. II, 20; edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, 197; edit. Venet., an. 1611, tom. II, 26; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, 191 ; edit. Venet., an. 1754, tom. V, 359. — [2] Indicem capitum hujus Opusculi huic loco in cæteris editionibus appositum, ad calcem tomi potius remittendum censuimus.

(*a*) *Leg.* calefacere. — (*b*) in deserto devotione. — (*c*) studiis.— (*d*) immorari.— (*e*) solius.— (*f*) mancipari.

simæ se conformantes, orando et meditando, divinæ dilectioni jugiter assistant (*a*). Sic (*b*) nimirum apparebit eis interius igniculus quidam virtutis increatæ, et componens cor eorum ad capiendum calorem, quo cuncta caligo consumetur, elevabit eos in ardorem amabilem et amœnissimum, ut temporalia transcendant, et thronum teneant in termino tranquillitatis. Quo enim scientiores sunt, eo aptiores sunt, vel essent ad amandum, si vere spernerent seipsos, et ab aliis sperni gauderent. Proinde, quia hic universos excito ad amorem amorisque superfervidum ac supernaturalem affectum, utrumque ostendere conabor. Istius libri titulus *Incendium Amoris* dicatur.

CAPUT PRIMUM.

De triplici modo se exercendi circa triplicem viam sapientiæ, et primo de meditatione.

Ecce descripsi eam tibi tripliciter, ait Sapiens [1]. Cum omnis scientia debeat gerere Trinitatis insigne, præcipue illa scientia, quæ in sacra Scriptura docetur, debet in se repræsentare vestigium Trinitatis. Propter hoc Sapiens eam tibi tripliciter descripsisse dicit, propter triplicem ipsius intellectum spiritualem, moralem scilicet, allegoricum, et anagogicum. Hic autem triplex intellectus respondet triplici actui hierarchico, scilicet purgationi, illuminationi, et perfectioni. Purgatio autem ad pacem ducit, illuminatio ad veritatem, perfectio ad charitatem. Quibus perfecte adeptis, anima beatificatur, et secundum hoc quod circa hæc versatur, suscipit meriti incrementum. In horum igitur trium cognitione, dependet scientia totius theologiæ, et meritum vitæ æternæ.

Sciendum ergo est, quod triplex est modus exercendi se circa hanc triplicem viam, scilicet legendo, meditando, et orando (*c*) : lectio est diffusior, meditatio est brevior, oratio est compendiosior. Lectio enim hujus triplicis viæ totam continet sacram Scripturam, imo fere omnem sanam doctrinam, sicut ostensum est supra [2], in tractatu *de Reductione omnium artium ad Theologiam*. Primo meditationis formam breviter libeat intueri. Sciendum ergo, quod tria sunt in nobis, secundum quorum usum in hac triplici via exercemur, scilicet stimulus conscientiæ, radius intelligentiæ, et igniculus sapientiæ. Si ergo vis purgari, verte te ad conscientiæ stimulum; si illuminari, ad intelligentiæ radium : si perfici, ad sapientiæ igniculum, secundum consilium beati Dionysii *ad Titum*, ubi eum hortatur, dicens : « Verte te (inquit) ad radium, » etc.

Ad stimulum conscientiæ debet homo exercere seipsum, hoc modo meditando in via purgativa, scilicet ut primo seipsum exasperet, secundo exacuat, tertio dirigat. Nam exasperandus est recordatione peccati, exacuendus circumspectione sui, et rectificandus consideratione boni.

Peccatorum recordatio quomodo fieri debeat.

Peccati autem recordatio debet esse in hunc modum, ut arguat se animus de multiplici negligentia, et concupiscentia, et nequitia. Fere enim omnia peccata et mala nostra, sive contracta, sive acta, reduci possunt ad hæc tria. Circa negligentiam autem attende, quod primo debet recogitare homo, si in se fuerit negligentia, scilicet cordis custodiendi, temporis expendendi, et finis intendendi. Hæc enim tria sunt ab omnibus summa cum diligentia observanda, scilicet ut cor bene custodiatur, tempus utiliter expendatur, et finis debitus in omni opere præfigatur. Secundo debet homo cogitare si negligens fuerit in oratione, in lectione, et in boni operis executione. In his tribus debet unusquisque diligenter ac sollicite se exercere,

[1] *Prov.*, XXII, 20. — [2] Vid. tom. VII, pag. 504.

(*a*) *Leg.* insistant. — (*b*) *Cæt. edit.* Si. — (*c*) *Quidam alius liber habet sic :* Sciendum igitur, quod triplex est modus exercendi se circa hanc triplicem viam, scilicet meditando, orando, et contemplando.

et excolere, ut possit fructum bonum dare in tempore suo, eo quod unum horum sine altero nequaquam sufficiat. Tertio debet cogitare sollicite, si negligens fuerit ad pœnitendum, ad resistendum, et ad proficiendum. Debet enim unusquisque cum summa diligentia deflere culpam commissam, repellere tentationem diabolicam, proficere de una virtute in aliam, ut sic possit pervenire ad terram promissam.

Circa concupiscentiam autem debet cogitare homo, si in eo vivat concupiscentia voluptatis, curiositatis, et vanitatis, quæ sunt radices totius mali. Primo igitur recogitanda est concupiscentia voluptatis, quæ tunc in homine vivit, si fuerit in eo appetitus dulcium, mollium et carnalium : hoc est, si homo quærat cibaria saporosa, vestimenta deliciosa, et oblectamenta luxuriosa. Quæ omnia non solum reprehensibile est appetere cum consensu, sed etiam debet homo respuere primo motu. Secundo recogitanda est concupiscentia curiositatis, si vivat vel vixerit in homine. Hoc autem deprehenditur, cum quis appetit scire occulta, videre pulchra, et habere cara (*a*). In omnibus his est vitium avaritiæ et curiositatis. Multum reprehensibile est hoc in homine. Tertio recogitanda est concupiscentia vanitatis, quæ tunc vivit in homine, si in eo fuerit appetitus favoris, laudis et honoris. Quæ omnia vana sunt, et hominem vanum reddunt : et ita fugienda sunt, sicut concupiscentia mulierum. Et de omni tali debet conscientia arguere cor humanum.

Circa nequitiam autem debet cogitare homo, si in se vigeat, vel aliquando viguerit iracundia, invidia et acedia : quæ faciunt hominem nequam. Primo cogitanda est iracundiæ nequitia, quæ consistit in animo, in signo et in verbo, vel in corde, in facie, et in clamore ; vel in affectu, affatu, et effectu. Secundo recogitanda est nequitia invidiæ, quæ in aliena prosperitate tabescit, in aliena adversitate hilarescit, et in aliena mendicitate refrigescit. Tertio recogitanda est nequitia acediæ, ex qua oriuntur suspiciones malæ, cogitationes blasphemæ, et detractiones malignæ. Omnis enim talis nequitia admodum detestanda est. Ex hac trifaria recordatione triplicata debet exasperari stimulus conscientiæ, et amaricari anima, ut possit homo consequi salutem.

Viso qualiter exasperari debeat stimulus conscientiæ in recordatione peccati, videndum est qualiter sit exacuendus stimulus in circumspectione sui. Tria autem debet homo circa se circumspicere, scilicet diem mortis imminentem, sanguinem Christi recentem, et faciem judicis præsentem. In his tribus acuitur stimulus conscientiæ contra omne malum. Primo namque acuitur, dum considerat homo diem mortis, quia est indeterminabilis, inevitabilis, et irrevocabilis. Quem si diligenter inspiciat, diligentissime laborabit, ut dum tempus habet, purgetur ab omni negligentia, et concupiscentia, et nequitia. Quis enim moraretur in culpa, qui non est certus de die crastina? Secundo acuitur, dum considerat homo sanguinem Christi effusum pro humano corde excitando, pro eodem abluendo, et pro ipso mollificando ; vel effusum pro humana immunditia mundificanda, pro humana morte vivificanda, et pro humana ariditate fœcundanda. Quis enim tam hebes, ut permittat in se regnare culpam negligentiæ, concupiscentiæ, vel nequitiæ, qui cogitat se perfusum illo pretioso sanguine? Tertio acuitur, dum considerat homo faciem judicis, quæ est infallibilis, inflexibilis, et infugibilis. Nullus enim potest aliquo modo fallere ejus sapientiam, flectere justitiam, effugere vindictam. Quia ergo nullum bonum irremuneratum, nullum malum impunitum ; quis non acuetur ex hac consideratione contra omne malum ?

Tria sunt homini circa se consideranda.

Post hæc videndum est, quomodo stimulus conscientiæ sit rectificandus in consideratione boni. Tria autem sunt bona meditanda, in quorum acquisitione rectificatur stimulus

Tria bona meditanda circa rectificationem sti-

(*a*) *Al.* chara, *et sic deinceps.*

muli conscientiæ.

conscientiæ, scilicet strenuitas contra negligentiam, severitas contra concupiscentiam, et benignitas contra nequitiam. His enim tribus habitis, fit conscientia bona, munda et recta. Et hoc est quod dicitur in *Michæa* [1]: *Indicabo tibi, homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.* In quibus verbis tanguntur illa tria prædicta. Similiter et Dominus hæc eadem tangit in *Luca* dicens [2]: *Sint lumbi vestri præcincti.*

Primo igitur inchoandum est a strenuitate, quæ viam præbet aliis. Licet autem eam sic describere : Strenuitas est quidam vigor animi, excutiens omnem negligentiam, et disponens animam ad faciendum bona opera vigilanter, confidenter et eleganter. Hæc est, quæ viam præbet ad omnia bona sequentia. Secundo sequitur severitas, quæ est quidam vigor animi restringens omnem concupiscentiam, et habilitans animam, ac ferventem reddens eam ad amorem asperitatis, paupertatis et vilitatis. Tertio sequitur benignitas, quæ est quidam dulcor animæ, excludens omnem nequitiam, et habilitans animam ad benevolentiam, tolerantiam, et ad internam lætitiam. Et hic est terminus purgationis secundum viam meditationis. Nam omnis conscientia munda læta est et jucunda. Qui igitur vult purgari, vertat se modo prædicto ad stimulum conscientiæ. In prædicta tamen exercitatione a quolibet præmissorum potest inchoari nostra meditatio. Transeundum est etiam ab uno in aliud, et tandiu immorandum, quousque tranquillitas, et serenitas acquiratur, et percipiatur, ex qua oritur spiritualis jucunditas. Qua adepta, promptus est animus ut sursum tendat. Incipit ergo via ista a stimulo conscientiæ, et terminatur in affectum spiritualis lætitiæ, exercetur in dolore, et consummatur in amore.

Strenuitas quid.

Severitas quid.

Benignitas quid.

ia illuminativa

Secundo loco, post viam purgativam, sequitur illuminativa. In qua se debet homo exercere ad radium intelligentiæ hoc ordine. Nam radius intelligentiæ est primo protendendus ad mala dimissa, secundo dilatandus ad beneficia commissa, tertio reflectendus ad præmia promissa. Protenditur autem radius intelligentiæ ad mala dimissa, dum sollicite pensantur mala, quæ Dominus indulsit : quæ tot sunt, quot sunt peccata quæ commisimus; et tam magna, quantis eramus malis astricti, et quantis bonis privati. Et hæc meditatio satis patet ex præcedenti. Nec hoc solum attendendum est, quanta mala commisimus; sed etiam considerandum est, in quanta mala incidissemus, si Dominus permisisset. Et cum hæc diligenter pensantur, per radium intelligentiæ tenebræ nostræ illuminantur. Et talis illuminatio conjuncta debet esse gratitudini affectionis; alioquin non est illuminatio cœlestis, ad cujus splendorem videmus sequi calorem. Unde gratiæ hic agendæ sunt pro dimissione malorum commissorum, vel possibilium committi, infirmitate, necessitate, et voluntatis perversitate.

Secundo videndum est, qualiter iste radius intelligentiæ dilatetur in consideratione beneficiorum commissorum : quæ quidem sunt in triplici genere. Quædam enim spectant ad complementum naturæ, quædam ad adjutorium gratiæ, et quædam ad donum superabundantiæ. Ad complementum naturæ spectat, quod dedit Deus ex parte corporis, scilicet membrorum integritatem, complexionis sanitatem, et sexus nobilitatem. Ex parte sensus, visum perspicuum dedit, auditum acutum, et sermonem discretum (*a*). Ex parte animæ, ingenium clarum, judicium rectum, et animum bonum dedit. Ad adjutorium autem gratiæ spectat primo, quod dedit gratiam baptismalem, qua deletur culpa, restituitur innocentia, et confertur justitia, et per hoc dignum facit vita æterna; secundo, quod dedit gratiam pœnitentialem quantum ad animi voluntatem, temporis opportunitatem, et Religionis sublimitatem; tertio, quod dedit gratiam sacerdotalem, per quam fecit dispensatores doctrinæ, dispensa-

[1] *Mich.*, VI, 8. — [2] *Luc.*, XII, 35.

(*a*) *Forte leg.* disertum.

tores indulgentiæ, et dispensatores Eucharistiæ : in quibus omnibus, secundum plus et minus, dispensantur verba vitæ. Ad donum autem superabundantiæ spectat, quod primo dedit totum mundum, scilicet, inferiora ad obsequium, paria ad meritum, et superiora ad patrocinium; secundo dedit Filium suum, et hoc in fratrem et amicum, in pretium nostrum, et in cibum quotidianum : primum in incarnatione, secundum in passione, et tertium in altaris consecratione; tertio dedit Spiritum sanctum, et hoc in signaculum acceptionis, in privilegium adoptionis, et in annulum desponsationis : et per hoc fecit animam christianam vere suam amicam, filiam et sponsam. Hæc omnia sunt mira et ineffabilia; et in eorum meditatione, ad modum sponsæ, anima debet esse Deo grata.

Tertio, circa viam illuminativam, videndum est qualiter iste radius intelligentiæ per meditationem est reflectendus, ut ad fontem totius boni revertatur, recogitando præmia promissa. Considerandum est ergo sollicite, et frequenter pensandum, quod Deus, qui non mentitur, credentibus, diligentibus se, promisit veraciter amotionem omnium malorum, associationem omnium sanctorum, et impletionem omnium desideriorum in seipso, qui origo est et finis omnium bonorum. Qui est tantum bonum, quod excedit omnem petitionem, omnem desiderii dilatationem, et omnem æstimationem. Et nos tanto bono dignos reputat, si diligimus et appetimus eum super omnia, et propter se : et ideo cum omni desiderio et affectu, ac benevolentia, debemus in ipsum tendere.

Postremo sequitur, qualiter nos exercere debemus ad igniculum sapientiæ. Hoc autem faciendum est hoc ordine : quia iste igniculus sapientiæ sollicite ac diligenter est primo congregandus, secundo inflammandus, et tertio sublevandus. Congregatur autem per reductionem affectionis ab omni amore creaturæ, a cujus amore revocari debet affectio : quoniam amor creaturæ non proficit; et si proficit, non reficit; et si reficit, non sufficit. Ideo omnis amor talis ab affectu debet omnino elongari.

Secundo inflammandus est igniculus iste, et hoc ex conversione affectionis super amorem Sponsi. Et hoc quidem fit, vel comparando ipsum amorem ad seipsum, vel ad affectum supernorum civium, vel ad ipsum Sponsum. Tunc autem hoc fit, quando attendit, quod per hunc amorem potest in nobis suppleri omnis indigentia, et quod per amorem est in beatis omnis boni abundantia, et quod per amorem habetur ipsius summi desiderabilis præsentia. Hæc enim sunt, quæ affectum inflammant.

Tertio sublevandus est igniculus iste, et hoc supra omne sensibile, imaginabile et intelligibile, hoc ordine : ut homo immediate de ipso, quem perfecte optat diligere, primo meditando discat, quod ille, quem diligit, non est visibilis, audibilis, nec odorabilis, gustabilis, tangibilis, aut sensibilis; imo totus desiderabilis. Secundo cogitet, quod ille, quem diligendo quærit, non est terminabilis, figurabilis, numerabilis, circumscriptibilis, commutabilis, aut imaginabilis; sed totus desiderabilis. Tertio cogitet, quod ille, quem diligit, non est demonstrabilis, diffinibilis, opinabilis, æstimabilis, investigabilis, aut intelligibilis, sed totus desiderabilis.

Ex his autem liquide patet, qualiter ad sapientiam sacræ Scripturæ perveniri potest meditando, scilicet circa viam purgativam, illuminativam, et perfectivam. Et non solum sacræ Scripturæ continentia, imo omnis meditatio nostra debet versari circa ista. Nam omnis meditatio sapientis, aut est circa opera humana cogitando, scilicet quid homo fecerit, et quid debeat facere, et quæ sit ratio movens; aut circa opera divina, cogitando scilicet quanta Deus homini commiserit, quod omnia fecit propter hominem, quanta dimiserit, et quanta repromiserit, et in hoc clauduntur opera creationis, repara-

tionis et glorificationis; aut circa utrorumque principia, quæ scilicet sunt Deus et anima, qualiter hæc ad invicem sunt copulanda. Et in hoc debet stare omnis meditatio nostra, quia est finis omnis cognitionis et operationis, et est sapientia vera, in qua est cognitio per veram experientiam. In hujusmodi autem meditatione tota anima nostra debet esse intenta secundum vires suas, scilicet secundum rationem, et synderesim, conscientiam et voluntatem. Nam in hujusmodi meditatione, ratio percunctando affert propositionem; synderesis sententiando profert diffinitionem; conscientia testificando infert conclusionem, et voluntas præeligendo defert solutionem. Verbi gratia, si quis velit meditari circa viam purgativam, debet ratio quærere quid debeat fieri de homine, qui templum Dei violavit. Synderesis respondet, quod aut debet disperdi, aut lamentis pœnitentiæ purgari. Conscientia assumit : Tu es ille : ergo vel oportet te damnari, aut stimulis pœnitentiæ affligi. Deinde voluntas præeligit, scilicet quod recusat damnationem æternam, et assumit voluntarie pœnitentiæ lamenta. Juxta hunc modum in viis aliis incedendum est.

CAPUT II.

De oratione, quomodo per eam veniatur ad sapientiam veram.

Postquam diximus qualiter ad sapientiam veram pervenitur legendo et meditando, videndum est nunc qualiter ad ipsam pervenitur orando. Sciendum autem est, quod in oratione sunt tres gradus, sive partes ipsam perficientes : quorum primus est deploratio miseriæ ; secundus, imploratio misericordiæ ; et tertius, exhibitio latriæ. Latriæ autem cultum Deo exhibere non possumus, nisi ab eo gratiam consequamur. Misericordiam vero Dei ad dandam gratiam non possumus inflectere, nisi per deplorationem et expositionem nostræ miseriæ et indigentiæ. Nam omnis perfecta oratio debet habere istas tres partes. Non enim sufficit una sine altera, nec perducit ad metam perfectam : et ideo hæc tria sunt semper jungenda.

Orationis partes tres.

Deploratio autem miseriæ, circa quamcumque miseriam sit (*a*), sive pro perpetratione culpæ, sive pro amissione gratiæ, sive pro dilatione gloriæ, hæc tria debet habere, scilicet dolorem, pudorem et timorem : dolorem, propter damnum, sive incommodum; pudorem, propter opprobrium sive inhonestum; timorem, propter periculum sive reatum. Ex memoria enim præteritorum oritur dolor, dum recordatur quid omisit, quia præcepta justitiæ; quid commisit, quia prohibita culpæ; quid amisit, quia gratuita vitæ. Ex intelligentia præsentium oritur pudor, dum attendit ubi sit, quia longe in imo, quæ fuerat prope in summo; qualis sit, quia fœda in luto, quæ fuerat pulchra imago; quæ sit, quia ancilla, quæ fuerat libera. Ex providentia futurorum oritur timor, dum præcogitat quo tendat, quia [1] : *ad inferos properat gressus ejus;* quid occurrat, quia judicium inevitabile, justum tamen; quid assequatur, quia [2] stipendium mortis æternæ.

Imploratio autem misericordiæ, circa quamcumque gratiam invocetur, debet esse cum affluentia desiderii quod habemus a Spiritu sancto, qui [3] *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus;* cum fiducia spei, quam habemus a Christo, quia mortuus est pro nobis omnibus [4]; cum diligentia implorandi subsidii, quod quærimus a sanctis omnibus. Quando enim hæc tria concurrunt, tunc imploratur efficaciter divina misericordia. Affluentiam desiderii habemus a Spiritu sancto, quia per ipsum sumus a Patre in Filio prædestinati æternaliter, per ipsum sumus renati in baptismo spiritualiter, et quia per ipsum sumus congregati in Ecclesia unanimiter. Confidentiam spei habemus a Christo Domino, quia pro nobis obtulit

[1] *Prov.*, v, 5. — [2] *Rom.*, vi, 23. — [3] *Rom.*, viii, 26. — [4] *I Petr.*, ii, 21.

(*a*) *Cæt. edit.* fit. *Fortasse legendum* fiat.

se in cruce in terra, quia pro nobis offertur a matre Ecclesia in sacramento altaris, in sui memoriam, et quia pro nobis apparet vultui Patris in cœlo in gloria. Diligentiam implorandi subsidii a sanctorum consortio habemus, ab angelorum ministrantium patrociniis, a beatorum triumphantium suffragiis, et a justorum militantium meritis.

Exhibitio autem latriæ, ex quacumque gratia Deus colatur, debet habere tria : primo enim, ob gratiam impetrandam, debet cor nostrum incurvari ad Dei reverentiam et adorationem; secundo, debet dilatari ad benevolentiam et gratiarum actionem; tertio, debet elevari ad complacentiam et mutuam allocutionem, quæ est Sponsi et Sponsæ, quam docet Spiritus sanctus in *Canticis*. In qua, si recto ordine fiat, mira est exultatio et jubilatio, ita ut ducatur homo in excessum, et faciat animam dicere [1] : *Bonum est nos hic esse*. Et hic debet oratio nostra terminari; nec ante debet homo desistere, donec ingrediatur [2] *in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei*, ubi *in voce exultationis* est *sonus epulantis*. Ut autem incurveris ad reverentiam, admirare immensitatem divinam, et intuere modicitatem tuam. Ut dilateris ad benevolentiam, attende benignitatem divinam, et vide indignitatem tuam. Ut eleveris ad complacentiam, recogita charitatem divinam, et considera tepiditatem tuam, ut ex hujus collatione pervenias in excessum mentis.

Deo tripliciter exhibenda reverentia.

Sciendum autem, quod reverentiam debemus exhibere Deo tripliciter : primo, tanquam patri, a quo formati, reformati et educati; secundo, tanquam domino, a quo eruti de ore inimici, redempti de carcere inferni, et conducti in vineam Domini pro munere Paradisi; tertio debemus exhibere Deo reverentiam tanquam judici, coram quo accusati, accusat enim clamor conscientiæ; coram quo convicti, convincit enim evidentia vitæ; et coram quo confessi, confitetur enim aspectus divinæ sapientiæ, unde contra nos de jure debeat sententia proferri. Et prima quidem reverentia debet esse magna, secunda major, tertia maxima. Unde prima est ad modum inclinationis, secunda ad modum genuflexionis, et tertia ad modum prostrationis. In prima nos subjicimus; in secunda nos dejicimus; in tertia nos abjicimus. In prima reputamus nos parvos; in secunda, minimos; in tertia vero, nullos.

Deo tripliciter benevolentiam præstanda.

Benevolentiam autem debemus simili modo Deo tripliciter exhibere, scilicet magnam, majorem et maximam : magnam, consideratione infirmitatis nostræ; majorem, consideratione magnitudinis gratiæ suæ; et maximam, consideratione immensitatis misericordiæ suæ. Et magnam, pro commissis; majorem, pro dimissis; et maximam, pro promissis. Vel magnam pro complementis naturæ, majorem pro indumentis gratiæ, et maximam pro donis supererogantiæ. In prima cor extenditur, in secunda aperitur, ut in *Canticis* dicitur [3] : *Aperi mihi, soror mea;* et in tertia effunditur, ut in *Threnis* dicitur [4] : *Effunde sicut* (a) *aquam cor tuum ante conspectum Domini*.

Complacentiam tripliciter Deo exhibenda toto corde.

Complacentiam autem triplici modo debemus Deo exhibere toto corde : primo, ut sic coaptetur complacentia nostra ad Deum, ut unicuique placeat, quod solus Deus placeat sibi; secundo, ut ei hoc placeat, quod ipse placeat soli Deo; tertio, ut hoc ei placeat, quod in hac complacentia cæteri communicent. In prima est magna, in secunda major, et in tertia maxima. In prima est amor gratuitus, in secunda est amor debitus, et in tertia est amor ex utroque permixtus. In prima crucifigitur mundus homini; in secunda crucifigitur homo mundo; et in tertia crucifigitur homo pro mundo, ut pro omnibus velit homo mori, ut et ipsi placeant Deo. Et hic est gradus et status perfectæ charitatis, ante cujus asse-

[1] *Matth.*, XVII, 4. — [2] *Psal.* XLI, 5. — [3] *Cant.*, V, 2. — [4] *Thren.*, II, 19.

(a) *Cæt. edit.* super.

cutionem nemo debet se æstimare perfectum. Tunc autem hanc perfectionem homo assequitur, quando cor suum invenit non solum voluntarium, sed etiam avidissimum ad moriendum pro salute proximorum, secundum quod Apostolus dicebat [1] : *Libentissime impendam, et superimpendar ego ipse pro animabus vestris.* Ad hanc perfectam dilectionem proximi non pervenitur, nisi prius perveniatur ad perfectam dilectionem Dei, propter quem diligitur proximus, qui non est diligendus nisi propter Deum. Et propterea ad intelligendam perfectionem in dilectione Dei, sciendum est, quod sex sunt gradus, quibus paulatim et ordinate proceditur, ut ad perfectionem perveniatur : quorum primus est suavitas, secundus aviditas, tertius saturitas, quartus ebrietas, quintus securitas, sextus tranquillitas.

Primus itaque gradus est suavitas, ut homo addiscat gustare quam suavis est Dominus. Et hoc quidem fit vacando et sabbatizando ei per sanctas meditationes, secundum quod dicitur in *Psalmo* [2] : *Reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.* Quod quidem fit, quando meditationes circa amorem Dei suavitatem pariunt in corde.

Secundus gradus est aviditas, quando scilicet anima assuefieri cœperit circa illam suavitatem, et nascitur in ea tanta esuries, ut nihil eam possit reficere, nisi eum, quem amat, possederit perfecte. Quod quia non potest in præsenti attingere, quia adhuc longe est, continue excedit et egreditur extra per amorem ecstaticum, clamans et dicens illud beati Job [3] : *Suspendium elegit anima mea, et mortem ossa mea;* et illud *Psalmi* [4] : *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.*

Tertius gradus est saturitas, quæ oritur ex ipsâ aviditate. Qui enim vehementissime Deum desiderat, et sursum fertur, jam omne quod deorsum videt, vertitur ei in fastidium. Unde quasi saturatus, non potest refectionem invenire in aliquo citra ipsum dilectum. Et sicut saturatus, si cibum sumat, incurrit potius abominationem quam refectionem, sic in hoc gradu charitas facit circa omne creatum. Unde dicit Sapiens [5] : *Anima saturata calcabit favum.*

Quartus gradus est ebrietas, quæ oritur ex saturitate. Ebrietas autem in hoc consistit, quod quis tanto amore diligat Deum, ut jam non solum fastidiat solatium terrenum, sed etiam delectetur, et quærat tormentum pro solatio, et amore illius, quem diligit, delectetur in pœnis, opprobriis et flagellis cum Apostolo [6]. Unde, sicut ebrius seipsum denudat sine pudore, et sustinet plagas sine dolore, sic in isto intelligendum est. Unde [7] : *Ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.*

Quintus gradus est securitas, quæ oritur ex ebrietate. Ex hoc enim quod anima sentit se tantum amare Deum, quod libenter sustinet propter ipsum omne damnum et omne opprobrium, jam foras mittitur timor, et tantam (*a*) concipit anima spem de adjutorio Dei, ut nullo modo existimet se posse separari ab eo. In hoc gradu erat Apostolus, cum dicebat [8] : *Quis nos separàbit a charitate?* etc. *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita*, etc., *poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.*

Sextus gradus est vera et plena tranquillitas, per quam est tanta pax et requies in anima, ut quodam modo sit in silentio et somno, et velut in arca Noe collocata, ut nullo modo perturbetur. Quis enim potest inquietare mentem, quam nullus cupiditatis stimulus inquietat, et nullus timoris aculeus agitat? In ista mente pax est, et status ultimus, et quies; et ibi requiescit verus Salomon, quoniam [9] *in pace factus est locus*

[1] II *Cor.*, XII, 15. — [2] *Psal.* LXXV, 11. — [3] *Job*, VII, 15. — [4] *Psal.* XLI, 2. — [5] *Prov.*, XXVII, 7. — [6] II *Cor.*, XII, 10. — [7] *Act.*, V, 41. — [8] *Rom.*, VIII, 35, 38-39. — [9] *Psal.* LXXV, 3.

(*a*) *Cæt. edit.* tantum.

ejus. Et ideo valde convenienter isti gradus significantur per illos sex gradus [1], quibus ascendebatur ad thronum Salomonis. Et propter hoc dicitur in *Canticis* [2] : *Ascensum purpureum media charitate constravit* : quia impossibile est ad istam tranquillitatem pertingere, nisi per charitatem. Hac autem acquisita, facillimum est homini facere omne quod est perfectionis, sive agere, sive pati, sive vivere, sive mori. Studendum est igitur ad profectum charitatis, cum profectus ejus inducat perfectionem omnis boni, et complementum.

Ut igitur sint ad manum prædictæ differentiæ, nota, quod qui ad hanc perfectionem vult proficere, debet per meditationem stimulum conscientiæ primo exasperare, exacuere, et rectificare; et sic ad radium intelligentiæ transire, ipsum protendendo, dilatando, et reflectendo; et sic ad igniculum sapientiæ transire, ipsum congregando, inflammando, et sublevando : et sic per orationem primo debet deplorare miseriam suam cum dolore propter damnum, cum pudore propter opprobrium, et cum timore propter periculum.

Secundo debet implorare divinam misericordiam cum vehementia desiderii per Spiritum sanctum, cum fiducia spei per Christum crucifixum, et cum assistentia patrocinii per sanctorum suffragia.

Tertio debet exhibere latriam, exhibendo Deo reverentiam, benevolentiam et complacentiam : ut primo, ex parte Dei, procedat admiratio divina, quasi major propositio; secundo, ex parte nostra, sequatur consideratio, quasi assumptio; tertio fiat latriæ plena exhibitio, quasi conclusio. Qui autem sic excitaverit se continue et intente, proficiet in charitate secundum sex gradus prædictos, quibus pervenitur ad perfectionem tranquillitatis, ubi est multitudo pacis, et quasi quidam finis quietis nostræ, quam Dominus reliquit apostolis. Unde nota, quod Apostolus in qualibet salutatione optabat gratiam et pacem : gratiam, tanquam primordialem; pacem, sicut complementum; *ad Timotheum* autem [3], interponit misericordiam, quæ est utriusque principium.

Nota, quod in Missa cogitandum est de negligentia circa corpus Christi. Nota de sacramento, quod Dominus propter nos semper totus ibi est, et nos raro vel nunquam ibi toti sumus propter eum. Item, quod ibi est pretium redemptionis nostræ, et non liberamur, et hoc restat (*a*) per nos. Item, quod ibi vere est Deus, et non videmus eum, ad quem videndum creati sumus. Item, quod ibi est paratior ad liberandum nos, quam nos a miseria liberari. Item, quod ipse ad salutem nostram instituit hoc sacramentum, et tam studiose; nos vero tepidi, imo toti frigidi, hoc consecramus. Item, quod ipse ibi est cum angelorum frequentia, nos cum magna cordis irreverentia. Item, quod ipse ibi ardens est pro nostra dilectione, nos ibi remissi in gratiarum actione. Item quod ipse ibi est cibus angelorum ad nostram refectionem, et nos non gustamus eum propter nostram corruptionem. Item, quod quidquid dispergimus per culpam, ipse ibi congregat per gratiam, nec tamen grati sumus. Item, quod ipse se ibi offert pretium redemptionis nostræ sine tædio, nec tamen liberamur omnino.

Pulch. et uti. meditationem intr. Missarum : lemnis.

Vis ergo scire, quæ, et quanta, et quibus debeas? Primo, pro (*b*) Christo omnem vitam tuam ponere; quia ipse suam posuit pro tua, et cruciatus diros sustinuit, ne tu perpetuos sustineres. Sed confer præmia omnis vitæ filiorum Adam, et omnes dies sæculi, et labores omnium hominum qui fuerunt, sunt et erunt : nihil erunt ad comparationem illius corporis, quod spectabile, et etiam stupendum est virtutibus supernis in conceptu de Spiritu sancto, in ortu de Virgine, in vitæ innocentia, in doctrinæ affluentia, et in coruscationibus miraculorum, in revelationibus sacramentorum. Sicut igitur exal-

Quantum Christo Domino debeamus.

[1] III *Reg.*, x, 19; II *Paral.*, IX, 18. — [2] *Cant.*, III, 10. — [3] I *Tim.*, I, 2.

(*a*) *Leg.* stat. — (*b*) *Cæt. edit. deest* pro.

tantur cœli a terra, sic exaltata est vita illius a vita hominum, quæ tamen posita est pro vita nostra. Sicut enim nihil ad aliquid nullam habet comparationem, ita vita nostra ad vitæ illius proportionem, cum illa nulla dignior sit, nostra nulla miserior possit (*a*) esse. Cum ergo ei me devovero, quid, quæso, sum? nonne sicut stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem? Sed non huic soli debitor sum, cui nihil retribuere possum.

Peccata præterita vitam futuram ad pœnitentiam obligant.

Exigunt a me præterita peccata mea futuram vitam meam, ut faciam dignos fructus pœnitentiæ, et [1] *recogitem omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Sed ad hoc quis idoneus? « Peccavi super numerum arenæ maris, et multa sunt peccata mea, et non sum dignus aspicere cœlum, » dixit Manasses in sua *Oratione* [2], etc. Quod igitur sine numero est, quomodo numerabo? Quomodo sufficiam, cum cogas reddere debitum *usque ad novissimum quadrantem* [3]? Sed et *delicta quis intelligit* [4]? Quantum (*b*) pœniteam, quantumlibet me affligam et macerem, *propter nomem tuum*, non propter pœnitentiæ meritum, *propitiaberis, Domine*, *peccato meo*, ait justus [5], *multum est enim.*

Cum igitur quidquid vis, quidquid sapis, quidquid habes, quidquid potes, huic uni rei dedicaveris, numquid est, vel in aliquid computandum est?

Vitam nostram gloria, quam speramus, sibi vendicat.

Sed tertium creditorem (*c*) ostendam tibi, qui non minus acriter, quam veraciter sibi vendicat vitam tuam. Puto enim quod possidere desideras gloriam illam, quam [6] *nec oculus vidit, nec auris audivit,* etc., [7] *regnum omnium sæculorum*, vivere in æternum, in perpetuas æternitates. Credo quod velis æqualis esse angelis Dei, et in plateis supernæ Hierusalem melos angelorum audire, et videre quidquid est illud vel erit, quando [8] *Deus erit omnia in omnibus.* Nonne ad hoc totum te, et quantumcumque undique trahere poteris, dare oportebit? Et cum omnia impleveris, non tamen credas [9] *condignas esse passiones hujus temporis*, vel corporis, *ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

Creatori nostro totaliter quidquid sumus debemus

Quid dices, et si quartum creditorem (*c*) adduxero in medium, qui sibi jure primatus tres superiores excedere velit? Ecce in januis est, qui fecit cœlum et terram. Creator tuus, tu creatura. Tu servus, ille Dominus. Ille figulus, tu figmentum. Totum ergo quod es, illi debes, a quo totum habes : illi præcipue Domino, qui et fecit te, et benefecit tibi, qui et tibi ministrat siderum cursus, aeris temperiem, jucunditatem terræ, fructuum ubertatem. Huic revera totis medullis, totis visceribus serviendum est, ne forte indignationis oculo te respiciat ac despiciat, et conterat te in æternum. Expone igitur mihi, cui horum quatuor proponis reddere quod debes, cum unusquisque tam interius, quam exterius exactor sit, ut te singulariter possideat? Eia, *Domine*, [10] *vim patior, responde pro me*, quia horum quatuor quilibet de jure me tenere potest, et suffocare. [11] *In manus tuas commendo spiritum meum :* tu persolve omnibus, tu ab omnibus me libera, quia tu es Deus, et non homo, et quod apud hominem impossibile est, possibile est tibi, Domine Deus noster.

CAPUT III.

De contemplatione, quomodo per eam perveniendum sit ad sapientiam veram.

Postquam autem diximus qualiter ad sapientiam nos exercere debeamus per meditationem et orationem, nunc breviter tangamus, qualiter contemplando ad veram sapientiam pervenitur. Per contemplationem namque transit mens nostra ad supernam Hierusalem, ad cujus instar Ecclesia est formata, secundum illud *Exodi* [12] : *Inspice,*

[1] *Isa.*, XXXVIII, 15. — [2] Inter apocrypha Bibl. — [3] *Matth.*, V, 26. — [4] *Psal.* XVIII, 13. — [5] *Psal.* XXIV, 13. — [6] 1 *Cor.*, II, 9. — [7] *Psal.* CXLIV, 13. — [8] 1 *Cor.*, XV, 28. — [9] *Rom.*, VIII, 18. — [10] *Isa.*, XXXVIII, 14. — [11] *Psal.* XXX, 6 — [12] *Exod.*, XXV, 40.

(*a*) *Cæt. edit.* potest. — (*b*) *Leg.* Quantumvis. — (*c*) *Cæt. edit.* debitorem.

et fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte. Necesse est enim Ecclesiam militantem conformari triumphanti, et merita præmiis, et viatores beatis, secundum quod possibile est. In gloria autem triplex est dos, in qua consistit perfectio præmii, scilicet summæ pacis tentio, summæ veritatis visio, et summæ charitatis fruitio. Et secundum hoc distinguitur triplex ordo in suprema hierarchia cœlesti, scilicet Thronorum, Cherubim, et Seraphim. Necesse est igitur, ut qui vult ad illam beatitudinem per merita pervenire, istorum trium similitudinem, secundum quod possibile est, in via sibi comparet, scilicet, ut habeat soporem pacis, splendorem veritatis, et dulcorem charitatis. In his enim tribus requiescit Deus, et habitat tanquam in solio proprio. Necesse est igitur unumquodque trium prædictorum per tres gradus ascendendi distinguere, secundum triplicem viam, nempe purgativam, quæ consistit in expulsione peccati, illuminativam, quæ consistit in imitatione Christi, et unitivam, quæ consistit in susceptione Spiritus sancti : ita quod quælibet via habet gradus suos, per quos ascenditur ab imo, et tenditur usque ad summum.

Gradus autem perveniendi ad soporem pacis, sunt isti septem.

Primo occurrit pudor in recordatione flagitii : et hoc quantum ad quatuor, scilicet quantum ad magnitudinem, multitudinem, turpitudinem, et ingratitudinem.

Secundo occurrit timor in circumspectione judicii : et hoc quadruplicis, scilicet dissipationis operis, excæcationis rationis, obdurationis voluntatis, et condemnationis finalis.

Tertio occurrit dolor in æstimatione damni : et hoc secundum quatuor, scilicet quantum ad amissionem divinæ amicitiæ, quantum ad perditionem innocentiæ, quantum ad vulnerationem naturæ, et quantum ad dissipationem vitæ præteritæ.

Quarto occurrit clamor in imploratione subsidii quadruplicis, scilicet Dei Patris, Filii Redemptoris, Virginis Matris, Ecclesiæ triumphantis.

Quinto occurrit rigor in extinctione fomitis, sive incentivi quadruplicis, scilicet ariditatis quæ est desidia, perversitatis quæ est malitia, voluptatis quæ est concupiscentia, et vanitatis quæ est superbia.

Sexto occurrit ardor in appetitu martyrii : et hoc propter quatuor, scilicet propter perfectionem remissionis offensæ, purgationis maculæ, satisfactionis pœnæ, et propter perfectionem sanctificationis (*a*) concupiscentiæ.

Septimo loco occurrit sopor in obumbratione Christi, ubi est status et requies, quando homo sentit se protegi sub umbra alarum divinarum, ut non uratur ardore concupiscentiæ, nec timore pœnæ. Ad quod non potest perveniri, nisi per appetitum martyrii; nec ad appetitum martyrii, nisi extinxerit incentivum; nec ad extinctionem incentivi, nisi imploraverit subsidium; nec ad implorationem subsidii, nisi deploret damnum; nec ad deplorationem damni, nisi timeat judicium ; nec ad timorem judicii, nisi recordetur et erubescat flagitium. Qui ergo vult habere pacis soporem, procedat secundum ordinem prædictum.

Gradus autem perveniendi ad splendorem veritatis, ad quem pervenitur imitatione Christi, sunt isti septem, scilicet assensus rationis, affectus compassionis, aspectus admirationis, excessus devotionis, amictus assimilationis, amplexus crucis, et intuitus veritatis. In quibus hoc ordine progrediendum est :

Primo considera quis est qui patitur; et ei subdere per rationis assensum, ut credas firmissime ipsum veraciter esse Dei Filium, omnium rerum principium, Salvatorem hominum, et retributorem meritorum omnium.

Secundo considera qualis est qui patitur; et ei configurare per compassionis affectum,

(*a*) *Al.* exactionis. *Fortasse legendum* extinctionis.

scilicet ut compatiaris ei tanquam innocentissimo, mitissimo, nobilissimo et amantissimo.

Tertio considera quantus est qui patitur; et ad ipsum egredere per admirationis aspectum : et attende, quod ipse est immensus potestate, speciositate, felicitate et æternitate. Igitur admirare immensam potestatem annihilari, speciositatem decolorari, felicitatem tormentari, æternitatem mori.

Quarto considera qua de causa patitur, et teipsum obliviscere per devotionis excessum, quia patitur scilicet pro tua redemptione, illuminatione, sanctificatione et glorificatione.

Quinto considera quali forma patitur, et ipsum induere per assimilationis amictum. Passus est enim sicut verus agnus, libentissime respectu proximi, severissime respectu sui, obedientissime respectu Patris, et prudentissime respectu adversarii. Stude igitur ad habendum habitum secundum effigiem imitationis Christi, scilicet benignitatis, severitatis, humilitatis et perspicacitatis.

Sexto considera quanta sint quæ patitur; et crucem amplectere per passionis desiderium : ut sicut Christus passus est vincula, ut impotens omnipotentia; convitia, ut vilis bonitas; ludibria, ut stulta sapientia; et supplicia, ut iniqua justitia. Sic et tu considera passionem crucis, hoc est, passionem plenam injuriis in rebus, contumeliis in verbis, ludibriis in signis, et suppliciis in tormentis.

Septimo considera quid ex hoc consequitur, quod patitur; et veritatis radium intuere per contemplationis oculum : quoniam ex hoc, quod agnus passus est, *septem signacula* [1] libri aperta sunt. Liber iste est universalis rerum notitia, in qua septem erant clausa homini, quæ quidem sunt per passionis Christi efficaciam reserata : scilicet Deus admirabilis, spiritus intelligibilis, mundus sensibilis, paradisus desiderabilis, infernus horribilis, virtus laudabilis, reatus culpabilis.

[1] *Apoc.*, v, 5.

Primo enim Deus admirabilis manifestatus est nobis per crucem esse summæ et inscrutabilis sapientiæ, summæ et irreprehensibilis justitiæ, summæ et inenarrabilis misericordiæ. Summa enim sua sapientia decepit diabolum; summa sua justitia quæsivit redemptionis pretium; summa sua misericordia pro nobis tradidit Filium suum. Quæ si diligenter considerentur, Deum nobis clarissime manifestant.

Secundo spiritus intelligibilis nobis manifestatus est per crucem secundum differentiam triplicem, scilicet : quantæ sit benignitatis, quantum ad angelos; quantæ sit dignitatis, quantum ad homines; et quantæ sit crudelitatis, quantum ad dæmones. Nam angeli permiserunt crucifigi Dominum suum; Dei Filius crucifixus est propter genus humanum, et hoc ad crudelem suggestionem dæmonum.

Tertio mundus sensibilis nobis manifestatus est per crucem, quoniam est locus tenebrarum plenus, in quo regnat cæcitas, quoniam lucem veram et summam non cognovit; regnat sterilitas, quoniam Jesum Christum tanquam infructuosum despexit; et regnat impietas, quoniam Deum, et Dominum suum, et amicum et innocentem, damnavit et interfecit.

Quarto paradisus desiderabilis nobis manifestatus est per crucem, in quo est fastigium totius gloriæ, spectaculum omnis lætitiæ, et promptuarium omnis opulentiæ. Unde Deus propter illam habitationem nobis restituendam, factus est pro nobis homo, scilicet vilis, miser et pauper. In quo celsitudo abjectionem induit, justitia reatum subiit, opulentia egestatem suscepit. Nam altissimus Imperator accepit servitutem abjectam, ut sublimaremur in gloriam; justissimus judex subiit reatum pœnalissimum, ut justificaremur a culpa; opulentissimus Dominus suscepit egestatem extremam, ut locupletaremur in copia.

Quinto infernus horribilis manifestatus est nobis per crucem, locus utique plenus

omni egestate et penuria, vilitate et ignominia, et omni calamitate et miseria. Unde si necesse fuit hæc Christum pati propter peccati deletionem, multo fortius oportet hæc pati damnatos propter justam meritorum suorum retributionem.

Sexto manifestata est nobis per crucem virtus laudabilis, quantum scilicet sit pretiosa, speciosa et fructuosa : vere pretiosa, quia potius voluit Christus vitam corporalem perdere, quam virtuti contraire; vere speciosa, quia in ipsis contumeliis relucebat, et vere fructuosa, quia unus actus perfectæ virtutis infernum spoliavit, cœlum aperuit, et perdita restauravit.

Septimo manifestatus est nobis per crucem reatus culpabilis quantum sit detestabilis, cum ad sui remissionem indigeat tam magno pretio, tam (*a*) grandi piaculo, et tam difficili medicamento. Ecce igitur habes quomodo in cruce omnia manifestantur, si bene ad hæc septem reducantur. Omnia enim ad hæc septem reducuntur. Unde ipsa crux, vere beata, est clavis, porta, via et splendor veritatis. Quam qui devote sibi tollit, et *sequitur* Christum juxta modum præassignatum, *non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ* [1].

Gradus autem perveniendi ad dulcorem charitatis, sunt isti septem, scilicet vigilantia sollicitans, confidentia confortans, concupiscentia inflammans, excedentia elevans, complacentia quietans, lætitia delectans, et adhærentia conglutinans. In quibus hoc ordine progredi debes, qui vis ad perfectionem charitatis et amoris Spiritus sancti pertingere.

Primo ergo necesse est, ut vigilantia te sollicitet propter Sponsi promptitudinem, adeo ut possis dicere illud Psalmi [2] : *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo;* et illud Sponsæ [3] : *Ego dormio, et cor meum vigilat;* et illud Isaiæ [4] : *Anima mea desideravit te in nocte; sed et spiritu meo in præcordiis meis, de mane vigilabo ad te.*

Secundo, ut confidentia te confortet, propter Sponsi certitudinem, adeo ut vere possis dicere [5] : *In Domino confido;* et illud [6] : *In te, Domine, speravi;* et illud Job [7] : *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.*

Tertio, ut concupiscentia te inflammet propter Sponsi dulcedinem, adeo ut possis dicere [8] : *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus;* et illud Canticorum [9] : *Fortis est ut mors dilectio;* et illud [10] : *Quia amore langueo.*

Quarto, ut excedentia te elevet propter Sponsi celsitudinem, adeo ut possis dicere cum Psalmista [11] : *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!* et illud Canticorum [12] : *Trahe me post te*, etc.; et illud Job [13] : *Suspendium elegit anima mea.*

Quinto, ut complacentia te quietet propter Sponsi pulchritudinem, adeo ut possis dicere illud Sponsæ [14] : *Dilectus meus mihi, et ego illi;* et illud [15] : *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus.*

Sexto, ut lætitia te delectet propter Sponsi plenitudinem, adeo ut possis dicere [16] : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam;* et illud [17] : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine!* et illud Apostoli [18] : *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio*, etc.

Septimo, ut adhærentia te conglutinet propter amoris Sponsi fortitudinem, adeo ut possis dicere illud Psalmistæ [19] : *Mihi autem adhærere Deo bonum est;* et illud Pauli [20] : *Quis nos separabit a charitate Christi?* In his enim gradibus ordo est; nec status est ante ultimum; nec ad illum pervenitur nisi per gradus intermedios: et mutuo se pariunt. Et in primo viget consideratio; in cæteris

[1] *Joan.*, VIII, 12. — [2] *Psal.* LXII, 2. — [3] *Cant.*, V, 2. — [4] *Isa.*, XXVI, 9. — [5] *Psal.* X, 2. — [6] *Psal.* XXX, 2. — [7] *Job*, XIII, 15. — [8] *Psal.* XLI, 2. — [9] *Cant.*, VIII, 6. — [10] *Cant.*, II, 5. — [11] *Psal.* LXXXIII, 2. — [12] *Cant.*, I, 3. — [13] *Job*, VII, 15. — [14] *Cant.*, II, 16. — [15] Ibid., V, 10. — [16] *Psal.* XCIII, 19. — [17] *Psal.* XXX, 20. — [18] II *Cor.*, VII, 4. — [19] *Psal.* LXXII, 28. — [20] *Rom.*, VIII, 35.

(*a*) *Cæt. edit. deest* tam.

vero sequentibus dominatur affectio. Vigilantia enim considerat quam honestum, quam conferens, quam delectabile sit diligere Deum. Et ex hoc quasi nata confidentia parit concupiscentiam, et illa excedentiam, quousque perveniatur ad copulam, osculum et amplexum dilecti et amantissimi.

Gradus pertinentes ad purgationem sic distinguuntur (possunt autem dicti gradus aliter distingui, et quasi in idem redeunt), ut primo distinguantur et gradus purgationum sic : Propter flagitium erubesce, propter judicium contremisce, propter damnum ingemisce, propter remedium implora subsidium, propter adversarium extingue incendium, propter bravium anhela ad martyrium, et propter umbraculum approxima ad Christum.

Gradus pertinentes ad illuminationem sic distinguuntur : nota quis patitur, et credens captivare; qualis qui patitur, et condolens amaricare ; quantus qui patitur, et stupens admirare; qua de causa patitur, et confidens precare ; quali forma patitur, et sequens assimilare ; quanta quæ patitur, et ardens amplexare; et quid ad hoc consequitur, quod patitur, et intelligens contemplare.

Gradus viæ unitivæ sic distinguuntur : te vigilantia sollicitet, propter Sponsi promptitudinem; confidentia corroboret, propter ejus certitudinem; concupiscentia inflammet, propter ejus dulcedinem ; excedentia elevet, propter ejus celsitudinem ; complacentia alliciat, propter ejus pulchritudinem ; lætitia inebriet, propter amoris ejus plenitudinem; et adhærentia conglutinet, propter ejus fortitudinem : ut dicat semper devota anima in corde suo ad Dominum : Te quæro, in te spero, te desidero, in te consurgo (*a*), te accepto, in te exulto, et tibi finaliter adhæreo.

Nota quod gradus proficiendi possunt etiam aliter distingui, secundum triplicem differentiam triplicatam, triplici hierarchiæ consonam. Nam cuilibet proficere volenti necessaria sunt tria, scilicet amaritudo, gratitudo, et similitudo : et hoc post lapsum. Si enim homo non peccasset, duo sufficerent, scilicet gratitudo et similitudo : gratitudo videlicet, propter gratiam; similitudo vero, propter justitiam. Sed nunc etiam necessaria est amaritudo, propter medicinam : peccata enim per delectationem perpetrata non possunt purgari aliquo modo, aut deleri, nisi e contrario per afflictionem et amaritudinem.

In ipsa autem amaritudine debet esse ponderatio malorum commissorum, propter proprias nequitias; perpessio dolorum, propter Christi angustias; et postulatio remediorum, propter proximi miserias.

In gratitudine autem simili modo debet esse admiratio beneficiorum, propter creationem de nihilo; accumulatio meritorum, propter reparationem de peccato, et actio gratiarum, propter ereptionem de inferno. Fuit enim creatio ad imaginem, redemptio per proprium sanguinem, et ereptio usque ad cœli altitudinem.

In similitudine etiam pari modo debet esse aspectus veritatis elevatus ad superiora; affectus charitatis dilatatus ad exteriora; et actus virilitatis ordinatus ad interiora.

Elevatio ad superiora debet diligenter fieri per aspectum veritatis : et hoc per contemplationem Dei, intelligentia; per circumspectionem universorum, scientia; et per captivationem judiciorum, fide formata.

Item dilatatio seu extensio circa exteriora debet fieri diligenter per affectum charitatis : et hoc per appetitum deliciarum cœlestium, sapientia ; per amplexum rationabilium, amicitia ; et per contemptum voluptatum carnalium, modestia.

Item ordinatio sive exercitatio circa interiora debet fieri diligenter per actum virilitatis : et hoc per aggressum difficilium, strenuitate; per actum laudabilium, magnanimitate; et per amplexum humilium, humilitate.

Purgatio autem in amaritudine : in qua contritio respectu sui debet esse dolorosa per

(*a*) *Leg.* confido.

tristitiam, propter mala prementia teipsum, Christum et proximum. Compassio respectu Christi debet esse timorosa per reverentiam, propter judicia latentia, et tamen vera, licet incerta, sicut tempus, dies et hora. Commiseratio respectu proximi debet esse clamorosa per confidentiam, propter patrocinia semper parata per Deum, per Christum, et per suffragia Sanctorum.

Illuminatio, in similitudine : in qua est aspectus veritatis primæ, qui debet esse erectus ad incomprehensibilia, extentus ad intelligibilia, et exinanitus ad credibilia ; in qua etiam est affectus charitatis, qui debet esse erectus ad Deum, extentus ad proximum, et exinanitus ad mundum; in qua etiam est actus virilitatis, qui debet esse erectus ad commendabilia, extentus ad communicabilia, et exinanitus ad contemptibilia.

Sequitur perfectio in gratitudine : in qua est vigilantia exurgens ad canticum, propter beneficiorum utilitatem ; lætitia exultans ad jubilum, propter donorum pretiositatem; benevolentia accedens ad amplexum, propter dantis liberalitatem.

Nota quod aspectus veritatis debet esse erectus ad incomprehensibilia : et hæc sunt mysteria summæ Trinitatis, ad quæ erigimur contemplando ea, et hoc dupliciter, vel per positionem, vel per ablationem. Primum ponit Augustinus ; secundum Dionysius.

Per positionem primo intelligimus in divinis esse quædam ut communia, quædam ut propria, quædam ut appropriata, quædam sunt media inter hæc et illa. Intellige ergo et contemplare, si potes, circa Deum communia, et vide quoniam Deus est essentia prima, natura perfecta, vita beata : quæ necessariam habent consequentiam. Iterum intende, et vide, si potes, quoniam Deus est æternitas præsens, simplicitas replens, et stabilitas movens : quæ similiter consequentiam habent, et connexionem naturalem. Postremo attende et vide, quoniam Deus est lux inaccessibilis, mens invariabilis, et pax incomprehensibilis : quæ non tantum essentiæ unitatem, sed etiam includunt perfectissimam Trinitatem. Lux quidem, tanquam parens, generat splendorem ; lux autem et splendor producunt calorem : ita quod calor procedit ab utroque, licet non per modum prolis. Si ergo Deus vere lux est inaccessibilis, ubi splendor et calor est substantia, ibi hypostasis vere in Deo est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus : quæ sunt propria divinarum personarum. Mens etiam, tanquam principium concipit, et producit a se verbum, a quibus emanat amoris donum : et hoc in omni mente perfecta est reperire. Si ergo Deus est mens invariabilis, planum est in Deo esse principium primum, verbum æternum, et donum perfectum, quæ sunt propria divinarum personarum. Pax etiam includit nexum plurimorum : perfecte autem necti non possunt, nisi similes : similes autem esse non possunt, nisi ambo a tertio, vel unus ab altero. Sed in divinis non possunt ambo esse a tertio eodem modo : necesse est ergo, quod si in divinis sit vera pax, quod ibi sit prima origo, ejus imago, et utriusque connexio.

Deinde in divinis sunt appropriata secundum triplicem differentiam.

Prima appropriata sunt unitas, veritas, et bonitas : attribuitur unitas Patri, quia origo; veritas Filio, quia imago; bonitas Spiritui sancto, quia connexio.

Secunda appropriata sunt potestas, sapientia et voluntas. Attribuitur potestas Patri, quia est Principium ; sapientia Filio, quia est Verbum ; voluntas Spiritui sancto, quia est Donum.

Tertia appropriata sunt altitudo, pulchritudo et dulcedo. Attribuitur altitudo Patri, propter unitatem et potestatem : nihil enim aliud est altitudo, quam singularis et unica potestas. Pulchritudo Filio, propter veritatem, et sapientiam : nam sapientia multitudinem idearum, veritas autem æqualitatem includit; pulchritudo autem nihil aliud est, quam æqualitas numerosa. Dulcedo Spiri-

tui sancto, propter bonitatem et voluntatem : ubi enim summa bonitas est juncta cum voluntate, ibi est summa charitas et summa dulcedo. Est igitur in Deo altitudo terribilis, et hic est status erectionis ; pulchritudo mirabilis, et hic est status contemplationis; dulcedo desiderabilis, et hic est status glorificationis. Hæc est igitur erectio per viam affirmationis.

Sed alia est eminentior per viam negationis : quoniam, ut dicit Dionysius [1], affirmationes incongruæ (*a*) sunt; negationes vero, licet videantur minus dicere, plus tamen dicunt. Et hic modus erectionis est per abnegationem trium, ita quod in negationibus illis sit ordo, incipiendo ab inferioribus usque ad superiora. Est etiam supereminentis positionis inclusio, ut cum dicitur : Deus non est quid sensibile, sed supersensibile ; nec imaginabile, sed superimaginabile ; nec intelligibile, sed superintelligibile ; nec existens hoc vel hoc, sed super omne ens. Et tunc veritatis aspectus fertur in mentis caliginem, et altius elevatur, et profundius egreditur, pro eo quod excedit se et omne creatum. Et hic est nobilissimus elevationis modus. Sed tamen ad hoc, quod sit perfectus, præexigit alium, sicut perfectio illuminationem, et sicut negatio affirmationem. Hic autem modus ascendendi tanto est vigorosior, quanto vis ascendens est intimior; tanto fructuosior, quanto affectio proximior : et ideo utile valde est in illa exerceri.

Ut ergo in hac elevatione veritatis aspectus se valeat exercere, nota quod in prima hierarchia veritas est advocanda per gemitum et orationem, et hoc est Angelorum ; audienda per studium et devotionem, et hoc Archangelorum; annuntianda per exemplum et prædicationem, et hoc est Principatuum.

In secunda hierarchia veritas est adeunda per refugium et commissionem, et hoc est Potestatum; apprehendenda per zelum et æmulationem, et hoc est Virtutum ; associanda per sui contemptum et mortificationem, et hoc est Dominationum.

In tertia hierarchia veritas est adoranda per sacrificium et laudem, et hoc est Thronorum; admiranda per excessum et contemplationem, et hoc est Cherubim ; amplexanda per osculum et dilectionem, et hoc est Seraphim. Nota diligenter prædicta, quoniam in illis est fons vitæ.

[1] Dion. Areop. *de Cæl. Hier.*, c. II, n. 3.

(*a*) *Cæt. edit.* incompactæ.

AMATORIUM [1]

ARGUMENTUM

(*Ex editione Vaticana.*)

Prologus hujus Opusculi satis docet Auctoris scopum, qui propositis beneficiis, quibus homo a Deo est affectus, eumdem allicit ad Dei amorem : ideoque *Amatorium* hoc inscribitur opusculum. Quod quia ex variis Auctorum locis constituitur, non sine magno labore suo pristino nitori, quantum fieri potuit, restitutum est, conquisitis locis eorum, qui citantur. Erant enim antea in eo multa perturbata, tum quia uni auctori ascribebatur, quod alterius erat : id quod ex indiligentia provenit Impressorum, qui appositos e contra in margine auctores, ut se fecisse sanctus Bonaventura in Prologo scribit, intra textum præpostere collocarunt : tum quia marginales notationes ex incuria itidem in textum irrepserunt, quæ omnino sententiam pervertebant. Quibus eliminatis, et auctoribus e contra in margine debito loco appositis, textus integer est redditus.

PROLOGUS

Præsens opusculum qui legerit, intentionem esse sciat opificis, quasdam sanctorum auctoritates sub continuatione ordinare studuisse, eorumdem nominibus e contra in margine intitulatis, quæ animum legentis vel audientis ad amorem sui Conditoris efficacius debeant inclinare, sumpta primitus materia de excellentia primæ conditionis, homini collata, consilio totius sanctæ Trinitatis, et opere majestatis divinæ : deinde hominem alloquitur solum, ostendens ei, et astruens, homines cæteros non tantum, ac universa, ad obsequium ipsius et solamen condita vel creata; imo et, amoris privilegio singularis, speciali ei munere data. Prosequitur deinde consequenter tam necessitatem, quam piam liberalitatem incarnationis Christi, et passionis pro homine : quæ duo potissimum ingratitudinem expellunt, et cor humanum efficacius ad amorem sui Conditoris inducunt. Ex quibus quatuor præmissis, dignitate videlicet primæ creationis, privilegio singularis amoris, dignitate piæ redemptionis, peccator meditando in se reversus, plerumque compungitur, et abjecto quidquid mundanum sapit, totus ad Christum convertitur, quem sui totius non ignorat auctorem, et benefactorem, et omnium bonorum largitorem. Et fit, ut tanto plus per humilem satisfactionem Deo fiat propinquus, quanto per inobedientiam prius ab eo extitit alienus. Et hoc quidem fuit principale intentum in hoc opere, ut ex recognitione beneficiorum Dei circa homines, et amoris, alter ad alterum

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, part. II, 41; edit. Vatic., tom. VII, 250; edit. Venet., an. 1611, tom. II, 46; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, 242; edit. Venet., an. 1751, tom. V, 774.

quasi confabulando, degenerem se agnosceret, pro ingratitudine sua, filiali potius, quam servili contritione cumpunctus, (*a*) tam pium patrem tam ingratus filius se excitaret filialiter ad amandum. Ratio ergo intentionis opificis, hominem sui Creatoris provocare satagens ad amorem (*b*), præsenti labori *Amatorium* nomen imponit.

Ad te sermo meus dirigitur, quisquis primæ conditionis tuæ dignitatem ignorans, tuæ reformationis laborem et pretium non attendis : ut consideratione tantæ dignitatis, et dignationis tantæ, tam beneficum Deum, tam benignum Dominum, mutuo intuitu discamus pariter amare, cui pro universis suis beneficiis semper hucusque indevoti fuimus et ingrati.

In primis igitur te admoneo [1], ut sine intermissione recorderis, quam dulcis, et quam bonus sit erga te Creator tuus, quanta bonitas ejus fuit, quod te, cum non esses, creavit, et quod te non pecus aut creaturam insensibilem, sed etiam creaturam fecit, qua eum posses intelligere, amare, et cum eo suam æternitatem, æterna et felix, possidere. Et quod in tantum te dilexit, ut cum multa contra suam voluntatem acturam sciret, voluit te tamen facere, et esse. Et quod tecum tanta mansuetudine, ut pius et misericors, adhuc patitur, expectans tuam emendationem, quia nullo modo te cupit perdere; sed adhuc te patitur vivere, adhuc tibi ea, quæ sunt necessaria ad sustentationem hujus vitæ, non desinit ministrare. Et sicut rebus ipsis experiri potes, peccatis tuis non potes ejus bonitatem vincere, ne adhuc te velit, sicut promeruisti, confundere, vel ex toto destruere. Certissimum est ergo illum pium esse erga te, qui tanta bona tibi largitur, nec adhuc de tuis iniquitatibus se quærit vindicare. Præterea de ejus benignitate adhuc cogita. Ut autem communia replicem, quot sunt membra in corpore, tot beneficia invenies magna; et pro minimo membro plus debes amare Deum, quam multi amant eum, pro cunctis beneficiis, quæ ab eo recipiunt. Si quis amisisset oculum, quantum amaret eum, qui sibi illum restitueret! Et si quis meruisset amittere eum, quantum amaret illum, qui sibi oculum conservaret! Nec minus amandus, qui eum ab initio dedit, et qui datum conservavit, cum multoties utendo eum contra Deum (*c*) amittere meruit. Quod dixi de oculo, de cæteris membris cogita. Si vero tantum amandus est, qui dedit corpus, quantum amandus est, qui dedit animam, quæ in infinitum melior est corpore? Quæ si amisisset usum rationis, quantum amares illum, qui illum restitueret! Quantum ergo amandus est, qui tibi rationem dedit? Item, quantum amandus est ille, qui mirabiliter corpus et animam conjunxit, et hanc conjunctionem tibi servavit, cum peccando mortem multoties meruisses?

Cogita igitur [2], et recogita tantam erga (*d*) tui Creatoris benignitatem, et erige te, sicut erectus es, et omnes sensus tuos ad ejus ineffabilem dilectionem. Nihil enim justius, nihil salubrius, nihil utilius et dulcius, quam quod ex toto homo diligat, quem sui totius noverit non solum auctorem, sed et conservatorem. Si vero naturaliter amat filius patrem, a quo habet corpus, quanto magis Deum amabit, qui corpus ejus et animam ex nihilo fecit?

[3] « Et si amandus est genitor, tamen præponendus est Creator. »

« Ut quid non amaret opus artificem [4], cum haberet unde id posset? Et cur non quantum omnino posset, cum nihil omnino, nisi ejus munere posset? »

[1] Ex Anselm. — [2] Ex Augustino. — [3] Ex eod. — [4] Bern., *de dilig. Deo*, c. v, n. 15.

(*a*) *Suppl.* et. — (*b*) *Leg.* provocare satagentis ad amorem sui conditoris. — (*c*) *Leg.* utendo contra Deum, eum. — (*d*) *Suppl.* te.

Valde igitur[1] mihi amandus est, per quem sum, vivo, et sapio.

[2] « Parumne videtur tibi hoc? Cogita qualem te fecit : nempe secundum corpus egregiam creaturam ; secundum animam magis imagine Creatoris insignem, rationis participem, beatitudinis æternæ capacem. Porro cohærere sibi fecit (*a*) artificio incomprehensibili, sapientia investigabili. Nec tamen ante promeruit, qui ante non fuit. Nec spes retributionis fuit, *quoniam bonorum nostrorum non eget*[3]. »

« Disce igitur[4] in referendo gratiam non esse tardus aut segnis. Disce ad singula dona gratias agere.[5] *Diligenter considera quæ tibi apponuntur :* nulla Dei dona gratiarum actione frustrentur. »

« Tanta namque[6] dignitas conditionis humanæ esse cognoscitur, ut non solo jubentis sermone, ut alia sex dierum opera, sed consilio sanctæ Trinitatis, et opere (*b*) majestatis divinæ creatus sit homo : ut ex primæ conditionis honore intelligeret, quantum suo Conditori deberet, dum tantum in conditione mox dignitatis privilegium præstitit ei Conditor, ut tanto ardentius amaret (*c*) Conditorem, quanto mirabilius se ab eo conditum esse intelligeret. *Faciamus, inquit*[7], *hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Nec ob (*d*) hoc solum, quod sanctæ Trinitatis consilio, sic excellenter a Conditore (*e*) conditus est; sed etiam quod ad imaginem et similitudinem suam ipse Creator omnium eum creavit : quod nulli alii ex creaturis donavit. Quæ imago diligentius est in interioris hominis (*f*) nobilitate consideranda. Primo siquidem ut (*g*) sicuti Deus unus semper ubique totus est omnia vivificans, movens et gubernans, quia *in eo vivimus, movemur, et sumus*[8]; sic anima in suo corpore ubique tota viget, vivificans illud, movens et gubernans. Neque enim in majoribus sui corporis membris major, et in minoribus minor; sed in minimis tota est, et in maximis tota. » Et infra eodem : « Et hæc est imago unitatis (*h*) omnipotentis Dei, quam anima habet in se, quæ etiam sanctæ Trinitatis quamdam habet similitudinem. Primo in eo, quia (*i*) sicut Deus est, vivit et sapit: ita anima secundum suum modum est, vivit et sapit. Est quoque in anima similitudo Trinitatis, in eo quod ad imaginem sui Conditoris, perfectæ scilicet et summæ Trinitatis, quæ est in Patre et Filio et Spiritu sancto, condita est. Et licet unius naturæ sit illa, tres tamen dignitates (*j*) habet, id est, intellectum, voluntatem, et memoriam : sine quibus anima perfecta esse non potest. Quod idem, licet aliis verbis, in Evangelio designatur, cum dicitur[9] : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, et ex tota mente tua*, id est, ex toto intellectu tuo, et tota voluntate tua, et ex tota memoria tua. » Imago est in substantia, similitudo in moribus.[10] « Nam sicut ex Patre generatur Filius, et ex Patre Filioque procedit Spiritus sanctus; ita per intellectum generatur voluntas, et ex his ambobus procedit memoria, sicut facile a sapiente quolibet intelligi potest. Nec enim anima perfecta esse potest sine his tribus, nec horum trium unum aliquod, quantum ad suam beatitudinem (*k*) pertinet, sine aliis duobus integrum constat. Et sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus est, non tamen tres dii sunt, sed unus habens tres personas, ita anima intellectus, anima voluntas, anima memoria est, nec tres tamen animæ in uno corpore, sed una anima tres habens dignitates (*j*), atque in his tribus imaginem gerit ejus mirabilem (*l*) in

[1] Bern., *in Cant.*, serm. XX, n. 1. — [2] Id., *in Psal. Qui habitat*, serm. XIV, n. 1, paucis mutatis. — [3] *Psal.* XV, 2. — [4] Bernard., *super Cant.*, serm. LI, n. 6. — [5] *Prov.*, XXIII, 1. — [6] *De Spir. et Anim.*, c. XXXV, in princ., inter Opera S. August., Append. tom. VI. — [7] *Gen.*, I, 26. — [8] *Act.*, XVII, 28. — [9] *Matth.*, XXII, 37. — [10] Ex cap. XXXIX libri *de Spir. et Anim.*

(*a*) *Suppl.* utramque substantiam. — (*b*) *Al.* opera. — (*c*) *Al.* diligeret. — (*d*) *Cæt. edit. deest* ob. — (*e*) *Cæt. edit.* ab excellentia Conditoris. — (*f*) *Suppl.* dignitate et. — (*g*) *Al.* quidem quod. — (*h*) *In Append. Oper. S. Aug.*, *deest* unitatis. — (*i*) *Al.* quod. — (*j*) *Al.* vires. — (*k*) *Al.* habitudinem. — (*l*) *Al.* divinam imaginem gerit mirabiliter.

sua natura noster interior homo. Ex his quasi excellentioribus animæ dignitatibus (*a*) jubemur diligere Deum, ut in quantum intelligitur, diligatur; et in quantum diligitur, semper in memoria habeatur. Nec solus sufficit intellectus, nisi fiat voluntas in amore ejus. Imo nec hæc duo sufficiunt, nisi memoria addatur, qua semper in mente intelligentis et diligentis maneat Deus : ut sicut nullum potest esse momentum, quo homo non (*b*) fruatur Dei bonitate et misericordia; ita nullum sit momentum, quo præsentem eum non habeat in memoria. Et hæc habe de imagine. Nunc vero de similitudine aliqua intellige (quæ in moribus credenda est) : ut sicut Deus qui hominem ad similitudinem suam creavit, charitas est, bonus et justus, patiens et mitis, mundus et misericors, et cætera insignia virtutum suarum, quæ de eo leguntur ; ita homo creatus est, ut haberet charitatem, ut bonus esset et justus, patiens ac mitis, mundus et misericors foret. Quas virtutes quanto plus quisque in seipso habet, tanto propior est Deo, (*c*) majorem sui Conditoris similitudinem gerit. Si vero, quod absit, aliquis per devia vitiorum et diverticula (*d*) criminum (*e*), ab hac nobilissima sui Conditoris similitudine degener aberrat (*f*), tunc fiet de eo, quod scriptum est [1] : *Homo cum in honore esset, non intellexit*, etc. Quis major honor potuit homini esse, quam quod ad similitudinem sui Factoris (*g*) conderetur, et iisdem virtutum vestimentis ornaretur, quibus et Conditor? (Quod quidem nulli alii ex creaturis, nisi soli homini concessit). De quo legitur [2] : *Dominus regnavit, decorem indutus est*, etc., id est, omnium splendore virtutum, et totius bonitatis decore ornatus. Vel, quod majus homini potest esse dedecus, vel infelicior miseria, quam ut hac similitudinis gloria sui Conditoris amissa, ad informem et irrationalem (*h*) brutorum animalium delabatur (*i*) similitudinem? Quapropter, o homo, diligentius attende primæ conditionis tuæ excellentiam, et venerandam sanctæ Trinitatis imaginem in teipso cognosce, honoremque similitudinis divinæ, ad quam creatus es, nobilitate morum, exercitio (*j*) virtutum, et dignitate meritorum, habere contende : ut quando apparuerit (*k*) qualis sit, tunc similis ei appareas, qui te mirabiliter jam ad similitudinem suam in primo Adam condidit, et etiam mirabilius (ut infra patebit) in secundo reformavit. » In prima namque conditione gloria præventus est et honore ; in secunda pietate prosecutus est et amore, ut ingratitudinem tuam erubesceres, et ad Conditorem tuum amorem tuum totum converteres, qui tanto artificio utebatur, ut nullum alium præter ipsum amares. In primo opere conditionis tuæ *de limo terræ plasmavit hominem Deus, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ* [3]. Ecce qualis artifex, qualis unitor rerum, ad cujus nutum sic conglutinantur sibi limus terræ et spiritus vitæ. Limus quidem jam ante creatus erat, quando in principio Deus creavit cœlum et terram; at spiritus sane non communem, sed propriam habet conditionem, nec in massa creatur, sed singulari quadam excellentia inspiratur.

Quem cum in hominem inspirasset, [4] « dedit ei sensum et intellectum, ut per sensum lutum sibi associatum (*l*) vivificaret, et per intellectum regeret. Et ut per intellectum intus ingrederetur, et contemplaretur Dei sapientiam, et per sensum foris egrederetur, et contemplaretur opera sapientiæ : intellectu intus illustravit, sensu foras decoravit, ut in utroque refectionem inveniret, intus ad felicitatem, foris ad jucunditatem. Sed quia bona exteriora diu stare non possunt, jussus est homo ab exterioribus ad interiora redire, ab inferioribus (*m*) ad superna

[1] *Psal.* XLVIII, 13. — [2] *Psal.* XCII, 1. — [3] *Gen.*, II, 7. — [4] *De Spir. et Anima*, c. XIV, circa med.

(*a*) *Al.* viribus. — (*b*) *Suppl.* utatur vel. — (*c*) *Suppl.* et. — (*d*) *Cæt. edit.* divortia. — (*e*) *Al.* malorum. — (*f*) *Cæt. edit.* oberrat. — (*g*) *Al.* Conditoris. — (*h*) *Cæt. edit.* irrationabilem. — (*i*) *Al.* dilabatur. — (*j*) *Al.* exercitatione. — (*k*) *Al.* apparebit. — (*l*) *Al.* sociatum. — (*m*) *Al.* interioribus.

ascendere. Tantæ siquidem dignitatis est humana conditio, ut nullum bonum præter summum ei sufficere possit. »

« Agnosce igitur [1], o homo, dignitatem tuam, agnosce gloriam conditionis tuæ. Est et tibi de mundo corpus; sed tibi sublimius est aliquid, nec omnino comparandum cæteris creaturis. Compacta et confœderata sunt in te caro et anima; illa plasmata, hæc inspirata. [2] Quis non videat, quantum corpori præstet (*a*) anima? Numquid non truncus esset insensibilis, caro inanimata? Ab anima enim pulchritudo, ab anima incrementum, ab anima claritas visus, et sonus vocis. Denique sensus omnis ab anima est, » et per sensus progreditur ad corpus movendum et vivificandum.

Cujus [3] « duplex est vita; alia qua vivit in carne, alia qua vivit in Deo. Duo siquidem sunt sensus in homine, unus interior, et alter exterior, et uterque bonum suum habet, in quo reficiatur (*b*). Sensus interior reficitur in contemplatione divinitatis, sensus exterior in contemplatione humanitatis. Propterea enim Deus homo factus est, ut totum hominem in se beatificaret, et tota conversio hominis esset ad ipsum, et tota dilectio esset in illo : cum a sensu carnis videretur per carnem, et a sensu mentis per divinitatis contemplationem. Hoc erat totum bonum hominis, ut *sive ingrederetur, sive egrederetur, pascua* in Factore suo *inveniret* [4]. Pascua foris in carne Salvatoris; pascua intus in divinitate Creatoris. (Sed, heu!) hoc bonum magnum (*c*) secutum est malum; quoniam perdito bono quod intus erat, egressa est anima ad bona aliena, quæ foris erant, et pactum fecit cum delectationibus sæculi, requiescens super illas, non attendens absentiam boni sui interioris, eo quod consolationes suas cerneret in bonis alienis. Nam cum exterior sensus carnalis bono suo utitur, interior sensus mentis quasi obdormit. Non enim cognoscit bona interioris sensus, qui jucunditate exteriorum bonorum capitur. Nam qui (*d*) carne vivit, in carne sentit, et dolores carnis fugit, in quantum potest; vulnera autem animæ prorsus ignorat, nec medicinam quærit in eis. Cum autem mortuus fuerit sensus animæ, quo vivit in carne, tunc vivificari incipiet sensus ille, quo sentit semetipsam (*e*). Et tunc sciet dolores suos, et sentire incipiet vulnera sua tanto gravius, quanto propius. » Sic enim ad intellectum revocata a corruptione carnalium affectionum, se studet mundare, et ad naturam propriam qua Deum suum, qui eam possedit, fecit et creavit, agnosceret, seipsam incitare, intelligens, quod vita ipsius dilectio est.

[5] Unde scire potes, homo, et intelligere, quod vita animæ tuæ dilectio est, et quod sine dilectione esse non potest, eo quod vita ipsius est.

[6] « Cum anima ad solum Deum appetendum sit creata, jure ei nihil sufficit, quod Deus non sit (*f*). »

[7] Restat igitur, ut verum amorem tuum in melius mutare studeas, eo quod in temporalibus et mundanis verus et permanens amor non est, quibus animæ palatus infatuatur, ne sentiat amorem per desiderium, nec suavitatem per dulcedinem Conditoris sui. Non enim dubito, quin multis jam experimentis didicisti, fallacem esse et fugacem amorem hujus sæculi, quem semper, vel cum perit id quod tibi elegeris, perdere, vel cum aliud, quod magis placet, supervenerit, cogeris mutare. Sic desideriis intus fluctuas, dum nec sine amore esse potes, nec verum amorem invenis. Idcirco quasi in exilio erras, quia dum traheris per concupiscentias temporalium, amorem non invenis æternorum. O! si teipsum suspiceres, o! si animam tuam videres, quæ specie sua omnium visibilium decorem et pulchritudinem vincit, agnosceres certe, quanta reprehensione dignus

[1] Bern., *in Nativ. Dom.*, serm. II, n. 1. — [2] Ibid., n. 2. — [3] *De Spir. et Anima*, c. IX, versus fin. — [4] *Joan.*, X, 9. — [5] Ex Hug., *de Arrh. Anim.*, fere in princ. — [6] Gregor., *Moral.*, lib. XXVI, c. XXVIII, al. XLIV, n. 79. — [7] Ex Hug., ubi sup., non longe a princ., sparsim.

(*a*) *Ita Mabillon; cæt. edit.* præstat. — (*b*) *Al.* reficitur. — (*c*) *Cæt. edit.* magnum bonum. — (*d*) *Al. add.* in. — (*e*) *Cæt. edit.* semetipsum. — (*f*) *Al.* est.

fueris, cum aliquid extra te amore tuo dignum existimabas. Ideo tibi injuriam facis, qui vel inhonesta, vel certe ea, quæ amore tuo digna non sunt, in societatem dilectionis admittis. Nunc vero quia faciem tuam, et speciem vultus tui, quæ in anima est, qualis sit, contemplari non potes, facilius in ea, quæ foris admiranda videntur, affectum dilectionis extendis : præsertim, quia amor nunquam solitarius esse patitur; quia et in hoc ipso jam quodammodo amor esse desinit, si in alterum parilitatis consortem, vim dilectionis non diffundit. Scire tamen debes, quod idcirco vis dilectionis non extinguitur, si a rebus abjectis et vilibus appetitus ejus cohibeatur. Imo ille magis sibi injuriam facit, qui vel inhonesta, vel certe ea, quæ amore suo digna non sunt, in societatem dilectionis admittit. Primum igitur necesse est, ut teipsum consideres, et (*a*) cum cognoveris dignitatem tuam, quam proposui superius, imo et illam, quæ patet inferius, nec (*b*) injuriam facias amori tuo, abjectiora te non ames. Nam et ea, quæ per se considerata pulchra sunt, pulchrioribus comparata, vilescunt. Non vis habere amorem solitarium, nec enim potes, noli tamen habere prostitutum. Quæras ergo unicum, quæras et unice dilectum. Scis enim quia amor ignis est, et ignis quidem fomentum quærit. Sed cave, ne injicias quod fumum potius, aut fœtorem ministrat. Ea vis amoris est, ut talem te esse necesse sit, quale est illud quod amas, et cui per affectum contigeris (*c*), in ipsius similitudinem ipsa quodammodo dilectionis societate transformeris. Similitudo namque causa est amoris. Tuæ igitur pulchritudinem animæ attende, et intelliges qualem debeas pulchritudinem diligere. Sponsum habet, sed nescit : pulcherrimus est omnium, sed faciem ejus nondum vidit. Ille eam vidit, quia nisi eam vidisset, non eam diligeret. Sed vidit, quia eam creavit, quæ ipsius amore digna foret. Noluit adhuc seipsum ei præsentare, sed munera misit, arrham dedit, pignus amoris, signum dilectionis. Si cognoscere illum posset, speciem ejus videret, non amplius de sua pulchritudine dubitaret. Sciret enim quod tam pulcher, tam formosus, tam elegans, tam unicus in suo affectu captus non esset, nisi eum singularis decor, et ultra cæteros admirandus traheret. Nunc videre illum non potest, qui absens est; et ideo non timet, neque erubescit illi injuriam facere, quia singularem ejus amorem contemnit. Si vero adhuc scire non potest qualis ille sit qui eam diligit, consideret saltem arrham, quam dedit. Fortassis in ipso munere ejus, quod penes eam est, poterit agnoscere quo affectu eum diligere, quo studio et diligentia se illi debeat conservare. Insignis est arrha ejus, nobile donum ejus, quia nec magnum decuit, ut parva daret, nec pro parvo sapiens magna dedisset. Magnum ergo est quod illi dedit; sed majus est quod in ipsa diligit. Respice universum mundum istum, et considera si aliquid in eo sit, quod tibi ob causam amoris illius non serviat. Omnia propterea facta sunt, ut serviant homini. Omnis natura ad hunc finem cursum suum dirigit, ut obsequiis tuis famuletur, et utilitati deserviat, tuisque oblectamentis pariter et necessitatibus secundum affluentiam indeficientem occurrat. Hoc cœlum, hoc terra, hoc aer, hoc maria, cum eis quæ in eis sunt universis, explere non cessant. Hoc circuitus temporum, annuis innovationibus, et redivivis partubus, antiqua innovans, dilapsa reformans, consumpta restaurans, pastu perpetuo subministrat. Quis ergo, putas, hoc instituit? quis hæc naturæ præcepit, ut sic uno consensu tibi serviat? Beneficium accipis, et auctorem ejus non cognoscis. Donum in manifesto est, largitor occultus. Et tamen ipsa te ratio dubitare non sinit, hoc tuum non esse debitum, sed beneficium alienum. Multum igitur tibi contulit, qui hoc totum, et tantum, et tibi dedit. Multo (*d*) ergo diligendus est, qui tantum dare potuit; et qui tantum dare voluit, multum dilexit. Tantum

(*a*) *Leg.* ut. — (*b*) ne. — (*c*) conjungeris. — (*d*) multum.

ergo diligens et tantum diligendus, dono suo demonstrat, ut quam stultum est amorem tam potentis non ultro concupiscere, tam impium sit atque perversum, tam diligentem non amare. Vide ergo quid agis, cum in hoc mundo amari et amare concupiscis. Totus mundus tibi subjectus est; et tu, non dico totum mundum, sed nescio quam aliam mundi portiunculam, quæ nec specie pulchra, nec utilitate necessaria, nec quantitate magna, nec bonitate optima antecedat, in societatem tui amoris admittere non aspernaris. Certe, si hæc diligis, ut subjecta dilige, ut famulantia dilige, ut munera amici, ut beneficia Domini : sic tamen ut semper memineris quid illi debeas ; nec ista pro illo, nec ista cum illo, sed ista propter illum, et per ista illum, et supra ista illum diligas.

Quia amor quo aliquis amat Deum propter temporalia, contumeliosus est Deo. Temporalia, qui sic amant, præferunt ei. Propter quod enim unumquodque amatur, illud magis amatur. Unde boni ad hoc utuntur mundo, ut fruantur Deo. Mali autem e contra, ut fruantur mundo, uti volunt Deo. Uti namque [1] est, quod in usum venerit, referre ad obtinendum illud, quo fruendum est : alias abuti est.

[2] Non ergo munera dantis, plus quam amantis affectum diligas. Majorem charitati ejus injuriam facis, si dona illius accipis, et tamen vicissitudinem dilectionis non rependis. Aut dona illius, si potes, respue ; vel, si dona respuere non potes, vicissitudinem amoris rependе. Dilige illum, dilige te propter illum, dilige dona illius propter illum. Dilige illum, ut fruaris illo : dilige te, ut diligaris ab illo.

[3] « Ex hoc enim diliges te, quod diligis Deum ex toto te. »

[4] Dilige in donis illius, quod data sunt ab illo. Illum tibi, et te illi dilige : dona illius ab illo tibi, propter te.

[5] Anima temporalia amans, quasi inquinata, indigna est Dei amore.

[6] « Si alicujus pulchræ fœminæ flagrares amore, jure se tibi non daret, si aliud quidquam præter se a te amari comperisset. » Sic qui in bonis temporalibus amorem suum ponit, Dei amore indignus est.

[7] Amor illius nullam vitiorum patitur fœditatem, nullam consentit secum esse carnalium desideriorum voluptatem.

Dicis mihi forte : Cum superius [8] dixeris, non solum unicum, sed unice electum esse debere amorem, id est, in solum dilecto, et solum diligendo constitutum, eo quod perfecte laudabilis amor non sit, si vel alter cum solo diligitur, vel qui summe diligendus non solus amatur : ecce ego unice dilectum, et unice electum diligo; sed hanc hujus dilectionis meæ injuriam patior, quod solus diligens, solus non amor. Nam hanc dilectionis ejus arrham, quam mihi objicis, quot sunt, vel certe quales sunt, cum quibus hæc mihi communis est, tu ipse agnoscis. Quomodo igitur de privilegio singulari potero gloriari, qui hoc, quod tam magnum asseris, non dicam cum bestialibus, sed et cum ipsis bestiis commune accepi? Quid mihi lux solis amplius confert, quam reptilibus et vermibus terræ? Omnia similiter vivunt, omnia spirant, idem pastus, idem potus omnium. Non ita satis congrue diligendum singulariter probas, si non et ipsum quoque vel in aliquo singulariter dilexisse demonstrans.

Ad quod respondeo. Tria quædam sunt, in quibus id, quod te movet, invenis. Discerne, quæ dona a Deo tuo accepisti : alia communiter, alia specialiter, alia singulariter data sunt. Communiter data sunt, quæ omnibus propter te tecum serviunt. Specialiter vero data sunt, quæ multis, non tamen omnibus propter te tecum concessa sunt. Singulariter data sunt, quæ tibi soli sunt data. Numquid ideo minus te diligit, quia quædam dona

[1] Ex Aug., *de Civit. Dei*, lib. VII, c. XXV. — [2] Hug., ubi sup., longe a princ. — [3] Aug., *De div.*, serm. II, al. XXXIV, n. 8. — [4] Hug., ubi sup. — [5] Bern. — [6] Aug., *Soliloq.*, lib. I, c. XIII, n. 22. — [7] Anselm. — [8] Aug., ubi sup.

sua tecum simul cum omnibus concessit? Numquid feliciorem te fecisset, si tibi soli mundum dedisset? Astrueris, homo, quod omnia propter te singulariter facta sunt, et singulariter tibi data sunt : ecce non sint creati homines super terram, non sint bestiæ, solus mundi divitias possides. Ubi igitur illa grata et utilis societas humanæ conversationis? ubi solatia? ubi oblectamenta quibus jam frueris? Vide igitur, quia et in hoc tibi multum contulit, quod hæc ad solamen tecum creavit. Si mundus iste et hæc omnia tibi serviunt, quomodo etiam omnia ad obsequium tuum facta non sunt? Numquid paterfamilias solus panem suum comedit? numquid solus poculum suum bibit? numquid solus vestimentis suis induitur? numquid solus calefit igne suo? numquid solus habitat in domo sua? Totum tamen non immerito ejus dicitur, quidquid habent ii, qui ei vel per dilectionem, vel per subjectionem famulantur. Sive igitur illa quæ tibi serviunt, sive illa quæ tibi servientibus necessaria sunt, omnia tibi data sunt, omnia tibi obsequia impendunt.

Dicis adhuc forte : tuæ rationes hoc persuaserunt, ut illa quoque singulariter mihi donata crederem, quæ in usum servientium mihi communiter donata viderem. Hinc doceor omnia, quibus vita irrationalium fovetur, meæ potius ditioni esse assignanda, propterea quod illa quoque, quæ in his aluntur, in usum meum sunt deputata. Privilegium tamen singularis amoris exinde non astruitur, quia hæc (*a*) non solum mihi, sed cunctis similiter hominibus, et multis vero amplius subjecta esse noscuntur. Est namque specialis quidam amor ad homines, quo quidem ipsi homines aliis creaturis, non autem ad invicem amplius gloriari habent. Nam quod in assertione singularis amoris dicis, etiam mihi inter cætera donatam esse societatem hominum, cum tam mea illis, quam illorum mihi donata sint, nihil in hoc singulare reperire possum. In qua societate non solum me lædit amissa gloria singularitatis, sed vilitas participationis. Quot enim increduli sunt, quot scelesti, quot impuri sunt, qui in societate similiter gloriari possunt!

Sed te turbare non debet, quod in usu rerum temporalium, eadem bonis et malis conditio concessa est; nec idcirco eos similiter a Deo amari existimes, quia his omnibus tecum similiter communicare vides. Nam sicut bestiæ non propter se, sed propter homines creatæ sunt : ita mali homines non propter se, sed propter bonos vivunt. Et sicut vita eorum utilitati bonorum deservit : sic omne quo vita eorum alitur, dubium non est, quin ad ditionem bonorum referendum sit. Idcirco autem mali inter bonos vivere permittuntur, ut societas illorum, bonorum vitam exerceat, quos et felicitate sua admonent potiora his, et quæ mali communicare non possunt, bona quærere, et iniquitate sua cogunt arctius virtutem amare. Postremo, ut dum illos, divina gratia destitutos, vident per quælibet abrupta vitiorum ruere, discant quantas pro sua salute debeant Creatori gratias referre. Ratio siquidem divinæ dispensationis, ad nostræ salutis augmentum et glorificationis documentum, hoc exigebat, ut sicut in vita bestiarum discimus (*b*) summam felicitatem non esse his uti, ita quoque in vita malorum hominum discamus, non esse summam felicitatem his dominari. Similiter ergo bonis et malis ista concedi debuerunt, quia aliter boni potiora sibi servari non crederent, nisi ista tam bonis, quam malis communia esse viderent. Nihil igitur, o homo, amplius de societate aut felicitate malorum conqueraris ; imo multum tibi placeat, et ad amandum Creatorem tuum arctius hoc te excitet, eo quod sunt flagella Patris misericordiarum, erudientis filium suum ex amore paterno.

[1] Aug., *Enarr. in Psal.* LIV, n. 4.

[1] « Omnis namque malus aut ideo vivit, ut corrigatur ; aut ideo vivit, ut per illum boni exerceantur. »

(*a*) *Edit. Vn.* hoc. — (*b*) dicimus.

[1] Nec idcirco in privilegium singularis amoris tecum adscribendos putes, quia in usu eos et dominio rerum transeuntium socios habueris ; quia etiam in hoc, sicut jam dixi, saluti tuæ proficiunt, quod istis tecum non tantum uti, sed et dominari possunt. Quid autem de societate bonorum dicam? Dixi autem societatem hominum dono tibi Creatoris esse concessam, ut inde solamen vitæ accipias, ne quadam solitaria et inerti vita destitutus contabescas. Sicut igitur vita malorum tibi est exercitium, sic solamen est vita bonorum : qui certe tales sunt, quos nec felicitatis tuæ participes, nec amoris tui debeas aspernari consortes. Nam si vere bonos diligis, quidquid illis beneficii impenditur, inde charitas, quæ in te est, non quasi de alieno, sed quasi de proprio gloriatur. Licet igitur beatum esset isto amore vel solum perfrui, multo beatius in ipso cum multorum bonorum congratulatione delectari : quia cum in eos, qui etiam comparticipant affectus dilectionis, expanditur charitatis gaudium, et suavitas ampliatur. Spiritualis namque amor tunc melius cuique fit singularis, quando omnibus est communis : nec participatione plurium minuitur, cujus fructus unus et idem totus in singulis reperitur : ac per hoc etiam singulariter diligit te, quia nil diligit sine te. Sic igitur singulis adest, quasi omnibus, quia nec alium, nec majorem dilectionis affectum singulis impenderet, si absque cunctorum participatione singulos amaret. Nihil ergo de privilegio singularis amoris tui societas bonorum præscribit, quia amator tuus in omnibus diligit te, quia nihil diligit sine te. Non autem timeas animum illius in amore plurium quasi per affectum distrahi, et idcirco minorem esse ad singulos, quod partitus quodammodo et divisus videatur in cunctos. Ergo omnes unum unice diligant, ut omnes ab uno unice diligantur : quia nec alius præter unum unice ab omnibus diligendus est, nec alius præter unum unice omnes diligere potest. Omnes autem in uno se quasi unum diligant, ut unius dilectione unum fiant. Iste amator unicus est, non tamen privatus : solus, non tamen solitarius : participatus, nec divisus : communis, et singularis : cunctorum singularis, et singulorum totus, nec participatione decrescens, nec usu deficiens, nec tempore veterascens, antiquus et novus, affectu desiderabilis, experientia dulcis, fructu æternus, jucunditate plenus, reficiens et satians, nec unquam fastidium generans. Ut autem tibi plenius satisfaciam, demonstrabo qualiter iste sponsus et amator castitatis, singulis quos diligit, quasi omnibus affectu et effectu adsit. In hoc quoque providit tibi Deus, optimus amator tuus, ne nihil esset, in quo singulariter de ipso gloriari non possis; sed sicut communia et specialia dedit, sic et singularia tribuit. Communia quidem sunt ea quæ in usum universorum veniunt, sicut est lux solis, spiramen aeris. Specialia vero, ut ea, quæ non omnibus, sed quasi cuidam societati concessa sunt, sicut est fides, sapientia, et disciplina. Singularia autem, ut ea, quæ unicuique propria impartita sunt, sicut Petro principatus in apostolis, Paulo apostolatus in gentibus, Joanni privilegium amoris. Considera ergo, quæ communia cum omnibus, quæ specialia cum aliquibus, quæ singularia solus acceperis. In omnibus his te dilexit, quæ vel communiter cum omnibus, vel specialiter quibusdam, vel singulariter tibi soli tribuit. Cum his omnibus rursum te dilexit, qui de participatione doni sui sociavit. Præ his omnibus te dilexit, quibus singularis dono gratiæ te prætulit. In omni creatura dilectus es, cum omnibus bonis dilectus es, præ omnibus malis dilectus es. Et ne parum tibi videatur, quod præ omnibus malis dilectus es, quanti boni sunt, qui minus te acceperunt, attende; nec parum existimes vel in tantis, et cum tantis esse dilectum, nisi et bonos omnes habeas socios, malos vero, et quæ condita sunt universa, subjectos. Vidisti ergo quanta sunt, in quibus di-

[1] Hug., ubi sup., non longe a med.

lectus es; vidisti quales sunt, cum quibus dilectus es. Nunc quod præ omnibus dilectus es, considera, quantum potes. Tu enim nosti quid acceperis, et necesse habes adhuc melius nosse, ne incipias vel de his, quæ non accepisti, præsumere, vel de his, quæ accepisti, gratias non referre. Nam et ipse idcirco hæc tibi dedit, ut tu ea semper in memoria habeas, et nunquam ab ejus amore oblivione tabescas. Primum cogita, homo, quod aliquando non fueris, et ut esse inciperes, hoc ejus dono acceperis. Donum ergo ejus erat, ut fieres. Sed numquid tu ei aliquid dederas, priusquam fieres, quod tibi hoc ab eo redderetur, ut fieres? Nihil prorsus, nihil tu dederas, nihil dedisse poteras, priusquam fieres; sed gratis accepisti, ut ab eo fieres. Cui ergo prælatus es, in eo quod factus es? Quis minus accipere potuit, quam qui, ut fieret, accepit? Et tamen nisi hoc esset, aliquid accipere non poterat, qui non erat, et nisi incipere esse quam non esse melius esset, nihil ille, qui est, eo qui non est, amplius accepisset.

[1] « Cur ergo, homo, totum ei te debere non attendis, quem tui totius non ignoras auctorem? Quid ergo tu, qui Deum tuum tenes non solum gratuitum vitæ tuæ largitorem, largissimum administratorem, pium consolatorem, sollicitum gubernatorem, sed insuper etiam copiosissimum redemptorem, æternum conservatorem, ditatorem et glorificatorem? Dignus plane est morte, qui ei recusat vivere. Quid retribues Domino pro omnibus his? »

[2] Sed quare fecit te Deus tuus, nisi quia esse magis, quam non esse, voluit te, et plus dilexit te omnibus his, quæ accipere non meruerunt illud ab illo? Cum ergo Deus tuus esse tibi dedit, bonum, et magnum bonum, et pulchrum bonum dedit tibi. Et te, cum hoc tibi daret, prætulit omnibus, quibus hoc tantum bonum suum dare noluit. A Deo nostro, a quo facti sumus, qui non fuimus, omnibus qui facti non sunt, amplius accepimus : qui utique si amplius nihil dedisset, pro eo ipso tamen semper a te laudandus et diligendus esset.

[3] Merito igitur totum exigit te, qui fecit te.

[4] Nunc autem amplius dedit, quia dedit non solum esse, sed pulchrum esse, quoad animam dico, et formosum esse : quod quantum superat nihil per existentiam, tantum antecedit aliquid per formam, in quo multum placeat id quod est, et amplius quod tale est. In quo omnibus te prælatum aspice, quos tale et tam excellens bonum existendi vides non accepisse. Sed nec hic terminari potuit munificentia largitoris optimi. Adhuc aliquid plus dedit, et magis nos ad similitudinem suam traxit. Voluit enim ad se trahere per similitudinem, quos ad se trahebat per dilectionem. Dedit ergo nobis esse, et pulchrum esse, et vivere, et ut præcellamus et iis, qui non sunt per essentiam, et iis quæ inordinata aut incomposita sunt per formam, et quæ inanimata per vitam. Magno ergo debito obligatus es. Multum accepisti, et nihil a te habuisti : et pro his omnibus non habes quid retribuas, nisi tantum ut diligas. Accepisti autem hoc totum per dilectionem.

[5] « Amor per se sufficit, is per se placet, et propter se. Ipse meritum, ipse præmium est sibi. Magna res amor, solus ex omnibus animæ motibus, sensibus atque affectibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo, respondere Auctori. Verbi gratia, si mihi irascatur Deus, num ego illi similiter redirascar? Non utique; sed pavebo, sed contremiscam, sed veniam deprecabor. Ita si me arguat, non redarguetur a me; nec si me judicabit, judicabo ego eum : si dominatur, me oportet servire; si imperat, me oportet parere, et non vicissim a Domino vel servitium exigere, vel obsequium. Nunc videas jam de amore quam aliter sit : nam cum amat Deus, nihil aliud vult, quam

[1] Bern., *de dilig. Deo*, c. V, n. 14 et 15, paucis mutatis. — [2] Hug., ubi sup. — [3] Aug. — [4] Hug., ubi sup. — [5] Bern., *super Cant.*, serm. LXXXIII, n. 4.

amari. Quippe non ad aliud amat, nisi ut ametur, sciens ipso amore beatos, qui se amaverint. [1] Magna igitur res est amor, sed si fuerit purus. Purus amor mercenarius non est, purus amor de spe vires non sumit, nec tamen diffidentiæ damna sentit. »

[2] Scias igitur, quia quod per dilectionem datum est, nec melius nec decentius, quam per dilectionem rependi potest.

[3] Quia non solum Deum (*a*) hominem amare voluit, sed etiam ab eo vult amari. Nam cum ipse immensus sit, tamen amorem suum ponere voluit in hominem, qui est quasi putredo et vermis. Quanta dignatio! quanta dilectio!

Et hoc considera. [4] Poterat autem etiam Deus aliis creaturis suis dedisse vitam ; sed amplius in hoc dono dilexit te. Nec ideo plus dilexit te, quoniam plus diligendum invenit in te ; sed quia gratuito plus dilexit te. Talem fecit te, ut jam merito plus diligat te. Quid hæc omnia faciant diligenter considera : nisi invenerint considerantis animum ab omni penitus pravo vindicatum amore, et ad se mirabiliter rapiunt, et vehementer afficiunt.

[5] Vide ergo quomodo, imo quam sine modo a nobis Deus amari meruerit, qui prius dilexit nos, tantus et tantum, et gratis tantillos et tales. Modus idcirco diligendi Deum esse debet, sine modo diligere. Cum vero dilectio, quæ tendit in Deum, tendat in immensum, tendat in infinitum, nam et immensus et infinitus est Deus, quisnam, quæso, debeat finis nostri esse, vel modus amoris?

Modus tamen diligendi Deum est, ut ipse ametur super omnia, et propter se, quia [6] « minus eum amat, qui cum eo aliquid amat, quod propter eum non amat. »

[7] Præterea post esse, post pulchrum esse, et post vivere, datum est sentire, datum est et discernere, et per eamdem dilectionem datum est, quæ nisi præcessisset, nihil a largiente datum, nihil ab indigente acceptum fuisset. Quam sublimis et quam decorus in anima factus es! Quid sibi iste ornatus tantus ac talis voluit, nisi quia idem ipse, qui induit, consortem suo palatio, suæ gloriæ præparavit? Novit ad quod opus te conderet, novit qualis ornatus illud opus deceret : et ideo dedit quod decuit, et quod tantum decuit, ut et ipse diligeret hoc, qui dederit. Sensibus foris decoravit, intus sapientia illustravit : sensus dans, quasi exteriorem ornatum ; sapientiam, quasi interiorem habitum ; sensus, quasi quasdam gemmas fulgentes appendens exterius ; sapientiam, quasi naturali pulchritudine faciem vultus tui decorans intus. Ecce ornatus tuus omnium gemmarum vincit pulchritudinem. Ecce facies tua omnium formarum superat decorem. Talem te omnino esse decebat, qui ad cœlestis palatium curiæ introducendus eras. Quantum dilectus es, et præ quantis dilectus es, quando talis factus es! Quam singulare donum, quod non omnibus concessum, non nisi dilectis et diligentibus concedendum. Multum gloriari poteras, et multum custodire debueras, ne tale donum perderes, ne tale ornamentum fœdares, ne tantum decorem corrumperes, et eo amisso vel imminuto, amplius miser fieres, quam eo non accepto, vel non perfecto miser fuisses : ne te cum damno amissæ pulchritudinis, simul torqueret confusio fœditatis ; et abjectus, vilior fieres, quam si receptus non fuisses. Istud custodiendum, et illud cavendum fuerat, ut istud custoditum persisteret, et illud cautum non eveniret. Sed vide quid fecisti : dereliquisti Deum amatorem tuum, et cum alienis prostituisti amorem tuum, fœdasti pluchritudinem tuam, dispersisti ornatum tuum. Oblitus es Domini Creatoris tui, et pro tantis beneficiis condignas grates non egisti. Ideo vero ad majorem confusionem tuam hæc dixi, ut eo magis odio di-

[1] Bern., *Super Cant.*, serm. LXXXIII, n. 5. — [2] Hug., parum ante med., ubi sup. — [3] Bern. — [4] Hug., ubi sup. — [5] Bern., *de dilig. Deo*, c. VI, n. 16. — [6] August., *Conf.*, lib. X, c. XXXI. — [7] Hug., ubi sup.

(*a*) *Leg.* Deus.

gnum ostenderem, quo tantis beneficiis acceptis, et non custoditis, ingratum comprobarem, et ut magis de cætero illi fias obnoxius, qui te fecit, cum non eras, et redemit, cum perieras. Nam illud quoque in assertione amoris illius commemoravi, ut inde occasione accepta, tibi narrare incipiam, quantum amator tuus, qui tam excelsus apparuit, cum te conderet, humiliari dignatus est, cum repararet : illic tam sublimis, hic tam humilis ; non tamen hic, quam illic, minus amabilis. Illic potenter tibi magna contulit ; hic misericorditer pro te dura sustinuit. Ut enim te relevaret illic (*a*) unde cecideras, ipse descendere dignatus est huc, ubi jacebas. Et ut tibi juste redderetur, quod perdideras, ipse dignatus est pie pati quod tolerabas. In primis vero, quod nullo modo poterat homo labore, pœna vel merito dignitatem, quam peccando amiserat, promereri, ostendam tibi qua necessitate vel ratione Deus, cum sit omnipotens, humilitatem et infirmitatem humanæ naturæ pro ejusdem restauratione assumpserit.

[1] « Oportebat namque, ut sicut per hominis inobedientiam mors in humanum genus intraverat, ita per hominis obedientiam vita restitueretur ; et quemadmodum peccatum, quod fuit causa nostræ damnationis initium habuit a femina, sic nostræ justitiæ et salutis Auctor nasceretur de femina ; et ut diabolus, qui per ligni gustum, quem persuasit, hominem vicerat, ita per passionem ligni, quam intulit, ab homine vinceretur. »

Sed ipsa hominis liberatio nec per aliam, quam per Dei personam fieri decuit, nec potuit : quia [2] « quæcumque persona alia hominem a morte æterna redimeret, ejus servus idem homo recte judicaretur. Quod si esset, nullatenus restauratus esset in illam dignitatem, quam habiturus erat, si non peccasset : cum ipse, qui non nisi servus Dei, et æqualis angelis bonis, per omnia futurus erat, servus esset ejus qui Deus non esset, et cujus angeli servi non essent. »

Quod vero homo per aliam, quam per Dei personam, liberari non potuit, manifeste verum esse attende. [3] Constat Deum proposuisse, ut de hominibus angelos, qui ceciderant, restauraret. Tales ergo oportet esse homines in illa civitate superna, qui pro angelis in illam assumentur, quales illi futuri erant, pro quibus ibidem erunt, id est tales, quales nunc sunt boni angeli. Alioquin non erant restaurati, qui ceciderunt : et sequetur, quod Deus aut non poterit perficere bonum, quod incœpit, aut pœnitebit eum tantum bonum incœpisse : quæ duo absurda sunt. Oportet ergo, ut æquales sint homines bonis angelis. Cum ergo boni angeli nunquam peccaverint, potesne cogitare, quod homo, qui secundum quod homo aliquando peccavit, nec unquam Deo pro peccato satisfecit, sed tantum impunitus dimittitur, æqualis sit angelo, qui nunquam peccavit? Minime. Non ergo decet Deum, hominem peccantem sine satisfactione, ad restaurationem angelorum assumere perditorum, quoniam veritas non patitur eum levari ad æqualitatem beatorum. Considera etiam in solo homine, sine hoc quod debet angelis æquari, utrum eum taliter Deus ad beatitudinem illam, vel talem qualem habebant antequam peccarent, debeat provehere? Ponamus per exemplum, aliquem in manu tenere margaritam pretiosam, quam nulla unquam pollutio tetigit, et quam nullus possit alius amovere de manu ejus, nisi ipso permittente : et eam disponat recondere in thesaurum suum, ubi sunt charissima et pretiosissima quæ possidet. Quod si permittat ipse eamdem margaritam ab aliquo invido excuti de manu sua in cœnum, cum prohibere possit, ac postea eam de cœno sumens, pollutam et non lotam in aliquem mundum et charum locum, deinceps illam sic servat et recondit, putabisne illum sapientem? Non, si recte

Exemplum.

[1] Anselm., *Cur Deus homo*, lib. I, c. III. — [2] Ibid., c. V. — [3] Ibid., c. XVIII, al. XIX, paucis mutatis.

(*a*) *Leg.* illuc.

sapis. An non similiter faceret Deus, qui hominem, angelis sociandum, sine peccato quasi in manu sua tenebat in paradiso, et permisit ut accensus invidia diabolus eum in lutum peccati, quamvis consentientem, dejiceret? Si enim prohibere vellet diabolum, non posset tentare hominem. Nonne, inquam, similiter faceret, (*a*) si hominem peccati sorde maculatum, sine omni lavatione, id est, absque omni satisfactione talem semper mansurum, saltem in paradisum, de quo ejectus fuerat, reduceret? »

[1] « Tene igitur certissime, quia sine satisfactione, id est, sine debiti solutione spontanea, nec Deus potest peccatum impunitum dimittere, nec peccator ad tantam beatitudinem, vel talem qualem habebat antequam peccaret, pervenire. »

Firmiter igitur crede, ne dubites, [2] « quia secundum mensuram peccati oportet satisfactionem esse. Et tu quid solves pro peccatis? Forsitan dices pœnitentiam, cor contritum et humiliatum, abstinentias et multimodos labores corporis, et misericordiam dandi et dimittendi, et obedientiam. Quid in omnibus his das Deo? Vide et diligenter considera, quia cum reddis Deo aliquid quod debes, etsi non peccasti, non debes hoc computare pro debito. Omnia autem illa debes Deo, quæ dicis. Tantus namque debet esse in hac mortali vita amor, et ad quod pertinet oratio, et desiderium perveniendi ad hoc ad quod factus es, et dolor, quia ibi non es, et timor ne non pervenias, ut nullam lætitiam sentire debeas, nisi de his, quæ tibi auxilium aut spem dant perveniendi. Quid ergo das Deo, quod non debes, cui totum quod es, et quod habes, et quod potes, debes, ne pecces? Nihil igitur in omnibus das Deo, quod non debes. Quid ergo solves Deo pro peccato tuo, cum nihil habeas, quod pro peccato solvas? »

Et si [3] « graviter peccamus quotiescumque scienter aliquod quamlibet parvum contra voluntatem Dei facimus, » quid faciet miser homo peccator, quid Deo pro peccato solvet, qui tot et tanta non solum gravia, sed et enormia sciens et prudens commisit per longum tempus, imo fere tota vita sua, et quasi sus in volutabro luti delectabiliter in eisdem jacuit? [4] « Si secundum quantitatem peccati exigit Deus satisfactionem, nec satisfacis, si non reddis aliquod majus, quam id pro quo peccatum facere non debueras, quia sic ratio exigit: » quid facies, quid solves Deo, tot malis obvolutus?

Item [5] « homo in paradiso sine peccato factus, quasi positus est pro Deo inter Deum et diabolum, ut vinceret diabolum, non consentiendo suadenti peccatum, ad honorem Dei, et ad confusionem diaboli, cum ille infirmior in terra non peccaret, eodem diabolo suadente, qui fortior peccavit in cœlo nullo suadente. Et cum hoc facere posset, nulla vi coactus, sed sola suasione sponte se (*b*) vinci permisit ad voluntatem diaboli, et contra voluntatem Dei et honorem. Judica ergo, homo, tu ipse, si non est contra honorem Dei, ut homo reconcilietur illi cum calumnia hujus contumeliæ Deo irrogatæ, nisi prius honoraverit Deum vincendo diabolum, sicut illum inhonoravit victus a diabolo. Victoria vero talis debet esse, ut sicut fortis ac potestate immortalis consensit facile diabolo ut peccaret, unde juste incurrit pœnam mortalitatis; ita infirmus et mortalis, qualem ipse se fecit, per mortis difficultatem vincat diabolum, ut nullo modo peccet: quod facere non potest, quandiu ex vulnere primi peccati concipitur et nascitur in peccato. Adhuc accipe unum, sine quo non reconciliatur homo, nec minus impossibile.

[6] « Quid abstulit homo Deo, cum vinci se permisit a diabolo? Nonne abstulit Deo quidquid de humana natura facere proposuerat? Intende in districtam (*c*) justitiam,

[1] Anselm., *Cur Deus homo*, lib. I, c. XIX. — [2] Ibid., c. XX. — [3] Ibid., c. XXI. — [4] Ibid. — [5] Ibid., c. XXII. — [6] Ibid., c. XXIII.

(*a*) *Cæt. edit. add.* ac. — (*b*) *Cæt. edit. deest* se. — (*c*) *Cæt. edit.* industriam et.

et judica secundum illam (*a*), utrum ad æqualitatem peccati homo satisfaciat Deo, nisi idipsum quod, permittendo se vinci a diabolo, Deo abstulit, diabolum vincendo restituat : ut quemadmodum per hoc quod est victus, rapuit diabolus quod Dei erat, et Deus perdidit ; ita per hoc quod vincat, perdat diabolus, et Deus recuperet. Nullatenus ergo debet aut potest accipere homo a Deo, quod Deus illi dare proposuit, si non reddit Deo totum quod illi abstulit, ut sicut per illum Deus perdidit, ita per illum recuperet. Quod non aliter fieri valet, nisi ut quemadmodum per victum tota humana natura corrupta et quasi fermentata est peccato, cum quo nullum Deus assumit ad perficiendam illam civitatem cœlestem, ita per vincentem justificentur tot homines, quot illum numerum completuri erunt, ad quem complendum factus est homo. Et hoc facere nullatenus potest peccator homo, quia peccator peccatorem justificare nequit. Nihil ergo justius, nihil impossibilius. »

Attende adhuc.[1] Si homo dicitur injustus, qui homini non reddit quod debet, multo magis injustus est, qui Deo quod debet non reddit. Quod si reddere non potest, quomodo injustus est? Audi. Forsitan si nulla est in illo causa impotentiæ, aliquatenus excusari potest. Sed si in ipsa (*b*) impotentia culpa est, sicut non levat (*c*) peccatum, ita non excusat non reddentem debitum. Nam si (*d*) quis injungat opus aliquod servo suo, et præcipiat illi ne se dejiciat in foveam, quam illi demonstrat, unde nullatenus exire possit, et servus ille contemnens mandatum et monitionem domini sui, sponte in monstratam se mittat foveam, ut nullatenus possit opus injunctum facere, putasne aliquatenus illi impotentiam illam ad excusationem valere, cum opus injunctum non faciat? Non ; imo dupliciter peccavit, quia et quod jussus est facere, non fecit, et quod præceptum est ut non faceret, fecit. Ita homo, qui se sponte obligavit illi debito, quod solvere non potest, et sua culpa dejecit se in hanc impotentiam, ut nec illud possit solvere quod debebat ante peccatum, id est, ne peccaret, nec hoc quod debet, quia peccavit, inexcusabilis est. Ipsa namque impotentia culpa est, quia non debet eam habere, imo debet eam non habere. Nam sicut culpa est non habere quod habere debet, ita culpa est habere quod debet non habere. Sicut igitur culpa est homini non habere potestatem illam quam accepit, ut posset cavere peccatum ; sic culpa est illi habere impotentiam, qua nec justitiam tenere et peccatum cavere, nec quod pro peccato debet reddere potest. Sponte namque fecit, unde perdidit illam potestatem, et devenit in hanc impotentiam. Illud enim est non habere potestatem quam debet habere, et habere impotentiam quam debet non habere. Quapropter impotentia reddendi Deo quod debet, quæ facit ut non reddat, non excusat hominem, si non reddit, quoniam effectus peccati non excusat peccatum quod facit. Injustus est ergo homo, qui non reddit Deo quod debet ; et injustus est, quia reddere nequit. Et nullus injustus admittetur ad beatitudinem, quoniam quemadmodum beatitudo est sufficientia in qua nulla est indigentia, sic nulli convenit nisi in quo ita pura est justitia, ut nulla sit injustitia. »

Cum igitur videas peccatorem hominem hoc debere Deo pro peccato, quod vel reddere nequit, et nisi reddiderit, salvari nequit, instruendus es, ne forte desperes, qualiter Deus misericordia salvet hominem, cum peccatum non dimittat illi, nisi reddiderit propter quod illud debet.

[2] « Rationalem naturam a Deo factam esse justam, ut illo fruendo beata esset, dubitari non debet. Ideo namque rationalis est, ut discernat inter justum et injustum, inter bonum et malum, et inter magis bonum et minus bonum. Simili ratione probatur (*e*),

[1] Anselm., *Cur Deus homo*, lib. I, c. XXIV. — [2] Ibid., lib. II, c. I.

(*a*) *Cæt. edit.* illum. — (*b*) ipso. — (*c*) *Al.* levigat. — (*d*) *Cæt. edit. deest* si. — (*e*) *Cæt. edit.* probat.

quod ad hoc accepit potestatem discernendi, ut odisset et vitaret malum, ac amaret et eligeret bonum, atque majus bonum magis amaret et eligeret. Sed non convenit ut Deus potestatem tantam frustra dederit. Ad hoc itaque factam esse rationalem creaturam certum est, ut summum bonum super omnia amaret et eligeret, non propter aliud, sed propter ipsum. Si enim propter aliud, non ipsum, sed aliud amat. Ut igitur frustra non sit rationalis, simul ad hoc rationalis et justa facta est. Quapropter rationalis natura justa facta est, ut summo bono, id est Deo, fruendo beata esset. Homo ergo, qui rationalis creatura est, factus est justus ad hoc, ut Deo fruendo beatus esset.

[1] » Quod autem factus sit talis, ut necessitate non moreretur, hinc facile probatur, quia sapientiæ et justitiæ Dei repugnat, ut cogeret mortem pati sine culpa, quem justum ad beatitudinem fecit. Sequitur ergo, quia si nunquam peccasset, nunquam moreretur.

[2] » Unde aperte quandoque futura resurrectio mortuorum probatur. Quippe si homo perfecte restaurandus est; talis debet restitui, qualis futurus erat, si non peccasset. Nihil ergo justius, aut convenientius intelligitur, quam ut sicut homo, si perseverasset in justitia, totus, id est, anima et corpore, æterne beatus esset, ita si perseverat in injustitia, totus similiter miser sit.

[3] » Ex his enim facile est cognoscere, quoniam aut hoc de humana perficiet Deus natura, quod incœpit, aut in vanum fecit tam sublimem naturam ad tantum bonum. Aut si nihil pretiosius cognoscitur Deus fecisse, quam rationalem creaturam ad gaudendum de se; valde alienum est ab eo, ut illam (*a*) rationalem creaturam penitus perire sinat. Necesse est ergo ut de humana natura, quod incœpit, perficiat. Hoc autem fieri, sicut dixi, nequit, nisi per integram peccati satisfactionem, quam nullus peccator facere potest.

[4] » Si vero intelligis necesse fuisse, ut Deus perficeret quod incœpit, forte cogitas dicens : Quam gratiam debeo pro eo, quod fecit me propter se? Aut quomodo imputabo meam salutem ejus gratiæ, si me salvat necessitate? Sed attende quod est necessitas, quæ benefacienti gratiam aufert aut minuit; et est necessitas, qua major ex beneficio gratia debetur. Cum enim aliquis ea necessitate, cui subjacet, invitus benefacit, aut nulla, aut minor illi gratia debetur. Cum vero ipse sponte necessitati benefaciendi se subdit, neque invitus eam sustinet, tunc utique majorem beneficii gratiam meretur. Non enim hæc est dicenda necessitas, sed gratia; quia nullo cogente illam suscepit aut servat, sed gratis. Quare multo magis si Deus facit bonum homini, quod incœpit, licet non deceat eum a bono incœpto deficere, totum gratiæ debemus imputare : quia hoc propter nos, non propter se, nullius egens, incœpit. Non enim illum latuit, quid homo facturus erat, cum illum fecit : et tantum bonitate sua illum creando, sponte se, ut perficeret incœptum bonum, quasi obligavit. Denique Deus non facit necessitate, quia nullo modo cogitur, aut prohibetur facere aliquid. Et cum dicimus Deum aliquid facere quasi ex necessitate vitandi inhonestatem, quam utique non timet, potius intelligendum est quia hoc facit necessitate servandæ honestatis. Quæ scilicet necessitas non est aliud, quam immutabilitas honestatis ejus, quam a seipso, et non ab alio habet : idcirco improprie dicitur necessitas. Dico tamen, quod necesse est, ut bonitas Dei propter immutabilitatem suam perficiat de homine, quod incœpit; quamvis totum sit gratia bonum quod facit.

[5] » Hoc autem fieri nequit, nisi sit qui solvat pro peccato hominis aliquid majus, quam omne quod Deus non est. Illum quoque, qui de suo poterit Deo dare aliquid, quod superat (*b*) omne quod sub Deo est, majorem esse necesse est, quam omne quod non est Deus. Nihil autem est super omne quod Deus non

[1] Anselm., *Cur Deus homo*, lib. II, c. II. — [2] Ibid., c. III. — [3] Ibid., c. IV. — [4] Ibid., c. V. — [5] Ibid., c. VI.

(*a*) *Al.* ullam. — (*b*) *Al.* superet.

est, nisi Deus. Non ergo potest hanc satisfactionem facere, nisi Deus. Sed nec facere illam debet, nisi homo. Si ergo, sicut constat, necesse est ut de hominibus perficiatur illa superna civitas, neque hoc esse valet, nisi fiat supradicta satisfactio, quam neque potest facere nisi Deus, nec debet nisi homo, necesse est ut faciat eam Deus homo. Investigandum nunc est, quomodo esse possit Deus homo.

[1] » Divina enim natura et humana non possunt in invicem mutari, ut divina fiat humana, aut humana divina; nec ita misceri, ut quædam tertia fiat ex duabus, quæ nec divina sit omnino, nec humana. Denique si fieri posset ut altera in alteram converteretur, aut esset tantum Deus, et non homo, aut solum homo, et non Deus. Aut si miscerentur ita, ut fieret ex duabus corruptis quædam tertia (quemadmodum ex duobus individuis animalibus diversarum specierum, masculo et femina, nascitur tertium, quod nec patris integram, neque matris servat naturam, sed ex utraque tertiam mixtam), non homo esset, nec Deus. Non igitur potest fieri homo Deus, quem quærimus, ex divina et humana natura, aut conversione alterius in alteram, aut corruptiva commixtione naturæ utriusque in tertiam, quia hoc fieri istæ duæ naturæ nequeunt; aut si fieri valerent, nihil ad hoc, quod quærimus, valeret. Si autem ita quolibet modo conjungi debent hæ duæ integræ naturæ, ut tamen alius sit Deus, alius homo, et non idem sit Deus, qui et homo; impossibile est ut ambo faciant, quod fieri necesse est. Nam Deus non faciet, quod (*a*) non debebit; et homo non faciet, quia non poterit. Ut ergo hoc faciat Deus homo, necesse est eumdem ipsum esse perfectum Deum, et perfectum hominem, qui hanc satisfactionem facturus est, quoniam eam facere non potest, nisi verus Deus; nec debet, nisi verus homo. Quoniam ergo, servata integritate utriusque naturæ, necesse est inveniri Deum hominem, non minus est necesse has duas naturas integras convenire in unam personam, quemadmodum corpus et anima rationalis conveniunt in unum hominem : quoniam nequit aliter fieri ut idem ipse sit perfectus Deus, et perfectus homo.

[2] » Restat nunc quærere unde et quomodo assumet Deus humanam naturam. Aut enim assumet eam de Adam, aut faciet novum hominem, quemadmodum Adam fecit de nullo alio homine. Sed si novum hominem facit non ex Adæ genere, non pertinebit ad humanum genus, quod natum est de Adam : quare non debebit satisfacere pro eo, quia non erit de eo. Sicut enim rectum est ut pro culpa omnis homo satisfaciat; ita necesse est ut satisfaciens idem sit, qui peccator, aut ejusdem generis. Aliter namque nec Adam, nec genus ejus, satisfaciet per se. Ergo sicut de Adam et Eva peccatum in omnes homines propagatum est, ita nullus nisi vel ipsi, vel qui de illis nascitur, pro peccato hominum satisfacere debet. Quoniam ergo illi nequeunt, necesse est ut de illis sit, qui hoc faciet. Amplius : sicut Adam et totum genus ejus per se stetisset sine sustentatione alterius creaturæ, si non peccasset; ita oportet ut si idem genus resurgit post casum, per alium resurgat ac relevetur. Nam per quemcumque in statum suum restituatur, per illum itaque stabit, per quem statum suum recuperabit. Deus etiam, quando humanam naturam primitus fecit in solo Adam, nec feminam, ut de utroque sexu multiplicarentur homines, facere voluit, nisi de ipso, aperte monstravit se non nisi de Adamo voluisse facere quod de natura humana facturus erat. Quapropter si genus Adæ per aliquem relevatur hominem, qui non sit de eodem genere, non illam dignitatem habebit, quam habiturus erat, si non peccasset Adam : et ideo non integre restaurabitur, et Dei propositum deficere videbitur : quæ duo inconvenientia sunt. Ergo necesse

[1] Anselm., *Cur Deus homo*, lib. II, c. VII. — [2] Ibid., c. VIII.

(*a*) *Al.* quia.

est ut de Adam assumatur homo, per quem restaurandum est genus Adæ. Pinge igitur in animo non super fictam vanitatem, sed super solidam veritatem, et dic quia valde convenit ut quemadmodum hominis peccatum et causa nostræ perditionis principium sumpsit a femina, ita medicina peccati et causa nostræ salvationis nascatur a femina. Similiter et hoc : Si virgo erat, quæ causa fuit humano generi totius mali, multo magis decet ut virgo sit, quæ causa erit totius boni. Hoc quoque similiter : Si mulier, quam Deus fecit de viro sine femina, facta est de virgine, convenit valde ut vir quoque, qui fiet de femina sine viro, fiat de virgine.

[1] « Nunc tibi quoque dicendum est in qua persona Deus, qui est tres personæ, hominem assumat. Plures enim personæ nequeunt unum eumdem hominem assumere in unitate personæ : quare in una persona tantum hoc fieri necesse est. Sed de hac unitate personæ Dei et hominis, et in qua persona Dei hoc magis fieri oporteat, breviter tango, cur videlicet potius Filii persona debeat incarnari, quam Patris aut Spiritus sancti. Si quælibet alia persona incarnaretur, erunt duo Filii in Trinitate, Filius scilicet Dei, qui et ante incarnationem Filius est, et ille, qui per incarnationem filius erit Virginis; et sic erit in personis, quæ semper æquales esse debent, inæqualitas secundum dignitatem nativitatum. Digniorem namque nativitatem habebit natus ex Deo, quam natus de Virgine. Est et aliud cur magis conveniat Filio incarnari, quam aliis personis; quia convenientius sonat Filium supplicare Patri, quam aliam personam alii. Item : Homo, pro quo erat oraturus, et diabolus, quem erat expugnaturus, ambo falsam similitudinem Dei propria voluntate præsumpserant. Unde quasi specialius adversus personam Filii peccaverant, quia vera Patris similitudo creditur. Illi, cui specialius fit injuria, convenientius attribuitur culpæ vindicta, aut indulgentia. Quapropter cum nos ratio inevitabilis perduxerit ad hoc, ut necesse sit divinam et humanam naturam in unam convenire personam, nec hoc fieri possit in pluribus personis Dei, et hoc convenientius fieri pateat in persona Verbi, quam in aliis; necesse est Verbum Deum et hominem in unam convenire personam. »

[2] « Igitur sempiterna et summa essentia, quæ se sic ad humani generis inclinavit salutem, nos quidem in suam gloriam transtulit, sed quod erat, esse non destitit. [3] Quod enim Verbum caro factum est, non hoc significat quod in carnem sit Dei natura mutata, sed quod a Verbo in unitatem personæ sit caro suscepta, in cujus utique nomine homo totus accipitur.

[4] » Unde utrique naturæ, in suis proprietatibus permanenti, tanta est unitas facta et communio, ut quidquid ibi est Dei, non sit ab humanitate disjunctum; quidquid autem est hominis, non sit a divinitate (*a*) divisum. »

[5] « Verbum enim et anima, et caro in unam convenere personam ; et hæc tria unum, et hoc unum tria sunt, non commixtione substantiæ, sed unitate personæ. »

Et in hoc homo considera, quod [6] « cum origini humanæ multum dederit, quod nos ad imaginem suam fecit, reparationi nostræ longe amplius tribuit, cum servili formæ ipse se Deus coaptavit. Quamvis enim ex una eademque pietate sit, quidquid creaturæ Creator impendit, minus tamen mirum est hominem ad divina proficere, quam Deum ad humana descendere. »

[7] « Quis enim ab impietate ad justitiam, a miseria ad beatitudinem esset recursus, nisi et justus ad impios, et beatus inclinaretur ad miseros ? »

Libet idcirco in hujusmodi consideratione aliquantulum immorari, eo quod tam ipsius

[1] Anselm., *Cur Deus homo*, lib. II, c. IX. — [2] Leo, *in Nativ. Dom.*, serm. VII, n. 1. — [3] Ibid., n. 2. — [4] Ibid., serm. VIII, n. 1. — [5] Bern., *in Vig. Nativ. Dom.*, serm. III, n. 8. — [6] Leo, *in Nativ. Dom.*, serm. IV, n. 2. — [7] Id., *de Pass. Dom.*, serm. I, n. 2.

(*a*) *Al.* deitate.

obstupenda dignatio, qua nostrum sibi associavit jumentum, quam copiosa redemptio apud eum, qna humiliter crucis subivit tormentum, meditandi materiam ministrat abundanter. Nescio namque si ulla esse possit efficacior ac suavior morum ædificatio, quam Verbi incarnati fidelis et pia consideratio. Quid enim hominem sic excitare potest ad amorem Dei, quam præveniens amor Dei, tamque vehemens ad hominem, ut homo propter hominem velit fieri? Quid autem nutrit ita amorem proximi, quam similitudo et natura proximi, in humilitate Dei? Nam humilitatis exemplum nec cogitari posse majus aliquid existimo, quam exinanitionem Dei in formam servi, et servitutem plusquam servi.

[1] « Venit igitur Filius Dei de corde Patris in uterum Virginis Matris. Venit a summo cœlo in inferiores partes terræ. »[2] « O inæstimabilis dignatio et penitus inexcogitabilis, quod in carceris hujus horrorem, fœtoremque nostræ mortalitatis, tanta dignata est descendere celsitudo! [3] Mira quærentis Dei dignatio, mira dignitas hominis sic quæsiti: in qua si gloriari voluerit, non erit insipiens: non quod aliquid esse videatur tanquam a semetipso, sed quod tanti fecerit eum. »

[4] « Agnosce igitur ex his dignitatem tuam, et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. »

[5] « Omnes namque divitiæ, omnis gloria mundi, et quidquid in eo concupiscitur, minus est ad hanc gloriam, imo nec aliquid in ejus comparatione. »

Præterea non tam admiranda, quam etiam obstupenda intueor in hac gloria. Nam [6] « omnium (*a*) humanarum infirmitatum vel injuriarum, quas pro nobis pertulit divina dignatio, sicut tempore primam, sic humilitate fere maximam existimo, quod in utero concipi, in utero novem mensibus majestas illa incircumscripta passa est contineri. Ubi enim sic se exinanivit, aut quando ita (*b*) penitus a seipso defecisse visus fuit (*c*)? Tanto tempore nihil illa sapientia loquitur, nihil illa virtus manifestum operatur, nullo signo visibili majestas, quæ clausa latet, proditur. Non sic (*d*) in cruce visus est infirmus, ubi quod infirmum fuit ipsius, statim fortius apparuit omnibus hominibus, quando et moriens glorificat latronem, et expirans inspirat Centurionem, quando horarius dolor passionis ei (*e*) non solum compati facit elementa creaturarum, sed etiam contrarias fortitudines subigit æternorum passioni dolorum. In utero autem (*f*) sic est, quasi non sit: sic omnipotens virtus vacat, quasi nihil possit, et Verbum æternum sub silentio se premit. »

Exinanivit [7] igitur *semetipsum formam servi accipiens*, et cum tota multitudine miserationum suarum de thalamo prosiliit virginali.

Dependet Deus ad ubera, ponitur in præsepe, ligatur in cunis, pannis involvitur, et laxatis fasciolis, felices manus et sancta brachia per cunarum parvitatem expandit. Nulla ibi domus ambitio, ubi reclinatorium in stabulo, mater in fœno, filius in præsepio. Tale elegit mundi Fabricator hospitium, hujusmodi habuit delicias sacræ Virginis puerperium. Panniculi pro purpura, pro bysso in ornatu regio laciniæ congeruntur. Genitrix est obstetrix, et devota dilectæ soboli ipsa exhibet clientelam, attrectat, amplectitur, jungit oscula, porrigit mammam, totum negotium plenum gaudio, nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio. Pedissequas substantia familiaris non patitur, mancipiorum obsequia sumptus tenuis et inops mensa excludit. Nullum domus arcta diversorium occupabat, nec secreti recessus

[1] Guarric. — [2] Bern., *in Adv. Dom.*, serm. I, n. 6. — [3] Ibid., n. 7. — [4] Leo, *in Nativ. Dom.*, serm. I, n. 3. — [5] Bern., ubi sup. prox. — [6] Guarric. Igniac., *in Annunt. Dom.*, serm. III, circa med. *Biblioth. max. Patr.*, edit. Lugd., 1677, tom. XXIII, 210, A, B. — [7] *Philipp.*, II, 7.

(*a*) *Cæt. edit.* cum. — (*b*) *Item* ut quasi. — (*c*) *Item* sit. — (*d*) *Item* Nam. — (*e*) *Item* ejus. — (*f*) *Cæt. edit. deest* autem.

erant illius casulæ in castraturam : tectum et soli parietes per circuitum vestiebant. Nec ibi locus erat lavacris, quæ solent puerperis præparari, quippe nec aliqua naturæ injuria Matrem Domini læserat, quæ sine tormento pepererat, quæ in conceptione caruit voluptate. Et quamvis in propria venerit, qui omnia continet, quidquid circa ipsum vel ipsius genitricem impendebatur officii, non tantum pauperrimum extitit, sed etiam alienum.

Et [1] « de quo dicebatur [2] : *Quis Deus magnus sicut Deus noster?* et [3] : *Magnitudinis ejus non est finis;* jam non prædicatur [4] *magnus Dominus, et laudabilis nimis;* sed parvus Dominus, et amabilis nimis. Alludit ut parvus, Virgini Matri arridet, et blandientes oculos in Mariam intorquet. Stat perterrita tantis miraculis Regina cœlorum, confert in corde suo salutationem Archangeli, conceptionem Dei, et nativitatem pueri; et miratur quod ille, qui sic potuit ad nos venire, sic voluit subvenire. Et certe cum totus sit dulcedo, et sic subvenire nobis voluit, dulciorem eum mihi facit teneritudo membrorum. Dulcedo hæc incomparabilis, et pietas ineffabilis, ut Deum qui creavit me, videam puerum creatum propter me, Deusque majestatis et gloriæ non solum similis mihi fiat corporis veritate; sed etiam miserabilis, et velut humanæ indigens opis appareat ætatis infirmæ. O duritia cordis mei! »

[5] « Quid hoc faciat (*a*)? Amor certe dignitatis nescius, dignatione dives, effectu (*b*) potens, suasu efficax. Quid amore violentius? Triumphat de Deo amor, quia semetipsum exinanivit, et (*c*) scias amoris fuisse, quod plenitudo effusa est, quod altitudo adæquata, quod singularitas associata est. »

[6] « Quid igitur ad hæc dormitat tua affectio, imo non dormitat, sed mortua est? »

[7] « Ut te lucrifaceret, ut me ad amorem suum traheret, omnem pulchritudinem divinitatis in hominem transfudit. Transfusum Deum in hominem dico, quia non ad mensuram datum homini video, nec de omni plenitudine sua penes Deum aliquid resedit, quod in hominem, cui unitus est, non effudit, dum omne, quod in divinitatis thesauro pietatis inventum fuit, totum in utero Virginis aggestum. Ita enim Deus funditur, Deus amatus in hominem effusus est, quod tanquam a sua propria virtute sit exinanitus, dum videlicet in ea humilitate, qua tibi consulit, non solum Patre, sed etiam seipso factus sit inferior. Quæ vero major exinanitio in oculis videntium, quid efficacius ad Creatorem tuum reamandum, quam quod pro te splendor gloriæ et figura paternæ substantiæ formam præferat servilem, et in ipsa non habens speciem neque decorem? Qui enim quasi parum esset exinanitus, si homo solum fieret, etiam humanæ carnis ita funditus in se formam et speciem vacuavit, sapientiam infatuavit, virtutem infirmavit, minuitque magnitudinem, ut et in nativitate minimum, et in passione se novissimum virorum hominibus exhiberet. Unde nec reputaverunt eum. Obstupesce ergo, homo, tanta pro te mirabilia, tanta beneficia pro te exhibita. Cogita quantum te diligat, qui tanta dignatus est facere pro te. Considera diligenter Dominum Sabaoth, qui cœlum et terram implet, jacentem in præsepio infantulum : imo cujus Majestati angusta est omnis cœli latitudo, pannis involutum; et qui cœlis tonat, sub cujus vocis tonitruo angelicæ potestates submittunt alas suas, vagientem : » ut ipsius amoris ardore totus accensus, ad tanta beneficia, tua usque huc ingratitudo erubescat, quia ipse tuam naturam divinæ voluit associari in una persona, nunquam ab eo separandam, signum amoris, ut sic saltem eum amares, a quo te agnosceres sic amari.

Pro his semper gratus esto, indesinenter

[1] Bern. — [2] *Psal.* LXXVI, 14. — [3] *Psal.* CXLIV, 3. — [4] *Psal* XLVII, 2. — [5] Bern., *in Cant.*, serm. LXIV, n. 10. — [6] Id. — [7] Guarric., de *Nativ. Dom.*, serm. III, p. 179, B, C, D, edit. cit.

(*a*) *Mabill.* Quis hoc fecit? — (*b*) *Id.* affectu. (*c*) *Id.* ut.

gratias age. Et cave [1] « ne indignum videri velis, ut credatur Deus Dei Filius femineis se inseruisse visceribus, et Majestatem suam huic contumeliæ subdidisse, ut naturæ carnis immixtus, in vero humanæ substantiæ corpore nasceretur : cum totum hoc opus non injuria sit ipsius, sed potentia; non credenda pollutio, sed gloriosa dignatio. Si enim lux ista visibilis nullis immunditiis, quibus superfusa fuerit, violatur, nec radiorum solis nitorem, quem corpoream creaturam esse non dubium est, loca ulla (*a*) sordentia vel cœnosa contaminant; quid illius supernæ, sempiternæ et incorporeæ lucis essentiam potuit qualibet sui qualitate polluere, quæ se ei, quam ad imaginem suam condidit, sociando creaturæ, purificationem præstitit, maculam non recepit, et sic sanavit vulnera infirmitatis, ut nulla pateretur damna virtutis?

[2] « Quam felix proinde, quam amabilis nativitas tua, puer Jesu, quæ nativitatem omnium emendat, conditionem reformat, præjudicium solvit, chirographum damnatæ naturæ rescindit; ut si quem piget damnabiliter esse natum, possit felicissime renasci! » Et infra : « Vere tu puer misericors, quem sola misericordia puerum fecit, licet pariter misericordia et veritas in te obviaverunt sibi. Vere, inquam, tu misericors puer natus es nobis, non tibi : lucra nostra, non augmenta tua, nascens de nobis quæsisti, qui ad hoc solum nasci dignatus es, ut nos minoratione tua proveheres, humiliatione glorificares. »

Dulce certe, proinde (*b*) dulce et sapidum cogitare et recogitare puerum Deum; quin etiam efficax, et operatorium ad medendum ac dulcorandum, si qua in nobis est, peccatorum amaritudinem, pœnitentiæ austeritatem. Quid non temperabit illa dulcedo, quæ mortem quoque facit dulcissimam? Et inter hæc considerata, semper recurro ad hoc quod dulcius sapit et familiarius adhæret, videlicet, quod ideo voluit in similitudinem hominum fieri, ut hominibus esset amabilior. Similitudo enim ad amorem efficacius operatur. Ideo non me capio præ lætitia, quod illa majestas naturam suam natura meæ carnis et sanguinis supervestit, et me miserum in divitias gloriæ suæ, non ad horam, sed in sempiternum includit : fit frater meus Dominus meus, et timorem Domini fratris vincit affectus. Ideo, Domine Jesu, libenter audio te regnantem in cœlis; sed libentius, nascentem in terris. Hæc enim meditatio rapit affectum meum, et hujus memoria concalescit cor meum, viventis et vividæ potionis asperitate purgatum. Erat utique Dominus meus inter angelicos ordines, audiens hymnum gloriæ suæ admirabilis, illi mirabili creaturæ faciens mirabilia in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis. Ego autem in luto fæcis et miseriæ obvolutus, miser et miserabilis : et omnem spem egrediendi perdideram. Ille in gloria, ego in miseria; admirabilis ille, ego miserabilis. Sanctum et terribile nomen ejus, quod vix audeat illud dignior nominare natura. Nomen illud clausum et integrum quomodo capere poteram, quod vix angelicus oculus prospicere, necdum perspicere potest? Ille, qui erat admirabilis agminibus angelorum, inclinat cœlos, et fit consiliarius hominum. Majestativum nomen in precativum effunditur; et qui mirabilis est in cœlis, consulere venit in terris. Abscondit purpuram sub miseriæ vestimentis, et ad lutum, ubi jacebam, inclinatur, non mergitur. Et si audeo dicere [3] : *Infixus sum in limo profundi;* [4] *Operi manuum suarum porrigit dextram*; de profundis aquarum extraxit, extractum abluit, ablutum induit, indutum reparat, reparatum confirmat. Porrigit dexteram, cum nascitur; cum loquitur, extrahit; abluit, cum moritur : induit, cum resurgit; cum ascendit, reparat; confirmat, cum Spiritum sanctum emittit de cœlis.

[1] Leo, *in Epiph. Dom.*, serm. IV, n. 4. — [2] Guarric., *in Nativ. Dom.*, serm. III, p. 179, A. — [3] *Psal.* LXVIII, 3. — [4] *Job*, XIV, 15.

(*a*) *Cæt. edit.* nulla. — (*b*) *Leg.* perinde.

Et ut agnoscas plenius, homo, dignitatem tuam, agnoscas et gloriam conditionis tuæ vel humanæ [1]; tria opera, tres mixturas fecit omnipotens illa majestas in assumptione carnis nostræ, ita mirabiliter singularia, et singulariter mirabilia, ut talia nec facta sint nec facienda sint super terram. Conjuncta sunt quippe ad invicem Deus et homo, Mater et Virgo, fides et cor humanum. Admirabiles istæ mixturæ, et omni miraculo mirabilius, quomodo tam diversa ad invicem potuerunt conjungi. » Et infra [2] : « Huic limo terreno vim vitalem miscuit, ut in arboribus, unde surgit venustas in foliis, in floribus pulchritudo, sapor in fructibus et medicina. Adjecit etiam vim sensibilem limo nostro, ut in pecoribus, quæ non solum jam vitam habeant, sed et sentiant quinquepartita sensificatione vigentes. Addidit adhuc honorare limum nostrum, et ei vim rationalem immisit, ut in hominibus, qui jam non solum vivant, sentiant, sed et discernant inter commodum et incommodum, inter bonum et malum, et inter verum et falsum. Voluit quoque adhuc infirmiora nostra abundantiori gloria sublimare, et contraxit se majestas, ut quod melius habebat, videlicet seipsum, limo nostro conjungeret; miscerentque se invicem Deus et limus, majestas et infirmitas, tanta vilitas et sublimitas tanta. »

Et vide, quod si [3] « mirabilis fuit conjunctio prima, videlicet inter animam et corpus, sed mirabilior fuit secunda inter Deum et limum, nec minus mirabilis erit et tertia, cum homo, angelus et Deus, unus erit spiritus. » Confundatur ergo superbia hominum; et ad humilitatem Dei, noverit de se humilia sapere lutum.

[4] « Nihil enim Deo sublimius; nihil vilius limo : et tamen tanta dignatione descendit Deus in limum, tantaque dignitate limus ascendit in Deum, ut quidquid fecit Deus, limus fecisse credatur; quidquid limus pertulit, Deus pertulisse dicatur, tam ineffabili, quam incomprehensibili sacramento. » Et infra : « Adverte ergo, homo, quia limus es, et non sis superbus; quia Deo conjunctus es, et non sis ingratus. »

[5] « Verum quoniam bona, quæ largiri mortalibus non cessat misericors et miserator Dominus, recolere et recolligere omnia omni homini impossibile est, id saltem, quod præcipuum est, maximum opus, videlicet redemptionis, a memoria tua aliquatenus non recedat. »

[6] « Agnosce igitur quantum valeas, et quantum debeas, et dum pretium tui cogitas, tibi vilis esse desinas. »

[7] Perspice, homo, quantum valeas, ut tandem, inquam, vilis tibi esse desinas, ut per hoc erubescendis subjacere vitiis dedigneris, dum generositatem tuam de Creatoris ac Reparatoris dignitate metiris.

Reus namque eris non parvi pretii, sed sanguinis Christi, qui violas et maculas animam Christi sanguine mundatam, et passione redemptam.

[8] « Memento cujus sis capitis, et cujus corporis membrum. Reminiscere, quia morte Christi, erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen et regnum : quia pretium tuum sanguis est Christi, qui veritate te judicabit, qui misericordia te redemit. »

[9] « Miserendi enim nostri Deus causam, nisi in sua bonitate, non habuit. Mirabilior est secunda hominum generatio, quam prima conditio : quia plus est in novissimis sæculis reparasse Deum, quod perierat, quam a principio fecisse, quod non erat. »

[10] « Memento te, etsi de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, et te inter omnia. At vero per triginta tres annos operatus est salutem

[1] Bern., *in Vig. Nativ. Dom.*, serm. III, n. 7. — [2] Ibid., n. 8. — [3] *De Spir. et Anim.*, c. XIV, inter Oper. Aug., Append. tom. VI. — [4] Bern., ubi supra proxime. — [5] Bern., *super Cant.*, serm. XI, n. 3. — [6] Serm. CXX, n. 4, *de Temp.*, al. CLIV, inter Oper. S. Aug., Append. tom. V. — [7] *Cæt. edit. hic habent in margine :* Faustinus Aug., ubi sup. prox. — [8] Leo, *in Nativ. Dom.*, serm. I, n. 3. — [9] Id. *de Pass. Dom.*, serm. XIII, n. 1. — [10] Bern., *super Cant.*, serm. XI, n. 7.

tuam in medio terræ. O quantum laboravit sustinens carnis necessitates et hostis tentationes [1]! Quis vero inter cætera digna penset, quantum fuerit humilitatis, mansuetudinis et dignationis, Dominum majestatis indui carne, mulctari morte, turpari cruce? Numquid non valuit opus suum reparare absque ista difficultate? Valuit, sed maluit cum injuria sui, ne pessimum atque odiosissimum vitium ingratitudinis ultra reperiret in homine. Sane multum fatigationis assumpsit, quo multæ dilectionis hominem debitorem teneret, commoneretque gratiarum actionis difficultas redemptionis, quem minus esse devotum fecerat conditionis facilitas. Quid enim dicebat homo creatus et ingratus? Gratis quidem conditus sum, sed nullo gravamine auctoris, vel labore : siquidem dixit, et factus sum, quemadmodum universa. Quid magnum est, quamlibet magna (*a*) in verbi facilitate donaverit? Sic beneficium Creatoris attenuans humana impietas, ingratitudinis materiam inde sumebat, unde amoris causam habere debuerat; idque [2] *ad excusandas excusationes in peccatis.* Sed luce clarius patet, quantum homo pro te factus dispendium fecit : de Domino, servus; de Dei Filio, hominis Filius fieri non despexit. »

[3] « Et qui te semel tantum, et solum dicendo fecit, in reficiendo profecto multa et gessit mira, et pertulit dura; nec tantum dura, sed etiam indigna. Et ideo licet multum possit hominem incitare ad amandum Deum, quod ipse eum fecit; tamen multo amplius debet eum incitare, quod ipse eum refecit : quia non tam facile refectus, quam factus. Quid ergo retribuam Domino, pro omnibus quæ tribuit mihi? In primo opere me mihi dedit; in secundo, se; et ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo et redditus, me pro me debeo, et bis debeo; quid Deo retribuam pro se? Nam etiamsi me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum? » Et paulo ante [4] : « Quid igitur magnum tanto recompensatur amori, si pulvis exiguus totum se ad reamandum collegerit, quem illa nimirum majestas in amorem præveniens, tota in opus salutis ejus intenta conspicitur? »

[5] « Ecce, Domine, quia tu me fecisti, debeo me ipsum amori tuo totum : quia me redemisti, debeo meipsum amori tuo totum : quia tanta promittis, debeo meipsum amori tuo totum. Imo et tantum debeo plus quam meipsum, quantum tu es major me, pro quo dedisti teipsum, et cui promittis teipsum. »

[6] « Et hæc tria considero, in quibus tota spes mea consistit : charitatem adoptionis, veritatem promissionis, et potestatem (*b*) redemptionis (*c*). Scio igitur cui credidi, et certus sum, quia in charitate nimia adoptavit me, quia verax in promissione, et quia potens in exhibitione. »

[7] « Cogita igitur quantum diligat te, qui tanta pertulit pro te, et tanta facere dignatus est propter te, et qui tanta tibi dare promittit. Primo namque pulcher factus fueras ejus munere, postmodum vero fœdus factus es tua iniquitate. Sed iterum mundatus es, et formosus factus es ejus pietate, operante tamen utrobique charitate. Olim cum non esses, dilexit te, ut conderet te; postea, cum fœdus factus esses, dilexit te, ut pulchrum faceret, et ut ostenderet tibi quantum te diligeret : non nisi moriendo a morte te liberare voluit, ut non tantum pietatis impenderet beneficium, verum etiam charitatis ostenderet affectum : imo et tam sincera charitate diligit, ac si semper cum eo perstitisses; nec exprobrat tibi reatum, nec improperat tibi beneficium. Et si deinceps cum eo fideliter perseverare, ipsumque, ut decet, amare, et tuum illi amorem incontaminatum servare

[1] Bern., *super Cant.*, serm. XI, paulo ante. — [2] *Psal.* CXL, 4. — [3] Bern., *de dilig. Deo*, c. V, n. 15. — [4] Ibid., c. IV, n. 13. — [5] Anselm., *Med. de Redempt. Hum.*, c. VII. — [6] Bern., in Dominic. VI, post Pent., serm. III, n. 6. — [7] Hug., *de Arrh. Anim.*, post med.

(*a*) *Ita Mabill.; cæt. edit. add.* quod. — (*b*) *Ita Mabill.; cæt. edit.* in charitate... veritate... potestate. — (*c*) *Mabill.* redditionis.

volueris, majora prioribus se daturum promittit. »

Quia [1] « gemina dulcedo suavitatis exuberat in pectore Jesu, longanimitas videlicet in expectando, et in donando facilitas. Ad hoc siquidem diu suspendit sententiam ultionis a contemnente, ut quandoque gratiam exhibeat remissionis in pœnitente : *Non vult* enim [2] *mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.* De pœnitendi facilitate audi [3] : *Quacumque hora peccator ingemuerit, peccatum suum remittetur ei.* Et David paucis comprehendit utrumque [4] : *Longanimis*, inquit, *et misericors.* »

Et ideo (*a*) misericors est, quod [5] « tardius videtur ei peccatori veniam dare, quam ipsi peccatori accipere. Sic enim festinat absolvere reum a tormento conscientiæ suæ, quasi plus cruciet eum passio miseri, quam ipsum miserum passio sua. » Et ut hoc evidentius intelligas, attende.

[6] « Abieras siquidem et perieras; et quia in peccatis tuis venumdatus eras, ultra se continere non potuit. Venit igitur ille post te, ut redimeret te; et tantum dilexit te, ut sanguinis sui pretium appenderet pro te : talique pacto, et reduxit de exilio, et redemit de servitio. Nulla ergo dilectio major, nullus amor sincerior, nulla charitas sanctior, nullus affectus ardentior. Mortuus est pro te innocens, nihil quod in te amaret inveniens. O cor induratum, cor plus quam lapideum, eo quod in morte amatoris tui, quam pro amore tuo sustinuit, et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt! Cur non datum est mihi intelligere Deum Creatorem meum pro amore meo quasi infatuatum, et tanquam ad nihilum videre redactum ? »

[7] « Quidnam invenisti in me, Domine Deus, quod diligeres, et tantum diligeres, ut morereris pro me ? »

[8] « Quod tale in me invenisti, pro quo tanta et tam dura et dira sustinere voluisti ? O bone Jesu, si mihi saperet etiam præter hæc, quam dulciter cum hominibus conversatus es, quam magna etiam abundanter eis largitus es, dura et aspera pro eis passus es, dura verba, duriora verbera, durissima et horrenda crucis tormenta ! Flagellis cæsus, spinis coronatus, clavis confossus, patibulo affixus, opprobriis saturatus, omnium tamen immemor dolorum, ait [9] : *Pater, ignosce illis.* Expansis pro eis in cruce manibus, dedit risum malignantibus, et fletum fidelibus, factusque omnibus est derisui, qui solus potuit esse terrori. Quid igitur magis admirandum? quid amplius detestandum? quid gravius puniendum, quam quod videns Dei Filium, summum in regno angelorum, novissimum in regno hominum, apponit se magnificare homo super terram? [10] *Quid superbis, terra et cinis ?* »

[11] « Quanto enim se minorem fecit in humilitate, tanto se majorem ostendit in bonitate; et quanto pro te est vilior, tanto tibi debet esse carior. »

Quæ major iniquitas, quam ut inde Creator a te contemnatur, unde plus amari merebatur ? Attende amorem, quo se totum tibi impendit, nihil sibi retinens. Attende et humilitatem qua servivit tibi, nihil sibi dominationis vendicans.

[12] « Primo omnia sua tibi dedit; dehinc et seipsum exposuit utilitatibus tuis, non parcens sibi propter te, in jejuniis multis, in laboribus frequenter, in vigiliis supra modum, in fame et siti, etiam in frigore et nuditate. »

Nam [13] « omnes infirmitates nostras, quæ veniunt de peccato, absque peccati communione suscepit : ut et famis ac sitis, somni et lassitudinis, mœroris ac fletus affectionibus non careret, doloresque sævissimos usque ad mortis extrema pateretur. » Ministerium

[1] Bern., *super Cant.*, serm. IX, n. 5. — [2] *Ezech.*, XVIII, 32. — [3] Ibid., 21, quoad sensum. — [4] *Psal.* CI, 8. — [5] Lib. *De interiori domo*, c. XXI, n. 42, inter suppositia S. Bern., *Oper.* tom. II, p. 351, edit. 1690. — [6] Hug., ubi sup., post med. — [7] Ibid. — [8] Bern., — [9] *Luc.*, XXIII, 34. — [10] *Eccli.*, X, 9. — [11] Bern., *in Epiph. Dom.*, serm. I, n. 2. — [12] Id. — [13] Leo, *de Pass. Dom.*, serm. XIV, n. 4.

(*a*) *Leg.* adeo.

vero suum implevit, [1] « humilians semetipsum, et obediens factus Patri usque ad mortem, mortem autem crucis. » Sed parum tibi forte videtur, quod cum esset Filius et coæqualis, tanquam servus servit Patri, si non et servo suo plusquam servus servivit. Factus quidem erat homo, ut Creatori serviret. Et quid justius, quam ut servias illi, a quo creatus es, sine quo nec esse potes? Et quid beatius aut sublimius, quam servire illi, cui servire regnare est? *Non serviam*, inquit [2] homo Creatori: ego igitur serviam tibi Creator hominum. Tu recumbe; ego ministrabo, ego tibi pedes lavabo. Tu quiesce; ego languores tuos feram, et infirmitates tuas portabo. Utere me ut libet in omni necessitate tua, non modo ut servo tuo, sed etiam ut jumento tuo, ut peculio tuo. Si fatigatus autem et oneratus es, ego te et onus tuum feram, ut legem meam primus impleam. O duritia cordis mei, ad dignationem tantam tam inopinatam! O detestabilem superbiam hominis servire contemnentis! Dorsum etiam posuit ad flagella, et plagis vapulavit non paucis, nec parvis. Indicio sunt rivuli sanguinis, qui de tot partibus profluunt corporis. *Contumelia et tormento interrogatus* [3] fuit veluti servus aut latro. Subditur quæstioni, qua confessio extorquebatur criminis. Nunquam igitur recedat a memoria tua tam debita (*a*) miseratio, tam probata dilectio.

[4] « Scio namque, Domine, quia licet multæ sint causæ, multæ sint rationes, quare te deberemus diligere, nulla tamen major causa, nulla cogentior ratio, quam nostræ redemptionis modus. Debemus diligere te, quia nos creasti, quia nutrivisti, quia pascis et vestis; sed ideo maxime, quia redemisti nos tali modo, scilicet morte tua, et tali genere mortis, quod tunc temporis erat vilissimum genus mortis, quo puniebantur latrones et qui magna scelera commiserant. Quanto enim abjectiora pro hominibus pati dignatus es, tanto magis ab hominibus honorari, et diligi dignus es. Quis enim tantæ duritiæ est et obstinationis, ut non possit animum suum inclinare ad te diligendum, qui tantum dilexisti nos, ut nos lavares a peccatis nostris in sanguine tuo? Quis est, qui non possit ferventius et diligentius et dulcius diligere, quando recordatur, quod in cruce brachia tua expandisti, desiderans nos amplecti, et recipere omnes, qui ad te confugere volunt? »

[5] « In nullo vero clarius, quam vulneribus tuis eluxit, quod tu, Domine, suavis es et mitis, et multæ misericordiæ. »

Idcirco [6] « super omnia reddit te amabilem mihi, bone Jesu, calix quem bibisti, opus redemptionis nostræ. Hoc omnino amorem nostrum vindicat facile totum sibi. Hoc, inquam, est, quod nostram devotionem et blandius allicit, et justius exigit, et arctius stringit, et afficit vehementius. Multum quidem laboravit in eo Salvator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis Auctor assumpsit. In dictis suis sustinuit contradictores, in factis observatores, in tormentis illusores, et in morte exprobratores. »

[7] « Cum igitur devoveris quidquid es, quidquid potes, nonne sic est quasi stella ad solem, quasi lapillus ad montem, et quasi gutta ad fluvium? » [8] « Si perpenderes, quam multa, et quam multis debeas, videres quam nihil sit quod facis, quam nec etiam inter minima computandum, ad comparationem debitorum tuorum. Quod si nescieris, et scire volueris, respice mentali oculo, quanto remunerationis debito astringaris Domino patienti. »

[9] « Volve et revolve dominicum corpus a latere usque ad latus, a summo usque deorsum, et ubique invenies dolorem. Respice sudorem sanguineum, alaparum contumeliam, flagellorum instantiam, spineam coronam, sputi ludibria, crucis angariam, pa-

[1] *Philip.*, II, 8. — [2] *Jerem.*, II, 20. — [3] *Sap.*, II, 19. — [4] Anselm. — [5] Bern., *in Cant.*, serm. LXI, n. 4. — [6] Ibid., serm. XX, n. 2. — [7] Id., serm. *de quadrupl. Debito*. n. 6, col. 1129, edit. 1690. — [8] Ibid., n. 5, col. 1129. — [9] Id. — (*a*) *Leg.* indebita.

tibuli suspendium, oculos languentes, oris pallorem, fellita cibaria, acida pocula, caput inclinatum, geniculationes irrisorias, titulum famosum, vestimenti sortem, et geminatum *Crucifige*, quid plura? vilissimum mortis supplicium, et probra nefandissima. Vide Christum in cruce pendentem, capitis inclinationem ad osculum, brachiorum extensionem ad amplexum, lateris apertionem, et totius corporis confixionem ad effectum. Considera Filium Virginis illitum sputis, lividum plagis, clavis confixum. Attende rectorem cœli stantem in cruce, pallidum in morte, et carne deformem. Ne pertranseas Dominum angelorum, virum percussum a Deo, et humiliatum virum quasi leprosum, et omnibus detrimentis expositum. *Copiosa* namque [1] *apud eum redemptio.* Et vere copiosa, quia per quinque partes de corpore ejus unda sanguinis emanavit, cum ad redemptionem totius orbis una pretiosissimi sanguinis sui gutta sufficeret. Sed ideo data est copiosa, ut virtus dilectionis in beneficii redundatione claresceret. »

[2] « Agnosce etiam quam gravia sunt illa vulnera, pro quibus necesse fuit Christum Dominum vulnerari. Si hæc omnia non essent ad mortem, mortemque sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur. »

[3] « Hæc quanti valeant, frequenter cogita, et in statera charitatis appende; et quidquid amoris impendendum habes, illi rependе. Inspice diligenter vulnera pendentis, cicatrices resurgentis, sanguinem morientis, pretium credentis, commercium redimentis. »

Et quia [4] « Filius Dei occidi jubetur, ut pretiosi sanguinis sui balsamo vulneribus tuis mederetur; » nunquam a corde tuo recedat, quatenus toto tibi figatur in corde, qui pro te totus fixus est in cruce.

In qua Christi fixione tria diligenter considera, ut illi arctius per amorem adhæreas: triplicem videlicet vilitatem, triplicem asperitatem, et triplicem paupertatem. Prima vilitas fuit alaparum et colaphorum, et arundinis percussio tanquam in ribaldum. Secunda fuit major, scilicet tanquam in buffonem, vel aliquod sordidum aut fœtens, sputi exscreatio. Tertia fuit maxima, videlicet inter latrones mortis turpissimæ condemnatio. De triplici autem asperitate vide diligenter: prima asperitas fuit spinarum per medium cutis capitis, ad modum coronæ crudelis infixio; secunda major, totius videlicet corporis usque ad sanguinis effusionem ligati, et non potentis ire quo vellet, crudelior flagellatio; tertia vero et maxima, omnium membrorum in cruce violentissima distensio, maxime cum talem distensionem comitata fuerit manuum et pedum crudelissima transfixio. Nam si ad se membra traheret, propria vulnera in loco sensibilissimo, ut ita dicam, propter nervorum sensibilium concursum, et causam mortis augmentaret; si autem distenta permitteret, dolorem ex distensione, vel quasi dissociationem omnium juncturarum sentiret. Nam non sunt veriti membra ejus in tantum distendere, ut omnia ossa ejus possent dinumerari. De paupertate vero considera: prima paupertas fuit, quod tantum non habebat, quod in propria domo suum caput reclinare posset; secunda vero major juxta crucem, quod vestes non habebat, quibus membra tegere posset; tertia autem maxima, quod nec spatium pedis voluit in terra habere: unde in aera ascendit, quando in cruce pro te pendere voluit.

[5] « Tamen in his omnibus non est divina natura humiliata, sed humana est exaltata; nec est illa (*a*) imminuta, sed ista est misericorditer adjuta. Nec humana natura in illo homine passa est aliquid ulla necessitate, sed sola libera voluntate; nec ulla cogente obedientia, sed potenti disponente sa-

[1] *Psal.* CXXIX, 7. — [2] Bernard., *in Nativ. Dom.*, serm. III, n. 4. — [3] Hug. — [4] Bern., ubi sup. prox., immediate ante. — [5] Anselm., *Meditatione* X, *de Redempt. hum.* n. 3, 4, 5 et 6.

(*a*) *Cæt. edit. deest* illa.

pientia. Non enim illi Pater, ut moreretur, cogens præcepit; sed ille, quod Patri placiturum et hominibus profuturum intellexit, hoc sponte fecit. Nec eum ad hoc Pater potuit cogere, quod ab eo exigere non debuit. Sic itaque Patri obedientiam liberam exhibuit, cum hoc quod Patri (*a*) placiturum scivit, sponte facere voluit. Denique quoniam (*b*) Pater hanc bonam illi voluntatem, quamvis liberam, dedit, non immerito dicitur, quia eam velut præceptum Patris accepit. Hoc itaque modo *obediens* fuit [1] *Patri usque ad mortem*; et *sicut mandatum dedit illi Pater, sic fecit* [2], et *calicem, quem dedit illi Pater, bibit* [3]. Hæc est enim perfecta et liberrima humanæ naturæ obedientia, cum voluntatem suam liberam sponte voluntati Dei subdit, et cum acceptam bonam voluntatem sine omni exactione, spontanea libertate, opere perficit. Sic homo ille redimit (*c*) omnes alios, cum hoc, quod sponte dedit Deo, computat pro debito, quod illi debebant. Quo pretio non semel tantum a culpis homo redimitur; sed etiam, quoties cum digna pœnitentia redierit, recipitur : quæ tamen pœnitentia peccanti non promittitur. »

Lætare igitur pro libertate tua, et esto semper gratus illi, qui sic gratis sua morte ad vitam te restauravit.

[4] « Sed o tu, Domine, tu qui, ut ego viverem, mortem suscepisti, quomodo lætabor de libertate mea, quæ non est nisi de vinculis tuis? Qualiter gratulabor de salute mea, cum non sit nisi de doloribus tuis? Quomodo gaudebo de vita mea, quæ non est nisi de morte tua? An gaudebo de his, quæ passus es, et de crudelitate illorum, qui ea tibi fecerunt? quoniam nisi illi fecissent, tu passus non esses; et si tu passus non esses, hæc mea bona non essent. Sed certe illorum nequitia nihil facere potuit, nisi quod tu sponte permisisti; nec tu passus es, nisi quia tu pie voluisti. Ergo tu, peccator redemptus (*d*), illorum crudelitatem dimitte. Dei judicio, et tracta de his, quæ debes Salvatori tuo. Intuere necessitatem tuam et bonitatem ejus, et vide quas gratias reddas, et quantum debeas amori ejus. »

[5] « O! si attenderes quot et quales in comparatione tui abjecti sunt, qui hanc, quæ tibi data est, gratiam, per mortem videlicet Filii Dei, consequi non potuerunt! Certe audisti ab initio usque ad hanc diem, quam multæ generationes hominum perierunt, quæ etiam omnes, sine cognitione Dei et pretio suæ redemptionis, in interitum sempiternum dilapsæ sunt. Omnibus illis Redemptor et amator tuus te prætulit, quando tibi hanc gratiam largitus est, quam nullus hominum percipere meruit. Et quid dices? quare putas quod prælatus es omnibus illis? numquid tu fortior illis? numquid tu sapientior? numquid nobilior? numquid ditior omnibus illis fuisti, quia hanc præ omnibus illis specialem gratiam sortiri meruisti? Quot fortes, quot sapientes, quot nobiles, quot divites ibi fuerunt! et tamen universi, relicti et abjecti, perierunt. Tu solus præ omnibus illis assumptus es : et quare hoc in te factum sit, nullam, præter gratuitam Salvatoris tui charitatem, causam invenire poteris. Elegit ergo, et præelegit te in omnibus, et assumpsit te ex omnibus, et amavit te præ omnibus : nomine suo vocavit te, ut memoriale ejus semper esset apud te : voluit te participem esse in nomine, participem esse in nominis veritate, quoniam unxit te illo, quo et ipse erat unctus, oleo lætitiæ, ut ab uncto sis unctus, qui a Christo diceris Christianus [6]. »

Adhuc diligentius ac plenius attende, quanta tibi contulit hic amator tuus, ut in omni statu, omni tempore, ipsius beneficia atque circa te sollicitudinem recognoscas.

[7] « Semper cogita quantam tecum mise-

[1] *Philip.*, II, 8. — [2] *Joan.*, XIV, 31. — [3] *Joan.*, XVIII, 11. — [4] Anselm., ibid. — [5] Hug., *de Arrh. Anim.*, post med. — [6] Similia leguntur in libro *Soliloq.*, c. XIII, et in lib. *de Spir. et Anim.*, c. XVII, apud Aug., *Append.* tom. VI. — [7] Ibid., longe post med.

(*a*) *Cæl. edit. deest* cui hoc. — (*b*) *Item* quando. — (*c*) *Item* redimit. — (*d*) *Anselm.* : Ergo, homuncio.

ricordiam fecit, et in hoc perpende quantum ab ipso diligeris, quod ejus beneficium nunquam tibi defuisse cognoscis. »

Non enim tibi inter cætera parvum æstimandum est beneficium, quod [1] « bene utens malo parentum tuorum, creavit te de carne illorum, et inspiravit in te spiraculum vitæ, discernens te ab illis, qui vel abortivi projecti sunt ab utero, vel qui, inter materna viscera suffocati pœnæ videntur concepti, non vitæ. » Et infra : « Quid etiam quod integra tibi et sana membra creavit, ne esses parentibus tuis dolori, et opprobrio alienis? Magnum certe et hoc. Sed considera illud, quam fuerit inæstimabilis bonitatis, quod eo tempore, et inter tales (*a*) nasci voluit, per quos ad fidem suam et sacramenta pervenires. Unde innumerabilibus millibus hominum hoc negatum, quod tibi gratularis esse concessum, cum quibus, tecum cum una esset eademque conditio, illi derelicti per justitiam, tu vero vocatus es per gratiam. Procede et adhuc, intuendo munus ejus fuisse, quod educatus a parentibus fuisti, quod te flamma non læsit, quod non absorbuit aqua, quod non vexatus a dæmone, quod non percussus a bestiis, quod præcipitio non necatus, quod usque ad congruam ætatem in ejus fide et tuitione nutritus. »

[2] « Ecce natus es, fons baptismi tibi positus est, et lavacrum regenerationis, in quo sordes præteritorum criminum abluis. Deinde chrisma et oleum, in cujus unctione Spiritu sancto liniris. Post hæc delibutus et in unctione profusus ad mensam venis, et percipis ibi alimentum corporis et sanguinis Christi, quo interius saginatus et refectus, noxiam illam præteritorum jejuniorum maciem depellis, et pristina pulchritudine atque fortitudine reparatus, rursus quodammodo juvenescis. Deinde vestimenta bonorum operum induis, et cum jejuniis, cum vigiliis, aliisque operibus misericordiæ, vel pietatis, quasi vario ornatu decoraris. Ad ultimum sequuntur aromata virtutum, quorum odor suave spirans, omnem illum antiquorum sordium fœtorem fugat, ita ut quodammodo tibi totus mutari, et in alium transformari videaris, et magis lætus, magis alacris, magis sospes efficiaris. Datur etiam tibi speculum sancta Scriptura, ut ibi videas faciem tuam, ut neque minus, neque aliter quam deceat, habeat compositio ornatus tui. Quid dicis igitur, homo? Scis utrumne aliquid horum perceperis? Certe in fonte ablutus fuisti, certe chrismatis unctionem percepisti, certe de mensa Christi pretiosum cibum comedisti. Sed forte iterum pollutus es? habes lacrymas, quibus te iterum abluas. Iterum unctio emarcuit in te? per piam et bonam devotionem iterum te ungas. Vide quam pia tibi dispensatione ubique concurritur. Non habuisti, et datum est tibi; perdidisti, et restauratur tibi; nusquam derelinqueris, ut scias quantum ille te diligat, a quo amaris. Non vult te perdere, et ideo tanta patientia te expectat, et concedit pie, negligenter toties amissa, iterum atque iterum, si tu volueris, reparare. O quot jam perierunt, qui ista tecum acceperunt, sed amissa iterum recipere non meruerunt! Plus ergo omnibus dilectus es, quia tam benigne amissum redditur, quod illis perditum tam districte negabatur. Numquid tibi gratia bene operandi nulla data est? Tamen voluntas bona ipso largiente negata non est. Si magna opera facis, misericorditer sublimaris : si non facis magna opera, fortassis salubriter humiliaris. Melius novit ille quid tibi expediat, quam tu; et ob hoc, si vis de illo bene sentire, totum quod ab illo tibi fit, bene fieri intellige. Forte gratiam virtutum non habes; sed dum vitiorum impulsu concuteris, melius in humilitate solidaris. Suavius redolet Deo humilitas infirma, quam virtus elata. Nihil ergo dispositioni ejus præjudicare audeas; sed semper cum timore et reverentia ora eum, ut quemadmo-

[1] *De dilig. Deo*, c. XI, inter Oper. Aug., append. tom. VI. — [2] Hug., ubi sup. prox.

(*a*) *Suppl.* te, *vel si mavis*, me, *ut apud Aug.*

dum ipse novit, tibi subveniat; si qua adhuc in te mala permanserint, pie diluat; si qua inchoata sunt bona, benigne perficiat, et ea, qua ipse voluerit via, te ad se perducat. Quid tibi amplius dicam? Estne aliquid adhuc, quod dicere possim ad ostendendam dilectionem? Tibi loquor, peccator. Quid dices? Si tua dicis, aliena non poteris. Si aliena et tua, non tamen omnia. Quis enim omnia dicere potest? Et tamen scimus, quia omnium origo est charitas. Ecce duo nati sunt, eadem utriusque (*a*) nobilitas generis, eadem hora nativitatis : alter in paupertate relinquitur, alter divitiis sublimatur : et utrumque charitas operatur, quia et hunc paupertate humiliat, et illum abundantia consolatur. Iste debilis est, et ille fortis. Iste tenetur, ne malum perficiat; ille roboratur, ut ad bonum opus convalescat : utrumque charitas probat, nec reprobat. Alter per sapientiam illuminatur, alter in simplicitate sensus sui relinquitur : iste, ut seipsum despicere; ille, ut Creatorem suum studeat agnoscere : utrique tamen voluit charitas adesse. Talis est amor Dei in nobis, ne quidquam omnino humana infirmitas toleret, quod ipse, quantum in bonitate sua est, ad bonum nostrum non disponat. » Et infra : « Animadverte igitur, sicut superius memoravi; et vide, quod merito amor iste singularis Dei, qui cum se in multos diffundat, ita tamen unice singulos amplexatur. Vere pulchrum et mirificum bonum, quod commune est omnium, et totum singulorum, cunctis præsidens, singulos implens, ubique præsens, omnium curam gerens, et tamen singulis quasi omnibus providens. Sic certe mihi videtur, cum ejus miserationes circa me attendo, quod, si fas est dicere, quodammodo nihil aliud faciat Deus, nisi ut saluti meæ provideat, et ita totum ad custodiam meam occupatum video, quasi omnium oblitus sit, et mihi soli vacare velit. Semper præsentem se exhibet; semper paratum se offert; quocumque vertero me, non deserit; ubicumque fuero, non recedit; quidquid egero, pariter assistit. Et quod tandem cunctis actionibus, sive cogitationibus meis perpetuus sit inspector, et quantum ad bonitatem suam pertinet individuus cooperator assistit, ipso operis sui effectu patenter ostendit. Ex quo constat, sicut præmisi, quod licet facies ejus a nobis non possit videri, nunquam tamen possit præsentia ejus evitari. » Et paulo ante hæc : « Confiteor igitur tibi miserationes tuas, Domine Deus meus, quia non dereliquisti me. Quid retribuam tibi pro omnibus, quæ tribuisti mihi? Vis ut diligam te? Et quomodo diligam te? Et quantum diligam te? Et quis sum ego, ut diligam te? »

[1] « Quid faciemus Domino Deo nostro, a quo tot et tanta bona suscepimus? Neque enim contentus fuit ea, quæ et cæteris, bona nobis tribuere; sed in malis quoque nostris eum singularem dilectorem agnoscimus (*b*), ut eum tam de bonis, quam de malis nostris omnibus singulariter diligamus. Tu dedisti mihi, Domine, ut te cognoscam (*c*), et ut præ cæteris multis de tuis secretis revelata intelligam. Alios coætaneos meos in tenebris ignorantiæ dereliquisti, et mihi præ illis lumen sapientiæ tuæ infudisti. » Tu dedisti mihi verius cognoscere te, purius diligere te, sincerius credere in te, ardentius sequi te. [2] « Tu dedisti sensum capacem, intellectum facilem, memoriam tenacem, » linguam disertam, sermonem gratum, doctrinam laudabilem, [3] « efficaciam in opere, gratiam in conversatione, profectum in studiis, effectum in conceptis (*d*), solamen in adversis, cautelam in prosperis (*e*) : et quocumque vertebam me, ubique gratia tua et misericordia præcessit me (*f*). Et sæpe, cum mihi videbar consumptus, subito liberasti. » [4] « Quando errabam, reduxisti me; quando ignorabam, docuisti me; quando pecca-

[1] *De dilig. Deo*, ubi sup. prox., c. IX. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Quæ sequuntur, leguntur similiter in lib. *de Spir. et Anim.*, c. XVII.

(*a*) *Cæt. edit.* utrisque. — (*b*) *Al.* cognoscimus. — — (*c*) *Item* agnoscam. — (*d*) *Al.* cœptis. — (*e*) *Cæt. edit. add.* fortitudinem in adversis. — (*f*) *Al. deest* me.

bam (*a*), corripuisti me; quando contristabar, consolatus es me; quando desperabam, confortasti me; quando cecidi, erexisti me; quando steti, retinuisti me; »[1] « quando ivi, duxisti me; quando veni, suscepisti me. »

[2] « Hæc omnia et multa alia fecisti mihi, Domine Deus meus : de quibus mihi dulce erit semper cogitare, semper loqui, semper gratias agere, ut te laudem et amem » pro omnibus beneficiis tuis, Domine Deus meus. Amen.

[1] *Soliloq. Animæ ad Deum*, c. XIII, in fine. — [2] *De Spir. et Anim.*, ubi sup.

(*a*) *Al.* peccavi.



Arbor Vitæ Christi, à S. Bonaventura devote excogitata, et triplici ramorum Serie disposita. Prima, Salvatoris origo. Media, passio; Suprema glorificatio describitur. Unaquæque series quatuor altrinsecus alphabeti ordine Versiculos continet e quorum Singulis instar fructus Unica pullulatio pendet ita ut sint quasi duodecim rami afferentes fructus duodecim, juxta mysterium ligni Vitæ. (Apoc. XXII.)

LIGNUM VITÆ [1]

ARGUMENTUM

(*Ex editione Vaticana.*)

Ut Christi Domini vita, passio et glorificatio menti, affectui et memoriæ Christianorum infixæ semper hæreant, S. Bonaventura arborem excogitavit, quæ duodecim expansa ramis, frondibusque ac floribus pulchre ornata, instar ligni vitæ mysterii de quo Joannes (*Apoc.*, XXII) loquitur, fructum duodenum affert omne delectamentum et omnem saporis suavitatem in se habentem. Hinc fit, ut Opusculum hoc *Lignum Vitæ* nuncupetur : cujus subtilitas, utilitas et commoditas adeo magnæ sunt, ut inter alia Auctoris Opuscula, hoc, quod in Ligni Vitæ consideratione versatur, non infimum locum teneat. Arbor vero hæc ex adverso descripta, et in præfatione declarata insigne proprium est S. Bonaventuræ. Ipse quippe, B. Pauli Apostoli exemplo, confixus cruci, Christum et hunc crucifixum perpetuo meditabatur. In quo etiam Seraphicum Franciscum, tanquam ejus religionis alumnus egregie imitatus est, ut cujus ille stigmata corpore et corde gestabat, hic saltem cordi semper impressa haberet.

PRÆFATIO

Christo confixus sum cruci [2]. Verus Dei cultor, Christique discipulus, qui Salvatori omnium pro se crucifixo perfecte configurari desiderat, ad hoc potissimum attento mentis conatu debet intendere, ut Christi Jesu crucem circumferat jugiter tam mente, quam carne, quatenus præfatum Apostoli verbum veraciter valeat in seipso sentire. Porro hujusmodi affectum et sensum is duntaxat apud se vivaciter experiri meretur, qui Dominicæ passionis non immemor, nec ingratus, laborem, et dolorem, amoremque crucifixi Jesu, tanta memoriæ vivacitate, tanto intellectus acumine, tanta voluntatis charitate considerat, quod veraciter illud sponsæ proferre potest eloquium [3] : *Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi : inter ubera mea commorabitur.*

Ut igitur præfatus in nobis attendatur affectus, formetur cogitatus, imprimatur memoria, ex sacri Evangelii sylva, in qua de vita, passione et glorificatione Jesu Christi diffuse tractatur, colligere studui hunc myrrhæ fasciculum, quem et paucis, et ordinatis, et correspondentibus sibi verbis compegi propter facilitatem memoriæ ; necnon simplicibus, consuetis et rudibus, propter declinandum curiositatis vitium, fovendam quoque devotionem, et ædificandam fidei pietatem. Et quoniam imaginatio juvat intelligentiam, ideo ex multis pauca collegi, et

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, part. II ; edit. Vatic., an. 1596, tom. VI, part. II, pag. 421 ; edit. Ven., an. 1611, tom. II ; edit. Lugd., an. 1647, tom. I, pag. 424 ; edit. Ven., an. 1754, tom. V, pag. 393. — [2] *Gal.*, II, 19. — [3] *Cant.*, I, 12.

imaginaria quadam arbore sic ordinavi atque disposui, ut in prima et infima ramorum ipsius expansione, Salvatoris origo describatur et vita; in media, passio; et glorificatio in suprema. Et in prima quidem ramorum serie quatuor altrinsecus secundum alphabeti ordinem ponentur versiculi; similiter in secunda et tertia : ex quorum quolibet, instar fructus, unica pullulatio pendet, ut sic sint quasi duodecim rami afferentes duodecim fructus, juxta mysterium Ligni Vitæ. Describe igitur in spiritu mentis tuæ arborem quamdam, cujus radix irrigetur fonte scaturitionis perpetuæ, qui etiam excrescat in fluvium vivum et magnum, quatuor videlicet capitum, ad irrigandum totius Ecclesiæ paradisum. Porro ex hujus arboris stipite duodecim rami frondibus, floribus fructibusque adornati consurgant, sitque folium ejus contra omne genus morbi medicamentum efficacissimum, tam præservans, quam reparans, pro eo quod [1] *verbum crucis virtus Dei est in salutem omni credenti.* Flos autem ejus sit omnis coloris formositate decorus, omnisque odoris suavitate respersus, qui desiderantium anxia corda refocillet et attrahat. Fructus tandem sit duodenus, habens in se omne delectamentum et omnem saporis suavitatem : qui sic domesticis Dei ad degustandum proponitur, ut semper eo satientur edentes, et tamen nunquam fastidiant. Et hic quidem fructus est, qui de virginali utero traxit originem, et in ligno crucis ad maturitatem saporosam, per æterni Solis calorem meridianum, Christi videlicet charitatem, pervenit, et in horto paradisi cœlestis, in Ecclesia videlicet Dei, desiderantibus ipsum, proponitur degustandus. Et hoc insinuat primus versiculus, quo dicitur :

O crux, frutex salvificus, vivo fonte rigatus,
Cujus flos aromaticus, fructus desideratus.

Verum licet hic fructus unus sit, et indivisus; quia tamen secundum ejus multiplices status, dignitates, virtutes, et opera, multiformibus consolationibus devotas animas cibat, quæ quidem ad duodenarium numerum reducuntur, ideo fructus hic Ligni vitæ quasi sub duodecim saporibus in duodecim ramis gustandus proponitur, atque describitur : ut in primo ramusculo mens Christo devota saporem suavitatis percipiat, præclaram Salvatoris sui recogitando originem, et dulcem nativitatem; in secundo ramusculo, dignitativæ condescensionis conversationem perhumilem; in tertio, celsitudinem perfectæ virtutis; in quarto, plenitudinem abundantissimæ et perfectissimæ pietatis; in quinto, confidentiam, quam habuit in periculo passionis; in sexto, patientiam, quam exhibuit in illatis injuriis et contumeliis magnis; in septimo, constantiam, quam servavit in ipso cruciatu, et dolore asperrimæ crucis; in octavo, victoriam, quam assecutus est in conflictu, et transitu mortis; in nono, resurrectionis novitatem miris dotibus adornatam; in decimo, ascensionis sublimitatem, spiritualium charismatum diffusivam; in undecimo, æquitatem futuri judicii; in duodecimo, æternitatem divini regni.

Hos autem ideo voco fructus, quia sua maxima suavitate delectant, et virtuositate confortant animam meditantem in his, et diligentius singula pertractantem, si tamen abhorreat exemplum prævaricantis Adæ, qui lignum scientiæ boni et mali prætulit Ligno Vitæ. Quod quidem vitare non potest nisi rationi fidem, investigationi devotionem, curiositati simplicitatem, tandemque carnali sensui omni, seu prudentiæ carnis, sacram præferat Christi crucem, per quam sancti Spiritus charitas in cordibus devotis nutritur, et septiformis (*a*) gratia diffunditur, sicut in duobus supremis, et postremis versiculis postulatur.

[1] *Rom.*, I, 16. — (*a*) *Cæt. edit.* septiformi.

Jesus ex Deo genitus.

Expergiscere proinde, anima Christo devota, et singula quæ de Jesu dicuntur, diligentius discute. Attente considera, et morose pertracta, cum Jesum audis ex Deo genitum. Cave, ne mentis tuæ oculis infirmum aliquid carnalis cogitationis occurrat; quin potius columbino et aquilino intuitu simpliciter crede, ac perspicaciter comtemplare, quod ab illa æterna luce, simul immensa et simplicissima, fulgentissima et summe arcana, coæternus, coæqualis, et consubstantialis splendor oritur, qui est virtus et sapientia Patris generantis, in quo Pater omnia disposuit ab æterno, per quem fecit et sæcula, factaque gubernat, et ordinat ad gloriam suam, partim per naturam, partim per gratiam, partim per justitiam, partim per misericordiam; ut nihil in hoc mundo inordinatum relinquat.

Jesus præfiguratus.

A principio quidem conditionis naturæ, collocatis in paradiso parentibus primis, dehinc propter esum ligni vetiti, per divini decreti severitatem expulsis, superna misericordia non distulit hominem errabundum revocare ad pœnitentiæ viam, spem veniæ dando per repromissum Salvatoris adventum. Et ne forte per ignorantiam, et ingratitudinem tanta Dei dignatio nostræ saluti foret inefficax, in quinque sæculi hujus ætatibus per Patriarchas, Judices, Sacerdotes, Reges, et Prophetas, ab Abel justo usque ad Joannem Baptistam, Filii sui adventum prænuntiare, promittere, ac præfigurare non destitit : ut per multa millia temporum et annorum, magnis, miris, multiplicatis oraculis, intelligentias nostras ad finem erigeret, et affectus per viva desideria inflammaret.

Jesus emissus cœlitus.

Denique postquam [1] *venit plenitudo temporis*, sicut homo sexta die conditus est de terra per divinæ manus virtutem et sapientiam; sic in principio sextæ ætatis, misso archangelo Gabriele ad Virginem, et Virgine præbente illi assensum, supervenit in eam Spiritus sanctus, sicut ignis divinus mentem ejus inflammans, carnemque ipsius perfectissima puritate sanctificans. Sed et virtus eam obumbravit Altissimi, ut tantum ferre posset ardorem : qua operante, in instanti corpus fuit formatum, anima creata, et simul utrumque divinitati in persona Filii counitum, ut idem esset Deus et homo, salva utriusque proprietate naturæ. O si valeres utcumque sentire, quale, quantumque fuerit illud e cœlo immissum incendium, collatum refrigerium, infusum solatium, quanta sublimatio Virginis matris, quanta nobilitatio generis, quantaque condescensio majestatis; si Virginem canentem cum jubilo posses audire; si cum Domina tua in montana conscendere, si sterilis et Virginis suavem contueri complexum, et salutationis officium, in quo servulus Dominum, præco Judicem, vox Verbum cognovit, puto quod canticum illud sacrum [2] : *Magnificat anima mea Dominum*, etc., cum beatissima Virgine, suavi tunc modulatione concineres, mirum que conceptum virgineum una cum Propheta parvulo exultans et jubilans, adorares.

Verbi divini incarnatio.

Jesus e (a) Maria natus.

Sane cum quietum silentium universalis pacis sub Cæsaris Augusti imperio perturbata prius sæcula serenasset in tantum, ut per ipsius edictum describeretur universus orbis, divinæ factum est providentiæ cura, ut Joseph Virginis sponsus prægnantem puellam, de regali ortam prosapia, ad Bethlehemiticam (b) duceret urbem. Et jam a conceptu excursis mensibus novem, Rex ille pacificus, tanquam sponsus de thalamo, processit de utero virginali : sic absque omni corruptione in lucem editus, sicut fuerat absque omnis libidinis contagione conceptus.

[1] *Gal.*, IV, 4. — [2] *Luc.*, I, 46.

(a) Cæt. edit. *de.* — (b) *Al.* Bethleemiticam, et sic deinceps.

Qui cum magnus esset et dives, pro nobis effectus parvus, pauper extra domum in diversorio nasci elegit, panniculis involvi, lacte virgineo pasci, et inter bovem et asinum in præsepio reclinari. Tunc illuxit nobis dies redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Tunc per totum mundum melliflui facti sunt cœli. Contemplare itaque nunc, anima mea, divinum illud præsepe, ut pueri pedibus labia tua figas, et oscula gemines. Deinde pastorum excubias mente pertracta. Angelorum mirare concurrentem exercitum; cœlesti melodiæ tuas interpone partes, corde et ore decantans [1] : *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Jesus conformis Patribus.

Pueri Jesu circumcisio

Octavo namque die circumciditur puer, et vocatur Jesus, ut sanguinis sui pretium pro te non tardans effunderet, tuum se verissimum Salvatorem ostenderet, patribus repromissum tam verbo, quam signo, eisque [2] assimilatum per omnia, præter ignorantiam et peccatum. Propter quod et circumcisionis accepit signaculum, sicut et veniens apparuit [3] *in similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum*, nobisque fieret salus et sempiterna justitia, ab humilitate sumens initium, quæ omnium est radix custosque virtutum. *Quid* igitur [4] *superbis, terra et cinis?* Agnus innocens, qui tollit peccata mundi, non abhorret circumcisionis cauterium; et tu, peccator cum sis, dum prætendis te justum, remedium refugis salutis æternæ, ad quam nullatenus pervenire potes, nisi velis subsequi humilem Salvatorem?

Jesus tribus Magis monstratus.

Nato Domino [5] in Bethlehem Judæ, stella tribus Magis in oriente apparuit, et usque ad domum illius humilis Regis prævia claritate perduxit. Noli jam et tu ab illius orientis et præeuntis stellæ declinare fulgore (*a*); quin potius sacrorum regum comes effectus, Judæorum scripturam de Christo testimonium perhibentem accepta, et fraudulenti regis Herodis declina malitiam. Cum auro, et thure, ac myrrha Christum Regem, et verum Deum et hominem venerare; et cum primitiis gentium vocandarum ad fidem (*b*), humilem Deum in cunis jacentem adora, et confitere, et lauda, ut sic in somnis commonitus, ne Herodianam sequaris superbiam, post vestigia humilis Christi revertaris in regionem tuam.

Magos

vocat Reges.

Jesus submissus (*c*) *Legibus.*

Præsentatio Christi in templo.

Non suffecit Magistro humilitatis perfectæ, cum Patri per omnia esset æqualis, quod seipsum subderet humillimæ Mariæ Virgini, nisi et se submitteret legi [6] : *quatenus eos, qui sub lege erant, redimeret, liberaretque* [7] *a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Propter quod et matrem, quanquam mundissimam, legem purificationis voluit [8] observare, et seipsum, omnium Redemptorem, ut primogenitum redimi, in templo Dei offerri, et hostiam pro se dari, præsentibus et exultantibus justis. Exulta igitur et tu cum illo beato sene Simeone, et Anna longæva. Procede in occursum matris, et parvuli. Vincat verecundiam amor : depellat timorem affectus. Accipias et tu infantem Jesum in ulnas tuas, dicasque cum sponsa in Canticis Canticorum [9] : *Tenui eum, nec dimittam.* Tripudia cum illo venerabili sene Simeone, et concine : *Nunc dimittis servum tuum, Domine*, etc.

Jesus regno fugatus.

Peregrinatio in Ægyptum.

Quoniam autem humilitatem perfectam trium specialiter adornari decet comitatu virtutum, scilicet paupertatis, in fugiendo divitias ut fomenta superbiæ; patientiæ vero, in æquanimi perpessione contemptus; obe-

[1] *Luc.*, II, 14. — [2] *Hebr.*, IV, 15, in sensu. — [3] *Rom.*, VIII, 3. — [4] *Eccli.*, X, 9. — [5] *Matth.*, II, 1 et seq. — [6] *Gal.*, IV, 4, 5. — [7] *Rom.*, VIII, 21. — [8] *Luc.*, II, 22 et seq. — [9] *Cant.*, III, 4.

(*a*) *Ita edit Lugd.; cæt. edit.* fulgores. — (*b*) *Item* finem. — (*c*) Al. *summissus*, et sic deinceps.

dientiæ quoque, in alienis parendo mandatis : ideo divina dispositione altiori permittente consilio, dum Herodes impius parvulum Regem quærit, ut perdat, supernæ revelationis oraculo, in Ægyptum transfertur, ut peregrinus et pauper; simulque in coætaneis parvulis, ipsius causa occisis, occiditur, et quasi in quolibet trucidatur. Tandem Herode defuncto, juxta divinum imperium reducitur in terram Juda. Ibique conversatus, et crescens ætate et gratia, cohabitabat parentibus, et adeo erat subditus illis, ut nunquam vel ad momentum secederet, nisi cum duodecim jam factus annorum remansit in Hierusalem, non sine multo matris dolore quæsitus, nec sine immenso gaudio reinventus. Noli ergo et tu fugientes in Ægyptum matrem et parvulum, sine comitatu relinquere (*a*). Noli cum dilecta quærente dilectum, donec invenias, ab inquisitione cessare. O cum quanta copia fluerent lacrymæ, si oculis piis aspiceres tam venerabilem dominam, gratiosissimamque puellam, cum tam tenero, et formoso puerulo peregrinam; si etiam dulcem illam increpationem amantissimæ Dei genitricis audires [1] : *Fili, quid fecisti nobis sic?* tanquam si diceret : Desideratissime fili, quomodo tam dilectæ et diligenti matri tantam potuisti materiam præstare doloris ?

Jesus baptizatus (*b*).

Christus baptizatur.

Cum autem ad tricesimum ætatis suæ annum Salvator pervenisset, volens operari salutem nostram, cœpit prius facere, quam docere. Et primum inchoans a janua sacramentorum, et fundamento virtutum, baptizari voluit a Joanne : ut exempla monstraret perfectæ justitiæ, et vim regenerativam aquis conferret contactu mundissimæ carnis suæ. Quem et tu fideliter comitare, ut fias regeneratus in ipso, ejusque scrutare secreta, ut secus Jordanem in voce Patrem, in carne Filium, in columba videas Spiritum sanctum.

Jesus ab (*c*) *hoste tentatus.*

Christi jejunum et tentatio in deserto.

Ductus namque fuit Jesus [2] *in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo*, quatenus et hostilis pugnæ humili perpessione nos humiles faceret, et victoriæ assecutione viriles. Duram quoque ac solitariam vitam constanter assumpsit, ut fidelium mentes ad perfectionis aggressionem erigeret, et ad gravia perferenda firmaret. Eia nunc, Christi discipule, cum pio magistro secreta solitudinis perquire, ut socius ferarum effectus, arcani silentii, orationis devotæ, diuturni jejunii, trinæ conflictationis cum callido hoste imitator fias et particeps, et in omnium tentationum discrimine ad illum discas habere recursum, pro eo quod [3] *non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.*

Jesus signis mirificus.

Ipse nempe est, qui fecit [4] *mirabilia magna solus*, dum elementa commutat, panes multiplicat, mare calcat, fluctusque tranquillat, dæmones compescit et fugat, leprosos emundat et sanat, mortuos suscitat : qui et cæcis visum, surdis auditum, mutis eloquium, claudis gressum, paralyticis et aridis sensum restaurat et motum. Ad quem peccatrix conscientia clamat, nunc more fidelis leprosi [5] : *Domine, si vis, potes me mundare*; nunc more Centurionis [6] : *Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur*; nunc more Chananææ [7] : *Miserere mei, fili David*; nunc more sanguifluæ mulieris [8] : *Si tetigero*, inquit, *fimbriam vestimenti ejus, salva ero*; nunc instar Mariæ et Marthæ [9] : *Domine, ecce quem diligis, infirmatur.*

Jesus transfiguratus.

Ad confirmandum siquidem mentem humanam per spem retributionis æternæ, [10]

[1] *Luc.*, II, 48. — [2] *Matth.*, IV, 1. — [3] *Hebr.*, IV, 15. — [4] *Psal.* CXXXV, 4. — [5] *Luc.*, V, 12. — [6] *Matth.*, VIII, 6. — [7] Ibid., XV, 22. — [8] Ibid., IX, 21. — [9] *Joan.*, XI, 3. — [10] *Matth.*, XVII, 1 et seq.

(*a*) Cæt. edit. *Baptista cælitus.* — (*b*) *Edit. Lugd.* derelinguere. — (*c*) Ita edit. Lugd.; *cæt. edit. deest* ab.

assumpsit Jesus Petrum, Jacobum et Joannem, quibus et Trinitatis sacramentum aperuit, et passionis abjectionem prædixit, et resurrectionis futuræ gloriam in transfiguratione monstravit, contestantibus sibi Lege et Prophetis in apparitione Moysi et Eliæ; contestantibus etiam Patre et Spiritu sancto in voce et nube : ut sic anima Christo devota, et jam in veritate firmata, et ad apicem virtutis evecta, fideliter dicat cum Petro : *Domine, bonum est nos hic esse,* hoc est, in tuæ contemplationis perfruitione serena ; immissoque in eam cœlesti sopore, et ecstasi, audiat [1] *arcana verba, quæ non licet homini loqui.*

Jesus Pastor sollicitus.

Quanta fuerit piissimi Pastoris ad perditas oves sollicitudinis cura, quantaque clementia, ipse bonus Pastor in parabola pastoris [2], et ovis [3] centesimæ perditæ, multaque cura quæsitæ, ac tandem inventæ, et in humeris reportatæ cum gaudio, pia metaphora indicat, et sermone expresso declarat, cum dicit : *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Et in eo vere illud propheticum perfecte impletur [4] : *Sicut pastor gregem suum pascet.* Nam propter hoc labores, sollicitudines et inedias passus, inter Pharisæorum insidias et pericula multa, evangelizando regnum Dei civitates circuibat et castra, noctes ducebat in oratione pervigiles. Nec Pharisæorum veritus murmur et scandalum, publicanis reddebat se affabilem, asserens [5], *propter male habentes* se venisse in mundum. Ad pœnitentes quoque paternum prætendebat affectum, apertum ostendens eis divinæ misericordiæ sinum. Testes horum invoco, et adduco in medium Matthæum, Zachæum, et peccatricem illam ad pedes ejus prostratam, et mulierem in adulterio deprehensam. Hunc igitur pastorem piissimum more Matthæi perfecte sectare, more Zachæi hospitio suscipe, more peccatricis unguento perunge, pedesque ipsius ablue lacrymis, terge capillis, et osculis mulce : ut tandem cum ipsa muliere judicio ipsius exposita, absolutionis sententiam merearis audire [6] : *Nemo te condemnavit : nec ego te condemnabo. Vade, et jam amplius noli peccare.*

Jesus fletu rigatus.

Pro summæ quidem pietatis reseranda dulcedine fons totius misericordiæ bonus Jesus non modo pro nobis miseris semel, sed pluries flevit. Nam super Lazarum primo, dehinc super civitatem, et tandem in cruce, ex illis piissimis oculis ad omnem expiationem peccatorum lacrymarum manavere fluenta. Flevitque Salvator ubertim, nunc humanæ infirmitatis deplorando miseriam, nunc cæci cordis caliginem, nunc obduratæ malitiæ pravitatem. O cor durum, vesanum et impium, et tanquam vera privatum vita plangendum, cur more frenetici, flente super te Sapientia Patris, in tantis miseriis lætaris et rides? Considera lacrymantem medicum tuum, et [7] *luctum unigeniti fac tibi planctum amarum.* [8] *Deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem : non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.*

Jesus rex orbis agnitus.

De ingressu Christi in Hierusalem

Sane post Lazarum suscitatum, et post effusum alabastrum unguenti super caput Jesu, odore famæ ejus iam resperso in populo, præsciens ipse turbam sibi obviam venturam, conscendit asellum, ut inter plausus currentium populorum cædentium ramos, et sternentium vestimenta in via, miræ præberet humilitatis exemplum. Nec suæ miserationis oblitus, cum turbæ depromerent canticum laudis, ipse lamentum assumpsit super excidium civitatis. Surge nunc, Salvatoris ancilla, ut tanquam una de filiabus Hierusalem [9] intuearis regem Salomonem in honore, quem sibi mater Synagoga in Ecclesiæ nascentis mysterium

[1] II *Cor.*, XII, 4. — [2] *Joan.*, X, 11. — [3] *Luc.*, XV, 4-6. — [4] *Isa.*, XL, 11. — [5] *Luc.*, V, 31. — [6] *Joan.*, VIII, 10, 11. — [7] *Jerem.*, VI, 26. — [8] *Thren.*, II, 18. — [9] *Cant.*, III, 11.

reverenter exhibuit, ut insidentem aselli tergo, cœli terræque Dominum, velut cum ramis olivarum atque palmarum, pietatis operibus, virtutumque triumphis jugiter comiteris.

Jesus panis sacratus.

De ultima cœna Domini. Inter omnia memorialia (*a*) Christi præcipua constat, recordatione esse dignissimum finale illud convivium sacratissimæ cœnæ, in quo non solum agnus paschalis ad edendum proponitur, verum etiam [1] *Agnus* immaculatus, *qui tollit peccata mundi*, sub specie panis [2] *omne habentis in se delectamentum, et omnis saporis suavitatem*, præbetur in cibum. In quo quidem convivio mira Christi refulsit bonitatis dulcedo, quando cum pauperculis illis discipulis, et Juda proditore, eadem mensa et scutella cœnavit. Mirum claruit humilitatis exemplum, dum pedes piscatorum, et etiam proditoris sui, Rex gloriæ, præcinctus linteo, studiosissime lavit. Mira patuit munificentiæ largitas, dum sacerdotibus illis primis, et per consequens toti Ecclesiæ et orbi terrarum, corpus suum sacratissimum et sanguinem, verum cibum dedit et potum : ut quod erat futurum in proximo sacrificium Deo placens redemptionis nostræ impretiabile pretium, esset viaticum et sustentamentum. Mirus tandem emicuit dilectionis excessus, quando in finem diligens suos, tam dulci eos exhortatione confortavit in bono, Petrum specialiter præmonens ad fidei robur, et Joanni offerens pectus ad recubitum jucundum et sacrum. O quam mira sunt hæc omnia repleta dulcedine, illi duntaxat animæ, quæ ad tam celebre vocata convivium, tanto mentis currit ardore, ut possit illud propheticum eructare [3] : *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.*

Jesus dolo venundatus.

Passionem dulcissimi Jesu Christi pie considerare volenti, primum occurrit perfidia proditoris, qui tantæ fuit fraudis veneno repletus, ut suum Dominum et Magistrum proderet; tanta fuit flamma malæ cupiditatis succensus, ut optimum Deum argento venundaret, et pretiosissimum Christi sanguinem vilis mercedis pretio compensaret; tantæ denique ingratitudinis, ut illum, qui omnia sibi commiserat, et ad honorem, et dignitatem et culmen apostolicæ potestatis provexerat, insequeretur ad mortem; tantæ duritiæ, ut nec familiaritate convivii, nec humanitate obsequii, nec suavitate colloquii, a concepta malitia potuerit revocari. O mira benignitas Magistri in discipulum durum, et pii Domini in servum nequissimum ! Certe [4] *bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Sed quamvis inexplicabilis fuerit proditoris impietas, in immensum tamen exuperat agni Dei dulcissima mansuetudo, in exemplum data mortalibus, ut jam non dicat ab amico exasperata humanitas [5] : *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique*, etc., quia ecce *homo unanimis*, qui *dux* videbatur *et notus*, *qui* Christi panes edebat, et in illa sacra cœna cum illo *dulces capiebat cibos*, *magnificat super* eum *supplantationem.* Et tamen agnus ille mitissimus, os, in quo [6] *non est inventus dolus*, ori, quod abundavit malitia, in ipsa proditionis hora suavi osculo applicare non renuit : ut omnia illi exhiberet, quæ pravi cordis pertinaciam emollire potuissent.

Durissima, atque iniquissima Judæ impietas.

Jesus orans prostratus.

Sciens namque Jesus omnia, quæ super eum erant ventura, secundum altissimæ dispositionis arcanum [7], *hymno dicto, exiit in montem Olivarum*, more solito oraturus ad Patrem. Et tunc præcipue jam mortis instante agone, cum dispersione quoque ac desolatione ovium, quas pius pastor tenero

Jesus factus in agonia.

[1] *Joan.*, I, 29. — [2] *Sap.*, XVI, 20. — [3] *Psal.* XLI, 2. — [4] *Matth.*, XXVI, 24; *Marc.*, XIV, 21. — [5] *Psal.* LIV, 13 et seq. — [6] I *Petr.*, II, 22. — [7] *Matth.*, XXVI, 30; *Marc.*, XIV, 26.

(*a*) *Cæt. edit.* memoralia.

complexabatur affectu, fuit horribilis in natura Christi sensibili imaginatio mortis, ut diceret[1] : *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste.* Quanta vero fuerit in spiritu Redemptoris pro diversis causis anxietas, testes sunt guttæ sudoris sanguinei, ex toto corpore[2] *decurrentis in terram.* Dominator Domine Jesu, unde animæ tuæ tam vehemens anxietas, et anxia supplicatio? Nonne voluntarium omnino Patri sacrificium obstulisti? Verum, ut veram in te credentes nostræ mortalitatis naturam, formaremur (*a*) ad fidem, et in tribulationum perpessione consimili erigeremur ad spem, et majores erga te amoris stimulos haberemus, naturalem carnis infirmitatem hujusmodi expressisti evidentibus signis, quibus doceremur, quod[3] *vere dolores nostros pertuleris*, et non absque doloris sensu degustaveris amaritudines passionum.

Jesus turba circumdatus.

Sane, quam promptus ad passionem fuerit spiritus in Jesu, ex hoc evidenter innotuit, quod venientibus una cum proditore viris sanguinum, et quærentibus animam suam cum facibus, laternis et armis per noctem, ultro occurrit, et seipsum manifestavit et obtulit. Et ut cognosceret humana præsumptio, nihil se posse adversus ipsum, nisi quantum ipse permitteret, omnipotentis virtutis suæ verbo improbos satellites terræ allisit. Sed nec tunc misericordiam suam in ira continuit, nec pietatis suæ dulcedinem favus ille distillare cessavit. Nam et mutilatam a discipulo aurem servi protervi, manus suæ contactu sanavit, et defensoris sui zelum ab invadentium læsione compescuit. *Maledictus furor eorum*[4] *quia pertinax*, dum nec majestatis miraculo, nec pietatis beneficio potuit refrænari.

Jesus vinculis ligatus.

Denique sine gemitu audire quis possit, qualiter illa hora homicidas manus in Regem gloriæ injecerunt truculenti lictores, et innocentes mitis Jesu manus vinculis constringentes, ipsum Agnum mansuetissimum nihil obloquentem, instar latronis contumeliose traxerunt ad victimam? Quis tunc doloris aculeus discipulorum corda penetravit, cum viderent dilectissimum Dominum et Magistrum suum a suo discipulo proditum, ligatis post tergum manibus quasi malefactorem duci ad mortem, cum et ille impiissimus Judas pœnitentia ductus, tanta postmodum fuerit ex hoc amaritudine repletus, ut maluerit mori, quam vivere? Væ tamen homini illi, qui nec sic ad fontem misericordiæ per spem veniæ rediit, sed proprii sceleris immanitate perterritus desperavit.

Jesus notis incognitus.

Comprehenso dehinc pastore[5], *dispersæ* sunt *oves;* captoque Magistro, discipuli fugerunt. Petrus tamen, tanquam fidelior, secutus est a longe usque ad atrium principis sacerdotum, ubi ad vocem ancillæ, se Christum non nosse, cum juramento firmavit, tertioque repetiit : donec, gallo cantante, respexit benignus Magister prædilectum discipulum respectu miserationis et gratiæ, quo commonitus Petrus, et[6] *foras egressus, flevit amare.* O quisquis es, qui ad vocem impotentis ancillæ, carnis videlicet tuæ, Christum pro te passum negasti procaciter, vel voluntate, vel actu : rememorans passionem dulcissimi Magistri, foras cum Petro egredere, ut te ipsum amarissime defleas, si quando te respiciat, qui Petrum lacrymantem respexit; geminæ quoque amaricationis, cumpunctionis scilicet pro te, et compassionis ad Christum, inebriaberis absinthio, ut expiatus cum Petro a reatu sceleris, replearis cum Petro Spiritu sanctitatis.

[1] *Matth.*, XXVI, 39. — [2] *Luc.*, XXII, 44. — [3] *Isa.*, LIII, 4. — [4] *Gen.*, XLIX, 7. — [5] *Marc.*, XIV, 27. — [6] *Matth.*, XXVI, 75. — (*a*) *Cæt. edit.* formemur.

Jesus vultu velatus.

Concilio (*a*) siquidem malignantium pontificum præsentatus Pontifex noster Jesus Christus, et veritatem confessus, se videlicet esse Filium Dei, quasi blasphemus adjudicatus est morti, et innumera perpessus opprobria. Nam vultus ille venerabilis hominibus, desiderabilis angelis, qui et omnes cœlos adimplet lætitia, labii polluti sputis inquinatur, ab impiis, sacrilegis manibus cæditur, velo in derisionem obtegitur, et Dominus universæ creaturæ tanquam servus contemptibilis colaphizatur : cum ille vultu placidissimo et sermone summisso, unum ex servis pontificis dantem alapam sibi, dulciter et benigne corripuit [1] : *Si male,* inquit, *locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me cædis?* O verax, dulcis et pie Jesu, quænam anima tibi devota, hæc videns et audiens, possit se continere a lacrymis, et intimæ passionis occultare dolorem?

Jesus Pilato traditus.

Horrenda prorsus Judæorum impietas, quæ tantis injuriis satiari non potuit; quin potius ferali rabie fremens, impio judici, tanquam rabido cani, animam justi deglutiendam exposuit. Vinctum enim Jesum ante Pilatum pontifices perduxerunt, postulantes interim supplicio crucis [2] *eum qui non noverat omnino peccatum.* Ipse vero [3] *quasi agnus coram tondente se,* sic ante judicem stabat mansuetus et tacitus, cum fallaces et impii, falsorum criminum mole objecta, tumultuosis clamationibus auctorem vitæ petunt ad mortem; et virum homicidam, seditiosumque latronem servant ad vitam, lupum agno, mortem vitæ, luci tenebras, tam stulte præferentes, quam impie. Dulcis Jesu, quis tam durus erit, ut clamores illos horribiles [4] : *Tolle, tolle, crucifige eum,* sine gemitu et clamore spiritus, aure corporis valeat audire, seu mente tractare?

Jesus morte damnatus.

Verum quamvis non ignoraret Pilatus, Judaicam gentem adversus Jesum non justitiæ, sed invidiæ zelo commotam, cum patenter assereret nullam se in eo mortis causam vel modicam invenire, humano tamen timore devictus, replevit animam suam amaritudinibus, et piissimum regem crudelis tyranni, Herodis videlicet, judicio subdidit, quem et ludibrio habitum, et ad se remissum, crudeli mandato nudum in conspectu derisorum astare præcepit, ut atrocissimis verberibus virgineam illam et candidissimam carnem flagellatores truculenti devellerent, plagas plagis, livores livoribus crudeliter infligentes. Decurrit ille sanguis pretiosissimus per illa sacra latera innocentis et amantissimi juvenis, nullo prorsus in eo reperto reatu. Et tu, perdite homo, totius confusionis et contritionis hujus causa existens, quomodo non in fletum erumpis foras? Ecce innocentissimus agnus, ut te a sententia justæ damnationis eriperet, injusto propter te elegit judicio condemnari; ecce [5], *quæ non rapuit,* pro *te solvit :* et tu, anima mea nequam et impia, nec devotionis exsolvis gratitudinem, nec compassionis rependis affectum?

Jesus spretus ab omnibus.

Postquam autem Pilatus adjudicaverat impiorum vota compleri, non suffecit militibus illis sacrilegis crucifigere Salvatorem, nisi prius et ipsi illusionibus implessent animam suam. Nam congregata in prætorium universa cohorte, exuentes eum vestibus suis, et tunica induentes coccinea, chlamydem illi circumdederunt purpuream, et corona spinea imposita capiti ejus, et arundine in dextera manu, irrisorie genuflectebant, et alapas dabant, et expuentes in eum, sacrum illud caput percutiebant arundine. Attende nunc, humani cordis superbia, quæ opprobria refugis, et ad honores aspiras,

[1] *Joan.*, XVIII, 23. — [2] II *Cor.*, V, 21. — [3] *Isa.*, LIII, 7. — [4] *Joan.*, XIX, 6. — [5] *Psal.* LXVIII, 5.

(*a*) *Cæt. edit.* consilio.

quis est iste qui ingreditur habens imaginem quasi regis, et nihilominus servi despectissimi confusione repletus? Ipse est Rex tuus, et Deus tuus, qui quasi vir leprosus, et[1] *novissimus virorum* æstimatus est, ut te ab æterna confusione eriperet, a superbiæ peste sanaret. Væ igitur semel his, et væ iterum, qui post tam clarum humilitatis speculum superbia tolluntur in altum, rursus ostentui habentes Filium Dei, quem tanto amplius ab hominibus omni constat honorificentia dignum, quanto magis pro hominibus indigna sustinuit.

Jesus cruci elevatus.

Satiatis jam impiis de opprobriis mansuetissimi Regis, rursum Rex noster vestibus suis induitur, de novo exuendus; et bajulans sibi crucem, perducitur ad Calvariæ locum, ibique totus exutus, vili duntaxat circumtectus ad renes sudario et super lignum crucis dire projectus, expansus, protensus et tractus, et in pellis modum hinc inde extensus, clavorum aculeis perforatur, manibus sacris et pedibus cruci affixis, et crudelissime sauciatis; vestes quoque ipsius dantur in prædam, dividuntur in partes, tunica inconsutili indivisa per sortem transeunte ad unum. Vide nunc, anima mea, quomodo ille, qui est super omnia benedictus Deus, a planta pedis usque ad verticem totus in aquas passionis demergitur: et ut te totam de illis passionibus extraheret, intraverunt aquæ usque ad animam suam. Coronatus etenim spinis sub crucis onere dorsum curvare jubetur, et suam ipsius portare ignominiam; et ad locum deductus supplicii, veste nudatur, ut ex flagellorum ictibus per dorsum et latera carnis patefactis livoribus atque scissuris, videretur *quasi leprosus*, et dehinc clavis transfossus, appareret tibi dilectus tuus, propter te sanandam, concisus vulnere super vulnus. *Quis mihi*[2] *det ut veniat petitio mea, et quod expecto tribuat mihi Deus*, ut totus tam mente, quam carne transfodiar, crucisque affigar patibulo cum dilecto?

Jesus junctus latronibus.

Ad augmentum confusionis, ignominiæ, dedecoris ac doloris, innocens agnus extra portam in loco punitionis sceleratorum, in die solemni, hora meridiana, in medio latronum super crucem, quasi ad spectaculum elevatur, flentibus amicis, et insultantibus hostibus. Nam[3] et qui præteribant, *movebant capita sua*; et qui astabant, irrogabant convitia, dicentes quod *alios salvos fecisset, nunc seipsum salvare non posset.* Sed et ab irrisione hujusmodi alter latronum nequaquam abstinuit, cum tamen mitissimus agnus, et pro crucifigentibus et irridentibus pietatis dulcedine interpellaret ad Patrem, et confitenti ac supplicanti latroni, liberalissima charitate repromitteret paradisum. O verbum totius dulcedinis et veniæ[4]: *Pater, ignosce* (a) *illis!* O verbum totius amoris et gratiæ[5]: *Hodie mecum eris in paradiso!* Respira nunc in spem veniæ, anima quantumcumque peccatrix, si tamen patientis pro te Domini Dei tui vestigia sequi non abhorres, qui in omnibus pressuris suis nec semel os suum aperuit, ut aut querelæ, aut excusationis, aut comminationis, aut maledictionis sermonem adversus maledictos illos canes vel leniter diceret, quin potius novæ benedictionis verbum, quale a sæculis non est auditum, super inimicos suos effudit. Dic ergo cum multa fiducia[6]: *Miserere mei, Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea:* si forte more confitentis latronis audire merearis in mortis articulo: *Hodie mecum eris in paradiso.*

Jesus felle et aceto potatus.

Postea[7] *sciens Jesus, quia consummata sunt omnia, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio.* Et acetoso et felleo poculo sibi

[1] *Isa.*, LIII, 3, 4. — [2] *Job*, VI, 8. — [3] *Matth.*, XXVII, 39, 42. — [4] *Luc.*, XXIII, 34. — [5] Ibid., 43. — [6] *Psal.* LVI, 2. — [7] *Joan.*, XIX, 28, 30.

(a) Vulg. *dimitte.*

propinato cum spongia, Joanne qui præsens fuit attestante, subintulit : *Consummatum est*, tanquam si in gustu aceti et fellis, totius amarissimæ passionis consummata plenitudo consisteret. Nam quia, per gustum ligni suavis et vetiti, totius nostræ perditionis causa extitit prævaricator Adam, opportunum fuit et congruum, per viam contrariam salutis nostræ invenire remedium. Cum etiam in singulis membris ipsius acutissimarum passionum militantes sagittæ crebrescerent, quarum [1] *indignatio ebibebat spiritum* ejus, ut cibi verbique vehiculum nequaquam remaneret immune, ut verificaretur in Medico nostro propheticum illud [2] : *Replevit me amaritudine, inebriavit me absinthio.* Sed et ut illud compleretur in dulcissima et amantissima matre sua Virgine gloriosa [3] : *Posuit me quasi desolatam, tota die mœrore confectam.* Quæ lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit desolationum tuarum pondus, Virgo beata : quæ præmissis omnibus præsens, assistens et particeps per omnem modum effecta, benedictam illam et sanctissimam carnem, quam tam caste concepisti, tam dulciter aluisti, et lacte potasti, tam crebro in tuo reclinasti sinu, et labia labiis impressisti, carneo contemplata es visu, nunc ictibus flagellorum divelli, nunc spinarum perforari aculeis, nunc arundine percuti, nunc palmis pugnisque concidi, nunc clavis perfodi, et stipiti crucis affixam atque pendentem graviter laniari, nunc omni ludibrio habitam, felleque tandem et aceto potari ? Sed et divinissimam illam animam oculis conspexisti mentalibus, omnis amaritudinis felle repletam, nunc spiritu frementem, nunc paventem, nunc tædentem, nunc agonizantem, nunc anxiatam, nunc turbatam, nunc omni tristitia et dolore mœstissimam, partim propter passionis corporeæ vivacissimum sensum, partim propter divini honoris per peccatum subtracti ferventissimum zelum, partim propter effusum in miseros miserationis affectum, et partim propter compassionis ad te matrem dulcissimam infixum in cordis intima telum, cum te coram se positam, et piis conspiceret oculis, et blandis alloqueretur sermonibus : *Mulier*, inquiens [4], *ecce filius tuus*, ut tuam consolaretur inter angustias animam, quam passionis suæ gladio, amplius quam si proprio patereris in corpore, vere sciebat esse transfixam.

Jesus Sol morte pallidus.

Denique cum agnus innocens, qui et verus justitiæ sol, trium horarum spatio pependisset in cruce, et eodem tempore sol iste visibilis factori suo compatiens lucis suæ radios occultasset, jam omnibus consummatis, fons ipse vitæ hora nona siccatur, dum Deus et homo Jesus [5] *cum clamore valido et lacrymis*, ad miserationis manisfestandum affectum, et divinitatis declarandam potentiam, spiritum in manus Patris commendans [6] *expiravit.* Tunc [7] *velum templi scissum est a summo usque deorsum; et terra mota est; et petræ scissæ sunt; et monumenta aperta sunt.* Tunc ipse Centurio Deum verum ipsum esse cognovit. Tunc qui ad spectaculum insultaturi convenerant, *revertebantur percutientes pectora sua.* Tunc [8] *speciosus forma præ filiis hominum*, caligantibus oculis, et pallentibus genis, pro filiis hominum deformis apparuit, factus holocaustum suavissimi odoris in conspectu paternæ gloriæ, ut averteret iram suam a nobis. Respice igitur, Domine sancte Pater, de sanctuario tuo, et de excelso cœlorum habitaculo : *respice*, inquam [9], *in faciem Christi tui.* Respice hanc sacratissimam hostiam, quam tibi offert Pontifex noster pro peccatis nostris, et [10] *esto placabilis super nequitia populi tui.* Considera et tu, homo redempte, quis, qualis et quantus est ille, qui pro te pendet in cruce : cujus mors vivificat mortuos, et cujus transitum, et cœ-

[1] *Job*, VI, 4. — [2] *Thren.*, III, 15. — [3] Ibid., I, 13. — *Joan.*, XIX, 26. — [5] *Hebr.*, V, 7. — [6] *Luc.*, XXIII, 46. — [7] *Matth.*, XXVII, 51, etc. — [8] *Psal.* XLIV, 3. — *Psal.* LXXXIII, 10. — [10] *Exod.*, XXXII, 12.

lum luget, et terra, et lapides duri quasi naturali compassione sciunduntur. O cor humanum omni lapidum duritia durius, si ad tanti commemorationem piaculi, nec terrore concuteris, nec compassione afficeris, nec compunctione scinderis, nec pietate molliris!

Jesus translanceatus.

Porro ut de latere Christi dormientis formaretur Ecclesia, et Scriptura impleretur, quæ dicit[1] : *Videbunt in quem transfixerunt :* divina est ordinatione indultum ut unus militum lancea latus sacrum illud aperiendo perfoderet, quatenus sanguine cum aqua manante, pretium effunderetur nostræ salutis, quod a fonte, scilicet cordis arcano profusum, vim daret sacramentis Ecclesiæ ad vitam gratiæ conferendam, essetque jam in Christo viventibus poculum fontis vivi salientis in vitam æternam. Ecce jam nunc lancea Saulis[2], perfidia populi scilicet Judaici reprobati, casso vulnere in parietem divina miseratione perlata, foramen fecit in petra, et cavernam in maceria, tanquam habitaculum columbinum. Surge igitur, amica Christi, esto sicut columba nidificans in summo ore foraminis : ibi ut passer inveniens domum, vigilare non cesses; ibi, tanquam turtur, casti amoris pullos absconde; ibi os appone, ut[3] *haurias aquas de fontibus Salvatoris.* Hic enim est fons egrediens de medio paradisi, qui in quatuor divisus capita, et in corda devota diffusus, fœcundat et irrigat universam terram.

Jesus cruore madidus.

Cruentatus enim Christus Dominus sanguine proprio, primum sanguineo sudore, secundo flagellis, dehinc spinarum aculeis, post clavis, et tandem lancea, copiose effuso, ut apud Deum esset[4] *copiosa redemptio,* vestem pontificalem habuit rubricatam, quatenus vere[5] *rubrum* appareret *indumentum* ipsius, *et vestimenta* ejus *quasi calcantium in torculari;* et sic vero Joseph[6] in veterem dimisso cisternam, tunica ipsius intincta sanguine hædi, propter similitudinem carnis peccati, approbationis notitia discernenda mitteretur ad Patrem. Cognosce igitur, clementissime Pater, tunicam prædilecti filii tui Joseph, quem invidia fratrum secundum carnem tanquam *fera pessima devoravit,* et conculcavit in furore vestimentum ipsius, et omnem decorem illius reliquiis cruoris inquinavit : nam et quinque scissuras lamentabiles in ea reliquit. Hoc enim est, Domine, vestimentum quod in manu meretricis Ægyptiæ[7], videlicet Synagogæ, innocens puer tuus sponte dimisit, magis eligens spoliatus a carnis pallio in carcerem mortis descendere, quam adulterinæ plebis acquiescendo voci, temporaliter gloriari. Nam et[8] *proposito sibi gaudio, crucem sustinuit confusione contempta.* Sed et tu, misericordiosissima Domina, aspice illam dilecti filii tui sacratissimam vestem, de castissimis membris et visceribus tuis Spiritus sancti artificiositate contextam, et una cum ipso confugientibus nobis ad te veniam postula, ut digni habeamur effugere ab ira ventura.

Jesus intumulatus.

Veniens tandem nobilis Centurio, Joseph scilicet ab Arimathia, et accepta a Pilato licentia, corpus Christi cum Nicodemo deponens de cruce, condivit aromatibus, et involvit in sindone, et in monumento novo, quod in horto propinquo in petra sibi exciderat, cum omni reverentia sepelivit. Porro sepulto Domino, et ad custodiam sepulchri militibus deputatis, devotæ illæ mulieres et sanctæ, quæ fuerant obsecutæ viventi, ut jam mortuo pietate officiosa famulatum impenderent, emerunt aromata ad corpus Christi sacratissimum perungendum. Inter quas Maria Magdalena tanto cordis fereba-

[1] *Joan.*, XIX, 37. — [2] I *Reg.*, XIX, 10. — [3] *Isa.*, XII, 3. — [4] *Psal.* CXXIX, 7. — [5] *Isa.*, LXIII, 2. — [6] *Gen.*, XXXVII, 22 et seq. — [7] *Gen.*, XXXVIII, 17. — [8] *Hebr.*, XII, 2.

tur incendio, tantæ pietatis afficiebatur dulcedine, tam validis trahebatur vinculis charitatis, ut fœmineæ infirmitatis oblita, nec tenebrarum caligine, nec persecutorum immanitate retraheretur a visitatione sepulchri, quin potius foris stans, et rigans lacrymis monumentum, recedentibus discipulis non recedebat, pro eo quod divinæ dilectionis igne succensa est, et tam invalescente urebatur desiderio, et tam impatiente vulnerabatur amore, ut nihil ei saperet nisi flere, possetque illud propheticum eructare veraciter [1] : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : ubi est Deus tuus*? Deus meus, bone Jesu, concede mihi, quanquam per omnem modum immerito et indigno, ut qui corpore his interesse non merui, fide tamen hæc eadem mente pertractans, illum ad te Deum meum, pro me crucifixum et mortuum, compassionis affectum experiar, quem innocens mater tua, et pœnitens Magdalena in ipsa passionis tuæ hora senserunt.

Jesus triumphans mortuus.

Consummato jam passionis agone, cum jam draco ille cruentus, et rabidus leo æstimaret se de occiso agno victoriam assecutum, refulgere cœpit in anima descendente ad inferos divinitatis potentia, qua leo noster fortissimus de tribu Juda consurgens in fortem armatum, prædam ab ipso diripuit, portisque inferorum confractis, et alligato serpente [2], *expolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*. Tunc extractus est Leviathan hamo, ipsius per Christum perforata maxilla, ut qui nihil juris habebat in capite quod invasit, illud etiam perderet, quod habere videbatur in corpore. Tunc verus Samson moriens, hostilem prostravit exercitum. Tunc Agnus sine macula [3] *in sanguine testamenti sui de lacu, in quo non erat aqua, vinctos* eduxit. Tunc [4] *habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis*, et diu novæ lucis expectata claritas radiavit.

Jesus resurgens beatus.

Sacræ siquidem quietis Domini in sepulchro, illucescente tertio die, qui in revolutione dierum est octavus et primus, *Dei virtus* [5] *et Dei sapientia Christus*, mortis prostrato auctore, etiam ipsam mortem devicit, æternitatisque aditum nobis aperuit, dum sese a mortuis potentia divina suscitavit, ut [6] *notas nobis faceret vias vitæ*. Tunc [7] *terræ motus factus est magnus, et Angelus Domini* in vestimento albo, et aspectu fulgureo *descendit de cœlo*, piis apparens blandus, impiisque severus. Propter quod et protervos perterruit milites, et confortavit pavidas mulieres, quibus et ipse Dominus resurgens primum apparuit, quia hoc devotionis intensæ merebatur affectus. Deinde visus est Petro; postea discipulis euntibus in Emmaus; deinde apostolis omnibus absque Thoma; postea etiam Thomæ palpandum se præbuit, cum ille fideliter exclamavit [8] : *Dominus meus, et Deus meus*. Sicque [9] *per dies quadraginta* multiformiter *apparens* discipulis, et comedens cum eis et bibens, et argumentis nos illuminavit ad fidem, et promissis nos erexit ad spem : ut sic tandem donis cœlitus datis, nos accenderet ad amorem.

Jesus Doctor (a) præcipuus.

Sane flos ille pulcherrimus de radice Jesse, qui in incarnatione floruit, in passione defloruit, sic in resurrectione refloruit (*b*), ut omnium esset doctor. Nam corpus illud gloriosissimum, subtile, agile et immortale, tantæ claritatis supervestitum est gloria, ut vere sit sole fulgentius, exemplarem præferens pulchritudinem suscitandorum corporum humanorum. De quibus ipse Salvator ait [10] :

[1] *Psal.* XLI, 4. — [2] *Coloss.*, II, 15. — [3] *Zach.*, IX, 11. — [4] *Isa.*, IX, 2. — [5] I *Cor.*, I, 24, — [6] *Psal.* XV, 11. — [7] *Matth.*, XXVIII, 2. — [8] *Joan.*, XX, 28. — [9] *Act.*, I, 3. — [10] *Matth.*, XIII, 43.

(*a*) Cæt. edit. *decor*. — (*b*) *Item* floruit.

Tunc fulgebunt justi sicut sol in regno Patris, scilicet beatitudinis sempiternæ. Quod si justus quilibet fulgebit sicut sol, quanti putas esse fulgoris ipsum Solem justitiæ? Tanti, inquam, est, ut sit speciosior sole, et super omnem stellarum dispositionem, luci comparatus, et decor præcipuus non immerito judicetur. Felices illi oculi, qui viderunt : sed et tu vere beatus eris, si fuerint reliquiæ seminis tui ad videndum tam interius, quam exterius, illam desideratissimam claritatem.

Jesus orbi prælatus.

Apparens quoque Dominus in Galilæa discipulis, omnem sibi potestatem tam cœli quam terræ asseruit a Patre collatam. Propter quod et discipulos misit in mundum universum, prædicare Evangelium omni creaturæ, salutem promittendo credentibus, damnationem comminando incredulis, cooperante Domino, et sequentibus signis confirmante sermonem, ut in virtute nominis Jesu Christi imperarent omnibus creaturis et morbis, vereque constaret sæculo toti, quod magni Patris filius Jesus Christus, tanquam alter Joseph verusque Salvator, vivit et dominatur, non solum in terra Ægypti, verum etiam in omni loco dominationis regis æterni, eductus quidem ad imperium Dei cœli de carcere mortis et inferorum, et attonsus mortalitatis comam, commutavit vestem carnis in immortalitatis decorem : et tanquam verus Moyses, de aquis mortalitatis assumptus, Pharaonis subnervavit imperium, tanto sublimatus honore, *ut in nomine* ipsius [1] *omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum.*

Jesus Ductor exercitus.

Quadraginta post resurrectionem Domini peractis diebus, non sine magni designatione mysterii, in ipso quadragesimo die convescens una cum discipulis suis, benignus magister in montem Oliveti conscendit, et inde videntibus illis, elevatis manibus, ferebatur in cœlum, nubeque interposita, quæ ascendentem recepit, humanis seipsum aspectibus occultavit. Sicque [2] *ascendens in altum, captivam duxit captivitatem,* et cœli aperta jam porta, pandens iter sequentibus, exules introduxit in regnum, concives illos faciens angelorum et domesticos Dei, quatenus ruinas instauraret angelicas, et æterni Patris cumularet honorem et se triumphatorem ostenderet, et Dominum exercituum se esse probaret.

Jesus cælo levatus.

Psallentibus angelis, et exultantibus sanctis, Deus et Dominus angelorum et hominum super cœlos cœlorum ascendit, et super pennas ventorum mira potestatis agilitate volavit, seditque ad dexteram Patris : *tanto melior angelis effectus* [3], *quanto differentius præ illis sortitus est nomen*, ibique jugiter vultui benignissimi Patris apparet, ad interpellandum pro nobis. *Talis enim* [4] *decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus et excelsior cœlis factus*, qui in dextera majestatis assistens, vultui (*a*) paternæ gloriæ vulnerum, quæ pro nobis pertulit, ostenderet cicatrices. Gratias tibi referat, Domine Pater, omnis lingua, super inenerrabili dono superefluentissimæ charitatis tuæ, qui [5] unico filio cordis tui non perpecisti, *sed pro nobis omnibus tradisti* in mortem, ut tantum tamque fidelem advocatum coram te haberemus in cœlis.

Jesus Largitor spiritus.

Septem quoque septimanis dierum a resurrectione excursis, quinquagesimo die congregatis in unum discipulis *cum mulieribus et Maria matre Jesu* [6], *factus est repente de cœlo sonus, tanqam advenientis spiritus vehementis*, qui et super centum

[1] *Phillip.*, II, 10. — [2] *Ephes.*, IV, 8. — [3] *Hebr.*, I, 4. — [4] *Hebr.*, VII, 26. — [5] *Rom.*, VIII, 32. — [6] *Act.*, II, 2, 3.

(*a*) *Cæt. edit.* vultus.

viginti hominum turbam descendit, et apparuit in linguis igneis, pro eo quod ori verbum, intellectui lucem, et affectui ministraret ardorem. *Repletique sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis*, secundum quod ejusdem Spiritus sancti dictabat instinctus : qui omnem eos veritatem edocuit, et ad omnem dilectionem accendit, et in omni eos virtute firmavit. Nam ipsius adjuti gratia, illustrati doctrina, et confortati potentia, cum pauci essent et simplices, partim verbis ignitis, partim perfectis exemplis, partim mirandis prodigiis, per totum mundum sanctam Ecclesiam plantaverunt. Quæ et ejusdem Spiritus sancti virtute purgata, illuminata, et perfecta, amabilis facta est sponso suo, ejusque paranymphis, ut speciosa nimis, miraque varietate circumdata, Satanæ vero et angelis ejus [1] *terribilis, ut castrorum acies ordinata.*

Jesus laxans reatus.

In hac siquidem sancta Ecclesia per orbem universum, Spiritu sancto mirabiliter cooperante, multiformiter distincta, et uniformiter conjuncta, unus præsidet Pontifex Christus, tanquam summus hierarcha : qui miro ordine, instar civitatis supernæ, in ea dispensat dignitatum officia, distribuendo charismatum dona. Nam [2] *quosdam* in ea *dedit apostolos, quosdam prophetas, alios vero evangelistas, alios pastores et doctores ad consummationem sanctorum, et ad ædificationem corporis Christi.* Qui etiam secundum gratiam Spiritus sancti septiformem, septem dedit sacramenta, quasi septem medicamenta morborum, per quorum administrationem, et gratiam sanctificantem tribuit, et peccata dimittit, quæ nunquam nisi in fide et unitate ejusdem sanctæ matris Ecclesiæ relaxantur. Et quoniam per ignem tribulationis peccata purgantur ; ideo sicut caput Ecclesiæ Christum exposuit Deus fluctibus passionum, sic et corpus ejus, scilicet Ecclesiam suam, usque in finem sæculi ad probationem et purgationem tribulari permittit. Sic patriarchæ, sic prophetæ, sic apostoli, sic martyres, confessores et virgines, et [3] *quotquot placuerunt Deo, per multas tribulationes transiere fideles.* Sic et omnia membra Christi electa usque ad diem judicii pertransibunt.

Jesus testis veridicus.

Porro futuri judicii tempore, quo Deus occulta cordium judicabit, præcedet ignis ante faciem judicis, angeli cum tuba mittentur, congregabuntur electi a quatuor ventis cœli, omnes quoque, qui in monumentis sunt, divinæ jussionis virtute resurgent, omnesque astabunt ante illud judiciale tribunal. Tunc [4] *illuminabuntur abscondita tenebrarum :* tunc *revelabuntur consilia cordium :* tunc libri pandentur conscientiarum, et ipse liber aperietur, qui dicitur [5] *Liber vitæ.* Quo fiet, ut simul et in instanti omnium omnia secreta omnibus tanta certitudinis claritate patescant, ut contra testimonium veritatis loquentis in Christo, et conscientiæ cujuscumque pariter contestantis, nulla prorsus inficiandi, defendendi, vel excusandi, vel subterfugiendi pateat semita, quin recipiat unusquisque secundum opera sua. Magna igitur indicta est nobis necessitas probitatis, dum omnia agimus in conspectu judicis cuncta cernentis.

Jesus Judex iratus.

Apparente siquidem omnipotentis Filii Dei signo in nubibus, virtutibusque cœlorum commotis, sed ad orbis conflagrationem mundialibus concurrentibus ignibus, collocatis quoque omnibus justis ad dexteram, impiis ad sinistram : in tantum judex universorum reprobis iratus videbitur, ut [6] *dicant montibus et petris : Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni. Induet* enim [7] *pro*

[1] *Cant.*, VI, 3. — [2] *Ephes.*, IV, 11, 12. — [3] *Judith*, VIII, 23. — [4] I *Cor.*, IV, 5. — [5] *Apoc.*, XIII, 8, et alias passim. — [6] *Apoc.*, VI, 16. — [7] *Sap.*, V, 19, 20, 21.

thorace justitiam, et accipiet pro galea judicium certum : sumet scutum inexpugnabile æquitatem. Acuet autem diram iram in lanceam, *et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos*; ut qui contra auctorem omnium procaciter pugnaverunt, justo tunc Dei judicio ab omnibus expugnentur. Tunc superius judex apparebit iratus, et inferius horrendum chaos patentis inferni. A dextris peccata accusantia; a sinistris infinita dæmonia ad infernum trahentia; et interius mordens conscientia. Peccator sic comprehensus, quo effugiet? Certe latere erit impossibile, et apparere intolerabile. *Si* enim [1] *vix justus salvabitur, impius et peccator ubi apparebunt* (*a*)? *Non* ergo [2] *intres in judicium cum servo tuo, Domine.*

Jesus Victor magnificus.

Lata sententia damnationis in reprobos, quod flammis exurantur æternis, colligatisque ad modum fascis omnibus inimicis Jesu Christi, omnipotens Dei virtus perpetuæ illos exponet, tam carne, quam spiritu, voracitati flammarum : ut et nunquam deficiant, et tamen urantur, et sentiant in æternum, et [3] *fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum.* Tunc bestia, et pseudoprophetæ, et qui acceperant imaginem ejus, *in stagnum mittentur* [4] *ignis et sulphuris, qui* [5] *paratus est diabolo et angelis ejus.* Tunc egredientur electi ad consideranda cadavera mortua, morte quidem non naturæ, sed pœnæ. Tunc [6] *lavabunt justi manus suas in sanguine peccatorum.* Tunc denique victoriosissimus Agnus [7] *ponet inimicos* suos *scabellum pedum* suorum, quando ingredientes impii *in inferiora terræ* [8], *tradentur in manus gladii, partesque vulpium erunt,* id est, dæmonum, qui ipsos suis fraudulentiis seduxerunt.

Jesus Sponsus ornatus.

Denique mundi facie innovata in melius, cum [9] *lux lunæ erit sicut lux solis, et lux solis septempliciter sicut lux septem dierum,* civitas illa sancta Hierusalem, quæ de cœlo tanquam sponsa ornata descenderat, jam nunc præparata ad nuptias Agni, gemina quoque stola vestita, in cœlestis curiæ traducetur palatium, et in gloriosum illum sacrum, arcanumque thalamum introducta, tanto illi Agno cœlesti copulabitur fœdere, ut unus fiant spiritus sponsus et sponsa : vestieturque Christus omni pulchritudine electorum tanquam tunica polymita, in qua omni decore ornatus refulgeat, tanquam opertus omni lapide pretioso. Tunc illud dulce resonabit epithalamium, et per omnes vicos Hierusalem alleluia cantabitur. Tunc virgines prudentes atque paratæ intrabunt cum sponso ad nuptias, ut janua clausa in pacis pulchritudine sedeant, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta.

Jesus Rex Regis Filius.

Sane regnum Dei æternum æstimari habet juxta regnantis celsitudinem gloriosum et nobile, pro eo quod non rex a regno, sed a rege regnum trahit originem. Hic autem est rex, qui habet in vestimento et [10] *in femore suo scriptum* : *Rex regum, et Dominus dominantium,* cujus [11] *potestas æterna, quæ non auferetur :* et ideo *regnum ipsius non corrumpetur* : cui *omnes populi, tribus et linguæ servient* in æternum. Et hic est vere Rex pacificus, cujus vultum, et cœlum desiderat, et universa terra. O quam gloriosum est hujusmodi excellentissimi Regis regnum in quo cum ipso regnant omnes sancti : cujus lex est veritas, pax, charitas, vita, æternitas : quod nec pluralitate regnantium dividitur, nec participatione minuitur, nec numerositate confunditur, nec inæqualitate deordinatur, nec circumscribitur loco, nec variatur motibus, nec tempore mensuratur!

[1] I *Petr.*, IV, 18. — [2] *Psal.* CXLII, 2. — [3] *Apoc.*, XIX, 3. — [4] *Apoc.*, XX, 9. — [5] *Matth.*, XXV, 41. — [6] *Psal.* LVII, 11. — [7] *Psal.* CIX, 1. — [8] *Psal.* LXII, 11. — [9] *Isa.*, XXX, 26.— [10] *Apoc.*, XIX, 16.— [11] *Dan.*, VII, 14.

(*a*) Vulg. *parebunt.*

Jesus Liber signatus.

Ad gloriam regni perfectam non solum requiritur potestas excellens, verum etiam sapientia fulgens : ut non secundum indeterminatæ voluntatis arbitrium disponantur gubernacula regni, sed secundum fulgores æternarum legum a luce sapientiæ indeceptæ manantium. Et hæc quidem sapientia scripta est in Christo Jesu, tanquam in libro vitæ, in quo Deus Pater omnes thesauros sapientiæ et scientiæ recondidit. Ac per hoc unigenitus Dei Filius, utVerbum increatum, est sapientiæ liber, et lux in mente summi artificis, viventibus plena rationibus et æternis, ut Verbum inspiratum in intellectibus angelicis et beatis, et ut Verbum incarnatum in mentibus rationalibus carni unitis : ut sic multiformis sapientia Dei ex ipso, et in ipso per totum regnum refulgeat, tanquam in speculo decoris, sive pulchritudinis omnium specierum, et luminum contentivo, et tanquam in libro, in quo secundum profunda Dei mysteria omnia conscribuntur. O si talem librum invenire possem, cujus origo æterna, cujus incorruptibilis essentia, cujus cognitio vita, cujus scriptura indelebilis, cujus inspectus desiderabilis, cujus doctrina facilis, cujus scientia dulcis, cujus profunditas imperscrutabilis, cujus verba inenarrabilia, et unum tamen Verbum omnia! Vere qui hunc invenit librum, invenit vitam, et haurit sibi salutem a Domino.

Jesus fontalis radius.

In hoc siquidem regno æterno data omnia optima et dona perfecta a Patre luminum in affluentia descendunt et copia, per illum, qui est superessentialis radius, Jesus Christus. Qui cum sit unus, omnia potest; et in se permanens, omnia innovat. *Est* enim[1] *emanatio quædam claritatis virtutis omnipotentis Dei sincera*, et ideo *nihil inquinatum* in hunc fontalem radium potest *incurrere*. Ad hunc fontem vitæ et luminis curre cum desiderio vivo, quæcumque es anima Deo devota, et cordis intima vi ad eum clama : O ineffabilis decor Dei excelsi, et purissima claritas lucis æternæ, indeficiens vita omnem vitam vivificans, lux omne lumen illuminans, et conservans in splendore perpetuo multiformia lumina fulgentia, ante thronum divinitatis tuæ a primævo diluculo ! O æternum et inaccessibile, dulce, clarum, et sapidum profluvium fontis absconditi ab oculis omnium mortalium : cujus profundum sine fundo, cujus altum sine termino, cujus amplitudo incircumscriptibilis, et cujus puritas imperturbabilis ! Ex quo fluvius procedit olei lætitiæ, qui lætificat civitatem Dei, et torrens ignei vigoris : torrens, inquam, voluptatis divinæ, quo lætabunda ebrietate potati, cœlestes illi convivæ hymno incessabili jubilant. Hoc nos oleo sacro perunge, hujusque torrentis desiderabilis guttis, sitibundas refocilla fauces arentium cordium, ut in voce exultationis et confessionis decantemus tibi cantica laudis, experientia teste probantes[2], *quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.*

Jesus Finis optatus.

Finem namque omnium desideriorum constat esse beatitudinem, quæ est[3] *status omnium bonorum congregatione perfectus.* Ad quem quidem statum nullus pervenit, nisi per ultimam resolutionem in eum, qui est fons et origo bonorum omnium, tam naturalium, quam gratuitorum; tam corporalium, quam spiritualium ; tam temporalium, quam æternorum. Et hic est, qui de se ipso dicit[4] : *Ego sum* A *et* Ω, *principium et finis.* Quia sicut per Verbum æternaliter dictum omnia producuntur ; sic per Verbum carni unitum reparantur, promoventur et finiuntur. Ac per hoc vere et proprie dictus est Jesus : quia[5] *non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus*, in quo

Beatitudo quid.

[1] *Sap.*, VII, 25. — [2] *Psal.* XXXV, 10. — [3] Boet., *de Consol. Philos.*, lib. III, pros. 2. — [4] *Apoc.*, I, 8. — [5] *Act.*, IV, 12.

quis possit obtinere salutem. In te igitur, ut finem omnium, credens, sperans et amans ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, et ex omni virtute ferar, desiderate Jesu : quia tu solus sufficis, tu solus salvas, tu solus bonus et suavis es requirentibus et diligentibus nomen tuum. Tu enim, mi bone Jesu, Redemptor es perditorum, Salvator redemptorum, spes exulum, fortitudo laborantium, auxiliator oppressorum, anxiatorum spirituum dulce solatium, triumphantium corona et imperiale fastigium, unica merces et lætitia omnium civium supernorum, inclyta proles summi Dei, et fructus sublimis uteri virginalis, uberrimus quoque fons gratiarum omnium, de cujus plenitudine nos omnes accepimus.

Oramus igitur clementissimum Patrem, per te unigenitum ejus pro nobis hominem factum, crucifixum, et glorificatum, ut de thesauris suis mittat in nos spiritum gratiæ septiformis qui super te in omni plenitudine requievit. Spiritum, inquam, sapientiæ; quo fructum ligni vitæ, quod vere tu es, videlicet sapores vivificos degustemus; donum etiam intellectus, quo mentis nostræ contuitus illustrentur; donum consilii, quo post tuorum vestigia gressuum, rectarum semitarum itineribus incedamus; donum fortitudinis, quo impugnantium hostium violentias enervare possimus; donum scientiæ, quo sacræ doctrinæ tuæ repleamur fulgoribus, ad discretionem boni et mali; donum pietatis, quo induamur misericordiæ viscera; donum timoris, quo recedentes ab omni malo, æternæ majestatis tuæ reverentiali pondere tranquillemur. Hæc enim nos in illa sacra tua, quam nos docuisti, oratione petere voluisti. Hæc et nunc per crucem tuam petimus obtinere, ad laudem sanctissimi nominis tui : cui cum Patre et Spiritu sancto omnis sit honor et gloria, gratiarum actio, decus et imperium, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

SOLILOQUIUM

DE QUATUOR MENTALIBUS EXERCITIIS, QUOD DICITUR IMAGO VITÆ, ET DIALOGUS [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Hoc Opusculum, quod minori eruditione, quam devotione plenum est, contemplationis lumen et charitatis ignem fovere volenti, copiosissimam materiam præbet. Nam animam et hominem se invicem interrogando et respondendo Auctor inducit, et plerisque Sanctorum Patrum sententiis in medium allatis (de quibus, ut idem ait, tractatum hunc compilavit), hoc ait, ut unumquemque facile doceat, quomodo per mentale exercitium oculum contemplationis in interiora sua, in exteriora, inferiora et superiora convertens, spreto commutabili bono, incommutabile et æternum toto animi affectu prosequatur. Habet vero hoc *Soliloquium* multa desumpta ex illo Hugonis de S. Victore *de Arrha animæ*, cui est valde simile.

PROLOGUS [2]

Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, a (*a*) *quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtutem corroborari per spiritum ejus in interiori homine* (*b*)*: Christum per fidem habitare in cordibus vestris : in charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum : scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei* [3]. Apostolus Paulus, vas æternæ electionis, sacrarium divinæ sanctificationis, speculum et exemplar supernæ contemplationis, in verbis præmissis ostendit nobis mentalis exercitationis ortum, objectum, et fructum. Mentalis enim exercitatio, si debet esse pia et salutifera, oportet quod habeat potentiam supernaturaliter confortantem, sapientiam regulantem, et clementiam consolantem. Flectat igitur anima devota divinæ contemplationis amore accensa, genua mentis ante thronum beatissimæ et incomprehensibilis Trinitatis : pulset humiliter, et postulet sapienter Dei Patris confortatricem potentiam, ne labore depressa succumbat; Dei Filii regulatricem sapientiam, ne errore seducta a veritate deviet; Dei Spiritus sancti consola-

Ortus exercitationis mentalis

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, part. II; edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, p. 113; edit. Ven., an. 1611, tom. II, 24; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, 109; edit. Ven., an. 1754, tom. V, 411. — [2] Summam capitum, quæ hic in cæt. edit. legitur, ad calcem tomi hujus rejiciendum pro more nostro censuimus. — [3] *Ephes.*, III, 14-19.

(*a*) Vulg. *ex*. — (*b*) Vulg. *interiorem hominem*.

tricem pietatem et clementiam, ne tædio victa deficiat. *Omne* enim [1] *datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Et secundum Augustinum [2], omne bonum nostrum aut Deus est, aut a Deo est. Unde non immerito in omni boni operis initio, ille est invocandus, a quo omne bonum originaliter progreditur, per quem omne bonum exemplariter producitur, et ad quem omne bonum finaliter reducitur. Hæc est illa ineffabilis Trinitas, Pater, Filius, et Spiritus sanctus, quam tangit Apostolus, cum dicit : *Flecto genua mea*, etc., usque ibi : *Ut possitis*, etc.

Objectum mentalis exercitationis.

Secundo ostendit istius salutiferæ mentalis exercitationis objectum. Objectum vero exercitationis devotæ mentis, dicuntur esse interiora, et exteriora, inferiora, et superiora. Debet enim anima devota per mentale exercitium contemplationis radium reflectere primo ad interiora sua, ut videat qualiter sit formata per naturam, deformata per culpam, reformata per gratiam. Secundo debet convertere radium contemplationis ad exteriora, ut cognoscat quam instabilis sit mundana opulentia, quam mutabilis mundana excellentia, et quam miserabilis mundana magnificentia. Debet etiam tertio radium contemplationis convertere ad inferiora, ut intelligat humanæ mortis inevitabilem necessitatem, judicii finalis formidabilem austeritatem, pœnæ infernalis intolerabilem pœnalitatem. Debet quarto convertere radium contemplationis ad superiora, ut cognoscat et sapiat cœlestis gaudii inæstimabilem pretiositatem, ineffabilem deliciositatem, et interminabilem æternitatem. Hæc est illa crux beata, quatuor finibus terminata, in qua, o anima devota, cum tuo dulcissimo sponso Jesu Christo debes jugiter meditando pendere. Hic est ille *currus igneus* [3], quatuor rotis consummatus, in quo debes post tuum fidelissimum amicum assidue contemplando cœli palatium conscendere. Hæc est illa quadruplex regio orientalis, aquilonaris, occidentalis, et meridionalis, quam tu, o anima, quotidie debes peregrinando intrare, et tuum dilectum specialissimum in ea speculando quærere et investigare, ut possis dicere cum Sponsa [4] : *In lectulo meo quæsivi per noctem, quem diligit anima mea.* Hæc quatuor tangit Apostolus, cum subjungit : *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum.* Fructus illius salutiferæ exercitationis, si digne et laudabiliter exequatur, est felicitas æterna, quæ est quid optimum, et pulcherrimum, et per se sufficientissimum, nullo extra se indigens : in qua videbimus et amabimus, vocabimus (*a*) et laudabimus in æternum, et ultra, eum qui est benedictus in sæcula. Hunc fructum promittit Apostolus, quando sermonem concludit, dicens : *Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Hanc plenitudinem tunc inveniemus, quando Deus erit voluntati multitudo pacis, rationi plenitudo lucis, memoriæ continuatio æternitatis. Tunc enim Deus erit *omnia in omnibus* [5], cum a ratione omnis error, a voluntate omnis dolor, et a memoria omnis timor recesserit, et successerit illa quam speramus, mira serenitas, divina jucunditas, æterna securitas. Hunc tractatum, instigante conscientia, propter simpliciores quosque simplicibus verbis de sanctorum dictis compilavi, per modum cujusdam dialogi : in quo anima devota, veritatis æternæ discipula, meditando interrogat, et homo interior mentaliter loquendo respondet. Ut autem ad inæstimabilem contemplationem istius mentalis exercitationis perveniamus, ab exordio incipiamus, et Patrem luminum humiliter invocando accedamus, genua cordis devote flectamus ante thronum æternæ Majestatis, et ante solium individuæ Trinitatis lacrymis et gemitibus incessanter clamemus, ut Deus Pater per suum benedictum

Fructus mentalis exercitationis.

[1] *Jac.*, I, 17. — [2] Aug., *De nat. boni cont. Manich.*, n. 1, quoad sensum. — [3] IV *Reg.*, II, 11. — [4] *Cant.*, III, 1. — [5] I *Cor.*, XV, 28.

(*a*) *Forte legendum* vacabimus.

Filium donet in Spiritu sancto nobis gratiam exercitandi mentaliter, ut possimus cognoscere quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum, ut per hanc pertingamus ad eum, qui est omnis desiderii finis et complementum. Amen.

CAPUT PRIMUM.

Quomodo anima per mentale exercitium debet radium contemplationis reflectere ad interiora sua, ut videat qualiter est formata per naturam, deformata per culpam, et reformata per gratiam.

ANIMA.

Dic, quæso, o homo, si post devotam invocationem divinæ magnificentiæ, et post humilem implorationem æternæ sapientiæ, et demum post flebilem supplicationem supernæ pietatis et clementiæ, gratiam exercitandi mentaliter circa quadruplicem materiam, videlicet longitudinis, latitudinis, sublimitatis et profunditatis, obtinerem, quo ordine inchoarem, ne meritum hujus exercitationis amitterem, si indebito ordine ignoranter procederem. « Ordinis enim ignorantia, secundum Ambrosium [1], perturbat formam meritorum : » nec reputatur, secuncundum eumdem [2], perfecta rei cognitio in nobis existere, cum scimus quid faciendum, et ignoramus quo ordine sit procedendum.

HOMO.

O anima, secundum Bernardum, [3] « a te tua consideratio inchoet, ne frustra extendaris ad aliena, te neglecta. » Idem [4] : « Multi multa sciunt, et se ipsos nesciunt, alios inspiciunt et seipsos deserunt. Deum quærentes per exteriora, deserentes sua interiora, quibus interior est Deus. Idcirco ab exterioribus ad interiora redeam, et ab interioribus ad superiora conscendam : ut possim cognoscere, unde veni (*a*), aut quo vadam; unde sim, et quid sim; et ita per cognitionem mei ascendam ad cognitionem Dei. » Item Chrysostomus, *super Matthæum*, dicit : « Non minima pars philosophiæ est cognitio sui. » Item Ambrosius in *Hexaemeron* [5] : « Cognosce te, o homo, quantus sis, attende tibi, ut consideres quid in te intret » in cogitatione, « quid exeat » in sermone. « Vitam ergo [6] tuam, o anima, quotidiana discussione examina. Attende diligenter quantum proficias, quantum deficias, qualis sis in moribus, qualis sis in affectionibus; quam similis sis Deo, et (*b*) quam dissimilis, quam prope, et (*b*) quam longe. Illud semper agnosce, quam multo laudabilior et melior es, si te cognoscis, quam si te neglecto cursus siderum, virès herbarum, complexiones hominum, naturas animalium cognosceres, scientiam omnium cœlestium et terrestrium haberes. Redde ergo te tibi, et si non semper, saltem interdum. Rege tuos affectus, dirige actus, corrige gressus. » Igitur, anima, tene consilia sanctorum, et primo radium contemplationis converte ad regionem orientalem, hoc est, ad considerationem tuæ condonationis. Diligenter igitur considera, quam generose a summo artifice sis facta per naturam, quam vitiose a tua voluntate deformata sis per culpam, quam gratiose a divina bonitate sæpe reformata sis per gratiam.

Primo ergo considera, quam generose formata sis per naturam. Generositas tua naturalis consistit in hoc, ut existimo, quia ibi naturaliter ad tui decorem impressa est imago beatissimæ Trinitatis. Unde Anselmus in Proslogio (*c*) [7] : « Fateor, Domine, et gratias ago, quia me creasti ad tuam ima-

[1] Ambros., *in Psal.* CXVIII, serm. IV, n. 12. — [2] Ibid. — [3] Bern., *de Consid.*, lib. II, c. III, n. 6. — [4] Imo auctor *Medit.*, c. I, n. 1, inter spuria *Oper.* S. Bern., tom. II, col. 319, edit. 1690. — [5] Ambros., *in Hexaem.*, lib. VI, c. VIII, n. 50. — [6] *Meditat.*, c. V, n. 14, inter spuria Bern., tom. II, col. 326. — [7] Anselm., *Proslog.*, c. I.

(*a*) *Leg.* venerim. — (*b*) *Leg.* vel. — (*c*) *Cæt. edit.* Prosologio.

ginem (*a*), ut tui memor sim, te cogitem, te diligam. » Bernardus [1] : « Secundum interiorem hominem tria in me invenio, per quæ Deum recolo, conspicio, et concupisco. Hæc tria sunt memoria, intelligentia, et voluntas. Cum enim Dei reminiscor, in ipso condelector. » Memoria enim ejus super unum. [2] « Cum intelligentia ipsum intueor quantum in se sit incomprehensibilis, quia principium, et finis ; in angelis desiderabilis, quia [3] *desiderant in eum prospicere*; in sanctis omnibus delectabilis, in quantum in eo assidue felices lætantur; in creaturis omnibus admirabilis, quia omnia potenter creat, sapienter gubernat, benigne dispensat : » cum hæc intueor, ipsum concupisco. « Cum Deum per voluntatem diligo, me in ipsum transformo. Hæc est enim virtus amoris, ut talem te esse oporteat, quale est illud quod amas. » Hæc Bernardus [4]. Recognosce ergo, o anima mea, quam mira et inæstimabilis dignitas est, esse non solum vestigium Creatoris, quod est commune omnibus creaturis, sed etiam esse imaginem, quod est proprium creaturæ rationalis. *Lauda* igitur [5], *anima mea, Dominum;* [6] *lauda Deum tuum, Sion.* Expergiscere et lauda, exulta et gaude, quia insignita es Dei imagine, decorata similitudine, particeps rationis, capax æternæ beatitudinis. Sed quia hæc modica non immerito forte judicarentur, si morte finirentur, exulta et lauda, quia cum prædictis dedit tibi naturam immortalem, substantiam incorruptibilem, durationem interminabilem, vitam perpetuam. Imago enim æternæ Trinitatis non esses [7], si termino mortis præcludi posses. O anima, adverte, quod Creator tuus, post illud esse, dedit tibi perpetuum esse; post hoc dedit tibi vivere, sentire, discernere, sensibus te decoravit, sapientia illustravit. Tuam igitur pulchritudinem attende, ut intelligas qualem debeas in te pulchritudinem diligere. Quod si temetipsam, ut expedit, contemplari non sufficis, cur saltem, quid de te æstimare debeas, ex judicio alieno non perpendis? Sponsum habes de cujus pulchritudine si non dubitares, scires quod tam pulcher, tam formosus, tam unicus Dei filius, tuo aspectu captus non esset, si eum singularis decor et ultra cæteros admirandus non traxisset. Hæc Augustinus.

Sed hæc fortasse, o anima, nimis ingrata, tibi videntur modica. Propterea audi tertio dignitatem admirabilem, quod tantæ es simplicitatis, quod nihil potest domum mentis tuæ inhabitare, nihil potest in ea mansionem facere, nisi simplicitas et puritas Trinitatis æternæ. Ecce quid dicit sponsus tuus : *Ego,* inquit [8], *et Pater ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Et alibi in Evangelio [9] : *Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Illabi enim menti illi soli possibile est, qui eam creavit. Ipse enim est qui « intimior intimo » tuo ei se perhibet, ut dicit Augustinus [10]. Gaude igitur, o felix anima, quod potes esse tanti hospitis hospita. Bernardus [11] : « O felix anima, quæ quotidie cor suum mundat, ut inhabitantem Deum suscipiat, cujus hospes nullo bono indiget, quia auctorem omnium bonorum in se habet. O quam beata anima apud quam Deus sibi requiem invenit, quæ dicere potest [12] : *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Negare siquidem ei cœli requiem non poterit, » qui sibi in hac vita requiem præparavit. Hæc Bernardus [11]. O anima, nimis es avara, si non sufficit tibi tanti hospitis præsentia : quia scio, quod tam liberalis est, quod communicabit tibi de bonis suis; quod tam pius est, quod ditabit te de donis suis. Nullo enim modo deceret tantum principem, si hospitam suam permitteret indigentem. Adorna igitur thalamum tuum, et suscipe Regem factorem tuum, de cujus

[1] Imo auctor *Medit.*, c. I, n. 1, inter spuria Bern. — [2] Ibid. — [3] I *Petr.*, I, 12. — [4] Scilicet auctor *Meditationum.* — [5] *Psal.* CXLV, 2. — [6] *Psal.* CXLVII, 1. — [7] August., *de Civit. Dei.* — [8] *Joan.*, XIV, 23. — [9] *Luc.*, XIX, 5. — [10] Aug.. *Conf.*, lib. III, c. VI, n. 11. — [11] Imo auctor *Medit.*, c. I, n. 2, quoad sensum. — [12] *Eccli.*, XXIV, 12.

(*a*) *Edit. Mig.* creasti in me hanc imaginem tuam.

præsentia exultabit et lætabitur tota familia tua. O vere mira et multum admirabilis sententia! Rex cujus pulchritudinem sol et luna mirantur, cujus magnitudinem cœlum et terra reverentur, de cujus sapientia cœlestium spirituum agmina illuminantur, de cujus clementia omnium beatorum collegia satiantur: talis tuum, o anima, desiderat hospitium, tuum cœnaculum, plus quam cœleste palatium, appetit et exoptat. *Deliciæ* enim suæ [1] *sunt esse cum filiis hominum.* Sed si hæc adhuc te non movent ad laudandum Creatorem tuum, converte contemplationis radium ad quartum beneficium, et cognosce, quod tantæ capacitatis est palatium tuum, quod nulla creatura sufficit satiare tuum desiderium. Hugo de S. Victore: « Omnis jucunditas, omnis suavitas, omnis potentia, omnis opulentia rerum creatarum afficere cor humanum potest, satiare non potest. » Anselmus: « Omnis creatura, quæ Deus meus non est, mihi inopia est. » Et quare? Revera, secundum Gregorium in *Moralibus* [2]: « Anima humana, quæ ad Deum appetendum facta est, quidquid infra Deum appetit, minus est; ideoque jure ei non sufficit, quod Deus non est. »

Jam, ut æstimo, anima, sufficienter vidisti tuam nobilitatem, quæ est valde laudabilis: converte nunc radium contemplationis ad tuam super cæteras creaturas potestatem, quam (*a*) revera est admirabilis. Hugo, *De Arrha animæ* [3]: « O anima mea, quid dedit tibi sponsus tuus? Respice mundum istum: omnis natura ad hunc finem cursum suum dirigit, ut tuis utilitatibus deserviat, tuisque oblectamentis secundum distributionem temporum indesinenter occurrat. Vide jam, anima mea, et diligenter considera, quod Creator tuus, sponsus et amicus, totam machinam mundialem ad tuum ordinavit ministerium. Ecce angeli purgant et inflammant tuum affectum, illuminant et informant tuum intellectum, perficiunt et custodiunt tuum subjectum. Magna dignitas est habere tales doctores consolatores, et tales conservatores. O anima, si videre posses quanto gaudio quantoque tripudio assistunt orantibus, intersunt meditantibus, quanto studio nos in bono conservant, quanto desiderio nos et salutem nostram æternam expectant! Cœlum tibi deservit per suum motum; luminaria cœli, per suum influxum; sol causat tibi diem; luna illuminat tibi noctem; ignis temperat aeris frigiditatem; aer tibi mitigat ignis internam caliditatem; aqua tibi mundat fœtorem, mitigat tibi sitis ardorem, et fœcundat terræ vigorem. Terra vero te sustentat sua soliditate, recreat sua fertilitate, delectat sua amœnitate. Ecce, anima, breviter discurristi per singula, ab inferioribus ad superiora, et invenisti, quod omnis creatura ad hunc finem ex divina ordinatione cursum suum dirigit, quatenus tuis utilitatibus deserviat, tuisque oblectamentis indesinenter occurrat. Sed cave, anima mea, ne non sponsa, sed adultera dicaris, si munera dantis plus quam affectum amantis diligis. » Augustinus, in libro *Confessionum*: « Væ tibi, si oberras in vestigiis suis, si nutus suos pro eo amas, et non advertis purgatæ mentis intelligentia, quid innuat lux illa beatissima, cujus nutus et vestigia sunt omnium creaturarum decus et forma. » Adhuc [4] si forte *ignoras te, o pulcherrima mulierum, egredere, et abi post vestigia gregum*, id est, irrationabilium creaturarum, quæ sunt vestigium Creatoris tui, tu vero speculum beatissimæ Trinitatis. Ergo omnibus dignior et excellentior comprobaris. [5] *Et pasce hœdos tuos juxta tabernacula pastoris* (*b*), id est, converte cogitationes tuas ad choros angelorum, quibus quodammodo similis es in natura, et concivis eris in gloria.

ANIMA.

Jam satis silui, diu tacui; jam nunc cum verecundia et rubore compellor confiteri et

[1] *Prov.*, VIII, 31. — [2] Greg., *Moral.*, lib. XXVI, c. XXVIII, al. XLIV, n. 79. — [3] Hug., *De Arrh. Animæ*, longe ante med. — [4] *Cant.*, I, 7. — [5] Ibid.

(*a*) *Edit. Lugd.* quæ. — (*b*) Vulg. *pastorum*.

dicere, quod hanc dignitatem modicum adverti. Amorem meum, heu! ego infelix et misera, nimis indigne prostitui, factorem meum non pro his omnibus glorificavi, Deum meum propter dona sua non benedixi, et non adoravi eum toto tempore vitæ meæ; nimis indigne et irreverenter, vane et negligenter vixi. Et, ut verum fatear, secundum Bernardum, quanto perfectius dignitatem meam aspicio, tanto magis vitam degenerem me duxisse confundor et erubesco. Timeo etenim, quod tanto gravior sit culpa, quanto dignior et nobilior sit natura. Formido, quod tanto gravior sit offensa, quanto major est illius qui offenditur excellentia. Pertimesco, quod tanto pejor est injuria, quanto majora fuerunt illius, cui injuriam irrogavi, beneficia. Heu! heu! Domine Deus meus, ex dignitate substantiæ jam perpendo vilitatem malitiæ; ex speciositate naturæ cognosco deformitatem culpæ; ex recordatione beneficiorum acceptorum, intelligo ingratitudinem factorum meorum. Væ mihi miseræ! jam video, jam cognosco, quod quidquid a summo datore accepi ad usum vitæ, miserabiliter inflexi ad abusum pravitatis et culpæ. Tranquillitatem humanæ pacis ad usum converti vanæ securitatis : peregrinationem terræ, pro inhabitatione dilexi patriæ : salutem et pulchritudinem corporis redegi in servitutem voluptatis : ubertatis abundantiam non ad necessitatem corporis, sed ad superfluitatem expendi miseræ cupiditatis : tempora serena et blandimenta aeris, ad amorem mihi servire coegi terrenæ delectationis. Timeo, heu! et valde pertimesco, ut simul me ferire puniendo debeant, quæ vitiis meis male subjecta serviebant.

HOMO.

O anima, aliqualiter jam perpendo, quod bona est tua cognitio. Ex verbis enim tuis sentio, quod non fuit frustra mea admonitio. Videtur mihi quod numine divino sis aliqualiter illustrata, et tactu veri luminis mota, quia, secundum Gregorium in *Moralibus* [1] : « Unusquisque, dum tactu veri luminis illustratur, sibi ipsi ostenditur, ut unde cognoscit quid est justitia, inde erudiatur quid est culpa (qua excæcatur). Unde sancti viri quo altius apud Deum virtutum dignitate proficiunt, eo subtilius indignos se esse deprehendunt : quia dum proximi luci fiunt, quidquid eis in se ipsis latebat, inveniunt. » Hæc Gregorius. Igitur, anima, si luce veritatis tacta dignitatem tuam, quam hactenus non attendisti, cognoscis, si culpam qua Creatorem tuum offendisti intelligis, et vidisti quam gratiose formata sis per naturam, vide nunc quam vitiose deformata sis per culpam. Anselmus : « Reduc, anima ærumnosa et misera, ad memoriam enorme delictum, et perduc in cœlum usque rugitum et lamentum. Cogita, anima, perfida Dei, adultera Christi, quid feceris. Dereliquisti in cœlo castum amorem tuum, contempsisti factorem tuum, repudiasti sponsum tuum, turbasti Deum tuum, irreverenter tractasti sanctum angelum custodem tuum. Eras templum Dei, sponsa Christi, sacrarium Spiritus sancti. Quæ est ista subita conversio et repentina mutatio? De Dei virgine, facta es corruptio Satanæ; de sponsa Christi, scortum execrabile diaboli. » Hæc Anselmus. Recordare, o anima, propter quid vendideris decorem tuum, propter quid abjeceris honorem tuum, pro quo tam turpiter fœdaveris vultum tuum, quæ tanta bona pro tam vili pretio vendidisti. O anima, quare te tot bonis spoliasti? quare frustra tantis te honoribus privasti? quare tot bona opera neglexisti, tot annos, tot dies, tot horas sine fructu vixisti?

Anim per cu pam ni mis fit deformi

ANIMA.

Recognosco (*a*), o homo, quod verum loqueris, et non immerito me de tanta transgressione reprehendis. Bernardus : « O Domine Deus meus, quot tempora effluxerunt in quibus sine fructu, ut aspicio, vixi coram te!

Pia i cognit anim de su peccat

[1] Greg., *Moral.*, lib. XXXII, c. I, n. 1, paucis leviter mutatis. — (*a*) *Cæt. edit.* Recognosce.

Quomodo subsistam? quomodo ad te levare potero faciem meam in illo magno et terribili examine, quando enumerari jusseris omnes dies meos, quærens fructum in eis? O Domine Deus, cur intermisi te ullo tempore versare (*a*) in corde meo, te tota mente amplecti, in tua dulcedine delectari? Omnia interiora mea ubi tunc erant, quando tecum non erant, cum a te habeat omnis creatura quidquid habet desiderabile, laudabile, delectabile? » Hæc Bernardus. Heu! Domine, nunc intelligo, sed confiteri erubesco : species et decor creaturarum decepit oculum meum, et non adverti quia speciosior omnibus creaturis tu es, quibus tantummodo unam guttam tuæ inæstimabilis pulchritudinis communicasti. Quis enim ornavit cœlum sideribus, aerem volucribus, aquam piscibus, terram plantis et floribus, homines in corpore diversis coloribus (*b*), in mente variis virtutibus? Nonne, clementissime Pater, per te illa cœlestium spirituum agmina variis donis sunt ornata? nonne per te Seraphim ardent dilectione, Cherubim lucent cognitione, de tuis donis judicant Throni, de tuis muneribus dominantur Dominationes inclytæ, ex tua virtute præsunt Principatus, ex tua potestate Potestates dæmonum malitias arcent, et ex tua profunda potentia miracula faciunt Virtutes, ex tuo præcepto Archangeli magnis nuntiant majora, Angeli vero minoribus significant minora? Sed quid sunt hæc omnia, nisi tuæ pulchritudinis modica scintilla? O bone Jesu, fons universæ pulchritudinis, ignosce mihi animæ miseræ, quod tuam pulchritudinem tam sero cognovi, tam tarde amavi, propterea miserabiliter oberravi. Dulcedo etiam creaturarum decepit gustum meum, et non adverti quod melle dulcior es. Tu enim melli et omni creaturæ dulcedinem suam, imo tuam commodasti; et non est aliud in creatura dulcedo vel delectatio, nisi *tuæ dulcedinis* [1], *quam abscondisti timentibus te*, modica demonstratio. Unde dulcedo omnium creaturarum, si quis juste advertat, nihil aliud facit, nisi quod ad tuam dulcedinem æternam invitat. O Jesu, fons universæ dulcedinis et pietatis, ignosce mihi, quod tuam inæstimabilem et mellifluam dulcedinem in creatura non cognovi, nec internæ mentis amore degustavi : propterea miserabiliter oberravi, et animam meam usquemodo siliquis porcorum saturavi. Sed, heu! nunquam, ut timeo, de pane filiorum tuorum manducavi : ideo semper in deliciis mundi jejuna et famelica permansi. Gregorius [2] : « Quia intus gustare nolumus paratam dulcedinem, propterea jejuni et famelici, amamus miseri famem nostram. » O dulcissime Jesu, modo video, modo agnosco, quod omnis dulcedo tibi contraria, fuit mihi afflictio et magna miseria. Augustinus, in libro *Confessionum* [3] : « Tu enim, misericordissime Deus, etiam in peccatis meis semper mihi aderas, piissime sustinens omnes iniquas delectationes meas et malas, amarissimis respergens amaritudinibus, docens per flagella, si vellem sine amaritudine delectari, non possem (*c*) nisi in te, Domine. » Hæc Augustinus. Sed, heu! hanc doctrinam non intellexi : propterea oberravi; semper tamen in deliciis meis iniquis timui proditorem, timui accusatorem, timui reprehensorem, formidavi aliquoties conscientiam, expavi multoties (*d*) infamiam, nonnunquam abhorrui gehennam : et tamen, heu! ego misera, inter tot tormenta, non mutavi voluntatem propriam. Decepit etiam odor creaturæ olfactum meum, et ignoravi quod odor tuus, o bone Jesu, redolet super omnia aromata. O bone Jesu, fons odoris, cujus suavitas fecit (*e*) [4] indesinenter post te currere, et infatigabiliter laborare, ignosce mihi, quod tam sero te cognovi, tam tarde in odore unguentorum tuorum post te cu-

[1] *Psal.* XXX, 20. — [2] Greg., *in Evang.*, hom. XXXVI, n. 1. — [3] Aug., *Conf.*, lib. II, c. II, n. 4, quoad sensum. — [4] *Cant.*, I, 3.

(*a*) *Cæt. edit.* versari.— (*b*) *Leg.* dotibus. — (*c*) posse me. — (*d*) *Cæt. edit.* aliquotiens... multotiens, *et sic deinceps.* — (*e*) *Leg.* facit.

curri. Puto tamen, et per hoc me non excuso, quod odor illius cœlestis apothecæ huic terreno fœtori, quo infecta eram, non miscetur. Decepit etiam sonus falsus, sive fallax, creaturarum auditum meum; et nescivi, nec sensi, *quam dulcia faucibus*[1] electorum tuorum *eloquia tua*, quam suavia auribus amicorum tuorum consilia tua, quam levia manibus sanctorum tuorum mandata tua. O Jesu, fons sapientiæ, auctor scientiæ, consiliator casti consilii, fac me vel saltem modo audire vocem tuam, *sonet vox tua in auribus meis*[2]. Cum quanta amaritudine recogito, quod fefellit me illa vox miserrima cantantium, et dicentium[3] : *Venite, fruamur bonis quæ sunt, coronemus nos rosis antequam marcescant, et non prætereat nos flos temporis. Vino pretioso et unguentis optimis nos impleamus, ubique relinquamus signa lætitiæ.* Hanc vocem audivi, et non intellexi, nec adverti, quoniam omnia vana sunt et risu digna. Omnia enim hæc, et his similia, cito pertransierunt, et velut umbra evanuerunt. Quid enim vana hæc omnia amatoribus suis contulerunt? *Quem* enim[4] *fructum tunc habuerunt in illis, in quibus nunc* confunduntur et *erubescunt?*[5] « O Domine Deus meus, lumen cordis mei, panis animæ meæ, virtus amaricans (*a*) mentem meam, non te amabam, et fornicabar abs te, et fornicanti mihi sonabant, Euge, euge. Amicitia hujus mundi, fornicatio est abs te. O quid miserius misero non miserante super seipsum? » Sed inter hæc omnia tu, amantissime Deus, mihi semper aderas; vocem tuam frequenter audivi, inspirationem tuam salutiferam sensi, sed non consensi. O quoties mihi illud salutiferum consilium inspirasti : Peccasti : quiesce, desine, et erubesce! Ad quæ ego misera, morem secuta beati Augustini in libris *Confessionum*[6], verba somnolenta aliquando respondi : « Domine, expecta me modicum, sive paululum, modo a vanitate quiescam, modo de malignitate erubescam, omnia vana et mundana derelinquam. Sed, heu! illud modicum et modo non habebat modicum et modum, et paululum in longum ibat. » Item Augustinus[7] : « Ipsa segnities est res, quæ multos æternaliter occidit, et finaliter in peccatis detinet, qui se ad vocem Domini non corrigunt. Vocem quidem occultæ inspirationis audiunt, sed vitam non corrigunt, dicentes : Cras, cras, et subito ostium clauditur, remanetque peccator foras extra arcam cœlestis patriæ cum voce corvina, quia pro peccatis gemere noluit cum columba. » Gregorius[8] : « Heu! quam multos in peccatis pejus sua felicitas prostravit, multos diuturna pax inertes reddidit, eoque illos mox malignus (*b*) hostis gravius percutit (*c*), quo longius quietis usu negligentes invenit! » Item Gregorius[9] : « Quos enim Deus ut convertantur diutius tolerat, non conversos durius damnat. » Sed, o homo, ut tibi meæ infelicitatis historiam perfectius manifestem, profiteor quod hæc omnia meæ infelicitati non sufficiebant, sed ad cumulum damnationis, heu! mundana mollities tactum meum nimis miserabiliter decipiebat, et ignoravi, quod tam suavis, o bone Jesu, esset tuus amplexus, tam honestus attactus tuus, tam deliciosus convictus tuus.[10] « Cum enim te amavero, munda sum; cum tetigero, casta sum; cum accepero, virgo sum. » Tuus, o dulcissime Jesu, amplexus non maculat, sed mundat; tuus attactus non inquinat, sed sanctificat. O Jesu, fons universæ dulcedinis et suavitatis, ignosce mihi, quod tam sero credidi, quantum habet deliciositatis, quantum honestatis, quantum jucunditatis, quando *læva*[11] tuæ æternæ sapientiæ et cognitionis est *sub capite meo*, id est, ratione,

[1] *Psal.* CXVIII, 103. — [2] *Cant.*, II, 14. — [3] *Sap.*, II, 6, 8, 7, 9. — [4] *Rom.*, VI, 21. — [5] Aug., *Conf.*, lib. I, c. XIII, n. 21. — [6] Ibid., lib. VIII, c. X et seq., quoad sensum.— [7] Id., *de Verb. Dom.*, serm. XVI, al. LXXXII, c. XI, n. 14, quoad sensum. — [8] Gregor., *Moral.*, lib. XXXI, c. XVII, al. XLIII, n. 84. — [9] Id., *in Evang.*, hom. XIII, n. 5. — [10] Ex Ambros., de S. Agnete, epist. XXXIV, non longe a princ. — [11] *Cant.*, II, 6.

(*a*) *Edit. Gaume* maritans. — (*b*) *Al.* illos inopinatus. — (*c*) *Al.* perculit.

et *dextera* tuæ divinæ clementiæ et dilectionis *amplexabitur me*, id est, voluntatem. Heu me miseram! quid unquam tam dulce, tam suave, tam deliciosum et salutiferum potest experiri, quam inter brachia tanti sponsi quiescere, inter oscula tanti regis et amici feliciter obdormire? Hanc dulcedinem senserat anima devota, quando optabat, dicens [1] : *Osculetur me osculo oris sui*, etc. Numquid has delicias anima devato erat experta, quando orabat ardens, et jam pene deficiens præ dilecti sui concupiscentia, dicens in Canticis [2] : *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te solum foris, et deosculer te, et jam me nemo despiciat? Apprehendam te, et ducam in te domum patris mei, et in cubiculum genitricis meæ. Ibi me docebis, et dabo tibi poculum ex vino condito, et ex musto malo* (*a*) *granatorum meorum.* Quis enarrare sufficeret, nisi qui mente gustasset, quantum habet hoc verbum dulcedinis et devotionis, quando bene ponderatur, et recte cibatur devota mente? Unde expositionem devotæ menti relinquo. Sed, o Domine Deus, si hæc tam dulcia sunt cogitanti, quam dulcia esse possunt degustanti? Si tam suavia sunt legenti, quam consolatoria erunt per affectum sentienti? Augustinus [3] : « Fac me, dulcissime Jesu, intus gustare per amorem, quod extra gusto per cogitationem; fac me sentire per affectum, quod sentio per intellectum. » Hæc Augustinus. Eia, dulcissime Jesu, tranfige saluberrimo vulnere amoris tui medullas animæ meæ, ut vere ardeat, langueat et liquefiat, et solo tuo desiderio deficiat, cupiat dissolvi et esse tecum. Te solum semper esuriat panem vitæ cœlestis, qui de cœlo descendisti. Te sitiat fontem vitæ, fontem æterni luminis, torrentem veræ voluptatis. Te semper ambiat, te quærat, teque inveniat, in te dulciter requiescat. Sed quæ vesania, quæ infernalis furia tanto tempore a me prohibuit talia et tanta mentis meæ solatia, tam divina gaudia et melliflua convivia? Dic, quæso, o homo, quæ est tanti mali causa, quæ tanti periculi ratio, quæ tanti damni occasio.

HOMO.

Video, o anima, quod jam fatigata laboribus, jam vexata doloribus, ultra invenire non valeas, cui tantum damnum illatum ascribas. Peto igitur, ut cum patientia audias, si tibi tanti mali causam demonstravero, si tibi tanti damni (*b*) inimicum ostendero. Jam pro parte hostem tetigisti aliqualiter; tamen forte præ dolore mentis non advertisti. Habes, o anima mea, inimicum domesticum, hostem amicum, adversarium propinquum, qui tibi malum pro bono reddidit, et sub specie amicitiæ crudelior existens inimicus, his omnibus et aliis infinitis bonis te privavit. Hic hostis, salva tua reverentia, est caro infelix et misera, multum tamen tibi dulcis et dilecta. Hanc cum pavisti, inimicum pessimum contra te erexisti. Hanc cum honorasti, hostem crudelissimum contra te armasti. Hanc cum foris variis et pretiosis indumentis decorasti, omnibus interioribus ornamentis te spoliasti, nesciens quod dicit beatus Gregorius in *Homiliis* : « Unde, inquit, caro ad tempus suaviter vivit, inde spiritus in æternum torquebitur et ingemiscet. Et contra quo plus caro premitur, eo plus de spe cœlesti animus lætatur. » Unde, pro tanta injuria nobis per te illata, continere amplius me non valeo, quin tantum malum hucusque sub silentio periculose pertransitum reprehendam. Scio, inquit Bernardus [4], o anima, quemdam, qui per plures annos tecum vixit, ad mensam tecum sedit, cibum de manu tua sumpsit, et sinu tuo dormivit; cum voluit, tecum colloquium habuit : hic jure hæreditario servus tuus est. Sed quia delicate nimis enutristi eum, et virgæ pepercisti, levavit

Hostis pessimus animæ caro est.

[1] *Cant.*, I, 1. — [2] Ibid., VIII, 1. — [3] Hæc Anselmus, *de Redempt. hum.*, *Medit.*, XI, versus fin., col. 769, edit. Migne. — [4] Imo auctor *Medit.*, c. XV, n. 38.

(*a*) Vulg. *et mustum malorum.* — (*b*) *Suppl.* auctorem.

calcaneum suum super caput tuum, et te in servitutem redegit. » Et subdit [1] : « O anima miserabilis et misera, quis te liberabit de vinculo improperii hujus? Exurgat Deus, et cadat armatus, et conteratur inimicus. Inimicus, inquam, contemptor Dei, amicus mundi, cultor diaboli. Quid tibi videtur de illo? Si recte sentis, puto quod mecum dices : Reus est mortis, crucifigatur. Noli ergo dissimulare, noli differre, noli parcere, crucifige, crucifige eum. Sed in qua cruce? In cruce Domini nostri Jesu Christi, in qua est salus, vita et resurrectio nostra. » Recole igitur, o anima, primordia tua, attende quod es [2] « insignita Dei imagine, decorata ejus similitudine, desponsata fide, dotata spe, præelecta charitate (*a*), redempta sanguine, particeps gratiæ (*b*), capax beatitudinis, quid tibi cum carne, unde ista pateris? Si diligenter conditiones ejus advertis, nunquam vilius sterquilinium vidisti. Si ejus miserias enumerare velis, quam onusta sit peccatis, pruriens concupiscentiis, occupata passionibus, polluta illusionibus, confusione plena, ignominia repleta, quid de ea habes aliud, quam cogitationes fœdas et immundas? » Hæc Bernardus [2]. Idem : « O anima divina, erubesce in similitudinem porci commutari, erubesce volutari in cœno, quæ es de cœlo. » Idem, *super Cantica* [3] : « O anima, donec in carne es, inter spinas versaris, et necesse est ut tentationum tribulationes et impugnationum aculeos graviter patiaris. » Unde dicitur tibi in *Canticis* [4] : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* [5] « O candens lilium, o tener et delicate flos, increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas. Vide ergo quomodo caute ambules inter spinas. Caro et mundus pleni sunt spinis : conversari in his, et non lædi, divinæ potentiæ est, et non virtutis humanæ. » Hæc Bernardus.

Est et alius inimicus fortis et crudelis, qui [6] « mira calliditate omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, et ibi semper quærit causas nocendi, ubi quemquam viderit studiosus occupari. Novit enim hic hostis antiquus, ab initio humani generis inimicus, cui ipse illecebras gulæ ingerat, cui virus invidiæ infundat, cui blandimenta luxuriæ objiciat, cui vana superbiæ incitamenta promittat, novit quem metu opprimat, quem gaudio fallat, quem admiratione seducat. Habet etiam aliquos sibi obligatos, quorum ad alios decipiendos ingeniis utitur et linguis. » O anima fragilis ad resistendum, facilis ad cadendum, difficilis ad surgendum, qualiter istius crudelis adversarii laqueos evadere poteris, quem tantis subtilitatibus præditum agnoscis? » Hæc Leo Papa.

2. Hos crud anim diabo

ANIMA.

Nunc video, jam primitus recognosco, quod, sicut dicit Anselmus [7], « consuetudo peccati est, quod non facile cognoscitur ab eo qui ipse premitur; sed mox, cum incœperit se quis ab illo alienare, tunc demum cognoscit in quanta fœditate jacuerit. » Igitur quia jam aliqualiter me ipsam a peccato alienare incipio, et per hoc me et peccatum meum agnosco, me amplius a planctu continere non valeo. O Domine Deus meus, tu impressisti mihi amabilem imaginem tuam, et ego superinduxi odibilem imaginem diabolicam. Heu! heu! miser humuncio, quod dæmonis imaginem superimpressi super imaginem Dei. Cur non odi ejus imitationem, cujus abhorreo nomen? Ille sponte cecidit; ego volens corrui. Ille, nulla præcedente vindicta, peccavit superbiens; ego, visa ejus pœna, peccavi contemnens. Ille semel innocentia est institutus; ego multoties sum restituta. Ille se erexit contra

[1] Imo auctor *Medit.*, c. XV, n. 40, quoad sensum. — [2] Ibid., c. III, n. 7, quoad sensum. — [3] Bern., *in Cant.*, serm. XLVIII, n. 1. — [4] *Cant.*, II, 2. — [5] Bern., ubi sup., n. 2. — [6] Ex Leon., *de Nativ. Dom.*, serm. VII, n. 3. — [7] « Citatur hic locus ex Anselm. *de Similitud.*, sup., tom. VI, *Phar.*, lib. II, c. V; tamen ibi non reperitur apud Anselmum. » Ita Edit. Rom.

(*a*) *Edit. Mabill.* dotata spiritu.— (*b*) Deputata cum angelis.

eum qui se fecit; ego me erexi contra eum qui me refecit. Ille Deum dereliquit permittentem; ego fugi Deum persequentem. Ille perstat in malitia, Deo reprobante; ego curro a Deo misericorditer revocante. Et si ambo contra Deum, ille tamen contra non requirentem se; ego vero, contra morientem pro me. Ecce cujus imaginem horrebam, cum in multis me inveniam horribiliorem.

HOMO.

Fuge, fuge a me, o horribilis substantia, fuge te ipsam, exterrita a te ipsa. Ne igitur sine rugitu cordis tui toleres horrorem tuum. Si toleras, non te agnoscis : non est hæc fortitudo, sed mentis hebetudo; non est sanitas, sed obdurata iniquitas.

ANIMA.

Si me videro, est horror intolerabilis; si non videro, est mors inevitabilis. O quam infelix, qui sibi est horribilis! Sed tamen multo infelicior, cui mors æterna est sensibilis. Anselmus, in *Orationibus* : « O Pater patientissime, o Rex clementissime, tegere non valeo, excusare nequeo, et tamen confiteri non modicum erubesco. Jam causam tantorum malorum invenio; jam, quod prius male latuit, agnosco. » Bernardus in *Meditationibus* [1] : « Cor enim meum miserum, dum futurum non curavit gaudium, nec divinum quæsivit consilium, a seipso fuit elongatum, et in amore terrestrium occupatum; dumque elapsum fuit ab illis, et involutum in istis, vanitas ipsum decepit, luxuria polluit, curiositas abduxit, cruciabatur invidia, torquebatur iracundia, dividebatur avaritia, anxiabatur acedia : sicque immergebatur omnibus vitiis, quia unum bonum, quod sibi sufficere potuit, dereliquit. » Hæc Bernardus [1]. Abeant ergo, mitissime Deus, in oblivionem coram te omnia male consumpta mea tempora; et concede, ut hoc temporis mei residuum, forte nimis breve et momentaneum, sit tibi honorificum, mihi fructuosum, et proximo ædificatorium. Jam, piissime Deus, propter magnitudinem damni, quod infelix et misera miserabiliter incurri, video et recognosco, quod meipsam et peccatum meum sufficienter, ut merui, deplangere non valeo, si tanta debeat esse non immerito peccati detestatio, quanta fuerit in misera voluntate delectatio.

HOMO.

O anima, si per te, ut asseris, non potes nec sufficis delictum tuum deplangere, necesse habes te ad aliquem sanctorum convertere. An ignoras, quod secundum Bernardum, securum habes accessum ad Deum, ubi Matrem habes ante Filium, Filium ante Patrem? Mater pro te ostendit Filio pectus et ubera; Filius, Patri latus et vulnera. Putas quod ulla poterit ibi esse repulsa, ubi tot sunt charitatis indicia? « In periculis ergo [2] et in angustiis, ac in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat a corde tuo, non discedat ab ore tuo. Ipsam sequens, non devias; ipsam rogans, non desperas; ipsa tenente, non corruis; ipsa protegente, non metuis; ipsa duce, non fatigaris; ipsa propitia, ad veniam pervenis. » Hæc Bernardus. Anselmus : « Dic igitur, o anima, cum magna mentis fiducia : O Domina, si tuus filius per te factus est frater noster, nonne tu per ipsum facta es mater nostra? Exultabo igitur et lætabor, quia quidquid judicabitur de me, pendet ex sententia Matris et Fratris mei. » Hæc Anselmus.

ANIMA.

Cum peccavi in Filium, irritavi Matrem. Matrem offendere non potui sine injuria Filii. Quid ergo, o homo, faciam? quis reconciliabit me Filio, inimica Matre? quis mihi placabit Matrem, irato Filio?

[1] Imo auctor *Medit.*, c. IX, n. 23, quoad sensum. — [2] Bern., super *Missus est*, serm. II, n. 17.

HOMO.

Anselmus [1] : « O anima, non dubites, etsi ambo sint offensi, ambo tamen sunt clementes, ambo piissimi. Fugiat ergo reus iram justi Dei ad piam matrem : refugiat reus iram offensæ matris ad benignum filium, et dicat : Deus, qui factus es filius fœminæ propter nostram miseriam ; fœmina, quæ facta es mater Dei propter misericordiam, aut miseremini mihi impiæ peccatrici, aut ostendite mihi magis misericordem, ad quem ego misera confugere valeam. » Hæc Anselmus.

ANIMA.

Anima peccando omnes creaturas post Deum offendit.

O homo, quam sanum consilium tuum! quam consolatorium est mihi miseræ verbum tuum! quia quando peccatum meum recte aspicio, tunc invenio, tunc agnosco, quod elementa per peccata mea pollui, cœlos inquinavi, astra cœli obfuscavi, damnatos in inferno cruciavi, sanctos in cœlo perturbavi, angelos mihi ad custodiam deputatos irreverenter pertractavi. Unde ab omnibus his auxilium petere pertimesco. Et quia justi juste mihi indignati sunt, ad ipsos confugere non præsumo.

HOMO.

O anima, nimia est trepidatio tua, quamvis placita sit humiliatio tua. An ignoras, quod multi de sanctis peccaverunt, qui, qualiter nobis peccantibus misereri debeant, in suis magnis peccatis didicerunt? Cogita Moysem prophetam eximium [2], de divina potentia desperantem. Cogita David regem sanctissimum [3], contra divinam legem adulterio et homicidio peccantem. Agnosce Salomonum sapientissimum [4], idola vana et pessima adorantem. Cognosce Manassem regem iniquissimum [5], qui plusquam omnes reges Israel peccaverat, qui dicebat [6]: « Peccavi super numerum arenæ maris, et non sum dignus videre altitudinem cœli præ multitudine iniquitatis meæ. » Hos semper cogita veniam impetrantes. Sed quid plura de sanctis Veteris Testamenti? Cogita nunc et adverte paucos de sanctis Novi Testamenti. Vide Matthæum [7] sedentem ad telonium, peccatorem publicanum, et assumptum in discipulum. Vide Paulum [8] lapidantem Stephanum, et electum in apostolum. Vide Petrum [9], Christum abnegantem, et mox veniam impetrantem. Vide militem [10] Christum crucifigentem, et tamen de divina misericordia præsumentem. Vide latronem [11] in cruce pendentem, et veniam impetrantem. Postremo cogita, o anima, quod illa famosa et immunda peccatrix [12] Maria Magdalena facta est tam singularis et specialis Christi amatrix. Omnes enim quotquot modo cum Deo regnant, vel olim sicut nos peccaverunt, vel saltem peccare potuissent, si eos divina clementia a peccato non præservasset : quia cuicumque donatum est ut peccare penitus non pōtuerit, non est hoc naturæ, sed cœlestis gratiæ.

ANIMA.

Jam nunc secure prophetas et reges imploro, jam nunc audacter apostolos et martyres invocabo, confessores, virgines et viduas constanter interpello; sed tamen præ omnibus his sacratissimam Dei Genitricem Virginem Mariam confidentius adorabo. Scio enim quod [13] « tam pia, dulcis, et suavis est Maria, quod nec nominari potest, quin accendat, nec cogitari, quin recreet affectum diligentium se. Hæc est enim illa quæ salutem omnibus impetravit, et totius mundi reparationem obtinuit. » Hæc Bernardus. Anselmus : « O fœmina mirabiliter singularis, et singulariter admirabilis, per quam elementa renovantur, infirmi medicantur, homines salvantur, et angeli reintegrantur.

[1] Anselm., *Orat.* LI, al. L, *ad S. Virg. Mar.*, post med., col. 951-952, edit. Migne. — [2] *Exod.*, IV, 13. — [3] II *Reg.*, XI, 4, 24. — [4] III *Reg.*, XI, 7 et seq. — [5] IV *Reg.*, XXI, 2 et seq. — [6] *Orat. Manass.*, inter apocryph. Bibl. — [7] *Matth.*, IX, 9. — [8] *Act.*, VII, 59; IX, 15. — [9] *Luc.*, XXII, 60-62. — [10] *Luc.*, XXIII, 47. — [11] Ibid., 42-43. — [12] *Luc.*, VII, 37 et seq. — [13] Ex Bern., *in Assumpt. Virg. Mar.*, serm. IV, n. 8, et *Depræc. et laud. ad Virg. Mar.*

O fœmina gratia plena, de cujus plenitudinis abundantia respersa reviviscit omnis creatura. » Bernardus [illegible] « O benedicta genitrix vitæ, inventrix gratiæ, mater salutis, per te accessum habemus ad filium tuum, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Ex[illegible] quod meum integritas tua culpam [illegible] humilitas tua Deo [illegible] impetret vanitati [illegible] per gratiam quam [illegible] quam meruisti, per miser[illegible] quam peperisti, fac ut qui mediante te dignatus est fieri particeps infirmitatis et miseriæ nostræ, te intercedente nos faciat participes gloriæ suæ. » Hæc Bernardus.

HOMO.

Jam nunc, ut æstimo, o anima mea, aliqualiter meritorie convertisti radium contemplationis ad videndum qualiter formata sis per naturam, et quomodo deformata per culpam : converte nunc radium tuum, jam, ut spero, per contritionem depurata, ad intuendum qualiter sis reformata per gratiam. Scire tamen debes, quod quanto perfectius per contritionis lavacrum caligo mentis detergitur, tanto lucidius divinæ reparationis beneficium speculatur. Peccatum enim secundum Augustinum est tenebra, qua intellectus obtunditur, et interior homo totus obtenebratur. Unde necesse est, ut tanto sollicitius mentales oculi a peccati tenebra per compunctionis lacrymas continue expurgentur, quanto amplius per hanc contemplationis radius obtenebratur. Hæc Augustinus. Jam igitur, o anima, in affectionibus serenata, dirige radium contemplationis ad intuendum quam profunda Dei clementia, quam alta Dei sapientia, quam mira Dei potentia sis per gratiam reformata. Considera primo qualiter, per beneficium redemptionis, te a peccato originali liberavit. An ignoras, quod per peccatum originale eras bonis naturalibus et spiritualibus spoliata, potestati principis tenebrarum subjugata, a patria tua repulsa et alienata? Sed secundum Bernardum [2] : « Singularis illa majestas mori voluit ut viveremus servire ut regnaremus, exulare ut repatriaremur (*b*), et ad vilissima opera inclinatus est, ut nos constitueret cuper omnia opera sua. » *Venit enim* [3] *Filius hominis quærere et salvum facere, quod perierat.* Venit, inquam, ut te superbum humiliaret. Gregorius in registro [4] : « Ad hoc unigenitus Dei filius formam infirmitatis nostræ suscepit, ad hoc invisibilis non solum visibilis, sed etiam despectus apparuit, ad hoc contumeliarum ludibria, illusionum probra, passionum tormenta toleravit, ut superbum non debere esse hominem doceret humilis Deus. » Augustinus [5] : « Omnia bona terrena contempsit Deus, ut contemnenda nostra monstraret : et omnia terrena mala sustinuit, ut sustinendo doceret, ut nec in illis quæreretur felicitas, neque in istis timeretur adversitas. » Venit secundo, ut te Patri reconciliaret. Augustinus [6] : « Cum inimicus esses Patri, ego reconciliavi te : cum longe esses, ego veni ut reducerem te : cum inter montes et sylvas errares, quæsivi te : inter lapides et ligna inveni te, in humeris meis portavi te, Patri meo reddidi te, laboravi, sudavi, caput meum spinis exposui, manus meas clavis objeci, lancea latus meum aperire permisi (*c*), sanguinem meum pro te fudi, totque non dicam injuriis, sed asperitatibus, laceratus sum propter te. Sed, heu! propter peccatum tuum te dividis a me. » Venit tertio, ut venditum repararet. Augustinus : « Admiremur, gratulemur, amemus, laudemus, adoremus, quoniam per Redemptoris nostri mortem, de morte ad vitam, de tenebris ad lucem, de exilio ad patriam, de corruptione ad incorruptionem, de miseria ad gloriam, de luctu ad

[1] Bern., *de Adv. Dom.*, serm. II, n. 5. — [2] Id., *de Ascens. Dom.*, serm. III, n. 2. — [3] *Luc.*, XIX, 10. — [4] Greg., *Moral.*, lib. XXXIV, c. XVIII, al. XXIII, n. 54. — [5] Aug., *De Catech. rudib.*, c. XXII, n. 40. — [6] Imo auctor, quisquis ille sit, tract. *Adv. quinque hæreses*, c. VI, n. 8, inter *Oper.* Aug., append. tom. VIII.

(*a*) *Al.* habeamus. — (*b*) *Ita Mabill.; cæt. edit.* repatriaremus.— (*c*) *Leg.* aperiri perm. *Al.* aperuit.

gaudium vocati sumus. » Gregorius Nazianzenus [1] : « O mira et inaudita permixtio ! qui Creator est, fit creatura; qui immensus est, capitur; qui dives est in homines, pauper efficitur. Suscepit imaginem carnis meæ, ut imaginem, quam fecerat, repararet, ut carnem mortalem immortalitate dotaret. » Exspergiscere nunc, a anima mea, respice in faciem Christi tui. Vide faciem illam quondam splendore nimio luminosam propter te velatam contra claritatem (*a*) : decore speciosam, inflatam contra speciositatem : dulcore gratiosam, consputam contra gratiositatem : amore desiderabilem, abominabilem contra desiderabilitatem. Vide nunc, o anima mea, et diligenter considera mira et inaudita prodigia, quæ fecit Dominus super terram. Deus illuditur, ut honoreris; innocens flagellatur, ut consoleris; justus crucifigitur, ut libereris; agnus immaculatus occiditur, ut epuleris; sanguis et aqua de latere lanceati emittuntur, ut poteris. Respice igitur in pretium redemptionis placans offensam prævaricationis : inspice exemplum informationis, præstans adminiculum sanctificationis : aspice auxilium protectionis, reserans januam incarcerationis : suscipe præmium retributionis, conferens gratiam justificationis. Aspice, o anima delicata, contemplando assidue; et fac, imitando perfecte, secundum exemplar consummatæ justitiæ, quod tibi in monte monstratum est, hoc est, in Christi victoriosissima passione. Annon consideras, quod deliciis corporalibus æstuas, et Christus Dominus tuus, rex tuus, sponsus tuus, magister et amicus tuus, affligitur omni genere pœnarum, in omni parte sensuum, ab omni statu hominum? Rex illusit; Præses judicavit; Discipulus vendidit; Apostoli reliquerunt; Pontifices, Scribæ et Pharisæi tradiderunt; Gentiles flagellaverunt; turbæ condemnaverunt, ac milites crucifixerunt. Bernardus : « Caput illud, angelicis tremendum spiritibus, densitate spinarum pungitur : facies pulchra [illegible] filiis hominum sputis Judæorum deturpatur : oculi lucidiores sole caligant in morte : aures quæ audiunt angelicos cantus, audiunt peccatorum insultus : os quod docet angelos, felle et aceto potatur : pedes quorum scabellum adoratur, quoniam sanctum [illegible] affiguntur : manus quæ fo[illegible] sunt in cruce extensæ et [illegible] pus verberatur, latus lanc[illegible] quid plura? non remanet in [illegible] rum, nisi sola lingua, ut pro peccatoribus exoraret, et matrem discipulo commendaret. » Hæc Bernardus. Et quid plura? o fidelis anima, Salvator noster nullis adversantium hostium tentamentis potuit a nostræ salutis cura revocari. Sed quo magis ejus ostenditur æmulatio, eo gravior nos, si hanc spernimus, sequitur damnatio.

Contemplatio passionis Domini.

ANIMA.

O homo, jamdiu tacui, quia quæ proposuisti, cum gaudio pariter, et luctu, devota mente recepi. Gaudens igitur gaudebo in Domino, quia me tantum dilexit, quod unigenito filio suo propter me non pepercit. O inæstimabilis dilectio charitatis! ut ancillam, imo nec nomine ancillæ dignam, redimeres, filium tradidisti. O Domine Jesu Christe, qui propter me tibi non pepercisti, cor meum tuis vulneribus ita saucia, et mentem meam tuo sanguine ita inebria, ut quocumque me vertam, semper te videam crucifixum; et quidquid inspexero, mihi appareat tuo sanguine rubricatum : ut sic totus in te tendens, nil valeam præter te invenire, nil nisi tua vulnera intueri. Hæc mihi consolatio sit, tecum, mi Domine, crucifigi, et mihi sit intima afflictio aliquid præter te meditari. Hugo de Sancto Victore [2] : « Nulla dilectio major, nulla charitas sincerior, nullus amor fortior : mortuus est pro me innocens, nihil in me inveniens quod amaret. Sed, heu! quoties hanc miram circa nos divinæ pietatis dignationem adverto, de

[1] Greg. Naz., *Orat.* XXXVIII, n. 12. — [2] Hug., *De Arrh. Anim.*, post med. sparsim.

(*a*) *Cæt. edit.* charitatem.

nimia ingratitudine mea non modicum confundor et erubesco. »

HOMO.

Hugo, *de Arrha animæ*[1] : «O anima, dereliquisti sponsum tuum, prostituisti amorem tuum, et pro tantis beneficiis gratias non egisti : quia ut relevaret te illuc, unde cecideras, ipse descendere dignatus est, et pie pati quod tolerabas. Cogita ergo quantum diligat te, qui non nisi moriendo a morte voluit liberare te. » Hæc Hugo. Unde, anima mea, quanto beneficia redemptionis recognoscis digniora, tanto peccata ingratitudinis sunt deteriora. Vide ergo ne sis ingrata, cui tanta beneficia sunt collata ; magnum enim est peccatum ingratitudinis, quia secundum Bernardum[2] : « Ingratitudo est quasi ventus urens, exsiccans rivulos divinæ misericordiæ, fontem clementiæ et fluenta gratiæ. » Attende igitur, o anima mea, frequenter volve et revolve in mente illud horribile verbum, quod contra ingratos profertur in persona Salvatoris dicentis : O anima, vide quanta pro te patior : ad te clamo, qui pro te morior. Vide pœnas quibus afficior, vide clavos quibus confodior, audi improperia quibus confundor. Sed cum sit tantus dolor exterior, cruciatus tamen interior est gravior, cum tam ingratum te experior. Et alibi Bernardus contra ingratos in persona Christi invehitur dicens : « [3] *Populo meus, quid feci tibi, aut in quo molestus fui tibi? responde mihi.* Quid causæ est quod inimico meo magis libet servire, quam mihi? Attende quod ego sum qui creavi te, ego omnibus bonis ditavi te ; si hæc modica videntur ingratis, ego pretiosissimo sanguine meo redemi te. » Eia, anima mea, non recedant hæc a corde tuo, non discedant ab ore, semper gratias age, nunquam cessa unigenitum Dei Filium pro tantis donis benedicere et magnificare. Sit tibi dilectus pro his omnibus aliquando fasciculus myrrhæ in corde tuo, aliquando jubilus in mente, laus in ore, melos in aure.

ANIMA.

Jam diutius me continere non valeo. Dic, quæso, quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi ?

HOMO.

O anima, sicut dicit Bernardus in *Meditationibus*[4] : « Totam vitam tuam debes huic, non immerito, qui vitam suam pro te posuit, et cruciatus duros sustinuit, ne et tu æternos cruciatus sustineres. Quid tibi dirum (*a*) vel durum esse poterit, cum recordatus fueris, quod ille speciosus in forma Dei pro te voluit crucifigi? O quam indebita miseratio! o quam gratuita dignatio! quam inopinata dilectio! quam stupenda dulcedo, regem gloriæ pro despectissimo vermiculo mori et crucifigi ! » O quam dulcis amicus ! o quam fortis auxiliator ! o quam prudens consiliator !

ANIMA.

O homo, fateor et vere recognosco, « si essent in me omnes vitæ filiorum Adam, omnes dies sæculi, et labores omnium hominum qui sunt, fuerunt et erunt, nihil esset ad comparationem illius, quod Sponsus meus pro me sustinuit, quod pro peccatis meis Filius Dei toleravit. Cum ergo donavero ei quidquid sum et quidquid possum, nonne erit sicut stella ad solem, sicut stilla ad fluvium, et sicut pulvis ad montem? » Hæc Bernardus[5].

Dei beneficia nequimus persolvere.

HOMO.

O anima, quia jam considero, quod depurato contemplationis oculo gratiam divinæ redemptionis, qua te a peccato originali Sponsus tuus liberavit, agnoscis, adhuc modicum pro Deo loqui incipiam, et tibi ad

[1] Hug., *de Arrh. anim.*, paulo ante. — [2] Bern., *in Cant.*, ser. LI, n. 6. — [3] *Mich.*, VI, 3. — [4] Imo in sermone *de quadruplici debito, de diversis*, XXII, n. 5. — [5] Ibid., n. 6.

(*a*) *Ita Mabill.; cæt. edit. deest* dirum.

cumulum divinæ miserationis, qualiter per ipsum a peccato actuali libera sis, ostendam. Converte igitur radium contemplationis ad beneficium justificationis, et considera Domini tui gratiam, quam paterne per occultam inspirationem te a peccato revocavit, quam dulciter et quam amicabiliter alloquendo per interiorem allocutionem revocavit, dicens [1] : *Revertere, revertere, Sunamitis,* id est, anima per peccatum misera effecta, vel captivata, vel mortificata. *Revertere,* inquit, o anima, ad me, ego sum Creator tuus : *revertere,* ego sum redemptor tuus : *revertere,* ego sum consolator tuus. Et si hæc modica videntur, *revertere* ultimo, quia ego sum tam liberalis remunerator tuus. *Revertere* igitur ad me, ego sum qui te tam nobiliter creavi. *Revertere,* ego sum qui te tam misericorditer, per mortem meam amarissimam, de morte æterna liberavi. *Revertere* ad me, ego sum qui te bonis spiritualibus et corporalibus tam multipliciter ditavi. *Revertere* ultimo ad me, o anima, ego sum qui te jam per præparatam felicitatem tam liberaliter remuneravi. *Revertere,* inquit, a peccato cogitationis, *revertere* a peccato locutionis, *revertere* a peccato actionis, *revertere* a peccato assuefactionis. *Revertere* ad me, o anima : te sancti cum magno desiderio expectant, et ad tuum adventum angeli exultant. *Revertere* : vocat te expansis in cruce manibus Jesus Christus. *Revertere* : tuum reditum præstolatur totius Trinitatis abyssus. O anima, hæc fuit vox, si bene recolis, dilecti invitantis. Adverte nunc quæ fuerit longanimitas expectantis. O quanto tempore tuum adventum expectavit! heu, quanto tempore te in peccatis tuis toleravit! O quot et quanto ante tuam conversionem in peccatis damnavit, et te semper peccantem misericorditer expectavit! Revertere adhuc, o anima : Christus in cruce te expectans habet caput inclinatum ad te peccatricem et immundam deosculandam, habet brachia extensa ad amplexandam, manus apertas ad remittendum, corpus extensum ad se totum impendendum, pedes affixos ad tecum commanendum, latus apertum ad te in illud intromittendum. Esto ergo, o anima, jam columba nidificans in foraminibus petræ, in caverna maceriæ : pervola manus, pervola pedes, invola lateri : ibi tua requies, ibi secura quies. Hæc Bernardus. Hugo de Sancto Victore [2] : « O anima, si digne cogitare posses quot et quales in tui comparatione abjecti sunt, qui tibi datam gratiam consequi non meruerunt! Elegit ergo et præelegit te Sponsus tuus, elegit te in omnibus, assumpsit ex omnibus, amavit præ omnibus. An ignoras, quam feda prius fuisti, quam polluta et dissoluta prius extitisti? Ipse te lavavit lavacro regenerationis, pavit cibo dulcissimi corporis. Ipse tibi dedit vestimenta virtutum, quibus nuditatem tuam tegeres, et te adornares. Ipse contulit aromata bonorum operum, quibus fœtorem peccati effugares : dedit speculum Scripturæ, in quo faciem tuam agnosceres. » Hæc Hugo. O anima, vidisti longanimitatem expectantis ; jam nunc converte radium contemplationis ad benignitatem justificantis. Cogita diligenter, unde tibi post hæc omnia tam inæstimabilis gratia, ut ejus merearis esse sponsa, *in quem desiderant angeli prospicere* [3]. Bernardus : Quid ergo retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi? Tribuit enim tibi per gratiam ut sis socia mensæ, socia regni, socia thalami. Vide quibus brachiis a te sit amplexandus, quibus labiis deosculandus, qui te tanti æstimavit, ut te suo sanguine mundaret, et propter te somnum mortis acciperet.

Justificatio magnum est Dei beneficium

ANIMA.

Fateor jam et recognosco, experior et intelligo, me multo plura his a Deo meo recepisse, sed pro his omnibus nihil dignum beneficiis tantis Deo retribuisse. Unde ait Bernardus [4] : « *Misericordias Domini in æter-*

[1] *Cant.*, VI, 12. — [2] Hug., *de Arrh. Anim.*, post med. — [3] I *Petr.*, I, 12. — [4] Bern., serm. *de septem misericordiis*, seu in Dominica VI, post Pentec., serm. II, n. 3, quoad sensum.

num cantabo [1], quia septem in me misericordias factas considero, per quas suam inæstimabilem pietatem evidentissime recognosco. Primo, quod a multis peccatis me confirmavit (*a*). Secundo, quod me peccantem non statim damnavit, sed me prolongante iniquitatem, ipse prolongavit pietatem. [2] Tertio, quod cor meum immutavit, ut fierent ei dulcia, quæ prius erant amara. Quarto, quod me pœnitentem misericorditer recepit. [3] Quinto, quod continendi et emendandi mihi virtutem præstitit. Sexto, quod dedit mihi gratiam promerendi. Septimo, quod mihi tribuit spem obtinendi. » Dic mihi jam, o homo, propter divinam clementiam, quid pro his omnibus Domino meo tribuam, ne fiam indigna percipiendis, si ingrata fuero inventa de perceptis? Augustinus [4] : « Quid ergo retribuam Domino, nisi quod diligam et gratias agam, confitear et laudem dicam nomini suo æterno et benedicto, quoniam tam paratus est mihi dimittere mala, et tam inæstimabilia conferre bona? Gratiæ ejus deputo, quod peccata mea quasi glaciem solvit; gratiæ ejus deputo quæcumque mala non feci, et ideo omnia mihi reputo dimissa, quæcumque a me, ipso duce, non sunt commissa. » Hæc Augustinus in libro *Confessionum*.

HOMO.

O anima, scito quod quidquid tibi dilectus tuus contulit, quidquid propter te sustinuit, totum in charitate perpetua, qua te dilexit, consummavit. Unde, sicut æstimo, nec melius, nec decentius, quam per dilectionem retribuitur, quod ex sola dilectione condonatur.

ANIMA.

Eia, mi Domine, Deus meus, si hæc ita se habent, quantum ego infelix et misera diligere deberem Deum meum, qui [5] me creavit cum non eram, redemit cum perieram, et de multis periculis liberavit me : quando errabam, reduxit me; quando ignorabam, docuit me; quando peccabam, corripuit me; quando contristabar, consolatus est me; quando steti, tenuit me; quando cecidi, erexit me; quando ivi, duxit me; quando veni, suscepit me ! [6] Hæc et multa alia fecit mihi Deus, de quibus dulce mihi erit semper loqui, semper cogitare, semper gratias agere, utinam pro omnibus beneficiis, suis possem eum laudare et amare! Cum enim, secundum auctorem *de Spiritu et Anima* [7], cunctis sit (*b*) præsidens, singulos implens, ubique præsens, cunctorum curam agens, et tam singulis quam omnibus providens (*c*) : ita tamen totum ad custodiam meam occupatum video, quasi omnium oblitus fuerit, et mihi solum intendere velit. Sic enim præsentem se mihi exhibet, semper se paratum offert, si me paratum invenerit, ut quocumque me verto, non me deserat, nisi ego prius deseram eum. Nec pro his omnibus quod illi retribuam habeo, nisi tantum ut diligam. » Hæc auctor *de Spiritu et Anima*. Bernardus : O bone Jesu! quoties post immensas et innumerabiles lacrymas, quoties post varios singultus et gemitus, me sauciatam et jam pene desperantem unxisti unctione misericordiæ tuæ, et omnino pene deficientem excepisti gaudentem, nec dereliquisti de venia præsumentem ! Sed super hæc omnia mihi te, bone Jesu, amabilem non immerito reddit calix passionis quem bibisti, opus nostræ redemptionis quod suscepisti. Hoc enim est, quod totum amorem meum vindicat sibi; hoc est, quod meam devotionem blandius allicit, et justius stringit, et vehementius afficit. Etenim ubi te humiliasti, ubi te naturalibus radiis exuisti, ibi charitas plus effulsit, et gratia amplius radiavit. Hæc Bernardus. *Adjuro vos*, inquit anima in *Canticis* [8], *filiæ Hierusalem, si inveneritis dilectum, ut nuncietis ei, quia amore langueo*. Bernardus : Non operit (*d*) anima quem diligit,

[1] *Psal.* LXXXVIII, 2. — [2] Bern., ibid., n. 3. — [3] Ibid., n. 5. — [4] Cæt. edit. remittunt lectorem ad lib. III, *Confess.*, c. VII; sed nihil ibi simile. — [5] Ex lib. *Soliloq.*, c. XIII, et *de dilig. Deo*, c. IX, inter *Oper.* Aug., Append. tom. VI. — [6] *Soliloq.*, c. XIV, et *de Spir. et Anim.*, c. XVII, in eod. Append. — [7] Ibid. — [8] *Cant.*, V, 8. — (*a*) *Leg.* custodivit. — (*b*) *Cæt. edit. Bonav. deest* sit. — (*c*) *Cæt. edit.* prævidens. — (*d*) *Leg.* aperit.

quia præsentem omnibus credit, qui de corde suo non recedit. Augustinus [1] : Amo te, Domine, et « impatiens est amor, nec lacrymis sedatur, donec amori detur quod amatur. » Nihil ejus mœstitiam consolatur, quousque non aspicitur quod desideratur.

ANIMA.

Sed numquid, o homo, ille tenetur Deum diligere, qui se gaudet talia, qualia ego commisi, minime commisisse?

HOMO.

O anima, non te quisquam irrideat : ab eo ægram sanari oportet, a quo sibi præstitum est ut non ægrotare, vel forsan ut majores labores cautius evitaret. Et ideo Deum tantumdem, imo revera amplius diligat, quia per quem me videt tantis peccatorum meorum languoribus exui, per eum se videt tantis doloribus non implicari. Hæc Augustinus in libro *Confessionum*. Hieronymus : Sine amore charitatis, quamvis quisque recte credat, ad beatitudinem tamen venire non potest, quia tanta est charitas, ut etiam prophetia et martyrium sine illa nihil esse credantur. Nullum præmium charitati compensatur : charitas enim omnium virtutum obtinet principatum. Augustinus [2] : « Da mihi te, Deus meus, redde te mihi : amo te, et si parum est, amem validius. Non possum mentiri, ut sciam quantum desit mihi amoris tui ad id quod satis est, ut currat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur donec abscondatur in abscondito vultus tui. Hoc tantum scio, quod quale mihi est præter te, et omnis copia quæ Deus meus non est, mihi egestas est. » Hæc Augustinus.

ANIMA.

Quantum et quomodo Deus sit diligendus.

Nunc ergo, o homo, quia pro his omnibus dilectum dilectorem meum, ut dixisti, diligere debeo, dic, quæso, quantum aut quomodo ipsum diligam, quatenus sibi vicissitudinem tantæ dilectionis rependam?

HOMO.

O anima, quamvis secundum Bernardum [3], « causa diligendi Deum, Deus sit, modus vero diligendi eum, sit sine modo diligere ; » possumus tamen modum aliquem ex ipsis sacræ Scripturæ locis investigare. Ipse etenim qui tibi dilectionem tribuit, modum diligendi ostendit, quando dixit [4] : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua.* Dilige igitur, anima, amore singulari Deum Patrem, qui tam te nobiliter ex nihilo creavit; Deum Filium, qui te tam inæstimabiliter pro te moriendo reformavit; Deum Spiritum sanctum, qui te tam misericorditer et tam dulciter sæpius consolando a peccato conservavit, et in bono confortavit. Dilige igitur Deum Patrem fortiter, ut nullo alieno amore periculose vincaris; dilige Deum Filium sapienter, ut nullo alieno amore dolose seducaris; dilige Deum Spiritum sanctum dulciter, ut nullo alieno amore venenose inficiaris. Vel aliter, secundum Bernardum [5] : Disce a Christo, o anima christiana, quemadmodum debeas diligere Christum. Dilige dulciter, prudente, et fortiter. Dulciter, ut amore illius omnis amor alius tibi vilescat, et ipse solus sit tibi mel in ore, melos in aure, jubilus in corde. Dilige prudenter, ut amor tuus in eo solo, et in nullo alio, continue inardescat. Dilige fortiter, ut tua fragilitas omnia dura et aspera gaudenter pro ipso sustineat, ut dicas : Labor meus vix est unius horæ; et si amplius est, non sentio præ amore. Hæc Bernardus. Hieronymus : Ita Christianus per amorem in Christum jugiter intendat, ut omnia libenter propter ipsum sustineat, donec ad ipsum perveniat. Hæc Hieronymus [6] : « Amemus Christum, et ejus sem-

[1] Augustinus aliqua ex his habet in libro II. *Soliloq.*, c. I, in princ., *Oper.*, tom. I. — [2] August., *Conf.*, lib. XIII, c. VIII. — [3] Bern., *de dilig. Deo*, c. I, n. 1. — [4] *Matth.*, XXII, 37. — [5] Ex Bern., *in Cant.*, serm. XX, n. 4 et 5. — [6] Hieron., *ad Eustoch.*, epist. XXII, versus fin.

per quæramus inhærere amplexibus, et facile videbitur omne quod est difficile. » Ambrosius : O anima, semper in mente tua pertracta, quam dulciter Christus te dilexit in incarnatione, quam prudenter in conversatione, et quam fortiter in passione. Hugo[1] : « Nulla dilectio major, nulla charitas sincerior, nullus amor fortior ; mortuus est pro te innocens, nihil in te inveniens quod amaret. » Hæc Hugo de Sancto Victore.

ANIMA.

Dic, quæso, o homo : salva reverentia tua, non ex curiositate, sed ex humilitate, non ex præsumptione, sed potius ex devotione interrogo : et quid est quod amo, cum Deum meum amo ?

HOMO.

O anima, si tua quæstio esset præsumptuosa, tunc nimis esset vitiosa ; sed quia ex devotione originatur, devotam responsionem meretur. Audi ergo quid dicit ille magnus amator Dei Augustinus in libro *Confessionum*[2] : « Cum Deum, inquit, amo, non amo speciem aut decus, non tempus, non candorem lucis istius amicum oculis, non dulces melodias, non unguenta suaviter redolentia, non manna, non mella, non membra carnis amplexibus acceptabilia : non hæc amo, cum Deum amo. Sed quid amo? Amo lucem quamdam, quamdam vocem, quemdam odorem, quemdam cibum, quemdam amplexum interioris hominis mei : ubi fulget animæ, quod non capit locus ; ubi sonat, quod non capit tempus; ubi redolet, quod non spargit flatus ; ubi sapit, quod non minuit edacitas ; ubi hæret, quod non divellit satietas.

[1] Hug., *de Arrh. Anim.*, post med. — [2] Aug., *Conf.*, lib. X, c. VI, n. 8. — [3] Aug., *De Laud. Charit.* — [4] Bern., *De Duod. Grad. Humilit.*, c. II, n. 3. — [5] Id., *in Cant.*, serm. XIV, n. 4.

ANIMA.

Dic, quæso, o homo, vel paululum de charitatis virtute, qua cognita ad diligendum Deum fortius animus inardescat.

HOMO.

Revera, o anima, charitatis fructus magnus est, sed occultus. Ipsa enim, secundum Augustinum[3], in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus est fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissima, in hospitalitate liberalissima, inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima. Ipsa est inter opprobria secura, inter odia benefica, inter iras placida, inter insidias innocens, in iniquitate gemens, in veritate respirans. Hæc Augustinus, *de Laude Charitatis*. Bernardus : O felix amor, ex quo oritur strenuitas morum, puritas affectuum, subtilitas intellectuum, sanctitas desideriorum, claritas operum, fœcunditas virtutum, dignitas meritorum, sublimitas præmiorum et honorum. O dulcedo amoris, o felix amor dulcedinis, comedat te cor meum, et nectare tuo repleantur viscera animæ meæ. Hæc Bernardus. Idem[4] : « O anima, quam dulcis est cibus charitatis, qui fessos allevat, debiles roborat, mœstos lætificat ! Jugum namque veritatis facit suave, et onus ejus leve. » Idem[5] : « Fateor, Domine, non sustinui pondus diei et æstus, sed jugum suave et onus leve porto. Opus enim meum vix est unius horæ ; et si plus est, non sentio præ amore. » Sed quid plura ? Hugo de Sancto Victore : « O anima, tanta est vis amoris, ut talem te necesse sit esse, quale est illud quod amas. Et cui per affectum conjungeris, in ipsius similitudinem ipsa quodammodo dilectionis societate transformaris. » Hæc Hugo.

CAPUT II.

Quomodo anima per mentale exercitium debet radium contemplationis convertere ad exteriora, ut cognoscat quam instabilis sit mundana opulentia, quam mutabilis mundana excellentia, et quam miserabilis mundana magnificentia.

ANIMA.

Jam video, quoniam [1] « miser est omnis animus junctus amicitia rebus temporalibus, » quæ [2] « cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, cum dolore amittuntur. » Sed [3] « beatus est qui amat te, Domine, et inimicum propter te, et amicum in te : solus enim nullum charum amittit, cui omnes in te chari sunt : te vero nemo amittit, nisi qui te dimittit; qui autem te dimittit, quo vadit, nisi a te placido ad iratum? » Hæc Augustinus. Idem [4] : « O charitas quæ semper ardes, et nunquam extingueris, Charitas Deus meus, accende me. Jubes ut amem te : da quod jubes : et jube quod vis. » [5] « Jubes certe quod contineam a concupiscentia carnis, a concupiscentia oculorum, et ambitione sæculi. » Augustinus [6] : « Minus te, Domine, amat, qui aliquid tecum amat, quod propter te non amat. » Hieronymus [7] : « O homo, amemus Christum, et ejus semper inhærere quæramus amplexibus, et facile videbitur omne difficile. »

HOMO.

O anima, jam, ut video, recognoscis quam felix et quam beatus est [8], « qui in solo æternitatis desiderio per amorem figitur, qui nec prosperitate extollitur, nec adversitate quassatur, et dum nihil habet in mundo quod diligat, nihil est in mundo quod pertimescat. » Hæc Gregorius in *Moralibus*. Converte igitur, o anima, nunc radium contemplationis ad ea, quæ sunt juxta te, hoc est mundum istum sensibilem, ut ipsum, et ea quæ sunt in ipso, despicias, et eo despecto, amplius in amore Sponsi inardescas. Minus enim eum amas, si aliquid cum eo appetis, quod propter ipsum et in ipso non diligas. « Tanto enim, secundum Gregorium [9], quis ab illo superno amore disjungitur, quanto inferius delectatur; » et citius ad Deum convertitur, qui non habet in hoc sæculo, unde delectetur. Et secundum Glossam super *Exodum*, tanto quis ab inferiorum amore disjungitur, quanto ad sola æterna amanda sublevatur. « Cætera igitur creatura tibi vilescat, ut Creator tuus in corde solus dulcescat. » Augustinus. Volve igitur semper et revolve, non tantum ex auditis, sed etiam ex expertis; non tantum ex dictis, sed etiam ex factis, quam instabilis sit mundana opulentia, quam mutabilis mundana excellentia, quam falsa et mirabilis mundana gloria. Omne enim, secundum Gregorium, quod hic eminet, multo plus mœrore afficitur, quam honore gaudeat. Bernardus [10] : « Ecce hujus mundi amatores nundinas hujus sæculi perambulant, alii divitias, alii honores, alii gloriam quærentes. Sed quid de divitiis dicam, quæ cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, cum dolore amittuntur? Quid de honore referam? In loco sublimi positus es, numquid non eris judicandus ab omnibus, lacerandus ab omnibus? Numquid in honore sine dolore, in prælatione sine tribulatione, in sublimitate sine vanitate esse quis poterit? Quid de gloria dicam? Nihil aliud est nisi quædam vana aurium inflatio. Numquid et ipsa est sine judicio? Respice quos antecedis, et cogita quia omnibus invidiæ semina præbes. » Toties angelo apostatæ similis esse volo, quoties præesse desidero. Hæc Bernardus. Hieronymus : Nihil namque sæculo rebusque sæculi fugacius est, quas, cum tenere cupimus, amittimus. Vidisti imperatores, vidisti præfectos, vi-

[1] Ex August., *Conf.*, lib. IV, c. VI. — [2] Bern., *De quinque Negot. et quinque Region*, serm. XLII, n. 3. — [3] Aug., *Conf.*, lib. IV, c. IX. — [4] Ibid., lib. X, c. XXIX, n. 40. — [5] Ibid., c. XXX, n. 41. — [6] Ibid., n. 40. — [7] Hieron., *ad Eustoch.*, epist. XXII, versus fin. — [8] Gregor., *Moral.* lib. X, c. XII, al. XXI, n. 39. — [9] Greg., *in Evang.*, hom. XXX, n. 2. — [10] Bern., *de quinq. Negot. et quinq. Region.*, serm. XLII, n. 3.

disti exercitus, victorias et triumphos : heri fuerunt, hodie non sunt; heri quasi flos apparuerunt ; hodie quasi fœnum aruerunt. Nihil itaque bonum est, nisi quod perpetuum est. Hæc Hieronymus.

ANIMA.

O homo, si hæc ita se habent, quid est quod miseri homines quærunt, dum mundi vanitates appetunt? O quantum excæcati sunt, qui mundi gloriam quærunt! Gregorius : Nonnulli, dum quorumdam gloriam cernunt, magnum aliquid existimant, atque ut talia mereantur, exoptant. Cum vero eos morientes aspiciunt, eorum quam vana sit gloria cum gemitu fatentur, et dicunt : Ecce quam nihil est homo. Hæc Gregorius.

HOMO.

O anima charissima, et quid sunt mundana omnia, nisi quædam vana somnia? Et [1] *quid profuit superbia, aut divitiarum jactantia*, amatoribus suis? *Transierunt* enim *omnia tanquam umbra, et tanquam navis, quæ pertransiit fluctuantem aquam, cujus non est invenire vestigium. In malignitate* enim sua *consumpti* sunt. Heu! quamplurimi etiam nullum signum reliquerunt. Ubi sunt principes gentium, et qui dominati sunt super bestias, quæ sunt super terram, qui argentum thesaurizaverunt, et aurum congregaverunt, qui civitates et castra extruxerunt, reges et regna bellando devicerunt? *Ubi sapiens? ubi scriba? ubi inquisitor hujus sæculi* [2]*?* ubi Salomon sapientissimus? ubi Alexander potentissimus? ubi Samson fortissimus? ubi Absalom speciosissimus? ubi Assuerus gloriosissimus? Ubi Cæsares potentissimi? ubi reges? ubi principes inclyti? Quid profuit eis inanis gloria, brevis lætitia, mundi potentia, magna familia, carnis voluptas, divitiarum falsitas, concupiscentiæ suavitas? ubi risus? ubi lætitia? ubi jactantia? ubi arrogantia? Ecce generositas sanguinis, pulchritudo corporis, forma elegans, juvenilis decor, prædia, palatia immensa, supellex, adde et mundi sapientiam : de mundo sunt hæc omnia; et mundus, quod suum est, diligit; et tamen cum mundo non diu subsistunt. *Transibit* enim [3] *mundus et concupiscentia ejus.* Bernardus [4] : « Tu ergo, si recte sapis, si tecum lumen oculorum est, desine sequi quæ consequi miserum est, quæ possessa onerant, amata inquinant, et amissa cruciant. » Tu ergo relinque hæc omnia propter eum, qui est super omnia. Hæc Bernardus [5] : « Fuge ergo et confuge, o anima, ad urbem refugii, hoc est ad vitam religiosam, ubi possis de præteritis agere pœnitentiam, et in præsenti obtinere gratiam, et feliciter præstolari futuram gloriam. Non te retardet peccatorum conscientia, quia ubi superabundavit iniquitas, superabundare consuevit et gratia. Non pœnitentiarum austeritas ipsa te deterreat. *Non* enim *condignæ sunt* [6] *passiones hujus temporis* ad præteritam culpam quæ remittitur, ad præsentem gratiam quæ immittitur, et *ad futuram gloriam*, quæ promittitur. » Hæc Bernardus.

ANIMA.

Jam falsitatem et instabilitatem mundi agnosco; sed nescio quo vinculo detenta adhuc avertere mentem nequeo.

HOMO.

Certe, si diligenter, o anima, et prudenter periculum tuum, quod de mundo incurris, adverteres, proculdubio animum a sæculi vanitatibus cohiberes. Gravis enim et nimis periculosa est mundana conversatio, quia, secundum Bernardum [7] : « Periclitatur castitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc nequam sæculo. » O anima debilis et infirma, quæ tam facilis

[1] *Sap.*, v, 8-9-10, 13. — [2] I *Cor.*, I, 20. — [3] I *Joan.*, II, 17. — [4] Bern., epist. CIII, n. 2. — [5] Ex Bern., *de Convers. ad Clericos*, c. XXI, n. 37. — [6] *Rom.*, VIII, 18. — [7] Bern., ubi sup. prox.

es ad decipiendum, tam prona ad cadendum, tam difficilis ad surgendum, an ignoras, quod[1] « sicut difficile est arborem juxta viam positam fructus pulcherrimos usque ad maturitatem servare, sic difficile est hominem juxta sæculum viventem, justitiam immaculatam usque in finem conservare? » Hæc Chrysostomus. Item Augustinus in epistola quadam : Vincula hujus mundi habent asperitatem veram, jucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, plenam miseriam, nullam beatitudinem, et inanem spem. O anima, si hoc in mente portares, mundum et ea quæ in mundo sunt, contemneres. Et quid est, charissima, quod diligis? quid est quod appetis? quid est quod in mundo quæris? Si prælationem diligis, quid aliud facis, nisi quod vitam tuam confundis? An ignoras, quod[2] « monstruosa res est gradus summus et animus infimus, sedes prima et vita ima; lingua magniloqua, et manus otiosa; sermo multus, et fructus nullus; vultus gravis, et actus levis; ingens auctoritas, et nutans instabilitas. » Hæc Bernardus. Sed forte diceres : Prælationem quidem appeto, sed in ipsa bene et sancte vivere intendo. Laudo, sed raro, quod laudare valeam, invenio. Unde semper timeo quod dicit Gregorius in *Registro*[3] : « Ita sibi regentium et subditorum merita connectuntur, ut sæpe ex culpa præsidentium fiat deterior vita subditorum, et sæpe ex merito plebium delinquat vita pastorum. » Si sapientiam mundi quæris, o quanto periculo te committis! Bernardus : Heu, quot et quantos mundi maledicta sapientia supplantavit, et conceptum in eis divinum extinxit spiritum, quem vehementius Dominus accendi voluit! An ignoras, quod sapientia mundi terrena est, animalis et diabolica, inimica salutis, suffocatrix vitæ et mater cupiditatis? Hæc Bernardus. Augustinus : Qui sine Salvatore salutem vult quærere, et sine vera sapientia æstimat se prudentem fieri posse, non sanus, sed æger est, non prudens, sed stultus est, et in ægritudine laborat assidue. Qui enim crescit in scientia et non in bona vita, elongatur a Deo, sicut dicit Algazel. Tu ergo, si sapiens esse desideras, discas in terris, quorum scientia perseveret tecum in cœlis. Hæc Hieronymus. Hic studeas, qualiter ad ipsum pervenias, quem semel vidisse est omnia didicisse. Hæc est illa æterna veritas, sine qua omne sapere desipere est, quam solam cognoscere perfectum scire est. Augustinus[4] : « Infelix homo qui scit omnia alia, te autem (*a*) nescit. Beatus autem qui te scit, etiamsi aliena nesciat. Si autem te et alia novit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus. » Anselmus : Sed fortasse divitias mundiales, pompas sæculares, et delicias carnales, o anima mea, diligis, et propter hoc mundum invite derelinquis. Sed attende quod caduca et fragilia sunt hæc. Dic, ubi reges? ubi principes? ubi omnium prædictorum dilectores? Timeo quod multi ex ipsis, heu! exterminati sunt, et ad inferos descenderunt. *Quid* nunc eis[5] *prodest superbia?* quid *divitiarum jactantia?* Qui enim plus diligit mundum quam Deum, sæculum quam claustrum, gulam quam abstinentiam, luxuriam quam continentiam, sequitur diabolum, et ibit cum eo ad æternum supplicium. Augustinus : Qui florent felicitate sæculi, pereunt virtute Dei; florent ad tempus, pereunt in æternum; florent falsis bonis, pereunt veris tormentis. Idem : Si in hoc sæculo aliquid nos habere delectat, Deum, qui possidet omnia, expedita mente possideamus, et in ipso habebimus quidquid feliciter et sancte desideramus. Gregorius : Nec diviti obsunt opes, si eis bene utatur, nec pauperem egestas commendabilem facit, si inter inopias sordes

[1] Ex *Oper. imperf. in Matth.*, hom. XXXIX, ante med., inter *Oper.* S. Chrysost., tom. VI, p. 902. — [2] Ex Bern., *de Consid.*, lib. II, c. VII. — [3] Greg., *ad Mauric. patric., Epist.*, lib. VI, epist. VII, et *Moral.*, lib. XXV, c. XIV, al. XVI, n. 35. — [4] Aug., *Conf.*, lib. V, c. IV. — [5] *Sap.*, V, 8.

(*a*) *Suppl.* Deus.

peccati non caveat. Sed adhuc, o anima, invenies quod objicias, dicens : Mundum despicio, sed amicos, parentes et cognatos derelinquere non valeo. Frivola, o anima, est hæc objectio. Bernardus [1] : « Fidelis sermo et omni acceptione dignus. Si impium est contemnere patrem vel matrem, propter Christum piissimum est. » O dirum patrem, o sævam matrem, imo non parentes, sed peremptores, qui te malunt perire cum eis, quam regnare sine eis! Hieronymus [2] : « Licet sparso crine et scissis vestibus ubera, quibus te nutrierat, mater ostendat ; licet in limine pater jaceat : per contemptam matrem, per calcatum patrem perge siccis oculis, et ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est in his fuisse crudelem. » Chrysostomus : An ignoras, o anima, quod qui habet Jesum, habet patrem, et matrem, et omnem amicum? Quid sequeris mortuos? Sequere vivum, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos.

ANIMA.

Jam ex verbis tuis, o homo, perpendo, et ex multis experimentis cognosco, quod etiam mundus in seipso aruit. Sed adhuc, heu ! in multorum cordibus floret, qui amaritudines mundi diligunt, fugientem sequuntur, labentem amplectuntur. Dic quæ est tantæ cæcitatis ratio.

HOMO.

O anima, an ignoras, quod tam delicata et tam nobilis es a sponso tuo auctore omnium condita, quod sine dilectione esse non potes? Hieronymus [3] : « Difficile est humanam animam non amare : necesse est enim ut mens nostra ad quoscumque trahatur affectus. » Unde secundum Bernardum etiam oportet, quod aut in summis, aut in infimis delecteris. Igitur, secundum Gregorium in *Moralibus* [4], quia « sunt nonnulli, qui vitam suam negligunt, et (*a*) dum transitoria appetunt, et æterna non intelligunt, vel intellecta contemnunt, dolorem non sentiunt, dum vulnerati sunt. Unde, heu, se miseri in bonis esse putant, exilium quasi patriam diligunt, et in cæcitate quasi luminis claritate exultant. E contra electorum mentes, dum cuncta transitoria quasi nulla conspiciunt, ad quid sunt (*b*) conditæ, requirunt. Cumque eorum affectui nihil extra Deum sufficiat, in sola contemplatione Conditoris quiescunt, supernis interesse civibus appetunt, et adhuc in mundo positi extra mundum surgunt. » Hæc Gregorius. Idem, *super Ezechielem* [5] : « Dulcedo videtur esse in rebus humanis, sed eis qui nullam de cœlestibus dulcedinem experti sunt : quia dum mens humana minus æterna intelligit, tanto dulcius in temporalibus requiescit. Sed si quis jam cordis lingua gustaverit, quæ sit illa dulcedo cœlestium præmiorum, huic quanto dulcius fit quod intus videt, tanto magis in amaritudinem vertitur omne quod foris sustinet. »

ANIMA.

Ne quæso, o homo, procrastines mihi aliquid de mundano, et cœlesti gaudio edicere, quatenus utriusque natura perfectius cognita, unum verius despiciam, et ad alterum assequendum studiosius me extendam : quia puto quod, sicut bonum non amatur, nisi cognoscatur, ita malum non devitatur, nisi intelligatur.

HOMO.

O anima, æstimo quod mundanum gaudium (si tamen potest dici gaudium, et non potius flagellum incognitum) nunquam perfecte cognoscitur, nisi cum perfecte despicitur. Unde sicut a perfectis mundi contemptoribus traditur, mundanum gaudium potissime propter quinque contemptibile est ha-

[1] Bern., *ad Gualt. de Calvo monte*, epist. CIV, n. 3. — [2] Bernard., *ad Heliod.*, epist. I, longe a princ. — [3] Hieron., *ad Eustoch.*, epist. XXII, longe ante med. — [4] Greg., *Moral.*, lib. I, c. X, al. XXV, n. 34, paucis mutatis. — [5] Id., *in Ezech.*, lib. I, hom. X, n. 43.

(*a*) *Cæt. edit. deest* et. — (*b*) *Al.* ad quæ sint.

bendum. Primo, quod habet vilitatem in objecto. Quid enim est sæculi lætitia? Respondet Augustinus [1] : « Impunita nequitia, » id est luxuriari, inebriari, comessationibus vacare, vanitatibus intendere, et pro his in hac vita nihil mali sustinere. Putant enim mali se esse in deliciis, cum non corriguntur pro suis nequitiis. Et ignorant, quod, sicut dicit Augustinus [2], « nihil infelicius est felicitate peccantium, qua pœnalis infirmitas nutritur, et mala voluntas roboratur. » Secundo habet impuritatem in subjecto. Anima enim peccatis deformata, est subjectum mundani gaudii, quæ [3] *lætatur cum male fecerit, et exultat in rebus pessimis.* Unde bene dicit beatus Hieronymus, quod ridere et gaudere cum hoc sæculo, non est factum hominis sensari, sed phrenetici. Revera, o anima, cor mundum non cum hoc sæculo immundo, sed cum Deo et in Deo lætum est et jucundum. Tertio habet brevitatem in seipso, quia [4] *gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Hypocrita est hic mundus, cujus gaudium est ad instar puncti, quod nec latum, nec longum, nec altum est, nec profundum. Augustinus, *super Joannem* [5] : « Lætitia sæculi vanitas est : cum magno desiderio speratur, ut veniat; et non potest teneri, cum venerit.» O anima, quam brevis, quam fragilis, et quam caduca est mundana lætitia! *Breves* enim *dies hominis sunt*, ut dicit Job [6]. Quarto habent tristitiam in termino, quia [7] *ducunt*, heu, miseri *in bonis dies suos, et in puncto ad infernum descendunt.* [8] *Extrema* enim talis *gaudii luctus occupat.* Imo, o anima, si vales discernere, tale gaudium habet semper tristitiam admixtam in actu suo, quia semper necesse est quod [9] *præsumat sæva, perturbata conscientia.* An ignoras, o anima, quod non diutius perdurat lætitia quæ est in comedendo et bibendo, quam durat tristitia quæ est esuriendo et sitiendo? Sic est de omnibus aliis. Quinto habet miseriam magnam in affectu proprio, quia est spiritualis gaudii impedimentum. O anima, agnosce quam miser est hic mundus, et quam miserrimi qui sequuntur ipsum : semper enim mundana gaudia excluserunt homines a beata vita. Bernardus [10] : O quam « vilis est, quam inutilis est mundana consolatio, et quod plus est metuendum, quia veræ ac sanctæ consolationis est impedimentum! » Renuas igitur, o anima mea, in mundo delectari, si vis de Dei memoria consolari. Hæc Bernardus. Augustinus : Cætera creatura vilescat, ut Creator in corde dulcescat.

ANIMA.

Jam mundum despicio, jam falsam lætitiam, veram tristitiam, falsam dulcedinem, et veram mundi amaritudinem agnosco, et ob hoc non immerito hæc omnia secundum tuum consilium contemno. Sed quia, sicut asseris, sine dilectione esse non valeo, dic, quæso, quid agam? quo me convertam? ubi dilectionem convenientem inveniam?

HOMO.

O anima, si te ipsam perfecte cognosceres, ex tui cognitione mundum, et omnia quæ in mundo sunt, contemneres, et discere posses quam consolationem in tua dilectione affectare non immerito deberes. O anima, si te naturam cœlestem intelligeres, procul dubio terrenam consolationem abhorreres. Erubesce igitur consolari in cœno, quæ es de cœlo. Erubesce in imis delectari, quæ non potes nisi in summo satiari. Natura es, ut puto, cœlestis, et cœlestem consolationem, sicut æstimo, naturaliter, si carnalis insania permitteret, appetis et requiris. Bernardus : O quam dulce et delectabile esset, adjuncto divini amoris condimento, secundum naturam vivere, si carnalis insania nos permitteret, qua sanata statim naturalibus natura arridet!

[1] August., *de verb. Dom.*, serm. CXXXVI, al. CLXXI, n. 4. — [2] Id., *ad Marcell.*, epist. CXXXVIII, al. V, n. 13. — [3] *Prov.*, II, 14. — [4] *Job*, XX, 5. — [5] Aug., *in Joan.*, tract. V, n. 1. — [6] *Job*, XIV, 5. — [7] *Job*, XXI, 13. — [8] *Prov.*, XIV, 13. — [9] *Sap.*, XVII, 10. — [10] Bern., *in vig. Nativ. Dom.*, serm. IV, n. 1.

ANIMA.

Et quid est proprie secundum naturam vivere?

HOMO.

Propriissime secundum naturam vivere, est in terris cœlestem vitam ducere, ab exterioribus ad interiora redire, ad interioribus ad superna ascendere, et facere omnia secundum nobilissimum quod in homine præcellens, hoc est secundum intellectum. Hæc Philosophus, IV *Ethicorum*.

ANIMA.

Potestne aliquis in terris, et in hac lacrymarum valle, cœlestem vitam ducere?

HOMO.

O anima, si de meis verbis tanquam hominis peccatoris dubitas et miraris, audi Augustinum et apostolum Paulum. Ecce quid dicit Augustinus : Cum æternum aliquid per cognitionem et amorem capimus mente, jam non in hoc mundo sumus. Unde est quod dicit Apostolus [1] : *Nostra conversatio in cœlis est.* O anima mea, puto igitur, quod verius es ubi amas, quam ubi animas, quia quidquid diligis, ipsa dilectionis vi in ejus similitudinem transformaris. Si ergo cœlestia contemplaris, si cœlestia diligis, quomodo jam non in cœlis commoraris, quæ cœlestibus spiritibus in vita assimilaris?

ANIMA.

Heu, heu! jam me infelicem et miseram, miserabiliter multo jam tempore excæcatam sentio, quæ tanto tempore per cognitionem in temporalibus et terrenis rebus oberravi, mundanis et vilibus me per amorem alligavi, de quibus paucam consolationem, multam vero amaritudinem et desolationem, modicam et valde exilem lætitiam, sed variam et sæpe magnam cordis tristitiam sumpsi. Dic ergo jam, quæso, o homo, quæ est cœlestis consolatio, et si quo modo possem ad ipsam pertingere in hac valle lacrymarum et miseriæ? Quid est quod in Deo meo invenio, cum tam libenter et tam faciliter omnia propter ipsum contemno, cum dico intra meipsum cum gaudio [2] : *Deus cordis mei, Deus pars mea in æternum*? Quid est quod in illa brevissima hora in dilecto meo degusto, cum omnia dura et amara et aspera gaudenter et hilariter propter ipsum sustinere totis viribus concupisco, et dico [3] : *Mihi adhærere Deo bonum est;* et [4] : *Quis me separabit a charitate Christi?*

HOMO.

Secundum Bernardum [5], o anima, « hæc consolatio nihil aliud est, quam gratia quædam devotionis, procedens de spe veniæ, et gustus boni licet exiguus, et suavissima quædam delectatio, qua benignus Deus afflictam recreat animam, qua anima ad Deum requirendum invitatur, et ad divinum amorem accenditur vehementer. » Hugo de Sancto Victore : O anima, quid, putas, est tam dulce et tam suave, quod in recordatione dilecti devotas animas solet tangere, et tam suaviter afficere, ut jam totaliter a seipsis alienari incipiant? Exhilaratur conscientia, et in oblivionem venit omnium dolorum memoria. Exultat animus, clarescit intellectus, cor illuminatur, affectus jucundatur. Jam nesciunt ubi se esse conspiciunt, et quasi amplexibus amoris aliquid intus tenent, et nesciunt quid sit, et tamen totis viribus tenere concupiscunt. Luctatur quodammodo delectabiliter animus, ne recedat ab eo, quasi in eo finem omnium desideriorum invenerit. Hæc Hugo. Bernardus [6] : Nonnunquam quasi clausis oculis, bone Jesu, ad te inhianti mittis mihi in os cordis, quod non licet mihi scire quid sit. Saporem

[1] *Philip.*, III, 20. — [2] *Psal.* LXXII, 26. — [3] Ibid., 28. — [4] *Rom.*, VIII, 35. — [5] Bern., *in fest. omn. Sanct.*, serm. I, n. 10. — [6] Imo Guillelm. abb. S. Theodorici, *de amando Deo*, c. IX, n. 20, inter spuria S. Bern., *Oper.*, tom. II. p. 242, edit. 1690.

quidem sentio, dulcedinem adeo (*a*) confortantem, quæ si perficeretur in me, nihil ultra quærerem. » Nonne hic est jubilus cordis? Gregorius [1] : « Jubilus dicitur ineffabile mentis gaudium, quod non abscondi, non sermonibus aperiri potest; sed tamen quibusdam motibus aperitur, licet nullis proprietatibus exprimatur. Unde Psalmus [2]: *Beatus populus qui scit jubilationem.* Non dicit, Qui loquitur; sed, *Qui scit* : quia jubilus (*b*) quidem sciri potest intellectu, sed dicto seu verbo exprimi non potest. » Bernardus [3] : « Istum autem gustum cum accipio, nullo corporis visu, nullo animæ sensu, nullo spiritus intellectu advertere me sinis quid sit. Cum accepero et ruminare volo, et dijudicare ejus saporem, statim transit dulcor ejus. Deglutio quidem illud quidquid est, in spe vitæ æternæ, sed operationis ejus virtutem diu ruminando, omnibus animæ venis et medullis quasi vitalem quemdam succum optabam infundere, ut ab omnibus aliis affectibus desiperet, et illud solum saperet. Sed festinat transire [4], et cum de inquisitione vel acceptione ejus vel visu formata quædam lineamenta memoriæ gestio arctius impressa committere, vel etiam memoriam labilem scripto juvare, experimento cogor dicere id evangelicum [5]: *Nescis unde veniat, aut quo vadat.* » Hæc Bernardus [3]. Quæ putas, o anima, est tam dulcis tamque suavis delectatio? certe hæc est consolatio divina.

ANIMA.

O homo, quis mihi hoc tribuat, ut hæc tam inexperta consolatio in cor meum perveniat, ut malorum meorum obliviscar, ac mundanam consolationem despiciam, et a me ipsa feliciter alienari incipiam?

HOMO.

O anima, magnum est quod desideras; inæstimabile donum est, quod exoptas. Unde, ut æstimo, humano studio non potest obtineri, humano merito vix potest promereri; sed a Deo humilibus precibus, et a digne dispositis ex sola divinæ pietatis condescendentia vix potest impetrari. *Omne* enim [6] *aurum in comparatione illius arena est exigua, et argentum illi comparatum tanquam nihilum reputatur.*

ANIMA.

O homo, dic, rogo, qualis debet esse dispositio, qua ordinari debet ad impetrandum orantis affectio?

HOMO.

De hac materia multum posset dici ab expertis; sed quia inexpertum me esse recognosco, etiam pauca me dicere erubesco. Unde timeo, ne dicatur contra me : Quare tu enarras, quod non degustas? quare tanquam indignus laudas quod ignoras?

ANIMA.

O homo, noli timere, cum reverentia et humilitate, quæ audisti et legisti, devote proponere. Multi enim de rebus magnis et arduis aliis utiliter proposuerunt, quod non de propria experientia, sed aliorum scientia didicerunt.

HOMO.

Jam cum aliqua audacia loquar : nam vires quas imperitia denegat, charitas subministrat. Unde, sicut sentio, sic refero. Puto, salvo meliori judicio, si vis te ad hanc cœlestem dulcedinem degustandam præparare, debes esse depurata, exercitata et elevata. In primo hæc cœlestis dulcedo odoratur; in secundo degustatur; et in tertio aliquando usque ad ebrietatem sumitur et potatur. Primo dico quod debes esse depurata a peccatis, ab affectionibus inordinatis, a temporali consolatione, et a creaturarum inordi-

[1] Greg., *Moral.*, lib. XXIV, c. v, al. VI, n. 10. — [2] *Psal.* LXXXVIII, 16. — [3] Imo Guillelm. abb., ubi sup., nonnullis additis. — [4] Ibid., n. 21. — [5] *Joan.*, III, 8. — [6] *Sap.*, VII, 9.

(*a*) *Al.* dulcem adeo et. — (*b*) *Al.* jubilatio.

nata dilectione, quia, secundum Bernardum [1], « errat omnino, si quis illam cœlestem dulcedinem huic cineri, divinum illud balsamum huic venenoso gaudio, charismata illa Spiritus sancti, hujus sæculi illecebris misceri posse arbitratur : » sed postquam a talibus anima fuerit purgata, lacrymosis gemitibus depurata, et candidata dolorosis fletibus : quia dignum est, sicut dicit Augustinus, quod mens illa semper in se dolores inveniat, quæ derelicto Creatore semper in se et in creatura gaudia quærebat. Pulchre igitur Gregorius in *Moralibus*, super illo verbo Job [2] : *Antequam comedam, suspiro,* dicit [3] : « Comedere animæ est, supernæ lucis contemplationibus pasci. Suspirat ergo antequam comedat, quia qui se in hoc exilio per desideriorum cœlestium lamenta non humiliat, æternæ patriæ gaudia non degustat. A veritatis enim pabulo jejuni sunt, qui in hac peregrinationis inopia lætantur. » Secundo debet mens esse exercitata in bonorum perpetratione, et in malorum perpessione. [4] *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur,* quia quos amor veritatis afficit, refectio consolationis pascit. Bernardus : O bone Jesu, quoties post innumerabiles lacrymas et gemitus sauciatam animam meam unxisti unctione misericordiæ tuæ, et nonnunquam pene desperantem excepisti, consolatam et de venia præsumentem dereliquisti! Ecce quomodo pretium rerum honestarum in ipsis est. Unde revera quamvis in initio [5] *arcta sit via quæ ducit ad vitam*, processu tamen temporis inæstimabilis dilectionis dulcedine dilatatur. O igitur quam beata consolatio, quæ divinitus infunditur laborantibus pro Christo! Tertium in quo anima inebriatur hac dulcedine, est mentis elevatio, quando feliciter animus a terrenis abstrahitur, et miro quodam modo supra seipsum, supra mundum, imo super omnem creaturam elevatur, ut jam dicere possit anima [6] : *Introduxit me rex in cellaria sua.* Hæc est illa cella vinaria, in qua introducitur anima, ubi bibit de vino condito inæstimabilis deitatis, et de lacte albissimo incontaminabilis humanitatis. O anima, hinc bibunt amici, sed inebriantur charissimi. O felix ebrietas, quam sequitur mentis et corporis tam casta et sancta sobrietas! Hinc efficitur anima more ebrii gaudens et lætabunda in adversis, fortis et secura in periculis, prudens et discreta in prosperis, liberalis et pia in condonandis injuriis, et tandem quieta et somnolenta recumbens in amplexibus divinis, cum læva sponsi sponsam sub capite amicabiliter sustentat, et dextera dilecti dilectam familiariter amplexatur.

ANIMA.

O homo, confiteor cum humilitate et cum reverentia, quod accidit mihi aliquando, licet, heu! perraro, quod cum magna violentia circa conversionis meæ primordia, animum a terrenis abstraxi, et ad cœlestia contemplanda cum conatu nimio elevavi. Intravi cum tremore, circumspexi cum rubore, vidi choros angelorum, palatia et gaudia patriarcharum et prophetarum, apostolorum aspexi tabernacula, et martyrum convivia, virginum et confessorum solatia, eleemosynam videlicet alicujus consolationis a singulis petii, micas decidentes de mensa dominorum desideravi, nec obtinui. Sed, quod auditu lamentabile est, mox ab omnibus ut peregrina et incognita repulsa fui. Quid ergo profuit mihi laboriosa mentis elevatio, quam nulla secuta fuit consolatio?

HOMO.

O anima, non fuit sine causa repulsio hæc tam desolatoria. Puto quod hæc fuit causa, quia voluisti esse socia consolationis, antequam fuisti socia passionis : voluisti esse particeps remunerationis, antequam imitatrix virtutis. Satage ergo primo esse socia angelorum per puritatem et innocentiam,

[1] Bern., *in Ascens. Dom.*, serm. v, n. 13. — [2] *Job*, III, 24. — [3] Greg., *Moral.*, lib. V, c. VII, al. VIII, n. 14. — [4] *Matth.*, v, 5. — [5] *Matth.*, VII, 14. — [6] *Cant.*, I, 3.

socia patriarcharum et prophetarum per humilitatem et fidei confidentiam; stude esse filia apostolorum et martyrum per charitatem et patientiam, confessorum et virginum per pietatem et continentiam : et tunc audacter in hoc exilio, saltem cum filio prodigo, pii patris eleemosynam obtinebis.

ANIMA.

O homo, jam quam vana et insipida sunt omnia transitoria agnosco, et ob hoc mundum despicio, consolationem sæculi vilipendo, mundana quoque gaudia sicut venena mortifera fugio et contemno, vitam etiam præteritam quasi mortuam plango, et mentem meam miseram gemitibus et fletibus abluo et repurgo; et si aliquando inter lacrymas et gemitus odorem divinæ suavitatis vel modicum sentio, adhuc tamen cibum angelorum et vinum amicorum, infelix et misera, jejuna et sitibunda non degusto. Bernardus : Non accessit adhuc, Domine Deus meus, cor meum ad multitudinem dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te. Foris enim ejus odore utcumque sustentor, quod est mihi super odorem balsami, cunctique generis suavia odoramenta. O Domine Deus, si tam nobilis est odor, quam dulcis est tuæ dulcedinis sapor? Si tantæ virtutis est modica degustatio, quantum jucunditatis habet felix inebriatio? O quis mihi det ut venias in cor meum, et inebries illud vino tuo, et amplectar te, Deus meus?

HOMO.

Secundum Augustinum, o anima devota, loquar : salva reverentia, nimis estis avara, et utinam non præsumptuosa! Vires vestras perpendite, merita considerate, virtutes discutite : et tunc si placet, sufficiat vobis magis in odore divinorum unguentorum cum adolescentulis humiliter currere, quam præsumptuos e super merita postulare.

ANIMA.

O homo, quam durus et onerosus es mihi miseræ animæ consolator, quam parcus, si fas est dicere, divinæ bonitatis es dispensator! Audacter dico, tacere non valeo, mihi odor non sufficit, modicus gustus plene non reficit, sed afficit; ebrietatem affectus mens appetit et requirit. Scio qui dicit [1] : *Bibite, amici, et inebriamini, charissimi.* Si deprimit indignitas petentis, spem tamen erigit pietas promittentis. O homo, quomodo dubitare valeo, quin paratus sit dare bona sua, qui pro me non dedignatus est pati mala mea? An ignoras, qui multos de Dei pietate docuisti, quod de beato Augustino didicisti, sic dicente : Erubescat humana pigritia : plus vult Deus dare quam audeat homo postulare? Idem, *de Vera Religione :* Deus dedit nobis pignus spiritus, in quo sentiamus ejus dulcedinem, et degustemus ipsum fontem vitæ, in quo sobria ebrietate irrigemur, *tanquam lignum* [2] *quod plantatum est secus decursus aquarum.* Chrysostomus : Nil omnipotentiam Dei clariorem reddit, quam quod omnipotentes facit eos, qui sperant in eo : nam Deo per spem innixum animum nulla fraus, nulla illecebra, poterit vel stantem dejicere, vel durantem superare. Erubescat nunc humana desperatio, et maledicta sit pusillanimitatis trepidatio, quæ divitem et nimis liberalem in omnes qui invocant illum, æstimat illis qui spem perfectam ponunt in illum, sua posse beneficia denegare. Numquid non Pater æternus, *apud quem* [3] *nulla est transmutatio*, ex sola liberalitatis immensitate Filium suum misit, in quo dedit totum quod habuit, totum quod potuit, totum quod ille fuit? Si vero sua liberalitas suam infinitam bonitatem modo diminueret, forsan non immerito nostra infirmitas trepidaret. Sed quia ex seipso, non ex accidenti bono, bonus est, ex suæ bonitatis communicatione non diminuitur, ex alienæ bonitatis additione non augetur.

HOMO.

Anima, magna est fides tua, valde fortis

[1] *Cant.*, v, 1. — [2] *Psal.* 1, 3. — [3] *Jac.*, 1, 17.

es in spe et confidentia. Et quamvis spes quæ procedit ex meritis propriis et divinæ clementiæ confidentia, meritoria sit, laudabilis et sancta, consulo tamen sane antequam ad quærendam ebrietatem supra te ascendas, prius per tui considerationem salubriter infra te descendas, ut discas tuum Sponsum reverenter timere, antequam incipias suum (*a*) secretum cubiculum introire : quem non solum timere debes cum irascitur, verum etiam cum suavissime et delicatissime blanditur.

CAPUT III.

Qaomodo anima per mentale exercitium debet radium contemplationis convertere ad inferiora, ut intelligat humanæ mortis inevitabilem necessitatem, judicii finalis formidabilem austeritatem, pœnæ infernalis intolerabilem pœnalitatem.

ANIMA.

Dic, quæso, o homo, breviter, quæ sint illa inferiora, ad quæ mea consideratio est convertenda? Ascendere festino, ebrietatem divinæ consolationis quæro, in inferioribus diu morari non valeo. Jam *dilecta tabernacula tua*, *Domine virtutum* [1], desidero, *habitare in atriis Domini* totis viribus concupisco.

HOMO.

Hæc inferiora sunt, o anima mea, ut te convertas, et videas mortis inevitabilem necessitatem, et ingemiscas divini judicii infallibilem æquitatem, sive veritatem, et contremiscas pœnarum infernalium intolerabilem asperitatem, et expavescas. Considera igitur frequenter, volve et revolve diligenter, quod mors non potest declinari, quod hora mortis non potest investigari, quod tempus a Deo præordinatum non potest immutari. Isidorus [2] : « In rebus humanis nihil certius morte, nihil incertius hora mortis. Non miseretur inopiæ, non reveretur potentiam, non respicit morum aut generis excellentiam, non parcit juventuti vel ætati; senibus est in januis, juvenibus in insidiis. »

Mors semper meditanda.

ANIMA.

Audio quod nostrum vivere nihil aliud est, quam ad mortem transire. Cur temporalia diliguntur, quæ tam incerto tempore possidentur? Cur tanto tempore vitam istam desideramus, in qua quanto amplius vivimus, tanto plus peccamus; quanto vita longior, tanto culpa numerosior? Quotidie namque crescunt mala, et subtrahuntur bona. Quis enim considerare valeat, quanta mala per momenta temporum perpetramus, et quanta bona negligimus? Gravis siquidem culpa est, cum nec bona facimus, nec bona cogitamus, sed mentem per inania et inutilia vagari permittimus.

HOMO.

Sicut dicit Gregorius [3] : « Carnales mentes, o anima, idcirco temporalia diligunt, quia, vita carnis quam fugitiva sit, minime perpendunt. Nam si velocitatem transitus ejus aspicerent, hanc etiam prosperitatem modice duraturam minime amarent. » Idem [4] : « Vita mea naviganti similis est : sive dormiam, sive vigilem, semper vado festinus ad mortem. » O vita præsens, quam multos decipis, quæ dum fugis, nihil es; dum videris, umbra es ; dum exaltaris, fumus es ! Dulcis es stultis, amara sapientibus ! Qui te amant, non te cognoscunt; qui te fugiunt, ipsi te intelligunt. Aliis te promittis longam, ut decipias ; aliis brevem, ut in desperationem inducas. Auctor *de Spiritu et Anima* [5] : « Jugi meditatione animum nostrum exerceamus, et miserias nostras consideremus. Cum dolore vitam istam intravimus, cum labore vivimus, cum timore exituri sumus. » Bernardus [6] : « Quotquot degimus in hac regione umbræ mortis, in infirmitate corporis, in conflictu et in loco

[1] *Psal.* LXXXIII, 2. — [2] Est apud Bern., serm. *de Convers. ad Cleric.*, c. XIV, et citatur ex Bernardo, *Pharet.*, lib. III, c. XLVIII, sup., tom. VII, p. 169. — [3] Greg., *Moral.*, lib. VIII, c. VI, al. X, n. 25. — [4] Id., Regist., *ad Andr. Scholast.*, lib. VI, epist. XXVI. — [5] *De Spir. et Anim.*, c. XLIX, inter *Oper.* August., Append., tom. VI. — [6] Bernard., *de Adv. Dom.*, serm. VII, n. 1. — (*a*) *Edit. Ven.* tuum.

tentationis, si diligenter advertimus, triplici incommodo miserabiliter laboramus. Faciles enim sumus ad seducendum, debiles ad operandum, et fragiles ad resistendum (*a*). »

ANIMA.

Non multum curandum quamdiu, sed quam bene vivatur.

Jam video quod inutiliter in hoc tempore vivitur, nisi festinetur ad comparandum meritum quo in æternitate vivatur. Ideo non esset curandum quamdiu esset vivendum, sed potius quam bene in hac vita operandum : quia etsi alicui, quod bene vivat, condonetur, tamen, ut diu vivat, certum est quod nulli conceditur. Bernardus [1] : « Est igitur vita secura, ubi conscientia pura, ubi mors sine formidine expectatur, cum dulcedine adesse optatur, et cum devotione acceptatur. »

HOMO.

O anima, si hæc ita se habere intelligis, audi consilium meum, et in hac vita, quandiu durat, compara tibi vitam illam quæ semper durat. Dum vivis in carne, morere mundo, ut post Deo vivere incipias. Bernardus [2] : « Intellige, quod venientem mortem nullus lætus et hilaris suscipit, nisi qui se ad ipsam, dum viveret, bonis operibus præparavit. » Attende quod, secundum Senecam [3] : « Insipiens, id est, peccator et criminosus, moriendo mortem incipit; sed sapiens et virtuosus moriendo mortem vincit. »

ANIMA.

O homo, video quod bonorum mors est beata, mors vero peccatorum infelix et misera.

HOMO.

O anima, secundum Bernardum [4] : « Bona est justi mors propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem. E contra [5] *mors peccatorum pessima,* et bene pessima : mala in mundi amissione, pejor in carnis separatione, sed pessima in duplici vermis et ignis contritione, » et quod omnium pessimum est, in divinæ contemplationis privatione.

ANIMA.

Jam satis de morte dixisti; dic modo de statu finalis judicii.

HOMO.

De fin judicio

O anima, facio quod hortaris; sed rogo, audi cum patientia. Scire debes quod, quamvis de morte meditari sit horribile, de statu finalis judicii cogitare, ut æstimo, non minus est formidabile, quia nullus tunc poterit fallere sapientiam, flectere justitiam, inclinare clementiam, declinare ultionis et justæ retributionis sententiam. Bernardus : Considera igitur, anima mea, cum tremore, quid erit de te in die novissimo, quando contra te de cogitationibus loquetur conscientia, quando te de tuis actionibus omnibus accusabunt elementa, quando contra te crux Christi portabitur in testimonium, quando verbera ipsius contra te clamabunt, vulnera ejus allegabunt, clavi loquentur, cicatrices conquerentur. O angustiæ! [6] « Hinc erunt peccata accusantia, inde terrens justitia, intus urens conscientia, subtus horrendum chaos inferni, supra judex iratus justi judicii, foris mundus ardens, intus justitia judicantis terrens. Et si justus vix tunc salvabitur, impius et peccator ubi apparebunt? in quam partem se prement? Latere erit impossibile, apparere intolerabile. » Anselmus in *Meditationibus* [7] : « O anima peccatrix, lignum inutile et aridum, æternis ignibus deputatum, quid respondebis in illa die, quando exigetur a te usque ad ictum oculi omne tempus tibi impensum, qualiter sit a te expensum? Eia, eia, anima

[1] Bern., *ad Milit. Templ.*, c. I, n. 2. — [2] Inter *Sententias* Bernardi. — [3] Senec., epist. XXX, post med. — [4] Bern., *ad Roman.*, epist. CV. — [5] *Psal.* XXXIII, 22. — [6] Hæc desumpta ex lib. *De interiori domo*, c. XXII, n. 46, inter spuria Bernard. *Oper.*, tom. II, col. 353, edit. 1690. — [7] Anselm., *De Miseria hominis*, circa med.

(*a*) *Ita Mabill.; cæt. edit. Bonav.* debiles ad resistendum, et fragiles ad operandum.

mea, quid tunc erit de cogitationibus vanis et otiosis, de verbis levibus jocosis et ridiculosis, de operibus inutilibus et infructuosis? Ambrosius, *super Lucam* [1] : « Væ mihi, si peccata mea non deflevero : væ mihi, si media nocte ad confitendum tibi non surrexero. Jam securis ad arborem posita est : faciat fructum, qui potest, fructum quidem (*a*) pœnitentiæ. O anima, sive vigiles, sive dormias, semper in auribus tuis illa horribilis tuba resonet : *Surgite, mortui, venite ad judicium.* O anima, nunquam excidat a tua memoria [2] : *Ite, maledicti, in ignem æternum.* — *Venite, benedicti, percipite regnum.* O quid potest lamentabilius et terribilius cogitari, quam : *Ite?* et quid delectabilius exprimi, quam : *Venite?* Duæ sunt voces, quarum nihil horribilius una, et nihil jucundius altera poterit audiri. O anima, separa te modo a mundo, ut tunc possis manere cum Christo. Fuge modo mundum, ut sequaris Deum. Declina modo pravorum societates et consortia, ut tunc valeas sequi beatorum agmina. Post hæc omnia, converte radium contemplationis ad reproborum tormenta; vide quam sint varia, quam aspera, quam intolerabilia. Bernardus, *ad Eugenium* : Ego horreo vermem mordacem, et mortem vivacem. O [3] « gehennalis regio fugienda, ubi est ignis ardens, frigus rigens, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, et mallei percutientes, umbræ palpabiles, confusio peccatorum, innodatio vinculorum, horribiles facies dæmonum! » Augustinus in quodam sermone : Væ illis quibus præparabitur dolor vermium, ardor flammarum, sitis sine potu, fletus et stridor dentium, lacrymæ oculorum, ubi mors optatur, sed non dabitur, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. [4] « Quis, putas, tunc erit mœror, quæ tristitia, quis luctus, quando separabuntur iniqui a consortio justorum, et tradentur potestati dæmonum, et ibunt cum eis in supplicium æternum, ibique semper erunt sine fine in luctu, planctu et gemitu, procul a gaudiis paradisi, nunquam refrigerium suscepturi, sed per multa millia annorum cruciandi, nunquam tamen, heu! miseri, liberandi? Ibi torquens et puniens non fatigabitur, ibi qui torquetur nunquam morietur. Sic enim ignis ille consumet, ut vitam tamen semper servet : sic vetera tormenta patientur, ut semper innoventur : » sic sine spe veniæ et misericordiæ semper vivent, ut tamen moriantur; sic morientur, ut tamen nunquam consumantur.

De infernali pœna.

ANIMA.

O homo, quare in inferno, ut dicis, mors quæritur et non invenitur? et quare punitur æternaliter, quod committitur temporaliter.

HOMO.

Quia secundum Gregorium [5], « quibus in hoc sæculo vita offertur, et nolunt accipere, in inferno qnærent mortem, et non poterunt invenire. » Idem [6] : Iniqui libenter voluissent sine fine vivere, ut potuissent sine fide in iniquitatibus permanere. Ad districti ergo judicis justitiam pertinet, ut nunquam careant supplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato. Hieronymus : O mors, quam dulcis esses, quibus tam amara fuisti! Te solummodo desiderant, qui te tam vehementer odiebant. O anima, si hæc prædicta videntur tibi terribilia, audi quæ sunt his omnibus graviora. Chrysostomus super Matthæum : Si mille gehennas mihi proponas, non tantum reputo, sicut ab illius gloriosæ societatis jucunditate expelli, et exosum fieri Creatori. O anima, terribilis est gehenna, sed terribilior facies judicis irata; sed quod omnium vincit terrorem, est a beatissimæ et jucun-

Carentia visionis divinæ excedit alias pœnas inferni.

[1] Ambros., *in Luc.*, lib. II, n. 76. — [2] *Matth.*, XXV, 41, 34. — [3] Bern., *de quinq. Negoziation.*, serm. XLII, de divers., n. 6. — [4] Hoc ex lib. *Medit.*, c. III, n. 10, inter spuria Bern., *Oper.*, tom. II, col. 324, edit. 1690. — [5] Habentur hæc inter Aug. *Oper.*, serm. CCLII, *de Tempore*, al. CCXXIX, n. 4, in Append., et citantur in *Pharet.*, lib. III, c. I, sup., tom. VII, p. 171. — [6] Greg., *Dialog.*, lib. IV, c. XLIV, ante med.

(*a*) *Apud Ambros. legitur* qui potest gratiæ, qui debet.

dissimæ Trinitatis contemplatione elongatio æterna. Chrysostomus : Excludi a bonis æternis, et alienum effici ab his quæ præparavit Deus diligentibus se, tantum generat cruciatum, ut si exterius nulla pœna torqueret, hæc sola sufficeret, et melius esset mille millia flammarum sustinere, quam Christi faciem mansuetissimam iratam videre, et ab ipsa æternaliter discedere. O ! si Deus sic egit cum angelo superbiente, quid de te erit terra et cinere ? Ille superbivit in cœlesti palatio, ego autem in sterquillinio. Quis non tolerabiliorem in divite superbiam, quam in paupere asserit ? Væ mihi ! si tam dure et potenter est punita superbia in angelo, qualiter in me misera et paupercula est judicanda ? O pie Jesu, propter nomen tuum fac mecum misericordiam, et obliviscere superbum provocantem, respice miserum humiliter invocantem, et recognosce benignissime quod est tuum, absterge quod est alienum. Miserere, Domine, dum est tempus miserendi, ne damnes in tempore judicandi. Verum est, quod conscientia mea meruit damnationem, pœnitentia non sufficit ad satisfactionem. Sed certum est, quod tua misericordia omnem superat offensionem. Hæc Anselmus in *Meditationibus*. Augustinus [1] in *Meditationibus* : « Noli, Domine, sic attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum. O bone Domine, si ego admisi unde me damnare potes, tu non amisisti unde salvare soles. » Gregorius, in *Homilia* [2] : « O si homo intelligere posset, quid admirationis habet [3] : *Ecce sponsus venit ;* quid dulcedinis : *Quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias ;* quid amaritudinis : *Et clausa est janua !* » O anima, quid plura ? Prosper, *de Vita contemplativa* [4] : « Cogita quantum sit malum a facie Christi separari, ab illo gaudio divinæ contemplationis excludi, beatissima sanctorum omnium societate privari, mori vitæ æternæ, et vivere morti sempiternæ, profundo fluctuantis gehennæ immergi, edacissimis vermibus in æternum dilaniari, nec finiri tribulationes, incendii fluctuantis strepitus pati (*a*), barathri fumigantis amara caligine oculos obcæcari, non sentire quod illuminat, sed sentire quod cruciat. » Hæc Prosper. Augustinus : Tanta erit in inferno vis doloris, ut se non ferat alias intentio cogitationis.

[1] Imo auctor *Meditat.*, c. XXXIX, inter *Oper.* Aug., Append. tom. VI. — [2] Greg., *in Evang.*, hom. XII, n. 4. — [3] *Matth.*, XXV, 6, 10. — [4] Prosp., *de Vit. Contempl.*, lib. III, c. XII. — [5] Bern., *ad Robert.*, epist. I, n. 12.

(*a*) *Apud Prosp.* nec finiri, terribiles exaudantis incendii crepitus pati. *Biblioth. mox. Petr.*, tom. VIII, p. 75, edit. 1677. — (*b*) *Suppl.* exteriorum.

ANIMA.

Jam timore contremisco, jam horrore deficio. Dic, quæso, o homo, ad quid valet tam lamentabilis meditatio.

HOMO.

O anima, puto quod prædictorum continua et devota meditatio est peccatorum medela, et ad quæque bona agenda et mala sustinenda salutifera excitatio. Bernardus, in epistola quadam [5] : « Vigilias times, manuumque tuarum labores ; sed levia sunt hæc meditanti flammas perpetuas. Recordatio tenebrarum (*b*) facit non horrere solitudinem. Si futuram de verbis otiosis cogitas discussionem, non displicebit silentium. Fletus ille et stridor dentium, ante oculos mentis sæpe reducti, pares tibi reddunt mattam et culcitram. » Augustinus, in quodam sermone : Mens humana, mundi hujus illecebris, et concupiscentiis devicta, fugit laborem, expetit voluptates, et vix ad hoc ducitur, ut a se consuetudines vitæ prioris excludat. Sed cum cœperit cogitare futuri judicii necessitatem, et pœnarum æternalium crudelitatem, voluntarium bellum indicit passionibus, mota vel spe præmii, vel timore supplicii, vim facit pristinis desideriis, violenter vincere seipsam contendit. Hæc Augustinus. Unde versus :

O felix mortale genus, si semper haberet
Æternum præ mente bonum, finemque timeret !

CAPUT IV.

Quomodo anima per mentale exercitium debet radium contemplationis convertere ad superiora, ut cognoscat et sapiat cœlestis gaudii inæstimabilem pretiositatem, ineffabilem deliciositatem, et interminabilem æternitatem.

ANIMA.

De cœlesti gaudio.

Jam nunc, o homo, me miseram, in hac lacrymarum valle projectam, satis terruisti, licet non infructuose docuisti. Miserere etiam nunc mihi miseræ, et faciam sicut dudum promisisti. Propone paululum de felicitate perpetua, si forte valeam ex hoc capere aliqua mentis solatia, quia alternis uti delectabile est, quia secundum Augustinum, sive plectendo, sive ignoscendo, sive deterrendo, sive consolando, semper bene agitur, ut vita hominum corrigatur. Attende, homo, quam generosus est animus hominis : sæpe facilius ducitur levibus et blandis, quam terribilibus et adversis; sæpe magis allicitur promissis et consolatoriis, quam cogatur minis et terroribus. Unde soror nostra sponsa trahi cupiebat [1] odore cœlestium unguentorum, sapore divinorum charismatum, et sic cum sponso currere, et viam mandatorum jam non ex timore, sed amore delectabiliter adimplere.

HOMO.

O anima, verum esse profiteor, quod loqueris; sed, heu! multi sunt, qui Deum nolunt imitari in prosperis : unde necesse est eos deterreri in adversis. Multi enim sunt, qui divina charismata, vel propter cæcitatem non intelligunt, vel propter negligentiam vanis occupationibus perdunt. Unde, ut æstimo, Deus ex suæ infinitæ bonitatis immensitate semper paratus esset magis consolationibus fovere, quam asperitatibus terrere, si homines æque dispositi essent, ut suam divinam consolationem reciperent. Quæ adeo pretiosa et delicata est, quod nullo modo decet vel expedit, ut indifferenter omnibus tribuatur. Tu ergo, si post hæc tibi proposita ad hanc aspiras, vide quod habeas purgatum intellectum, et bene dispositum affectum : quia, secundum Augustinum, summum bonum nonnisi purgatissimis mentibus cernitur : et puto quod multo minus, non nisi valde bene dispositis affectibus degustetur. A multis enim in hac vita valde limpide speculatur, a quibus etiam minime degustatur. Unde idem Augustinus [2] : « Fac me, Domine, precor, degustare per affectum, quod intelligo per intellectum : fac me sentire per amorem, quod sentio per agnitionem. »

ANIMA.

Dic, quæso, o homo, quæ debent dispositiones in affectu et intellectu præcedere, ut vel saltem ad modicam mentis ebrietatem valeam cœlestem dulcedinem contemplando degustare? Jam enim dudum in speculatione mentem exercitavi, et, heu! adhuc nunquam, ut timeo, vel modicam stillam illius cœlestis dulcedinis sensi. Multa de sanctorum vita et conversatione legi, multa de natura, de operationibus et ordinibus angelorum, nonnulla etiam legi de inæstimabili divinitatis unitate, de incomprehensibili divinitatis Trinitate, plura de beatorum omnium inæstimabili felicitate : et quando prædictis toto studio mentem occupavi, heu! adhuc jejuna et famelica permansi, et semper cum beato Augustino clamavi [3] : « Fac me, clementissime Pater, gustare per affectum, quod sentio per intellectum : » et tamen non profeci. Sæpius etiam longo studio fatigata, et mihimetipsi irata, clamavi cum Propheta, expectando micas quæ cadunt de mensa dominorum in aula cœlica [4] : *Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? usquequo avertis faciem tuam a me?* Quia, etsi me indignam ad manducandum filiorum panem judicavi, manducare saltem

[1] *Cant.*, I, 1. — [2] Habentur hæc apud Anselm., *Medit.* XI, *de Redempt. Hum.*, col. 769, edit. Migne. — [3] Ibid., Anselm. — [4] *Psal.* XII, 1.

micas minutissimas decidentes cum magno desiderio expectavi. Sed, heu! ut frequentius aperto ore inhians in vacuum laboravi!

HOMO.

O anima, prædicta, quæ lamentabiliter es conquesta, accidunt ex duplici causa: aliquando ex valde pia et salutifera divinæ bonitatis dispensatione; unde Gregorius in *Moralibus* [1]: « Differre solet Pater pius voces (*a*) petentium ad tempus, ut desideria crescant; et eo magis exaudiantur ad meritum, quo citius non exaudiuntur ad votum. » Item in *Homilia* [2]: « Sancta desideria ex dilatione crescunt. Si autem ex dilatione deficiunt, desideria non fuerunt. » Deus enim, quamvis per pietatem est clementissimus, tamen aliquando contingit ut hoc, quod libentissime tribuit, protrahat, ut discas magna multum et ardenter desiderare, et adepta sollicitus cum gratiarum actione conservare. Aliquando etiam beneficium protrahit ex postulantis inordinata dispositione. Bernardus [3]: « Errat omnino, si quis illam cœlestem dulcedinem huic cineri, divinum illud balsamum huic venenoso gaudio, charismata illa Spiritus sancti hujus sæculi illecebris misceri arbitratur. » Sed jam, o anima, ne diutius te protraham, nec amplius te per expectationem affligam, purga intellectum a vanis et inutilibus phantasiis, a naturalibus et curiosis rationibus, ab extraneis et scientificis occupationibus. Purga etiam affectum a culpa, a culpæ sequela, a culpæ occasione vel causa. Erige rationem, dilata et expande affectionem, *intra in gaudium Domini* [4], quod [5] *nec oculus* in hac vita perfecte *vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Exardesce igitur, o anima, amore, et desiderio supernæ vitæ sanctorum, ubi est actio non operosa, requies non desidiosa, ubi vita sine defectione, laus divina sine cessatione. Hæc Augustinus. Bernardus: Gaude igitur, et exulta: ac mercedem laboris tui considera, quæ revera est tam multa, quod non potest numerari; tam magna, quod non potest mensurari; tam pretiosa, quod non potest æstimari; tam copiosa, quod non potest terminari.

ANIMA.

O homo, multa jam dixisti in genere; dic quæso, per singula in specie, quia magis intelligimus quæ specialiter distinguuntur, quam quæ generaliter exprimuntur.

HOMO.

O anima, quid dicere valeo? [6] Cum futurum gaudium aspicio, jam pene præ admiratione deficio, quia gaudium erit intus et extra, subtus et supra, circum et circa. Gaudebis igitur in omnibus, gaudebis de omnibus. Gaudium tuum, ut puto, præfiguratum est in *Apocalypsi* per illam mulierem beatam quæ amicta fuit sole, et luna sub pedibus ejus, et corona duodecim stellarum in capite ejus. Mulier ista, ut æstimo, est anima beata, æterni Regis filia, sponsa, et regina: filia per naturæ creationem, sponsa per gratiæ adoptionem, regina per gloriæ collationem. Hæc bene dicitur amicta sole, quia decorata splendore claritatis deificæ, coronata dignitate felicitatis æternæ. In qua felicitate ob specialem decorem sunt duodecim gaudia, per duodecim stellas figurata, per quæ decoratur, et ornatur felicitas superna. Hæc gaudia debes tu, o anima, quotidie devota mente transcurrere, et nullam præsentis miseriæ et incolatus consolationem quærere, et spe illius gaudii omnem tribulationem vitæ præsentis patienter, et gaudenter sustinere. Beda: O anima, non turberis, si mali in hoc mundo florent, et tu pateris; ipsi gaudent, tu perturbaris. Mali, heu! nihil habent in cœlesti gaudio; nec cures tu, si nihil habueris in hoc sæculo. Sed spe illius gaudii quo tendis, quidquid

[1] Greg., *Moral.*, lib. XX, c. XXII, al. XXXI, n. 61. — [2] Id., *in Evang.*, hom. XXV, n. 2. — [3] Bern., *de Ascens. Dom.*, serm. V, n. 13. — [4] *Matth.*, XXV, 21. — [5] I *Cor.*, II, 9. — [6] Ex lib. *Similitud.*, c. LXXI, inter *Oper.* Anselm. — (*a*) *Forte legendum* vota.

in via adversitatis occurrit, affectus tuus gaudenter et patienter sustineat. Hæc Beda. Bernardus : O anima, si te aliquando delectant mundana gaudia, falsa hujus sæculi gloria, brevis et caduca potentia, illic (*a*) mentem evoca, et omnia reputabis ut stercora. Hieronymus [1] : « Curre igitur, o anima, non passibus corporis, sed affectibus et desideriis, quoniam non solum angeli et beati, sed et angelorum et beatorum Dominus et Magister te expectat. Expectat te Deus Pater, tanquam filiam dilectissimam ; Deus Filius, tanquam sponsam dulcissimam ; Deus Spiritus sanctus, tanquam amicam sibi gratissimam. Expectat te Deus Pater, ut hæredem universorum bonorum te constituat ; Deus Filius, ut te fructum suæ nativitatis, et pretium sui pretiosissimi sanguinis Deo Patri offerat ; Deus Spiritus sanctus, ut suæ æternæ beatitudinis et dulcedinis participem te faciat. Expectat te illa beatissima omnium cœlestium spirituum æterni Regis familia, ut te in suum collegium suscipiat. Tu ergo ipsorum societatem super omnia desidera. » Cum magna verecundia illuc venires, si eam in hac lacrymarum valle non amasses. Quoties ergo te vana hujus sæculi delectat ambitio, quoties videris in hoc mundo aliquem gloriosum, statim ad cœlum mente transgredere, et esse incipe, quod futura es. Revera æstimo, o anima, si hæc cœlestia gaudia jugiter in mente teneres, de hoc exilio quoddam suburbium cœlestis regni construeres, in quo illam æternam dulcedinem quotidie spiritualiter prælibando degustares : quia cum aliquid æternum mente capimus, jam non in hoc mundo, sed in cœlo habitamus. Augustinus : Tanta est, o anima, vis tuæ dilectionis, quod ibi verius habitas, ubi per contemplationem amas, quam ubi per essentiam amas. Bernardus : Hoc est, charissima anima, *regnum Dei*, quod *intra nos est* [2], quod, heu ! miserabiliter negligimus, cum foris ad inania et vana fusi sumus. Gregorius [3] : « Fusi sumus foras, de regno Dei quod intra nos est nihil curantes, foris quærimus consolationem de rebus vanis et insaniis falsis, ita quod jam religionis antiquæ devotionem amisimus, adeo quod nec speciem ipsius retinemus. » Tu ergo, o anima, æterni regis filia, audi mente devota, et inclina aurem tuam ad sancta et salutifera consilia. Vide per contemplationem cœlestis regni consolationem, obliviscere per contemptum et detestationem populum tuum et domum patris tui, hoc est mundum, diabolum, teipsam, et omnem vanam ambitionem. Vide igitur, et devota mente pertracta qualiter illi divini et cœlestes spiritus, qui præsentis vitæ et miseriæ periculum evaserunt, quamvis ab illius æterni Solis splendore se nunquam possint avertere, aliquando tamen radium suæ contemplationis convertunt ad inferiora, aliquando ad superiora, aliquando ad interiora, aliquando ad exteriora. Convertunt, inquam, ad inferiora, et gaudent ex triplici causa : primo, quod tam impios, horribiles et crudeles hostes per divinam potentiam superaverunt ; secundo, quod omnes defectus et peccata, vel per divinam sapientiam vitaverunt, vel jamdudum commissa correxerunt ; tertio, quod tam lamentabiles et interminabiles cruciatus æternos per divinam clementiam evaserunt. O anima, quanto, putas, gaudent quotidie gaudio, quando tot vident a carne, et mundo, et diabolo superari, tot tam diversis peccatis, de quibus nunquam merentur veniam, inquinari, tot æternaliter sine fine damnari ? Revera tunc puto quod de morte transisse ad vitam, vitæ duplicat gaudium. O Domine Deus, si nunc tam grave periculum est in bello, quantum tunc erit gaudium de triumpho, cum post devictum triumphatumque mundum, submerso impio Pharaone et exercitu ejus in mari rubro, tenent omnes electi tympanum, cum Maria psallentes, et cantantes, laudantes et benedicentes Dominum

Beati de evasione periculorum gaudent.

[1] Hæc habet auctor *Meditat.*, c. VI, n. 17, inter *Oper.* vel spuria Bern. — [2] *Luc.*, XVII, 22. — [3] Habentur hæc apud Bern., *Apolog.*, *ad Guillelm. abb.*, c. X, n. 25. — (*a*) *Forte legendum* illuc.

una voce dicentes [1] : *Cantemus Domino, gloriose enim*, etc. Tunc constituentur duo cherubim, hoc est duo chori electorum, scilicet innocentes et pœnitentes, clamantes alter ad alterum [2] : *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Sanctus Deus Pater qui nos a mundo, a carne et diabolo tam potenter liberavit. Sanctus Deus Filius, qui nos a pœna et a culpa tam sapienter justificavit. Sanctus Deus Spiritus sanctus, qui nos tam clementer ab æternis tormentis præservavit. *Plena est omnis terra gloria ejus,* qui nos de mundi miseria ad cœlestis regni gaudia evocavit. O anima, qualis tibi erit dies illa, cum ad hanc felicem choream fueris assumpta, et cum omne tormentum tibi, si pie vixeris, si patienter sustinueris, convertetur in æternum jubilum! Tunc de omnibus his laudabis Dominum Deum tuum labiis exultationis, dicens [3] : *Misericordias Domini in æternum cantabo.* « Quo cantico, » secundum Augustinum, *de Civitate Dei* [4], « quod cantatur in laudem gloriæ Christi, cujus sanguine liberati sumus, nihil erit jucundius illi civitati, et nihil dulcius. » Tu ergo, cum tentationibus probaris, cum persecutionibus impugnaris, cumque in hoc sæculo variis tribulationibus infestaris, tunc mente in cœlum evola, et cogita quod hoc non est aliud nisi æterni gaudii materia. Et tunc secundum Gregorium consideratio præmii minuit vim flagelli. Gregorius [5] : « Si consideremus quæ et quanta sunt, quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia quæ sunt in terris. » Et revera non tantum bona quæ delectabiliter possidemus, verum etiam mala quæ lamentabiliter sustinemus. Bernardus [6] : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis* [7] ad præteritam culpam quæ dimittitur, ad præsentem gratiam quæ immittitur, et *ad futuram gloriam* quæ promittitur; quam tu tunc, o anima, cum gaudio possidebis, quando perfecte intelliges, quod in mundo cum tanto periculo, quo plerique opprimuntur, vixisti; quod dæmonis fallaces astutias, quibus multi decipiuntur, vicisti; quod cruciatus æternos, quibus innumerabiles affliguntur, evasisti.

ANIMA.

O homo, quam sana et salutifera est hæc tua consolatio, quia cum hæc, quæ proposuisti, adverto, consolationem ex spe non modicam recipio. Sed, o Domine Deus, quid, putas, tunc erit, cum hoc, quod modo spero, veraciter possidebo?

HOMO.

O anima, modica sunt hæc, quæ audisti, imo comparative quasi nulla sunt quæ mente percepisti : sed parumper oculos mentates erige, et quanta sint gaudia quæ de his percipias, quæ juxta te sunt, devota mente frequentius volve et revolve. Attende igitur et considera locum speciosum, quem tibi divina sapientia ædificavit. Attende et victum deliciosum, ornatum curiosum, thesaurum pretiosum, quem tibi æterna potentia congregavit. Attende etiam collegium famosum, cum quo de divina clementia mens tua æternaliter exultabit. O anima, attende quam gloriosa, quam famosa, quam gaudiosa est ista domus Dei, civitas cœlestis, mansio secura, patria continens totum quod delectat. Bernardus : Attende quam clara, quam luminosa, quam splendida est *civitas* quæ [8] *non indiget sole, neque luna, ut luceant in ea, sed ipse Dominus* Sol justitiæ, candor lucis æternæ, *lux ejus est, et lucerna ejus Agnus.* O anima, attende quam alta, et quam spatiosa, quam pulchra et speciosa, quam decora et famosa est civitas illa, quam ornat per seipsam Trinitas beatissima. O quam [9] *gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei!* [10] *O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens*

Gaudium e beatis c his qu juxta s sunt.

[1] *Exod.*, XV, 1. — [2] *Isa.*, VI, 6. — [3] *Psal.* LXXXVIII, 2. — [4] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XXII, c. XXX, n. 4. — [5] Bern., *de Convers. ad Cleric.*, c. XXI, n. 37. — [6] *Rom.*, VIII, 18. — [7] Greg., *in Evang.*, hom. XXXVII, n. 1. — [8] *Apoc.*, XXI, 23. — [9] *Psal.* LXXXVI, 3. — [10] *Bar.*, III, 24.

locus possessionis ejus! O anima, illic contemplare tabernacula patriarcharum et prophetarum, habitacula apostolorum et martyrum, cœnacula confessorum et virginum, palatium cœlestium spirituum, thronum illum beatissimæ Trinitatis speciosissimum. O anima, hic licet sis corpore, illic esto mente. O anima, transvola omnia, scrutare omnia, visita omnia, ingredere cuncta per ordinem ostia, quousque pervenias ad summi Regis palatia : ibi sit mens, et hic erit requies. Augustinus : O anima, in illa sancta civitate libenter studeas morari, libenter conversari, quia ibi est vita sine morte, juventus sine senectute, lux sine tenebris, pax imperturbabilis. *Sedebit* enim *populus meus in tabernaculo fiduciæ, et in requie opulenta*, dicit Dominus [1]. Secundo attende victum deliciosum, ornatum curiosum, et thesaurum pretiosum. Et quis erit ibi noster cibus, nisi ille Agnus beatissimus, ille mundus et immaculatus Jesus Dei Patris et Mariæ Virginis Filius, de quo sanctis spiritibus ministrabuntur ad omnem sufficientiam fercula nobilissima? Nobilia quidem de ipsius candidissima humanitate, sed nobilissima de ipsius superbeatissima divinitate. Tunc enim anima ingredietur ad degustandum divinitatem, egredietur ad prælibandum humanitatem, et pascua inveniet ad omnem sufficientiam et satietatem. O quam beati sunt qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt! Ibi etiam beata vita in suo fonte bibitur, unde huic humanæ vitæ aliquando aliquid aspergitur, unde in tentationibus fortiter, juste, temperanter et prudenter vivatur. Ibi semper adhæret sitis atque satietas; sed miro quodam modo longe aberit a siti necessitas, longe a satietate fastidium. *Inebriabuntur* enim [2] *ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos*, secundum Prophetam.

ANIMA.

Et quando hoc?

HOMO.

Æstimo, quod non prius, nisi quando ille deliciosus Pincerna summi Regis, splendor paternæ gloriæ, candor lucis æternæ, figura divinæ substantiæ, speculum sine macula claritatis deificæ, *in quem desiderant omnes* illi cœlestes spiritus *prospicere* [3], quando talis et tantus præcinget se, et faciet illos discumbere, et personaliter transiens ministrabit illis. O anima, hic devota mente pertracta, quantum gaudium tunc illi boni spiritus concipiant ex tam stupenda dignitate ministrantis, ex tam miranda charitate cujuslibet sodalis convivantis, ex ferculorum deliciosa opulentia, ex ministrorum numerosa frequentia, ex musicorum instrumentorum, et aliorum psallentium, cantantium et laudantium Regem gloriæ, Deum Dei Filium dulcisona resonantia. In hoc cœlesti magno stupendoque convivio audies angelos jubilantes, virgines chorizantes, apostolos psallentes, martyres tripudiantes, confessores laudantes, patriarchas et prophetas jucundantes, omnes sanctos et electos Dei unanimiter Patrem et Filium et Spiritum sanctum collaudantes, et una voce dicentes [4] : *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena est omnis terra gloria ejus.* [5] *O quam gloriosum est regnum, in quo cum Christo regnant omnes sancti, amicti stolis albis!* [6] *sequuntur Agnum quocumque ierit.* O anima, quomodo poterit ibi esse alicujus boni carentia, cum tam varia sit exultandi materia? Tunc enim aperientur omnes illi thesauri æterni Dei, ubi sunt omnes divitiæ, omnes deliciæ absconditæ, et dabuntur a Patre æterno unicuique varia et pretiosa munera secundum sua merita. Sed si adhuc non sufficiunt ista, attende tertio juxta te omne sanctorum collegium, quod ad beatitudinis tuæ cumulum divina clementia congregavit, quia nullius boni sine socio jucunda est possessio, sicut dicit Seneca. Vide

[1] *Isa.*, XXXII, 18. — [2] *Psal.* XXXV, 9. — [3] I *Petr.*, I, 12. — [4] *Isa.*, VI, 6. — [5] Antiph. *ad Magnificat*, in fest. omn. Sanct. — [6] *Apoc.*, XIV, 4.

igitur [1] « quæ lingua (*a*), vel quis intellectus capere sufficiat, illius supernæ civitatis quanta sint gaudia, angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ Conditoris semper assistere, » et ab illorum beatissima societate nunquam discedere, sed continue cum ipsis et de ipsorum gaudio in perpetuum exultare. Anselmus [2] : « Ibi enim a singulis omnes, ibi ab omnibus singuli cognoscentur. Nec quemquam latebit, qua patria, qua gente, qua stirpe, quis conditus (*b*) sit. » Ibi enim erit tam beata et perfecta charitas justorum, quod unusquisque in tantum diliget proximum suum, quantum seipsum. Ex quo illud inæstimabile sequetur bonum, quod ita unusquisque de alterius bono vel gaudio gaudebit, sicut de merito proprio. Proinde, cum inenarrabilis sit numerus electorum, quis, putas, narrare sufficiat gaudium beatorum? Hæc gaudia Hieronymus in fine epistolæ ad Eustochium [3] describens, ait : « Egredere, quæso, o anima, paulisper de papilione corporis, ut in ostio stans, videas Dei gloriam pertransire, et præsentis laboris ante oculos pinge mercedem. Qualis tibi erit dies illa, cum Maria mater Domini tibi occurret choris comitata virgineis, cum et ipse sponsus tibi cum omnibus sanctis occurret, dicens [4] : *Surge, veni, propera, amica mea, formosa mea, columba mea; jam hiems transiit, imber abiit et recessit.* Tunc angeli admirabuntur de tua gloria, dicentes [5] : *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Videbunt te filiæ Sion, et laudabunt [6]. Tunc illa *centum quadraginta quatuor millia in conspectu throni et seniorum* [7] tenebunt citharas, et cantabunt canticum novum. » Tunc secura in amplexus Sponsi evolabis cum jubilo, dicens [8] : *Inveni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam.* Hæc Hieronymus. Tunc filii septem illius magni Job, qui est [9] *magnus super omnes* qui morantur in illa beata *Orientalium* regione, facient convivia singuli in die suo, et invitabunt sororem suam, te consortem suam. Et dicent tibi singuli [10] : *Bibe nunc, et accumbe cum jucunditate, quia invenisti gratiam coram* summo principe. Et tu respondebis cum gaudio, dicens [11] : *Bibam,* et hilarior fiam, quia *magnificata est hodie anima mea præ omnibus diebus vitæ meæ.* O vere inaudita magnificentia! o læta et jucunda excellentia, qualis nunquam in hoc sæculo est audita! Puto quod omnis hujus mundi pompa, in comparatione illius, esset vix modica gutta.

ANIMA.

O homo, jam diu tacui, jam satis silui, quia, quæ proposuisti, cum delectatione et admiratione nimia audivi, ne, quæso, procrastines, quin specialius et perfectius mihi aliqua de hoc cœlestium spirituum convivio exponas ; quia jam prius aliquid de hoc tetigisti, sed nimis cito pertransisti.

HOMO.

O anima, malim iterum quod petis sub silentio pertransire, quam vel modicum de hoc cœlesti secreto mysterio ore polluto proferre, vel etiam mente concipere : quia qui adhuc mundialibus et supervacuis rebus, heu! sæpius implicor, qui adhuc, heu! heu! siliquis porcorum cum cæteris mundanis pascor, de tam familiaribus divinorum spirituum operationibus loqui erubesco nimium, et confundor. Quia tamen piis votis tuis contraire non valeo, proponam breviter quod aliquando, spiritu instigante, licet indignus, mente pertracto. Quamvis enim in illa cœlesti aula, ubi plenitudo omnis boni in omnibus illis perfecte est, quamvis ibi, pro differentia meritorum, quædam data sint excellenter, nihil tamen ibi ex inæstimabilis divinæ pietatis immensitate, secun-

[1] Greg., *in Evang.*, hom. XXXVII, n. 1. — [2] Imo Eadmer., lib. *de Similitud.*, c. LIX. — [3] Hieron., *ad Eustoch.*, epist. XXII. — [4] *Cant.*, II, 10. — [5] Ibid., VIII, 1. — [6] Ibid., VI, 8. — [7] *Apoc.*, XIV, 1, 3. — [8] *Cant.*, III, 4. — [9] *Job*, I, 3. — [10] *Judith*, XII, 17. — [11] Ibid., 18.

(*a*) *Suppl.* dicere. — (*b*) *Leg.* editur.

dum Gregorium, possidetur singulariter. Omnia enim sunt omnibus communia, propter eum qui in omnibus est omnia. Ibi enim virgo gaudebit de sanctæ viduitatis merito : ibi vidua exultabit de castæ virginitatis privilegio : ibi confessor de martyris jucundabitur triumpho : ibi martyr tripudiabit de confessorum bravio : ibi propheta laudabit de patriarcharum pia conversatione : ibi patriarcha exultabit de prophetarum fide et speculatione : ibi apostoli et angeli gaudebunt de merito omnium inferiorum : ibi omnes inferiores lætabuntur de gloria et corona superiorum. Ex illius enim sanctæ et perfectæ charitatis vinculo fiet, ut unusquisque habiturus sit in alio, quod non habet in merito proprio.

ANIMA.

O homo, nec adhuc ista sufficiunt mentem meam quietare : unde, quæso, ne pertranseas mihi aliqua de dicto convivio sigillatim et distincte explicare.

HOMO.

O anima, nosti quod balbutiendo, ut possumus, excelsa Dei resonamus. Nec mirum, quia cum simus minus idonei ad intelligendum, quomodo possumus esse sufficientes ad loquendum, cum illa quæ lippientibus oculis contemplamur, verius sint quam intelligantur, et verius intelligantur, quam exprimantur vocibus? Ne te tamen diutius protraham, audi quid imaginatur intellectus, licet adhuc modicum degustet affectus. Puto quod illi septem filii, de quibus supra memoravimus, sunt omnes sancti et electi Dei spiritus, altissimi Patris hæredes et filii. Hi convivia unusquisque in die suo faciunt, quando se invicem cœlestibus gaudiis pascunt. In quo de meritis suis singuli juxta datam sibi gloriam fercula deliciosissima propinant. Primo igitur die, primogenitus, hoc est ille cœlestium angelorum numerus, qui non immerito nomine primogeniti censentur, quia priores sunt creatione et conversatione (*a*) ad Deum, a quo nunquam recesserunt per peccatum, sed semper immobili charitate summo Patri adhæserunt, et illam hæreditatem beatam cœlestis regni priores omnibus feliciter possederunt. Isti tibi, o anima, in suo convivio, diversa fercula deliciosa et pretiosa propinant, cum unusquisque ordo de eo, quod excellentius recipit in munere, gaudia specialia administrat. Jam cogita, o anima, quale tibi ferculum propinant illi summi spiritus seraphici ordinis, qui adeo vicini illi æterno Patri sunt, quod inter ipsos, et hunc, nulli alii spiritus intersint, qui ipsum immediatius contemplentur, et suis bonis æternis perfectius perfruantur. Quale, putas, hi propinant gaudium de naturæ nobilitate? quale de contemplationis claritate? quale de dilectionis sinceritate? Hi ergo, hoc est illi qui Seraphim nominantur, istud convivium ornant ardore divinæ charitatis ; Cherubim, splendore æternæ claritatis ; Throni, æquitate divinæ majestatis. Hoc etiam convivium glorificant Dominationes, de dominandi super alios excellentia ; Principatus, de præcipiendi inferioribus magnificentia ; Potestates, de auctoritate malignos spiritus coercendi. Hoc etiam convivium honorificant Virtutes, de potestate miracula faciendi ; Archangeli, de dignitate superiora nunciandi ; Angeli, de agilitate minora divinæ scientiæ secreta revelandi. Ecce vides qualiter singuli mentes beatorum cœlestibus gaudiis pascunt, de his quæ ab illa supercœlesti aula specialius in munere receperunt. Nec est mirandum, quod hæc prædicta, et multa alia nobis adhuc occultiora, illi spiritus in nostrum gaudium nobis propinant, qui tam fideliter, tam dulciter, tamque amicabiliter in hac lacrymarum valle nos custodiunt, et nos ad illam æternam beatitudinis patriam perducere totis viribus concupiscunt. Bernardus [1] : « O si quis co-

[1] Imo auctor *Meditat.*, sub nomine S. Bernardi, c. VI, n. 16.

(*a*) *Forte legendum* conversione.

gnosceret quemadmodum *præveniunt principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum* [1], videret itaque qua cura, quove tripudio intersunt cantantibus, adsunt orantibus, insunt meditantibus, supersunt quiscentibus, præsunt procurantibus. » O anima jejuna et famelica, si vel unam micam, quæ cadit de mensa dominorum in hoc convivio, aperto mentis ore, sumpsisses, puto quod hanc peregrinationem ex tunc impatienter tolerares. Puto, si unam guttam de vino potus ejus degustasses, omnem hujus sæculi dulcedinem fastidires. Gregorius, in *Moralibus :* « Si cor semel in cœlestibus, per degustationem subaudi, figitur, quam abjecta sint mox cernitur, quæ prius alta videbantur. O anima mea dilecta, de convivio patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, confessorum, virginum qui per alios sex filios non immerito præfigurantur, quid dicam ? Unusquisque enim horum tot in convivio suo proponet fercula, quot habuit in hac vita virtutum opera. Et quis enarrare sufficiat, quantum gaudium quælibet anima suscipiat de sanctorum patriarcharum humilitate perfectissima, de prophetarum credulitate certissima, de apostolorum charitate ardentissima, de martyrum stabilitate et patientia, de confessorum pietate et clementia, de virginum castitate et continentia ? Et idem Gregorius, in homilia super *Lucam*, ait [2] : (Revera vox et lingua deficit, quia) « intellectus capere non sufficit quantum sit gaudium angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ Conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo metu mortis affici, de incorruptionis perpetuæ munere lætari. » O quam felix tibi erit hæc dies, cum fueris ad hæreditatem patrum tuorum reversa, et quando ab his omnibus cum inæstimabili gaudio fueris assumpta, et ad thalamum summi regis feliciter introducta ! Jam nunc expergiscere, o anima mea, et cum illa famosa regina Saba, cum aromatibus virtutum, cum thesauris bonorum operum, cum magno apparatu cœlestium desideriorum, ascende in illam Hierusalem supernam, et contemplare diligenter singula, et vide quod veritas vincit famam, gloria exuperat omnem loquelam : si forte posses ex admirationis magnitudine extra humanum spiritum rapi, et miro quodam modo in divinum spiritum transformari, ut dicere inciperes cum Petro in magno cordis jubilo [3] : *Domine, bonum est nos hic esse :* hic pater, hic soror, hic frater, hic patria. O Domine, permitte nos hic esse, et abhinc nunquam discedere. Ambrosius : Fugiamus, o anima, in patriam verissimam, quia illic est patria ad quam conditi sumus, Pater a quo creati sumus, ibi est Hierusalem civitas superna, quæ est mater nostra. Anselmus [4] : O anima, « tantus debet esse in hac vita mortali amor et desiderium perveniendi ad illud ad quod facta es ; et dolor, quia nondum ibi es ; et timor, ne forte non pervenias, ut nullam lætitiam sentire debeas, nisi de his quæ tibi aut auxilium, aut spem conferunt perveniendi. »

ANIMA.

O homo, dum hæc aliquando cogito, dum hæc tacita mente mecum pertracto, quid est quod tunc interlucet mihi, et percutit cor meum sine læsione, et inhorresco, et ardesco ? Augustinus [5] : « Intromittor aliquando mentaliter in affectum multum inusitatum, ad nescio quam dulcedinem, quæ si perficeretur (*a*) in me, nescio quid erit quod vita ista non erit. Sed recidivo onerosis (*b*) ponderibus, et resorbeor solitis curis (*c*). Hic esse valeo, nec volo ; illic esse volo, nec valeo, miser utrobique. » Hæc Augustinus.

[1] *Psal.* LXVII, 26. — [2] Greg., *in Evang.*, hom. XXXVII, n. 1. — [3] *Matth.*, XVII, 4. — [4] Anselm., *Cur Deus homo*, lib. I, c. XX. — [5] Aug., *Conf.*, lib. X, c. XL, n. 65.

(*a*) *Apud Aug.* perficiatur. — (*b*) Recido in hæc ærumnosis. — (*c*) *Aug. edit. Gaume non habet* curis.

HOMO.

O anima, puto quod hæc cœlestia sine prælibatione dulcedinis non possunt a digne dispositis cogitari. Sed nescio quid tunc erit, cum perfecte in re sine ænigmate poterunt degustari. Unde non est mirandum, si prælibatio talium tibi incutit hujus exilii tædium : quia nihil est magis amarum, quam, postquam anima consuevit talium prægustatione consolari, si rursum incœperit mundialibus et transitoriis implicari. Hinc est, quod anima laborat, luctatur et anxiatur : illic semper esse cupit, nec sufficit ; hic esse compellitur, sed illic (*a*), post hoc quod prægustatum est, ascendere conatur. Jam enim gustato spiritu, desipit omnis caro. Vidisti gaudium beatorum de his quæ sunt infra te (*b*), et de his quæ sunt juxta te (*b*) : vide modo, si potes, quale gaudium futurum sit de his quæ sunt intra te (*b*). Homo enim remunerabitur in corpore et in mente, et istorum æterna et inseparabili unione. Corpus enim nostrum ex quatuor elementis est compositum, unde quatuor dotibus erit remunerandum. Terra tunc habebit æternam immortalitatem, aqua omnimodam impassibilitatem, aer maximam agilitatem, et ignis splendidissimam claritatem. Tunc [1] *fulgebunt justi sicut sol, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Absterget* enim [2] *Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, et jam non erit amplius neque luctus, neque clamor, neque dolor,* sed sempiterna pax et lætitia. In sempiterna patria corda beatorum sibi invicem in claritate lucent, et puritate translucent : ibi uniuscujusque vultus accipitur, et conscientia penetratur : ibi uniuscujusque mentem ab alterius oculis corpulentia non abscondit. Etiam mox ubicumque voluerit animus, statim aderit corpus. Augustinus : Sicut enim tunc animus perfectissime obedit Creatori, ita corpus promptissime obtemperabit suo motori. Tam potentem tunc faciet Deus animam, ut ex ejus beatitudine plenissima redundabit in corpus, ex qua redundantia habebit vigorem impassibilitatis, splendorem claritatis, aptitudinem subtilitatis, promptitudinem agilitatis. Ibi erunt omnes sensus in actibus suis. Ibi enim oculus videbit decorem speciosissimum, gustus sentiet saporem dulcissimum, olfactus odorabit odorem suavissimum, tactus amplexabitur objectum deliciosissimum, auditus immutabitur per sonum jucundissimum. Ibi enim, cum mens in exultationem rapitur, lingua in canticum laudis elevatur.

Gaudium est beatis de quæ sunt infra se.

In cœlo omnis sensus corporis erit in actibus suis.

ANIMA.

O homo, audivi jamdudum mirabilia; et cum vera sint hæc omnia, quid aliud est hæc præsens vita, nisi quædam mortis umbra ?

HOMO.

O anima, bene dixisti, quia [3] « temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda quam vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud quam quædam prolixitas mortis? Ergo sancti viri, quia hujus vitæ brevitatem indesinenter aspiciunt, quasi quotidie morientes vivunt : et ideo se non mansuros sollicitius præparant, quia hæc omnia nihil esse ex fine semper pensant. Sed carnales mentes ideo præsentia diligunt, quia, vita carnis quam fugitiva sit, minime perpendunt. Nam si velocitatem transitus ejus aspicerent, hanc etiam prosperam minime amarent. » Hæc Gregorius. Augustinus [4] : Recedat ergo, o anima, amor vitæ præsentis, et accedat arbor vitæ advenientis, ubi nulla adversitas turbat, nulla necessitas angustat, nulla molestia inquietat, sed perennis lætitia regnat; et considera « quanta sit felicitas futura, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus ! Ibi enim nulla desidia cessabitur, nulla indigentia laborabitur. » Ibi esse nostrum non habebit mortem : nosse nostrum

[1] *Sap.*, III, 7. — [2] *Apoc.*, XXI, 4. — [3] Greg., ubi sup. prox. — [4] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XXII, c. XXX, n. 1.

(*a*) *Leg.* illuc. — (*b*) *Leg.* se.

non habebit errorem : amare nostrum non habebit offensionem. Ibi aberit omnis tarditas, omnis corruptio, omnis deformitas, omnis infirmitas. Ibi cœlum novum et terra nova. Ibi similes erimus angelis Dei, etsi non ætate, certe tamen felicitate. Augustinus [1] : O anima mea, illam vitam amplecti debueras, ubi vita sine morte, juventus sine senectute, gaudium sine tristitia, pax sine discordia, voluntas sine injuria, lux sine tenebris, et regnum expers commutationis. Secundo considera quantum gaudeat animus, cum resumpserit tale corpus quale jam audisti, non tale quale cum ingenti dolore sustinuisti, et cum magno certamine devicisti, de quo sæpius tibimet impatiens patienter, et irascens clementer dixisti [2] : *Quis liberabit me de corpore mortis hujus ?* Non certe tale, sed jam perfecte obediens et spirituale : tale, inquam, tale, quod tibi erit in contemplationis solatium, et in æternæ felicitatis augmentum.

ANIMA.

Mirari super omnibus his non sufficio, et præ magnitudine admirationis in inquisitione deficio. Unum tamen scire desidero, qualiter mens quæ in præsenti vita a Dei contemplatione per corpus deprimitur, illic per ipsum in contemplatione adjuvetur.

HOMO.

O anima, scrupulosa est hæc quæstio ; sed quia magis est curiosa quam devota, brevis erit responsio. Anima enim tunc, virtute divina, alium habebit modum intelligendi quam in via. Nec est mirandum, si pro loco et tempore mutat ordinem et modum agendi creaturæ, qui est fabricator et auctor universalis naturæ. In rebus enim mutabilibus [3], « tota ratio facti est potentia facientis. » Certum est quod ipsa anima nunquam resumptionem corporis appeteret, si resumptum, etiam quantumcumque gloriosum, divinam contemplationem impediret. Nam, secundum Augustini [4] sententiam et doctrinam, ipsæ animæ sanctæ desiderant corporis resumptionem, et expectant iteratam unionem ipsius, quia ipsarum sine eo non potest consummari felicitas, nec satiari jucunditas. Adeo enim vehementer anima corpus desiderat, quod etiam aliqualiter ejus contemplationem impedit et retardat. Bernardus [5] : « O misera caro fœtida, et fœda, unde tibi hæc gloria, quod animæ sanctæ, quas Deus insignivit sua imagine, proprio redemit sanguine, te desiderant, te expectant, et ipsarum sine te non potest consummari felicitas, nec satiari jucunditas? » Augustinus [6] : « Cum anima hoc corpus non animale jam, sed spirituale receperit, perfectum habebit suæ naturæ modum, obediens et imperans, vivificata et vivificans. Tunc ineffabili felicitate (*a*) fiet, ut sit ei gloriæ, quod fuit sarcinæ. » O anima, cogita qualis tibi tunc erit gloria, cum induta fueris illa stola nova et splendida, ornata omni lapide pretioso, id est, corpore glorificato, in quo tot fulgebunt gemmæ pretiosissimæ, quot sunt virtutes in mente. Tunc, ut puto, cantabis cum jubilo canticum novum Domino, dicens [7] : *Gaudens gaudebo in Domino, quia induit me vestimento salutis, et indumento lætitiæ circumdedit me, et tanquam sponsam decoravit me corona.* Adhuc vide tertio, et diligenter considera : si tantum gaudium habitura sis quasi de alieno, quid hauries de proprio? Quis enim enarrare sufficeret, quantum gaudium, quam stupendam gloriam, quam incomprehensibilem laudem et magnificentiam habitura sis a Trinitate beatissima, a sanctorum omnium societate felicissima, pro eo quod corpus tuum proprium tam viriliter per clypeum castitatis et continentiæ superasti ; pro eo quod mundum tam potenter per gladium

[1] Aug., *ad Fratr. in eremo*, serm. XLIX, ante med. — [2] *Rom.*, VII, 24. — [3] Aug. — [4] Id., *de Genes. ad litt.*, lib. XII, c. XXXV, n. 68. — [5] Bern., *in fest. omn. Sanct.*, serm. III, n. 2. — [6] Aug., ubi sup. prox. — [7] *Isa.*, LXI, 10.

(*a*) *Apud Aug. edit. Gaume* tunc ineffabili facilitate.

paupertatis et indigentiæ debellasti; pro eo quod diabolum pessimum tam fortiter per hastam humilitatis et obedientiæ effugasti; pro eo quod omnibus cogitationibus, omnibus affectionibus, singulis inordinatis motibus (*a*), tam viriliter restitisti. Adverte, si potes, quantam laudem habitura sis ab his, quos verbo et exemplo ad meliora provocasti. Et quid plura? pro singulis cogitationibus, locutionibus, actionibus virtuosis, specialem et æternalem laudem suscipies, et id quod tibi in te defuerit, illa cœlestis et divina beatorum societas charitate mutua adimplebit. Quia unusquisque habebit ibi in proximo, quod sibi deficit in merito proprio. O anima, hæc cogita, hæc mente pertracta, cum tibi pie viventi inferuntur adversa : ad hæc mente evola, cum premit corpus, cum fremit mundus, cum insidiatur diabolus : ad hæc recurre, his mentem delinire (*b*). Quia [1] *id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum et in sublimitate æternum gloriæ pondus in nobis operatur*. Sed quia revera id solum et verum gaudium est, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur, cui omnis comparata aliunde jucunditas mœror est, omnis suavitas dolor est, et postremo, omne quod delectari potest, molestum est secundum Bernardum; igitur consulo, o anima, quod jam per præmissa tanquam excitata, disposita et invitata, ad auctorem tuum te convertas, et quantum gaudium ab eo illi beati spiritus recipiant diligenter consideres et advertas : quia omne gaudium propositum vel est accidentale, et ob hoc non satiat, sed excitat, ut est illud quod beati spiritus de his, quæ infra vel juxta ipsos sunt, accipiunt; vel est consubstantiale, et ob hoc non sufficit et afficit, ut est illud quod de his quæ intra ipsos sunt, concipiunt. Hoc vero gaudium, quod de superioribus hauriunt, solum substantiale vocatur, quia per hoc solum affectus rationalis creaturæ satiatur. Hugo de Sancto Victore : « Omnis jucunditas, omnis suavitas, omnis dulcedo rerum creatarum afficere cor humanum potest, satiare non potest. »

Quod anima, quando molestiis tributionibus in mortali vita afficitur, ad cœlestes delicias ligatur.

Gaudium substantiale beatorum in contemplatione divinæ essentiæ consistit.

ANIMA.

Dic, quæso, o homo, quale et quantum sit istud gaudium : quia hoc solum desidero, hoc est quod præ omnibus concupisco : quia scio quod hæc omnia, etiam si habentur, sine illo non solum non sufficiunt, sed etiam animam jejunam, famelicam, et miseram derelinquunt.

HOMO.

Anima, tu quæris quale et quantum sit istud gaudium? Interrogavi omnia intima mea, et mihi narrare non sufficiunt. Anselmus [2] : « Si enim singula (quæ prædicta sunt) bona sunt et jucunda, cogita mente, quantum sit illud bonum delectabile, quod continet jucunditatem omnium bonorum in se, non qualem in rebus creatis experti sumus, sed tantum (*c*) differentem, quantum (*d*) differt Creator a creatura. Qui tanto bono fruetur, quidquid volet, erit; et quidquid nolet, non erit. » Hæc Anselmus. Cæsarius : Beatam vitam facilius est consequi quam enarrare : cujus cursus sine termino, usus sine fastidio, refectio sine cibo, sub antiquis perpetuisque gaudiis semper nova jucunditas, et sine timore amittendi continuata felicitas. Hæc Cæsarius. Augustinus [4] : « Præmium virtutis est qui virtutem dedit, et qui seipsum, quo nihil majus aut melius esse possit, repromisit. » Quid enim aliud est quod per Prophetam dicitur [5] : *Ego ero illorum Deus*, nisi ego ero, unde satientur; ego ero quæcumque ab omnibus honeste desiderantur? Augustinus, *de Civitate Dei* [6] : « Ipse est finis desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fastigatione laudabitur. Hoc munus, hic

[1] II *Cor.*, IV, 17. — [2] Anselm., *Prolog.*, c. XXIV. — [3] Ibid., c. XXV. — [4] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XXII, c. XXX, n. 1. — [5] *Ezech.*, XXXVII, 23. — [6] Aug., ubi sup. prox.

(*a*) *Cæt edit.* moribus. — (*b*) *Leg.* delini. — (*c*) *Apud Anselm. edit. Migne* tanto. — (*d*) Quanto.

affectus, hic actus, profecto erit omnia in omnibus (*a*).» Hæc Augustinus. Puto tamen, ne diutius te protraham : quamvis revera inæstimabile sit illud gaudium et ineffabile, æstimo tamen quod de tribus proveniat, et triplex gaudium illos beatos spiritus lætificat et delectat. Gaudent enim delectabiliter in perfecta et clarissima divinæ claritatis contemplatione ; gaudent dulciter in melliflua et suavissima divinæ bonitatis degustatione ; gaudent sempiternaliter in tranquilla et securissima divinæ majestatis tentione. Scis enim, o anima, quod tribus viribus naturalibus præemines in tua substantia : habes enim vim rationalem, quæ non perfecte illuminatur, nisi per primæ veritatis apertam cognitionem ; et vim concupiscibilem, quæ non satiatur, nisi per summæ bonitatis perfectam dilectionem ; vim quoque irascibilem, quæ non quietatur, nisi per æternæ majestatis securam comprehensionem. De his tribus dicit beatus Bernardus, *super Cantica* [1] : « Qui replet in bonis desiderium tuum, ipse futurus est rationi plenitudo lucis, voluntati multitudo pacis, memoriæ continuatio æternitatis. [2] Quare tristis es, o anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, cum omnis error a ratione, omnis dolor a voluntate, et a memoria omnis timor recesserit ; et illa successerit, quam speramus, mira serenitas, plena suavitas, et æterna securitas.» O anima, quantum, putas, gaudent et lætantur, qui illud æternitatis speculum jugiter contemplantur, in quo omnia præterita, præsentia et futura, quæ summæ beatitudini competunt, apertissime speculantur? Augustinus : Dum ad illam supernam lucem Patris luminum venerimus, totum quod in creaturis esse potest intelligemus. Anselmus : Tunc justi scient cuncta quæ Deus fecit scienda. Et quid est quod nescire possunt, qui scientem omnia vident?

Gaudium ineffabile beatorum ex tribus provenit, scilicet ex beatitudine trium potentiarum animæ.

[1] Bern., *in Cant.*, serm. XI, n. 5. — [2] Ibid., n. 6. — [3] Fulgent., vel auctor, quisquis sit alius, lib. *de Tripl. habitaculo*, c. VI, inter. Oper. Aug., Append. tom. VI.

ANIMA.

Et quomodo simplicitas hoc permittit?

HOMO.

Fulgentius [3] : « Sicut per speculum vitreum trina nobis visio demonstratur, quia nosipsos, ipsum speculum, quidquid præsens est videmus ; sic, per speculum divinæ claritatis, ipsum Deum, et quidquid præsens est, id est, nosipsos, et creaturas alias cognoscemus. »

ANIMA.

O beata veritas, jam video, quod sine te sapere, desipere est ; te vero nosse, perfectum scire est.

HOMO.

O anima, quæ naturaliter scire desideras, hoc speculum videre affecta, in illo studere et legere desidera, quia hoc semel vidisse, est omnia didicisse. Ibi revera videbitur, et reputabitur stultitia, Platonis theoria, Aristotelis philosophia, Empedoclis theoremata, Hippocratis scrutinia, Ptolomæi astrologia, etc. Quia, quidquid hic de veritate intelligimus, minima pars eorum est quæ ignoramus. Sed tunc, o anima, videbis et afflues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum.

ANIMA.

Et quid videbo?

HOMO.

Regem cœli in decore suo. Beda : Splendor æternæ pulchritudinis est tantæ suavitatis, tantæque dulcedinis, ut etiam ipsi angeli, qui sole sunt incomparabiliter clariores, eo satiari non possint. Tunc ergo afflues deliciis in stupenda divinæ claritatis cognitione, miraberis in tui ipsius deliciosa consideratione, dilataberis in omnium creaturarum perfecta speculatione. O contem-

(*a*) *Apud Aug. edit. Gaume* erit omnibus, sicut ipsa vita æterna, communis.

platio stupenda et admirabilis! O consideratio deliciosa et delectabilis! O speculatio gaudiosa et ineffabilis! O quam digne dictum est de te, Domine Deus meus [1] : *Melior est dies una in atriis tuis, super millia.* Quia, secundum Augustinum, tanta est pulchritudo justitiæ, tanta est jucunditas lucis æternæ, ut etiamsi non liceret amplius in ea delectari quam unius diei hora, propter hoc solum innumerabiles hujus vitæ dies, pleni deliciis et circumfluentia bonorum temporalium, recte meritoque despicerentur. Tam pulchra enim est et suavis, ut ea visa nihil amplius possit desiderari, et omnem exuperat concupiscentiam.

ANIMA.

Estne aliquid aliud, cujus visio delectet, cujus contemplatio lætificet?

HOMO.

O anima, quamvis hæc sola sufficeret, si nulla alia adesset, est tamen adhuc una, ut de aliorum omnium pene innumerabilium jucunda visione taceam, quæ mirabiliter omnium cœlestium spirituum mentes lætificat, et miro quodam modo, nescio quo inæstimabili gaudio, omnem beatam creaturam inebriat : videre scilicet illius cœlestis Reginæ deificam claritatem, et suæ beatissimæ prolis glorificatam humanitatem. Quis, o anima, vel cogitare sufficiat, quantum gaudium generat, illam Matrem misericordiæ, Reginam pietatis et clementiæ videre, jam non recumbentem cum parvulo vagiente in præsepio, jam non lacrymantem, circumeuntem, quærentem et dicentem [2] : *Numquid, quem diligit anima mea, vidistis?* cum perdiderat dilectissimum infantulum in triduo, sed eum nunc inspicientem in sempiterno gaudio? Jam enim non conturbabitur, confugiens in Ægyptum a facie Herodis, quia ipse ascendit in cœlum, Herodes autem in infernum. Jam non conturbatur circa plurima quæ fecerunt filio suo Judæi, quia omnia subjecta sunt ei. Jam certe non evigilantem, vociferantem, clamantem et dicentem [3] : *Quis mihi det, ut ego moriar pro te, fili mi Absalon?* cum staret prope unigenitum filium suum pendentem et morientem in patibulo. Jam non lamentantem lacrymabiliter, cum sibi daretur discipulus pro Magistro, servus pro Domino, creatura pro Creatore, quasi alienus pro unigenito et dulcissimo filio! Sed hanc quondam propter nos tam miseram, tantis mœroribus plenam, tunc inæstimabiliter super omnem creaturam exaltatam, regnantem cum Christo in Trinitatis superbenedictæ palatio cantantem, jubilantem, et dicentem [4] : *Tenui illum, nec dimittam!* [5] *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Et illud [6] : *Transite ad me, omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis adimplemini.* O anima mea, mente devota pertracta, quam sit plenum omni suavitate gaudium, videre hominem hominis Conditorem, fœminam omnium Conditoris genitricem, fratrem nostrum quondam perditum, abjectum et despectum, nunc inventum, nunc reversum, nunc regnantem, nunc omnibus imperantem? O [7] *quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer te* labiis devotionis, amplectar te brachiis dilectionis, *et jam me nemo despiciat,* cum introduxero te in cubiculum cum dulcedine suavissimæ fruitionis? Hanc fruitionem desiderabat ille devotus Anselmus in *Meditationibus*, quando dicebat : O dulcissime puer, quando te videbo? quando ante faciem tuam apparebo? quando satiabor pulchritudine tua? quando videbo vultum tuum desiderabilem [8], *in quem desiderant angeli prospicere?* Væ animæ te non amanti, te non quærenti; quæ si mundum diligit, peccatis servit, nunquam est quieta, nunquam secura. Nihil, quæso, sine te mihi placeat,

Videre beatam Virginem super choros angelorum exaltatam, magna est beatis materia gaudii.

[1] *Psal.* LXXXIII, 11. — [2] *Cant.*, III, 3. — [3] II *Reg.*, XVIII, 33. — [4] *Cant.*, III, 4. — [5] *Matth.*, XI, 28. — [6] *Eccli.*, XXIV, 26. — [7] *Cant.*, VIII, 1. — [8] I *Petr.*, I, 12.

nihil dulcescat, nihil speciosum, nihil præter te arrideat pretiosum. Vilescant omnia præter te. Quod tibi est adversum, mihi sit molestum; et tuum beneplacitum sit meum indeficiens desiderium. Tædeat gaudere sine te; delectet gaudere tecum, et flere tecum. O bone Jesu, si tam dulce est flere de te, quam dulce est gaudere de te! Hæc Anselmus.

ANIMA.

O homo, jam amore videndi Dominum Creatorem meum langueo, ardore cernendi Jesum fratrem meum, Redemptorem meum deficio. Jam desiderio intuendi illam Virginem gloriosam, matrem Redemptoris mei, vulnerata ingemisco. O bone Jesu, quando videbo gaudium meum, quod desidero? O quando apparebit gloria ejus, quam esurio? o quando veniet consolator meus, quem expecto? O si quando inebriabor ab ubertate domus ejus ad quem suspiro! Jam gravis est mihi omnis creatura ad videndum, quia nimis incomparabiliter supereminet pulchritudo, a qua processerunt hæc omnia.

HOMO.

O anima, expecta cum patientia, ut crescant tua desideria, quia scriptum est[1] : *Modicum, et non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me.*

ANIMA.

O modicum longum! o modicum nimis prolixum! quia etsi modica sunt merita, longa tamen sunt desideria.

HOMO.

O anima, si longa et magna videntur tibi tua desideria, quibus æstuas ad æternam gloriam et charitatem contemplandam, quanto, putas, desiderio æstuare debeas ad æternam bonitatem perfecte diligendam, et ad summam majestatem æternaliter possidendam? Si enim hæc omnia summe non diligeres, quomodo de visione gauderes? Et si bene videres et intelligeres, et tamen secura mente non possideres, quomodo beata permaneres? Augustinus[2] : « Ibi igitur vacabimus et videbimus, (*a*) et amabimus; amabimus, et habebimus (*b*).[3] Ipse enim est finis desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione in æternum laudabitur. » Una enim ibi et tota virtus est amare quod videas, et summa felicitas æternaliter habere quod amas. Ibi beata vita in suo fonte plene perfecte bibitur, unde miro quodam modo et delectabiliter impressa sitis simul atque satietas alternatur. Sed longe a siti necessitas repellitur, longe a satietate fastidium amovetur. Hæc Augustinus. Sed ne te jam, o anima, diutius protraham, audi quid de prædictis omnibus cœlestibus gaudiis dicit ille devotus Anselmus in fine Proslogii (*c*)[4] : « Excita te, inquit, nunc, o anima mea, et erige totum intellectum tuum, et quantum potes cogita attente, quam delectabile sit illud bonum, quod continet jucunditatem omnium bonorum. Si jucunda est vita creata, quam jucunda est creatrix essentia? Si jucunda est salus facta, quam jucunda est salus quæ fecit omnia? Si amabilis est scientia de creaturis, quam delectabilis est illa quæ de rebus increatis? » Et infra[5] : « Cur ergo per multa vagaris, quærendo bona creata? Ama unum, in quo sunt omnia. Si delectat pulchritudo, *Fulgebunt justi sicut sol*[6]. Si libertas aut fortitudo, *Similes erunt angelis Dei in cœlis*[7]. Si longa et salubris vita, est ibi sanitas æterna. Si satietas aut ebrietas, satiabuntur de gloria[8], et[9] *inebriabuntur ab ubertate domus* Dei. Si melodia, ibi canunt angeli. Si societas et amicitia, ibi est beatorum societas, et omnium una voluntas. Si honores et divitiæ[10] : *Gloria et divitiæ in domo ejus.*

[1] *Joan.*, XVI, 16. — [2] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XXII, c. XXX, n. 5. — [3] Ibid., n. 1. — [4] Anselm., *Proslog.*, c. XXIV. — [5] Ibid., c. XXV. — [6] *Matth.*, XIII, 43. — [7] Ibid., XXII, 30, quoad sensum. — [8] *Psal.* XVI, 15. — [9] *Psal.* XXXV, 9. — [10] *Psal.* CXI, 3.

(*a*) *Apud. Aug. edit. Gaume repet.* videbimus. — (*b*) Laudabimus. — (*c*) *Cæt. edit.* Prosologion.

Si securitas et certitudo, ibi omnium temporum æterna longitudo. O cor humanum, cor indigens, cor expertum ærumnas, imo obrutum ærumnis, quantum gauderes, si his omnibus abundares! Interroga intima tua, si capere possint tantum gaudium suum de tanta beatitudine sua. Sed si homo de tanta beatitudine vix capiet gaudium proprium, quomodo capax erit tantorum gaudiorum, quantus est numerus electorum, ubi unusquisque tantum diligit proximum suum, quantum seipsum, et tantum de suo gaudio gaudet, quantum diligit? Ita etiam quisque plus absque æstimatione, de Dei, quam de sua et omnium electorum gaudet felicitate : quia sicut Deum toto corde, tota anima, tota mente diligit, ita ad plenitudinem gaudii illius totum cor, tota anima, tota mens non sufficit : quia tantum gaudebunt, quantum amabunt; tantum amabunt, quantum videbunt. » Et infra [1] : « Certe [2] *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit,* quantum te amabunt, et cognoscent sancti Dei. Oro, Deus meus, cognoscam te, amem te, ut æternaliter gaudeam de te. Et si non possum ad plenum in hac vita, crescat saltem hic notitia tui et amor, ut ibi sit plenum gaudium : hic sit in spe, et ibi sit in re. Domine Pater, per Filium tuum hic jubes, imo consulis petere, et promittis accipere, [3] *ut gaudium nostrum plenum sit.* Peto, Domine, quod per admirabilem consiliarium tuum consulis petere, et promittis accipere, *ut gaudium nostrum sit plenum :* meditetur de hoc mens mea, sermocinetur os meum, loquatur inde lingua mea, esuriat anima mea, sitiat caro mea, donec intret in gaudium Dei mei, qui est trinus et unus benedictus in sæcula. Amen. »

[1] Anselm., ubi sup., c. XXVI. — [2] I *Cor.*, II, 9. — [3] *Joan.*, XVI, 24.

DE SEX ALIS SERAPHIM [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

In hoc Opusculo S. Bonaventuræ Ecclesiæ prælatos instruit ad regimen subditorum, quibus præsunt, et veluti Seraphim sex alis ornari Isaias, cap. VI, vidit, quarum duabus faciem velabant, duabus pedes, duabus denique volabant : sic etiam spiritualis seraph, hoc est, Prælatus Ecclesiæ Domino sedenti super solium excelsum et elevatum, sex virtutibus, quasi alis sex, ornatus assistere debet; quarum duas scilicet zelum justitiæ, et pietatem sive compassionem fraternam super caput elevet; mediis duabus, patientia et vita exemplari, corpus et pedes contegat; ultimis vero duabus, circumspectione et devotionis studio, in latum et in altum volet. Unde his præcipue virtutibus pollere debet, qui Ecclesiæ regimini præest, zelo justitiæ, pietate, patientia, exemplo vitæ, discretione circumspecta, et devotione ad Deum. De quibus Auctor mirifice tractat in hoc Opusculo.

PROLOGUS [2]

Da occasionem sapienti, et addetur ei sapientia, ait Sapiens [3]. Cum igitur ex levi sæpe occasione sapiens materiam sumat altioris sapientiæ, qui etiam plerumque per alterius stultitiam fit eruditior, præsens scriptum potest novis, et nondum in officio regiminis ad plenum exercitatis, ad perfectam discretionem boni et mali aliqualem dare occasionem ulterius cogitandi, et ex defectibus, quos hic considerat, diligentius requirendi altiora, sive utiliora, et etiam plura, quam hic ponantur, necessaria religioso ad regimen subditorum : quia legimus aliquando sapientes etiam ex naturali quadam brutorum animalium solertia, sumpsisse considerationis industriam ad aliquas artificiales peritis (*a*) excogitandas.

CAPUT PRIMUM.

Quod incipientes propter multa magistro indigent.

Hæc tibi scribo, ut scias quomodo oporteat te in domo Domini conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, ait [4] Paulus discipulo suo Timotheo, quem præfecerat Ecclesiæ Ephesi Episcopum. Scribit duabus Epistolis, dicens, quomodo conversari debeat in officio regiminis commissi, ut qui jam ab eo didicerat

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, part. II; edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, pag. 89; edit. Ven., an. 1611, tom. II; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, pag. 86; edit. Ven. an. 1754, tom. V, p. 453. — [2] Capitum Summam, quæ hoc loco in cæteris editionibus legitur, uniformitatis gratia, ad calcem, sive Indicem hujus tomi rejiciendam duximus. — [3] *Prov.*, IX, 9. — [4] I *Tim.*, III, 14, 15.

(*a*) *Forte legendum* peritias.

sancte vivere per se, sciret etiam qualiter deberet et aliis utiliter et meritorie præesse : magna enim differentia est inter scire humiliter subesse, et pacifice coesse, et utiliter præesse. Bernardus : « Multos cernis sub magisterio quiete vivere, quos si jugo absolvas, videbis non posse quiescere, nec a qualibet re innoxios se servare. » Rursum quosdam invenies cum omnibus, quantum in se est, pacifice vivere, minime quidem egentes magistro, nec tamen idonei magisterio. Quadam siquidem bona mediocritate contenti sunt, sicut eis mensuram gratiæ partitus est (*a*). Socialiter enim inter fratres sciunt et pacifice vivere ; super fratres vero positi, non solum inutiliter præsunt, sed et insipienter et nequiter. Utrisque ergo prioribus meliores existunt, qui superiores esse sciunt. Unde non passim quemlibet de populo docetur Moses cæteris præficere, sed eligere [1] *ex omni populo viros gnaros et idoneos, qui judicent populum omni tempore.* Qui enim suscipit officium ut alios bonos faciat, oportet ut hanc bonitatis disciplinam prius in se studiose exercendo didicerit, et ex frequenti usu in habitum verterit. Unde Dominus prius legitur fecisse, quæ post erat verbo docturus, juxta illud Actorum [2] : *Cœpit Jesus facere, et docere.* Insipientes indigent magistro ut doceantur, quæ ignorant scilicet, saluti suæ et profectui necessaria et utilia, quid vitare debeant, quid (*b*) sapere, quid facere, quid sperare, quid timere, et inter minus vel magis bona, vel mala discernere, dicente Paulo [3] : *Indigetis ut vos doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei.* Item, ut exerceantur in operibus virtutum, quia non sufficit scire bonum, nisi etiam opere exerceatur ; sicut qui audit medicinæ scientiam, et postea practicando exercet eam : quia exercitium operis plenius imprimit menti cujuslibet disciplinæ peritiam, quam solus auditus. Et quia imperfecti segniter se in virtutum studiis exercere solent, expedit, ut ab alio ad hoc aliquando compellantur. Ideo magistri solent discipulos suos, quos perfectos cupiunt fieri, in diversis virtutum exercitiis occupare, modo in operibus humilitatis, modo fraternæ charitatis, modo sobrietatis, modo devotionis, modo patientiæ, castitatis, taciturnitatis, obedientiæ, et aliarum virtutum, ut et ipsæ virtutes sic exerceantur et usitentur, et vitia his contraria expugnentur : quia quanto magis virtus proficit, tanto plus vitium oppositum debilitatur, teste Apostolo, qui ait [4] : *Educate illos in disciplina*, etc. Item, ut custodiantur, ne aut in peccatum labantur, aut minus discrete in virtutum operibus exerceantur. Teneræ enim mentes, et a peccati affectu nondum plene detersæ, sæpe magis timore humano, quam divino, a voragine peccati detinentur. Ideo talibus expedit superiorum magisterio subjici, per quos a periculis retrahantur, sicut parvuli a matre, comminante ab aquæ mersione et luporum morsibus, defenduntur. Nam ait Sapiens [5] : *Servabit te, ut eruaris de via mala, et ab hominibus qui perversa loquuntur.* Item, ut corrigantur, quia peccatum trahit semper ad deterius, sicut una febris præbet sæpe incentivum alteri graviori, et vulnus aliquando generat fistulam, nisi medicorum præcaveatur solertia. Ita qui labitur in culpam, difficulter per se corrigitur, nisi fortioris auxilio fulciatur. Propter hoc enim vult Deus minoribus majores præesse, ut si ceciderint in peccatum, vel in aliquo negligentes fuerint et incauti, per eorum admonitiones, correptiones, coercitiones et castigationes emendentur : quia si arbitrio suo relinquerentur, forte nec reatum suum agnoscerent, vel torpentes diutius in cœno volutarentur, vel profundius mergerentur, juxta illud Judæ [6] : *Hos quidem arguite judicatos*, etc. Necesse ergo est eos magistro humiliter esse subditos, quia nisi quis medico obedienter obtemperet, non poterit ab infirmitate sanari. Infirmitates in

[1] *Exod.*, XVIII, 22. — [2] *Act.*, I, 1. — [3] *Hebr.*, V, 12. — [4] *Ephes.*, VI, 4. — [5] *Prov.*, II, 11. — [6] *Jud.*, 22.

(*a*) *Suppl.* Deus. — (*b* *Cæt. edit.* quod.

homine sunt passiones vitiorum, dicente Luca [1] : *Dedit illis virtutem et potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent.*

CAPUT II.

Qui sunt, qui magistro non indigent.

Qui autem pro se magistro non indigent, debent ita esse scientia illuminati, quod nihil errent in his, quæ scire necessario eos oportet, et qui decipi non possint ab homine vel dæmone, vel a proprio sensu sub specie boni, donum discretionis spirituum divinitus adepti, juxta illud [2] : *Ubique et in omnibus institutus sum.* Debent etiam fervore devotionis ita esse repleti, quod, sine alterius impulsu, noverint seipsos ad omne virtutis exercitium fideliter extendere, prout semper fuerit optimum, teste Paulo, qui ait [3] : *Quæ retro sunt oblitus, ad ea quæ priora sunt extendens me ipsum*, etc. Debent quoque amore boni sic esse affecti, ut quasi naturaliter omne malum horreant, et omne scandalum studiose declinent, et sine offensa quiete cum omnibus conversentur. *Sine offensione*, inquit Apostolus [4], *estote Judæis et gentibus.* Debent etiam ita esse humiles in omnibus, ut nec de bonis habitis extollantur, nec malis omnino carere præsumant, ut omnes excessus cogitationis, locutionis et omissionis in se subtiliter dijudicent, et districte castigando emendent. Et in his omnibus sint ita stabiles, quod nec levitate, nec distractione aliqua, nec difficultate, vel metu, a statu suo valeant immutari. Unde Apostolus ait [5] : *Quis nos separabit a charitate Christi?* etc. Quia vero tales difficile est reperiri, ideo paucis convenit vivere absque obedientiæ jugo. Ideo, et qui aliis præsunt, ut melius et cautius agant, necesse habent aliis subesse a quibus regantur, usque ad summum omnium Pontificem, qui vice Christi caput est totius Ecclesiæ militantis. Qui ergo aliis præesse debent, utiliter oportet eos variis esse præditos virtutibus, et alias habere ad se, quibus irreprehensibiliter vivant, alias ad suos superiores, quibus humiliter eis, in quibus debent, obediant, et alias ad subditos, quibus eos meritorie regant, et ad meliora promoveant. Licet autem omnes virtutes eminenter habere debeat, qui ex officio habet omnes virtutes docere; tamen quia numerus senarii est primus perfectus numerus sui generis perfectione, constans ex suis partibus aliquotis, ideo bonus animarum rector, maxime religiosus, inter cæteras (*a*) debet singularibus virtutibus præfulgere, sicut Isaias scribit, dicens [6] : *Seraphim,* quæ sunt præeminentiora cœlestium spirituum agmina, sex alis ornata. Et fortasse ideo in tali similitudine, sanctissimo patri nostro Francisco in illa gloriosa visione Dominus apparuit, quando eum passionis suæ stigmatibus insignivit, ut ostenderet, sic alatos spiritualiter esse debere, qui ejus familiæ utiliter præesse deberent. Sic et quatuor animalia singula, ut dicitur in *Apocalypsi* [7], habebant alas senas.

CAPUT III.

Quod prima ala Prælatorum esse debet zelus justitiæ.

Prima ala rectoris animarum est zelus justitiæ, qua non potest aliquid injustum, sine cordis murmure, in se et in aliis sustinere. Tantum enim quisque bonus æstimandus est, quanto plus et purius odit malum. Quantum enim res diligitur, tantum de ejus destructione doletur. Unde notandum, quod sunt quatuor genera hominum in religione, vel in Ecclesia, quos bonos dicere solemus.

Primi sunt, qui malum non faciunt, nec tamen in bonis operibus se studiose exercent, ut qui quiete et pacifice cum aliis vivunt, nullum offendentes, nec pravo opere scandalizantes, ut habetur in primo Regum [8] : *Homines isti satis boni fuerunt, et non molesti*, etc. Nam in usu habemus tales

[1] *Luc.*, IX, 1.— [2] *Philip.*, IV, 12.— [3] Ibid., III, 13.— [4] I *Cor.*, X, 32.— [5] *Rom.*, VIII, 35.— [6] *Isa.*, VI, 2.— [7] *Apoc.*, IV, 8.— [8] I *Reg.*, XXV, 15.— (*a*) *Leg.* cæteros.

dicere bonos esse, qui mites sunt moribus, et socialiter se cum omnibus habentes, licet alias, quoad virtutum exercitia, aliquatenus desides videantur. Pueri etiam baptizati eodem modo boni judicantur.

Secundi sunt meliores, qui mala nulla faciunt, insuper in bonis operibus se frequenter exercent, in sobrietate, castitate, humilitate, dilectione proximi, et orationis instantia, et similibus quæ intelligunt esse bona. Sed hoc habent proprium, quod sicut nihil negligunt ex his, quæ possunt et sciunt, ita etiam videtur eis sufficere bonum quod faciunt, nec ad ampliora et perfectiora sanctitatis desideria incalescunt. Sufficit eis tantum vigilare, tantum orare, tantum pro Deo dare, vel jejunare, vel laborare, et hujusmodi, et his contenti quiescunt, altiora aliis relinquentes. Unde Ecclesiastes dicit [1] : *Deprehendi nihil esse melius, quam lætari hominem in opere suo, et hanc esse partem illius.*

Tertii sunt adhuc his meliores, qui malum detestantur et fugiunt, et bona quæ possunt studiose exercent, et cum omnia fecerint quæ valent, parum se fecisse reputant, respectu eorum quæ desiderant, scientes quod [2] *corporalis exercitatio ad modicum utilis* ab Apostolo perhibetur. Et ideo viri mentales, et internæ devotionis saporem, et Dei familiarem notitiam, et amoris ejus experientiam suspirando desiderant, nihil se esse vel habere judicantes, nec aliquam consolationem de temporalibus vel spiritualibus recipientes, quandiu pro vôto prædictis virtutum exercitiis et devotionis dulcedine non fruuntur; nec tamen contra aliorum vitia, et peccatorum pericula, zelo fervoris inflammantur, cupientes omnes esse bonos et beatos, sed, ubi hoc non inveniunt, nullo doloris vulnere sauciantur, sibimet intenti et Deo. Tales ad aliorum regimen vocati, minus in hac parte sunt idonei, quia proprie quieti curam illorum postponunt, juxta illud Judicum [3] : *Numquid possum deserere dulcedinem meam fructusque suavissimos, et ire ut inter cætera ligna promovear?*

Quarti sunt optimi, qui, cum prioribus bonis innocentiæ et virtutum, zelo justitiæ et animarum calent, qui non recipiunt consolationem de propriæ salutis profectibus, nisi alios secum trahant ad Deum, exemplo Domini, qui cum in se plenum semper habeat gaudium, non contentus gloriam solus habere, exivit, assumpta forma servi, multos filios in gloriam secum adducere opere et doctrina. Zelus enim justitiæ, quasi coccus bis tinctus, duplici charitatis colore rutilat, amoris nempe Dei, et proximi. Amor Dei non tantum desiderat ejus dulcedine frui, et ei adhærere, sed etiam diligit ejus beneplacitum impleri, ejus cultum ampliari, et honorem sublimari. Vult enim eum ab omnibus agnosci, ab omnibus amari, ab omnibus ei serviri, et super omnia honorari. Amor proximi desiderat non tantum ejus corporalem sospitatem et temporalem prosperitatem, sed magis ejus æternam salutem. Ubi ergo charitas ista perfectior, ibi ferventius desiderium ista promovendi, et instantius studium et purius gaudium, ubi hæc invenit. *Charitas* enim, teste Paulo [4], *non quærit quæ sua sunt*, sed quæ Dei sunt. Quantum vero diligis Deum, et, quæ Dei sunt, purius desideras, tantum doles de offensa Dei, ubi vides eum non agnosci, et ideo inhonorari; ubi vides eum non amari, et ei non obediri, et ejus cultum destrui, et adversarios multiplicari, et lætificari. Et quantum diligis salutem proximi, tantum affligeris de perditione ejus et nocumento profectus ejus. Et licet hæc charitas requiratur in omnibus amicis Dei, maxime tamen in vicariis Dei, qui secundum cor Dei moveri debent amore justitiæ, et odio iniquitatis, juxta illud Psalmistæ [5] : *Dilexisti justitiam*, etc. Justitia potest hic dici observantia omnium quæ saluti vel profectui animarum necessaria sunt. Horum quædam pro-

[1] *Eccle.*, III, 22. — [2] I *Tim.*, IV, 8. — [3] *Judic.*, IX, 9. — [4] I *Cor.*, XIII, 5. — [5] *Psal.* XLIV, 8.

cedunt a lege æterna, ut puræ virtutes, humilitas, castitas, charitas, misericordia, et similes, sine quibus nullus quocumque tempore poterit salvari, ad quæ etiam præcepta Dei in veteri ac nova lege maxime ordinantur; sicut Dominus dicit ad dilectionem Dei et proximi totam legem et prophetas spectare, juxta illud Matthæi [1] : *In his duobus mandatis*, etc. Quædam procedunt ab humana, vice Dei, institutione, ut quæ per Ecclesiam pro communi utilitate canonice sunt præcepta, sicut ritus sacramentorum, et aliorum ad juris positivi præcepta pertinentium, extra Canonum statuta, ab omnibus observentur, ita ut quilibet observet illa, quæ conveniunt suo statui, et communiter omnibus imperata, laicis vel clericis. Quædam ex voto proprio proveniunt, ut ea ad quæ nemo cogitur; sed qui ea sponte voverit, jam velut ex præcepto Dei compellitur observare, ut continentia religiosorum, et obedientia, et abdicatio proprii in monasterio, et alia quæ per regulam vel cujusque ordinis diffinitiones ejus professoribus imponuntur. Unde dicitur in Deuteronomio [2] : *Cum votum voveris Domino, non tardabis reddere, quia requiret illud Deus. Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum; si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis et facies, sicut promisisti Domino Deo tuo, et propria voluntate et ore tuo locutus es.* Quædam procedunt ex quadam habilitatione profectus spiritualis, quamvis alias non forent necessaria saluti, ut omnis disciplina divini officii et singulorum officiorum in religione, et officiorum et temporum, in silentio, victu et habitu, labore, vigiliis et cæteris spiritualibus disciplinis, in quibus singularum religionum observantiæ variantur, sicut cuique visum fuerit expedire. Quamvis autem in his non tanta vis salutis existat, quasi sine eis non sit salus; tamen transgressio eorum deformat religionis decorem, et profectum spiritualem et aliorum ædificationem solet impedire. Sicut enim amor justitiæ studiose ista in se et in aliis promovet, et congaudet, ubi videt ista sollicite observari, ita e contrario dolet, et uritur, et accenditur pro transgressione illorum, cum Psalmista, qui ait [3] : *Nonne, qui oderunt te*, etc. Quodam vero intimo sapore discernit, ut magis doleat de gravioribus transgressionibus, et de levioribus minus. Sapiens enim quasque res ponderat, prout sunt, tam bonas quam malas. Insipiens autem quandoque magna pro parvis reputat, et levia quasi maxima ponderat, trabem festucam judicat [4], excolando (*a*) calicem [5], deglutiendo camelum. *Decimatis mentam et rutam, et relinquitis quæ graviora sunt* [6], ait Salvator. Tales zelo proprio feruntur, et non spiritu Dei in hac parte aguntur : sicut quidam, pro una inclinatione in choro neglecta, plus accenduntur puniendo, quam pro longa detractione de alio religioso excitata; gravius indignantur pro versiculo et rubricula neglecta, quam pro magna perturbatione cum scandalo procurata.

Principaliter igitur cavenda et dolenda est transgressio præceptorum Dei; deinde inviolabilium præceptorum sanctæ Ecclesiæ; deinde illorum quæ sub voto voluntario sibimet quisque fecit necessaria, ut regulares observantiæ, maxime quæ sub præcepto sunt statutæ; deinde omnia scandala speciem mali quamcumque habentia, nempe avaritiæ, superbiæ, invidiæ, gastrimargiæ, iracundiæ, suspectæ familiaritatis, inobedientiæ, et similium vitiorum, quæ odorem famæ religiosorum, quo alii fideles debent ab eis ædificari, et ab eis discere quid cavere debeant et facere, fœtere faciunt, ut magis per eos inficiantur scandalo, quam reficiantur virtutis exemplo, dicente Apostolo [7] : *Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes.* Facilius autem gravius peccatum occultum curatur, quam tale scandalum, quia

[1] *Matth.*, XXII, 40. — [2] *Deut.*, XXIII, 21-23. — [3] *Psal.* CXXXVIII, 21. — [4] *Matth.*, VII, 3. — [5] Ibid., XXIII, 24. — [6] Ibid., 23. — [7] *Rom.*, II, 24.

(*a*) *Cæt. edit.* aliquando.

illud per secretam potest sanari pœnitentiam, scandalum autem vix avellitur a cordibus omnium, ad quos forte pervenit.

Deinde cavenda est perturbatio studii devotionis, ex qua fulcitur omnis vera religio, et omne virtutis exercitium impinguatur. Arida est omnis religio, quæ non oleo isto saginatur. Instabilis est bonorum operum structura, quæ devotæ orationis frequentia non compaginatur, sicut paries lapidum sine cæmento. In omni religione, ubi devotionis fervor tepuerit, etiam aliarum virtutum machina incipit deficere, et propinquare ruinæ. Lampades fatuarum virginum sine oleo extinguuntur, ut ait [1] Matthæus.

Deinde cavenda est negligentia exterioris disciplinæ, quæ pro decore religionis et habilitatione (*a*) profectus spiritualis statuta est, cujus desertio signum est neglectæ conscientiæ et interioris levitatis. Talis autem disciplinæ observantia non ita mandatur, quasi aliter non liceat vivere; sed quia sic magis convenit propter honestatis conformitatem, et uniformem fratrum conversationem, ne pro libito quisque vivat, et faciat, unde forte alii turbentur. In talibus autem observantiis, quæ in se indifferentes sunt, sed propter aliud statutæ, ut dictum est, major est habenda diligentia ut bene serventur, quam scrupulose timendum, si ex aliqua surreptione quandoque transgrediantur, nisi forte consuetudo generaret deformitatem, et dissimulatio negligentiam nutriret : tunc propter aliud malum consequens præcavendum, zelus disciplinæ dormire non debet.

Verus igitur justitiæ zelator primo cavet, ne malum aliquo modo faciat, vel doceat; secundo, ne licentiet, vel concedat, quacumque importunitate seu circumventione mollitus; tertio, ne faveat, vel diligat fieri, etiam si eo irrequisito fiat, vel absente; quarto, ne dissimulet et taceat, quasi nesciens, cum ad eum pertineat arguere, et ostendere quantum malum sit, et deterrere, ne ulterius audeant similia attentare; quinto, ne inultum esse patiatur, quia aliquod bonum parit peccati castigatio, scilicet quod ipse qui fecit, prohibetur ultra peccare, dicente Domino [2] : *Jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Item, quia purgatur a peccato, ne a Deo postea durius puniatur; ait enim Scriptura [3] : *Tu virga percuties illum, et animam illius de inferno liberabis.* Item, quia per hoc alii erudiuntur, ut caveant similia perpetrare, juxta illud [4] : *Pestilente flagellato, sapientior erit parvulus*, id est, tenellus et novus cautior esse discet. Item, ipse prælatus, vicarius superni judicis, liberat animam suam a peccato negligentiæ, officium suum sic implendo. Quod quia Heli sacerdos non fecit, mortis sententiam cum filiis peccantibus excepit, ut habetur in primo *Regum.* In hoc enim differunt laudabiles religiones, et jam dilapsæ, non quod nullus peccans in laudabilibus reperiatur, sed quod nullus impune peccare sinatur, et peccandi aditus studiose præcludantur, et incorrigibiles et alios inficientes eliminentur, et boni foveantur et diligantur, ut perseverent, et in melius semper proficiant. Nam cum in conventu angelorum ante confirmationem, et in ordine apostolorum sub magisterio Christi reperta sit pravitas, quis ordo bonorum in terra audeat sibi arrogare hanc prærogativam, quod peccatum in eo non sit? Quia etsi plurimi per Dei gratiam immunes ibi fuerint, sed non omnes. *Vos mundi estis* [5], *sed non omnes,* ait Dominus. Bonis enim, quandiu sunt hic in statu merendi, expedit aliquos malos secum habere, qui eis sint majoris occasio meriti, quibus compatiantur in malis suis, contra quos zelus eorum inardescat, quos corrigere laborent, quibus similes fieri pertimescant, qui eis sint tentationis materia, a quibus etiam persecutiones sustineant, et ex quorum consideratione confusi humilientur; quia tales non sunt, admoneantur gra-

[1] *Matth.*, XXV, 8. — [2] *Joan.*, V, 14. — [3] *Prov.*, XXIII, 14. — [4] *Prov.*, XIX, 25. — [5] *Joan.*, XIII, 10.

(*a*) *Cæt. edit.* habilitationis.

tiarum actionis ei, qui custodit eos, ne tales efficiantur. Si autem deessent bonis prædictarum virtutum occasiones, merita ipsorum tanto fierent etiam minora, dicente Paulo [1] : *Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet.* Nec tamen diligendi sunt mali, seu fovendi, sed tolerandi, maxime quorum occulta sunt mala, et alios non inficiunt, et est spes de correctione ipsorum. Ubi vero ista defecerint, ibi sine gravi detrimento sustineri non possunt; et ideo eliminandi sunt, ne putetur eorum pravitas bonis placere. Interim, etiam dum tolerantur, puniendi sunt stimulis admonitionum, correctionum, confusionum et castigationum, ungendi etiam fomentis exhortationum, consolationum, et orationum, et promissionum, si forte convalescant de infirmitate, et fortes fiant. Præcludenda est eis via peccandi, et tentationis aditus obstruendi : quod etiam bonis expedit, ne opportunitas mali faciat eos deteriores. Prælatus enim, vicarius Dei, cui data est potestas a Domino super familiam suam, et cui debent subditi ea de causa vice Domini obedire, si non corrigit delinquentes, si permittit sub se vitia crescere, et consuetudines malas oriri, et jam exortas roborari et dilatari, si videt regulares observantias dilabi, et transgressiones multiplicari, et pro posse non obviat tam præsentibus malis, quam imminentibus, triplicem Deo reddet rationem.

Primo, pro sua negligentia, quando non fecit ad quod officio tenebatur; nam ait Sapiens [2] : *Cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem ejus ambulastis. Horrende et cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum his qui præsunt, fiet,* etc.

Secundo, quod omnia peccata subditorum, quæ poterat et debuerat correxisse et præcavisse, imputantur ei. Unde dicitur Ezechieli [3] : *Si non fueris locutus, ut custodiat se impius a sua via, ipse in impietate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.*

Tertio, pro abusione honoris et potestatis sibi collatæ, quam ad propriam gloriam et commodum retorsit, et non ad quod data est ei. *Tollite ab eo talentum,* ait Christus [4], *et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores : ibi erit fletus et stridor dentium.* Ostendat ergo bonus zelator quantum diligat Deum, in eo quod beneplacitum ejus in se et in aliis promoveat, nec ab hoc zelo mollescat per desidiam, nec (*a*) labore lassetur, nec consiliis flectatur, nec astutiis circumveniatur, nec amicitia, nec blandimentis deliniatur, nec minis terreatur, nec per diuturnæ pravæ consuetudinis præscriptionem desperet, quin suum officium exequatur.

CAPUT IV.

Quod secunda ala Prælatorum est pietas.

Secunda ala hujus ecclesiastici Seraph est pietas, sive fraterna compassio, ut sicut eum charitas Dei ad zelum justitiæ inflammat, ita fraterna dilectio ad pietatem informet. Nam etsi vitiis debetur virga feriens, infirmitati tamen necessarius est baculus sustentans, dicente Propheta [5] : *Virga tua et baculus tuus*, etc.; et Paulo [6] : *In virga veniam ad vos, an in charitate et spiritu mansuetudinis?* Sic et ille Samaritanus, vulneribus illius semivivi relicti, infudit vinum zeli ferventis, et oleum pietatis mitigantis. Alia est autem infirmitas corporis, alia mentis : et utraque indiget compassione.

Infirmitas corporis triplex est. Primi sunt infirmi decumbentes in lectulis, vel in acutis, vel in aliis infirmitatibus gravibus laborantes. Alii sunt infirmi, per domicilum, vel etiam per terram quandoque deambulantes, et tamen sæpe gravibus doloribus afflicti, ut calculosi, infistulati, ponderosi, et similes. Tertii determinatam infirmitatem non habentes, sed tamen corpore debiles, et vi-

[1] *Gal.*, VI, 8. — [2] *Sap.*, VI, 5, 6. — [3] *Ezech.*, XXXIII, 8. — [4] *Matth.*, XXV, 28, 30. — [5] *Psal.* XXII, 4 — [6] I *Cor.*, IV, 21. — (*a*) *Cæt. edit.* ne.

ribus exhausti, ut senes, et laboribus confecti, vel naturali infirmitate depressi, sed quandoque accidentali languore ad tempus attriti. His est triplici pietate subveniendum, scilicet remediis medicinalibus, si congrue potest fieri; item relaxatione rigoris in victu, vestitu, vigiliis et hujusmodi; item exemptione laboris in officiis, servitiis, discursibus, et hujusmodi, prout cujusque necessitas exquirat : ita quod primis de primo, secundis de secundo, tertiis de tertio, juxta singulorum indigentiam speciali (*a*) succurratur. Omnis humanitas est infirmis et debilibus exhibenda, quia flagellati sunt a Domino : si super hoc ab hominibus tribulantur, ipsa eorum miseria clamat ad Patrem misericordiarum contra illos qui eos tribulant, conquerendo dicente David [1] : *Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt*, etc. Infirmus enim, qui afflictus sibimet subvenire non valet, eo ipso amplius tribulatur, quia ab his quibus deberet non consolatur, non a labore relevatur, non subvenitur indigenti, nec habet sibi compatientem, juxta illud propheticum [2] : *In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me; improperium expectavit cor meum et miseriam. Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni. Et dederunt in escam meam fel* exprobrationis, *et in siti mea potaverunt me aceto* objurgationis.. *Fiant ergo eis*, quæ sequuntur, etc. Bonus autem prælatus agnoscit se fratrum suorum patrem, non dominum; et exhibet se eis medicum, non tyrannum; nec reputat eos ut jumenta sua, vel servos emptionis, sed ut filios hæreditatis supernæ consortes; et facit eis, sicut vellet sibi fieri, si similiter indigeret. Sed fortes et sani non sentiunt quod sentit æger; ideo nesciunt eis compati : scient autem postea, cum dolebunt. Quod si objiciant, quia sæpe fingunt se quidam debiliores, quam sint, numquid propter hoc omnes sunt hypocritæ judicandi, cum e contrario pro paucis justis, ut habetur in *Genesi* [3], multis malis Dominus voluerit pepercisse?

Triplici autem ratione magis indigent infirmi subsidio pietatis, quam sani et robusti : primo, propter sustentationem vitæ, quia seipsos non valent procurare : si tunc etiam ab aliis non procurantur, coguntur deficere, et non possunt subsistere, juxta illud [4] : *Ne penitus pereat, qui abjectus est.* Secundo, propter restaurationem sanitatis et virium, quas in infirmitate perdiderunt. Cum enim sanus et fortis solum (*b*) indigeat sustentamento, ut quod habet, conservet, æger et debilis indiget duplici refectione, ne pereat, et perdat quod adhuc habet, et reparet quod amisit, dicente Domino [5] : *Ab eo qui non habet, etiam quod videtur habere, auferetur.* Tertio, propter consolationis relevamen, quia cum sic multipliciter affligantur, solatium est eis, cum vident alios sibi compati, et ad reparationis suæ studium fideliter cooperari, et dicunt cum Saul [6] : *Benedicti vos a Domino, quia doluistis vicem meam.*

Sed dicunt aliqui : « Illis debilibus digne subvenitur, de quibus est spes convalescentiæ; in illis vero, de quibus non præsumitur quod aliquando convalescant, inutiliter consumuntur expensæ. » Hoc recte diceretur, si non propter meritum charitatis, sed propter retributionem humanæ utilitatis deberet infirmis misericordia exhiberi. Qui autem propter hoc infirmo subvenit, ut cum sanatus fuerit, benefactum illud servando retribuat, merito charitatis se privat. Ubi enim major miseria, ibi clarior misericordia apparet, et purior charitas. Expedit ergo Prælatum quandoque experiri infirmitates cæterorum, ut discat compati, juxta illud [7] : *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris*, etc.

Infirmorum mente tria genera.

Infirmorum mente etiam sunt tria genera. Primi, qui ex devotionis defectu, vel tentationis impulsu, proni sunt ad scandala et

[1] *Psal.* LXVIII, 27. — [2] Ibid., 21 et seq. — [3] *Gen.*, XVIII, 24. — [4] II *Reg.*, XIV, 14. — [5] *Luc.*, XIX, 26. — [6] I *Reg.*, XXIII, 21. — [7] *Hebr.*, IV, 15.

(*a*) *Leg.* specialem. — (*b*) *Cæt. edit.* solus.

peccata, ex facili occasione vacillantes, et ad lapsum proclives, ut ait Apostolus[1] : *Inter vos multi infirmi et imbecilles*, etc.

Secundi, qui licet bonæ voluntatis sint, et devoti, tamen ex levi correptione, vel invectiva objurgatione, effecti pusillanimes, aut coincidunt in quamdam desperationis diffidentiam, aut prorumpunt in gravem commotionis impatientiam : unde postmodum dolent, et cæteri quandoque turbantur. Unde Paulus[2] : *Debemus nos firmiores imbecillitates*, etc.

Tertii sunt omnes generaliter imperfecti, qui in diversis virtutum studiis sæpe vacillant, et variis passionum febribus sentiunt se interdum, etiam reluctantes, pulsari, modo elationis, modo iræ, modo acediæ, et invidiæ, concupiscentiæ, gulæ, et aliorum vitiorum tam carnalium, quam spiritualium; qui dicere debent cum Psalmista[3] : *Miserere mei, Domine; quoniam infirmus sum*, etc. Remedia his infirmitatibus adhibenda, sunt ut subtrahatur eis occasio scandali, opportunitas peccandi, ne videant unde infirmentur, vel audiant, et ne sæpe permittantur extra domum vagari : Dina enim, ut ait Scriptura[4], egressa domum corrupta est : et per exhortationes crebras exemplis patientiæ confortentur, et a duris increpationibus, donec convalescant de infirmitate, parcatur eis, et aliis offensis, quibus perturbentur. Unde Apostolus[5] : *Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.* Qui enim amplius commovet satis per se commotum, quasi provocat contra se canem latrantem, ut mordeat eum. Item æquanimiter mores et imperfectiones eorum supportentur; nam dicit Sapiens[6] : *Non omnes omnia possunt.* Sicut autem rudibus et minus peritis solent doctores eorum imperitiam (*a*) ignoscere, cum minus recte sentiant, ita et virtuosi benigne supportant aliorum defectus, scientes, quod non omnes possunt æqualiter esse perfecti; et quasi parvulis et teneris in Christo graviora, quam valeant portare, onera non imponunt, nec ab eis exigunt ea, quæ vires ipsorum excedunt. Hinc in Genesi[7] : *Nosti, quod parvulos habeam teneros, et oves et boves fœtas mecum, quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur una die cuncti greges.* Hoc est : Qui parvulos imperfectos, et aliquam bonam habentes voluntatem, quasi fœtus in utero, plus urget in exercitio virtutis, quam secundum gratiam quam acceperunt, etiam illud quod jam habent, supra vires agitando, extinguit in eis. Quod prævidens Paulus, ait[8] : *Facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos :* quod ita : « Humiliter et pie blanditus sum vobis, condescendens vestræ teneritudini et imperfectioni. » Quo contra de duris et non compassivis pastoribus conqueritur Dominus, dicens[9] : *Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod ægrotum non sanastis, et quod fractum non alligastis, et quod perierat non quæsistis; sed cum austeritate imperastis eis et cum potentia*, etc. Et Bernardus[10] : « Ut quid gravatis jugum vestrum, cum cernitis discipulorum (*b*), quorum vos potius jugum portare debetis? Ponite (*c*) onera, producite ubera, pecora lactate, quiescant (*d*). Et si interdum severitate opus sit, paterna sit, non tyrannica, » juxta illud[11] : *Porta eos in sinu tuo, sicut portat mulier infantulum suum, et defer in terram pro qua juravi*, etc.

CAPUT V.

Quod tertia Prælatorum ala est patientia.

Tertia ala ecclesiastici Seraph est patientia et constans longanimitas. Sicut enim tectum tabernaculi, ut interiora munda manerent

[1] I *Cor.*, XI, 30. — [2] *Rom.*, XV, 1. — [3] *Psal.* VI, 3. — [4] *Gen.*, XXXIV, 1. — [5] *Coloss.*, III, 21. — [6] *Eccli.*, XVII, 29, quibusdam mutatis. — [7] *Gen.*, XXXIII, 13. — [8] I *Thess.*, II, 7. — [9] *Ezech.*, XXXIV, 4. — [10] Bern., *in Cant.*, serm. XXIII, n. 2. — [11] *Num.*, XI, 12.

(*a*) *Cæt. edit.* imperite.— (*b*) *Apud Bern., edit.* 1690, jugum vestrum super eos aggravatis. — (*c*) Ponite feritatem, suspendite. — (*d*) Pectora lacte pinguescant.

et nitida, excepit in se pulveres, et imbres, et ventorum impulsus; ita superiores qui fideliter subditos tuos defendunt e turbine peccati, necesse est sæpe diversarum excipere tempestates adversitatum, sicut gallina pro pullis se objicit milvio, ut eos defendat.

atientia
tribus
ecessa-
a præ-
to.

Tria vero sunt inter alia, in quibus patientia ei necessaria maxime videtur. Primo, propter multiplices labores et curas, et occupationes diversimode emergentes. Cura enim continua urget eum, tam de spiritualis providentia disciplinæ, quam de corporalis subsidii provisione. Unde et apostoli non solum de spiritualibus, sed et de temporalibus fidelium necessitatibus, maxime pauperum, solliciti erant, juxta illud[1]: *Jacobus et Joannes et Cephas dexteras dederunt mihi et Barnabæ societatis, ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem*, scilicet Evangelii prædicationem extenderent, *tantum ut pauperum Christi memores essemus, quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere*, etc. Dominus quoque turbas, quas verbo salutis pavit, etiam pane corporali in deserto se sustinentes, cum aliunde non haberent, refecit. Occupationes quoque variæ tam ex domesticis curis, quam extraneis causis frequenter emergunt, quibus cogitur aliquatenus implicari, et quomodo se de illis expediat, anxiari. Ex his etiam labores plurimi crescent discursuum, vigiliarum, tractatuum et aliarum fatigationum, pro quibus omnibus patientia ei necessaria est: ita ut Moyses mitissimus et Deo familiarissimus, propter hoc in plures onus gubernationis populi sit partitus, quasi non valens tot negotia sustinere, sicut scriptum est[2]: *Non valeo solus vestra negotia sustinere, et pondus ac jurgia; date e vobis viros sapientes et gnaros, et quorum conversatio probata sit in tribubus vestris, et ponam vobis eos principes*, etc.

Secundo, est ei patientia necessaria pro tardo profectu illorum, in quibus continue fatigatur. Videt enim *paucos eorum proficere;* videt quia, post (*a*) multos conatus suos, ea, quæ multo labore in modico jam emendari cœperant, ex facili iterum dilabuntur, et propter plures difficultates et obstacula, profectum spiritualem impedientia, quasi in desperationem tendere fructum laboris sui, sicut qui multa seminavit, et pauca conspicit oriri; videt etiam quandoque, quæ personaliter jubet et ordinat, negligenter impleri et servari, et sæpe sub specie boni latenter malum subintrare, ita quod non audet aperte ut malum redarguere, cum bonum in superficie appareat, et tamen in fine per hoc majus bonum destruitur, et apertioribus malis aditus aperitur, verbi gratia, ut multi salventur, plures, quam opportune tenere possumus, recipimus. Sed ipsa tandem multiplicatio erit paupertatis nostræ obfuscatio, dum plures velint pluribus gaudere, non carere: inde sequitur frequentior discursus pro acquirendo necessaria, exquiruntur viæ insolitæ in petendo, incautius agitur contra regulam; vel recipiendo, quies devotionis extinguitur, mores religiosi in dissuetudinem vertuntur, consuescunt fratres libenter evagari, et diversa carnis commoda foris venari, familiaritates in regula prohibitas contrahere, munera a confitentibus quærere, ædificationes animarum pro quæstu vendere, divitibus adulari, areas dilatare, sumptuosa palatia exaltare, scandala non curare, et Dei honor, qui ex nostra sancta conversatione, et aliorum exinde ædificatione provenire debuerat, agendo his contraria, conculcatur. Idem est de præpropera promotione juvenum, et nondum probatorum, ad ordines et officia confessionis, prædicationis et prælationis. Idem de pluribus, quæ coram hominibus sunt alicujus apparentiæ, sed religionis puritatem interius coram Deo obscurant; et rudes in religione, qui interna non sapiunt, putantes in his exterioribus honestatibus totam vim spiritualis conversationis constare, magno zelo eas de-

[1] *Gal.*, II, 9-10. — [2] *Deut.*, I, 10, 11.

(*a*) *Cæt. edit.* videt post, quia per.

fendunt, et de veris virtutibus, et spiritualibus non curant. Hæc et alia plurima videns spiritualis prælatus, qui omnia in veritate dijudicat, tabescit, et uritur; et non valens corrigere pro desiderio, in virtute patientiæ mirabiliter exercetur, et dicit cum Propheta [1] : *Tabescere me fecit zelus meus,* [2] *zelus domus tuæ comedit me*, etc.

Tertio, necessaria est ei patientia pro ingratitudine illorum, pro quibus tanta sollicitudine laborat, scilicet quod vix unquam eis satisfacit, quin semper conquerantur, quod aliter posset eis et melius facere si vellet; quod sæpe perplexus est, an debeat eorum importunitatibus cedere, et acquiescere in omnibus quæ cupiunt, vel rigide tenere quod credit esse magis expediens, juxta illud Pauli [3] : *Quid eligam ignoro, coarctor enim*, etc. Item, quod invertunt ei plurima quæ facit, et interpretantur ad deterius, et super his visitant eum, et murmurant, et accusant, et detrahunt ei, et sumunt inde materiam scandali, unde putabat se Deo et ipsis obsequium præstitisse : ita, quod vix in aliquo potest inveniri remedium, in hoc quod ordinat aut quod facit, quin semper aliquibus displiceat, et turbentur. Item, quod etiam in faciem quidam resistunt ei, vel litteris arguunt eum et despiciunt, et concitant alios, ut se ei opponant, vel astute impediunt, ne possit perficere quæ debet. His et aliis adversis, quibus diversimode impetitur, triplici patientiæ scuto studeat se opponere.

Primo, ut modeste, et mature, et benigne ad singula respondeat, et impetum fervoris reprimat, ne in voce aut vultu, seu moribus, impatientiam ostendat. Tunc enim magis proficit per patientiam, et tandem devincit, quos impetuose agendo amplius provocaret. Sic Gedeon modeste respondens viris Ephraim contra se jurgantibus, compescuit spiritum eorum, quo tumebant. Nam, teste Sapiente [4] : *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem.* Vix enim commotio commotione sedatur, ut vitium vitio non sanatur. Impatientia enim prælati confundit, quæ promovere poterat, bona. His modis alios scandalizat, juxta illud [5] : *Qui impatiens est, exaltat stultitiam suam*, scilicet aliis pandendo. Reddit eum subditis et aliis contemptibilem, ut dicitur in Proverbiis [6] : *Qui vanus et excors est, patebit contemptui.* Facit eum exosum et horrendum, juxta illud Ecclesiastici [7] : *Terribilis est in civitate sua homo linguosus, et temerarius in verbo suo odibilis erit.* Provocat alios ad impatientiam, dicente Scriptura [8] : *Vir iracundus provocat rixas; qui autem patiens est, mitigat suscitatas.* Non audent ei subditi necessitatem suam aperire, juxta illud Job [9] : *Si cœperimus loqui tibi, forsitan moleste accipies.* Replet domum murmure et rancore, ut patet in Proverbiis [10] : *Qui conturbat domum suam, possidebit ventos*, scilicet conspirationum. Teneros mente fugat, et pusillanimes facit, sicut dicit Salomon [11] : *Spiritum ad irascendum facilem, quis poterit sustinere?* Nemo audet eum monere de his, quæ forent emendanda, ut patet in primo Regum [12] : *Ipse est filius Belial, ita ut nemo possit ei loqui.*

Secundo, studeat esse pacificus, ut nec vindicet se de illatis injuriis, nec in corde oderit illos, nec curam segnius agat, nec quærat eos a se removere; imo lubentius teneat eos, ut per hoc et illos, et alios ædificet, benefaciendo ingratis, et ut per se virtutis exercitium in eis habeat, exemplo summi Pastoris, qui ait [13] : *Eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos.* Cum enim sit proprie officium pastoris docere virtutes, si vitiosos removet a se, quos docebit? Si medicus fugit ægrotos, quos curabit? Si fortis tyro declinat impetentes se, quomodo assequetur triumphum gloriæ? Si negotiator negligit merces, in

[1] *Psal.* CXVIII, 139. — [2] *Psal.* LXVIII, 10. — [3] *Philip.*, I, 22, 23. — [4] *Prov.*, XV, 1. — [5] *Prov.*, XIV, 29. — [6] Ibid., XII, 8. — [7] *Eccli.*, IX, 25. — [8] *Prov.*, XV, 18. — [9] *Job*, IV, 2. — [10] *Prov.*, XI, 29. — [11] Ibid., XVIII, 14. — [12] I *Reg.*, XXIV, 17. — [13] *Luc.*, VI, 35.

quibus magna lucretur, quomodo poterit ditari? Inde est, quod inter alios tot sanctificati sunt episcopi et prælati, quia tam agendo bona, quam patiendo adversa, et alios ædificando, ad alta perfectionis culmina officii sui occasione pervenerunt, dicente Paulo [1] : *Qui episcopatum desiderat*, etc.

Tertio, si patiens, non minus sit voluntarius et studiosus ad exequenda ea quæ officii sui sollicitudo requirit, propter tædium laboris, vel tarditatem profectus, vel importunitates subditorum, vel alia gravamina, quia sic ad alta merita pervenitur, juxta illud [2] : *Vos ergo confortamini, et non dissolvantur manus vestræ, erit enim merces operi vestro.* Istæ manus prælati sunt instantia in agendo, et patientia in sufferendo quod gravat : quæ si non dissolvantur per desidiam seu intolerantiam, merces æterna ei cumulatur. Per has namque adversitates rector a peccatorum pulvere purgatur, quem contrahit ex humanæ infirmitatis surreptione. *In multis* enim [3] *offendimus omnes* ; etiam in pluribus negotiis plures negligentiæ sæpe fiunt, a quibus purgari necesse habent hic prælati, ne illic durius puniantur, juxta illud [4] : *Si inique aliquid gesserit, corripiam eum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum.*

Item, per has dum deprimitur, a tumore superbiæ custoditur, quæ potentibus periculosius insidiatur, dum et sublimitas officii, et libertatis licentia, et boni operis placentia facile mentem ejus extollerent, nisi adversitatis jugum collum præsumptionis ejus humiliaret, et sic a superbiæ voragine defensaret. Nam in Job legitur [5] : *Erudiens instruit disciplina, ut avertat hominem ab his quæ fecit, et liberet eum desuper eruens animam ejus a corruptione, et vitam illius, ut non transeat in gladium. Increpat quoque per dolorem in lecto*, etc. Custos enim salutis, et profectus boni rectoris, est humiliatio adversitatis, sine qua eum successus prosperitatis cito relevasset in ventum præsumptionis. Unde David secundum cor Dei electus, quando premebatur adversis, devotissimus fuit et humilis; quando autem extollebatur prosperis, incidit in culpam offensionis, ipso attestante, cum dicit [6] : *Bonum mihi quia humiliasti me*, etc.

Item, ut dictum est, meritum ejus exinde multiplicatur, dum non solum pro bonis, quæ in se et aliis promovet, gloriam acquirit, sed et pro adversis, quæ patitur, magnifice coronatur, sicut aurum, quod per ignem probatum fit pulchrius et pretiosius, sicut scriptum est [7] : *Tanquam aurum in fornace probavit*, etc. Sæpe autem spiritualis profectus crescit, dum non sentitur; et roboratur, cum magis infirmari putatur, juxta illud [8] : *Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo jaciat sementem in terram, et dormiat, et exurgat nocte ac die, et semen germinet, et crescat dum nescit ille*, etc. Non autem mirum, si omnes conatus rectoris non proficiunt in omnibus, cum nec Dei operatio in omnibus proficiat ad salutem ipsorum, et [9] *multi sint vocati, et pauci electi.* Omnia enim quæ seminantur non convalescunt, et qui thesauros effodiunt lubenter multam terram eruunt (*a*), ut modicum auri vel argenti reperiant. Tantus autem profectus est boni rectoris, quantum foret detrimentum si non esset, sicut lux tantum est bonum, quantum ejus absentia malum. Animare etiam debet rectorem ad laboris tolerantiam, quod non minus meretur in illis qui deficiunt, vel modicum proficiunt, quam in his qui maxime proficiunt. Non enim dicit Apostolus [10] : *Unusquisque propriam mercedem accipiet* secundum suum profectum, sed *secundum suum laborem.* Dei enim [11] est incrementum dare. Plus enim laborat doctor in indocili, quam in docili discipulo; et ideo, apud justum æstimato-

[1] I *Tim.*, III, 1. — [2] II *Paral.*, XV, 7. — [3] *Jac.*, III, 2. — [4] II *Reg.*, VII, 14. — [5] *Job*, XXXIII, 16 et seq. — [6] *Psal.* CXVIII, 71. — [7] *Sap.*, III, 6. — [8] *Marc.*, IV, 26, 27. — [9] *Matth.*, XXII, 14. — [10] I *Cor.*, III, 8. — [11] Ibid., 6, 7.

(*a*) *Cæt. edit.* eruperant.

rem laboris, plus meretur. In terra sterili et saxosa agricola plus laborat, et si fructus paucior, sed pretium majus. Et quæ difficilius elaborantur, sæpe carius venduntur.

CAPUT VI.

Quarta Prælatorum ala est, quod sit exemplaris in vita.

Quarta ala est, ut sit exemplaris in vita. Ipse namque debet cæteris esse norma vivendi, ut quæ docet verbis, ostendat actionum figuris, sicut qui geometriam docet, pingit in sabulo figurarum demonstrationes, ut quod dicit, melius capiatur : nam dicitur in Actis [1] : *Cœpit Jesus facere, et docere;* et alibi [2] : *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, et vos ita faciatis.* Gedeon ait suis [3] : *Quod me facere videritis, hoc facite.* Quamvis igitur non solum in præfatis, sed in omnibus virtutum exemplis debeat rector præcedere subditos, specialiter tamen in his tribus, scilicet in communis observantiæ conformitate, in mansuetudinis humilitate, et in maturitatis honestate. Unde Apostolus [4] : *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, et in gravitate.* Communem vitam cum cæteris observet in victu, vestitu et labore, ut non vacet conviviis et potationibus, cum alii sobrio cibo et potu utantur; nec sit eis dissimilis habitu, cum quibus est ei professio communis; nec a labore cæterorum se subtrahat, qui illos jubet in eisdem laboribus exerceri. Pastor, si se a grege segregat, oves insidiis luporum exponit. Sanus sit sanis, et infirmus infirmis, velut alter Paulus, qui dicebat [5] : *Factus sum infirmis infirmus,* scilicet exemplar, *ut infirmos lucrarer. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Nam si sanus debiliter vivat, facit eos exemplo suo carnales. Si vero infirmus recusat infirmorum remedia, facit eos pusillanimes, innuens, quod aut velit eos similiter facere, aut non cupiat eis, ut melius fiat illis. Alacrius certat miles in acie, si ducem suum secum cernit laborem certaminis tolerare. Unde in *Actis* dicitur [6] : *In omni tempore, quo intravit, et exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptismate Joannis, usque ad diem, qua assumptus est a nobis,* etc., hoc est, a primo tempore, quo cœpit habere discipulos ad baptismum, usquequo ascendit ad Patrem, semper exemplo suo erudivit nos; *intrans,* familiariter cum discipulis vivendo, *et exiens*, utiliter cum turbis, prout congruebat, conversando.

Sit etiam humilis moribus, ut mores ejus ostendant eum non alta de se sentire, nec affectare prælationem; sed timere, et coactum tenere, et magis desiderare subesse, et eos, quibus præest, meliores se judicare, et horum potius se servum, quam magistrum vel dominum reputare. *Qui major est in vobis, fiat sicut minor; et qui præcessor est, sicut ministrator,* ait Dominus [7]. *Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat,* etc. Unde in *Ecclesiastico* dicitur [8] : *Rectorem te posuerunt*, etc.

Sit etiam humilis affabilitate, ut subditi facilem accessum ad eum habeant, et fiducialiter ei loqui, de quibus indigent, audeant; et patienter eos audiat, et benigne eis satisfaciat, et studiose instruat, et alacriter exhortetur, studeat magis amari quam timeri, quia lubentius obedietur ei qui diligitur, quam qui timetur. Obedientia dilectionis proprie est voluntaria, timoris autem magis est coacta. Quanto ergo illa habet de voluntario, tanto sublimior est in merito. Finis autem officii regiminis est commissos sibi ad vitam æternam dirigere, et ad similia virtutum merita fideliter promovere.

Sit etiam humilis in usu rerum temporalium, ut nihil habeat pomposum vel diligat; sed omnia quæ habere videtur, paupertatem voluntariam demonstrent et humilitatem ostendant, scilicet vestes, libri, cella, lectu-

[1] *Act.*, I, 1. — [2] *Joan.*, XIII, 15. — [3] *Judic.*, VII, 17. — [4] *Tit.*, II, 7. — [5] I *Cor.*, IX, 22. — [6] *Act.*, I, 21-22. — [7] *Luc.*, XXII, 26, 27. — [8] *Eccli.*, XXXII, 1.

lus, ustensilia, mensa, pallia, et hujusmodi, ut nihil in omnibus appareat, quod notam jactantiæ vel curiositatis habeat, nec talia fieri ab aliis patiatur. Similia etenim similibus congaudent, alta sublimibus, humilia humilibus delectando. Non est autem humilis cordis indicium curiosa quærere, pretiosa affectare, et excelsa ambire. Nam scriptum est [1] : *Omne sublime videt, ipse est rex super universos filios superbiæ.*

Maturitatis honestas perpenditur in tribus, scilicet : si non sit levis in moribus, videlicet in verbis et jocis scurrilibus et irreligiosis, quæ licet in se quandoque quasi grata putentur, minus tamen reverendum faciunt et verendum. Gregorius enim dicit [2] : « Non facile ejus prædicatio recipitur, si levis in moribus videtur. » Nam etsi prælatus magis diligendus sit, expedit tamen ut ab insolentibus timeatur. Ipse amor aliquo modo suavior sentitur cum reverentia mixtus. Quod patet in amore summi Conditoris, cujus quo majestas sublimior agnoscitur, dignationis dulcedo sapidius amatur, sicut dicit Propheta : *Dulcis et rectus Dominus, propter hoc legem dabit*, etc.

Item, si non sit levis in affectu per privatos amores notabiles, tam ad fœminas, quam ad quaslibet leves personas. Licet enim meliores in affectu præferendi sint minoribus, et omnes propter spem salutis in Christo amplectendi sint, in actu tamen exterioris exhibitionis taliter se gerat ad omnes, ut nullus se ab eo contemni propter alios suspicetur, sed quilibet se ab eo diligi præsumat, et fiducialiter ei quasi singulari amico confidat, ne alicui indignatio et invidia in aliis nutriatur, sicut fratres Joseph, qui oderunt eum, pro eo quod a patre singularius amaretur [3], ut dicitur in *Genesi*.

Item, si non est levis in proposito, et inconstans in consilio, ut quod jam placet mox displiceat, modo velit unum, modo contrarium, ubi rationabilis causa non apparet. Quis enim ejus judicio credat, vel ejus voluntati se contemperet, quem in neutro stabilem agnoscat? Ideo ejus subjecti non possunt ejus revereri prudentiam, nec sciunt se parare ad voluntatis ejus obedientiam, et in utroque non potest esse modicum nocumentum. Propterea dicit Paulus [4] : *Omnia probate, quod bonum est tenete*, et [5] : *Facite sine hæsitatione et retractationibus, quæcumque facitis* (*a*). Ubi tamen causa rationabilis subest justæ necessitatis vel piæ utilitatis, ut aliter et aliter aliquid fieri expediat, non est hoc levitatis, sed maturitatis : quia, sicut stultum esset melius mutare in deterius, sic etiam stolida est obstinatio tam pertinaciter inhærere conceptis, ut pro majori bono et aperto, ab eis flecti non possit, juxta illud [6] : *Nec putetis, si diversa jubeamus, ex animi nostri venire levitate, sed pro qualitate et necessitate temporum, ut reipublicæ possit utilitas ferre sententiam.* Unde et Apostolus excusat se, cum promiserit Corinthiis se venturum, quod non levitate hoc promiserit, sed pro eorum utilitate, cum dicit [7] : *Volui prius venire ad vos*, etc. Et in *Ecclesiastico* [8] : *Secundum judicem populi, sic et ministri ejus; et qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea.*

Boni magistri bonos discipulos facere consueverunt ut frequentius. Multi fierent meliores in religionibus et in Ecclesia, si melioris vitæ eis exempla a suis doctoribus proponerentur. Negligentia vero hujusmodi ad illis, qui culpabiles sunt, districte in judicio requiretur. Nam Dominus dicit [9] : *Ecce ego ipse super pastores, requiram gregem meum de manu eorum.* Doctrina verborum sine exemplis operum, est sicut cæmentum sine calce aridum et invalidum. [10] *Ipsi liniebant parietem absque temperamento; dic eis, quod casurus sit.* De correctis exem-

[1] *Job*, XLI, 15. — [2] Greg., *in Ezech.*, lib. I, hom. III, n. 4. — [3] *Gen.*, XXXVII, 4. — [4] I *Thess.*, V, 21. — [5] *Philip.*, II, 14. — [6] *Esth.*, XVI, 9. — [7] II *Cor.*, I, 15. — [8] *Eccli.*, X, 2. — [9] *Ezech.*, XXXIV, 10. — [10] Ibid., XIII, 11.

(*a*) Vulg. *Omnia facite sine murmurationibus et hæsitationibus.*

plaribus correcta scribuntur volumina, de corruptis corrupta. Tenacius inhæret doctrina operum, quam verborum. Nam cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur. Rector enim præcipue ad hoc studere debet, ut sibi commissos faciat Christiformes, id est, ut formam vitæ ad doctrinam Christi eis imprimat, ut non solum mente eum attendant, sed et moribus imitentur. Unde Apostolus ad Ephesios dicit [1] : *Estote imitatores Dei sicut filii*, etc. Et ad Galatas [2] : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Sed cum ex verborum doctrina minus capiant de doctrina Christi, debent etiam formam ejus visibilem in se ipsis ostendere, ut eis profundius imprimatur, dicentes cum Apostolo [3] : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi;* quasi dicat : Si formam Christi desideratis ad imitandum agnoscere, in meis hanc moribus considerate. Et ad Galatas [4] : *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus.* Vicarius enim Christi vicem Christi debet gerere, in beneplaciti ejus promotione, in potestatis ejus auctoritate, et in similitudinis ejus repræsentatione, scilicet ut ea, quæ vult, promoveat in subditis, et ejus auctoritate illa possit, quæ eis expediunt, et eum se (*a*) imitabilem illis moribus et vita demonstret, idem dicente Apostolo alibi [5] : *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum, nos autem servos vestros per Jesum.* Ille vero seipsum, et non Christum prædicat, qui gloriam propriam quærit dicendo, et qui malis exemplis se potius, quam Christum ingerit subditis imitandum. Nam dicit Apostolus [6] : *Æmulantur vos non bene; sed excludere vos volunt, ut illos æmulemini*, hoc est, non bono zelo præsunt vobis, qui per sua prava exempla excludunt vos ab imitatione Christi, ut mores eorum discatis, et exempla sequamini.

CAPUT VII.

Quod quinta ala est Prælatorum est circumspecta discretio.

Quinta ala ecclesiastici hujus Seraph est circumspecta discretio, et provida faciendorum consideratio. Quæ quam necessaria sit rectori animarum, Salomon ostendit, qui habens a Deo postulandi, quæ vellet, optionem, prætermissis omnibus, petivit sapientiam, sine qua asseruit non posse populum bene regi [7] : *Dabis ergo, Domine, cor servo tuo docile, ut judicare possit populum tuum, et discernere inter bonum et malum.* Et alibi dicit [8] : *Ad vos ergo, reges, sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, et non excedatis.* Et Psalmista [9] : *Et nunc, reges, intelligite; erudimini, qui judicatis terram.* Rector enim est dux gregis sibi commissi; et si ipse erraverit, grex, in dispersione confusus, interibit. Sicut oculus est lux totius corporis, ita pastor gregis commissi, juxta illud [10] : *Vos estis lux mundi*, etc. Secundum quod oculus est clarus et obscurus, sic etiam corpus ab eo regitur directe, vel per devia.

Duplex ergo circumspectio rectori necessaria est, ut sciat quid agendum sit, et qualiter. Nam nec bonum simpliciter bonum est, nisi bene fiat, id est, sicut decet. Bernardus [11] : *Tolle discretionem, et virtus vitium erit.* Sine ipsa zelus præcipitat, teste Apostolo, qui ait [12] : *Æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam.* Item compassio condescendit usquequaque sub specie pietatis, sicut dicitur in Proverbiis [13] : *Qui parcit virgæ, odit filium*, hoc est, qui sub specie pietatis peccantem non corrigit, animam ejus ad interitum mittit. Item patientia sine discretione remissum in regiminis vigore facit, cum sub specie humilitatis rebelles non reprimit. Unde scriptum est [14],

Du circu spe rect nece ria.

[1] *Ephes.*, v, 1. — [2] *Gal.*, iv, 19. — [3] I *Cor.*, xi, 1. — [4] *Gal.*, ii, 20. — [5] II *Cor.*, iv, 5. — [6] *Gal.*, iv, 17. — [7] III *Reg.*, iii, 9. — [8] *Sap.*, vi, 1. — [9] *Psal.* ii, 10. — [10] *Matth.*, v, 14. — [11] Bernard., *super Cant.*, serm. xlix, n. 5. — [12] *Rom.*, x, 2. — [13] *Prov.*, xiii, 24. — [14] II *Paral.*, xiii, 7. — (*a*) *Leg.* ipse.

quod *Roboam erat rudis, et corde pavido, nec poterat resistere eis*, scilicet qui se Domino et sibi opposuerant. Item sine discretione qualecumque bonum exemplum inefficax fit ad ædificandum alios, sicut bonus cibus non est delectabilis sine condimento salis. Ait Leviticus [1] : *In omni oblatione tua offeras sal.* Et Apostolus dicit [2] : *Rationabile obsequium vestrum.* [3] *Si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti;* hoc est, bona facere non sufficit, nisi discrete, qualiter, quando, ubi, quare agendum fuerit, videatur.

Rector circa quatuor sit circumspectus.

Quamvis autem plurima sint circa quæ oportet rectorem esse circumspectum, quæ non possunt breviter poni, tamen quatuor videntur præcipua, in quibus debet ejus providentia vigilare. Unde dicitur in Exodo [4] : Jubetur pontifex ingrediens sanctuarium, ut ministret Domino, inter alia ornamenta semper in pectore rationale judicium deferre, et in ipso quatuor ordines gemmarum, ita quod quilibet ordo tres lapides contineat pretiosos, auro inclusos, etc. Pontifex Domino ministrans sanctuarium ingreditur, cum prælatus curam animarum suscipit, ut in earum salvatione Deo gratissimum præstet obsequium. Nullum enim Deo gratius sacrificium, quam zelus animarum. Qui inter alia virtutum insignia, semper debet rationis judicio quatuor, ad officium suum spectantia, in pectore versare. Primum est, quomodo in statu debito commissos sibi gubernet, ut boni sui (*a*) proficiant et persistant; secundum, quomodo lapsos et devios corrigat, et emendet; tertium, quomodo (*b*) exteriora negotia, quæ requiruntur ab eo, congrue disponat : quartum, quomodo se in his custodiat, et gerat. Tres lapides in singulis versibus, sunt tria ad singula eorum quatuor pertinentia. Ad statum debitum tenendum convenit, ut rector omnium subditorum mores, conscientias et vires perspicue agnoscat, ut secundum quod unicuique expedit, onus observantiæ (*c*) regularis imponat. Non enim omnes omnia possunt æqualiter, et [5] *unusquisque* (*d*) *proprium habet donum ex Deo, alius sic, alius vero sic.* Unde in libro *Numerorum* dicitur [6] : *Aaron, et filii ejus intrabunt, ipsi quoque disponent onera singulorum, et dividente quid portare quis debeat.* Aaron et filii ejus sunt prælati majores, et minores, qui debent intrare, id est interiora cujusque agnoscere, et, secundum quod convenit singulis, onus religiosæ conversationis imponere, et propter triplicem observantiæ qualitatem, quæ sunt tres lapides pretiosi in primo versu quatuor ordinum prædicatorum.

Prima observantia consistit in illis, quæ sunt juxta cujusque professionis formam de necessitate salutis, quæ ita annexa sunt ordini et regulæ, ut eorum transgressio temeraria inducat mortale peccatum, ut est obedientia præcepti, voluntaria paupertas, castitas, et alia præceptorie imperata, in quibus locum non habet dispensatio magistri, cum et ipse sit ad ea servanda ligatus. Hæc necesse est prælatum vigilanter agnoscere, quia tenetur ea facere ab omnibus studiose servari, et nolentes cogere ad servandum, et pro nulla causa permittere, quantum in se fuerit, aliquem contraire, etiamsi magna propter hoc sibi et fratribus tribulatio, seu dispendium immineret. *Quis nos separabit a charitate Christi*, ait Paulus [7] ; *tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* quasi dicat : Non debet. Hoc est contra illos qui dicunt : « Si sic, vel sic non acquireretur necessitas fratribus, non (*e*) possent hic aliquatenus sustentari. » Cum talis forma conquirendi est contra regulam, et in scandalum, et Religionis deformitatem; melius est ibi non esse Religiosos, ubi non possunt, vel non volunt vivere ut Religiosi, quia tunc nec ipsi pereunt, nec alii de ipsis scan-

[1] *Levit.*, II, 13. — [2] *Rom.*, XII, 1. — [3] *Gen.*, IV, 7, juxta LXX. — [4] *Exod.*, XXVIII, 15, 20, quoad sensum. — [5] I *Cor.*, VII, 7. — [6] *Num.*, IV, 19. — [7] *Rom.*, VIII, 35. — (*a*) *Leg.* sint. — (*b*) *Cæt. edit. deest* quomodo.— (*c*) *Cæt. edit.* observantur. — (*d*) *Item* unus quasi. — (*e*) *Item* ne.

dalizantur, dicente Domino [1] : *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei, ut*, etc. Quid ergo qui multos et magnos scandalizat? Ista consideratio prima debet esse gemma lucens in pectore Pontificis, id est præ omnibus curanda.

Secunda versatur circa illa, quæ spectant exercitium altioris perfectionis, scilicet singularis patientiæ, admirandæ humilitatis, stupendæ charitatis, arduæ sobrietatis, eximiæ paupertatis, et sublimis devotionis, et similium virtutum, ad quas debet rector commissos exhortationibus, monitis et exemplis efficacibus afficere, et attrahere magis, quam invitos cogere. Consilia enim perfectionis suadentur, non imperantur, præter ea quæ in voti emissione exprimuntur, ut continentia. Præcipua tamen causa monasticæ institutionis fuit, ut esset schola palæstralis exercitii perfectionis. Palæstra, ut dicitur, fuit ludus nude luctantium, qui se oleo perungebant, ne a colluctantibus teneri possent, et ita ad terram dejici. Et apte similatur a Paulo luctamini Religiosorum, cum dicit [2] : *Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* Rector igitur et hanc gemmam ferat in pectore, ut sectatores suos doceat et provocet, non solum viam tenere, qua salventur, sed etiam ad perfectionem tendere, per quam sublimem in cœlo gloriam assequantur.

Palæstra

Tertia consistit in illis, quæ nec sunt de pura necessitate salutis, nec de eminentia perfectionis, sed tamen ad utriusque acquisitionem et conservationem a sanctis patribus apte statuta sunt, ad exercitium bonorum operum et decorem ipsius religionis, et ad ædificationem intuentium, ut sunt jejunia, silentium, solemnitas divinorum officiorum, et exteriores corporalium exercitationum honestates, quæ juxta Apostolum [3] tam utiles sunt, sicut instrumenta pro artificiis quæ possent et aliter peragi a peritis, cum prius fuerint artes, quam talia instrumenta. Unde discretus Prælatus, cum necessitas exigit, vel major utilitas requirit, dispensat in causa pro talibus pro loco et tempore, sine difficultate, cum viderit expedire; ubi autem major utilitas vel necessitas non exigit, studiose faciat ea servare. In hoc indiget Prælatus non modica discretione, ut sciat inter rigorem et remissionem medium tenere. Si autem nimis fuerit rigidus, et ipse minus erit dilectus fratribus, et illi minus erunt voluntarii ad alia quæ utiliora, et necessariora forent. Rursum, si fuerit plusquam convenit remissus in talibus, cito major dissolutio subsequetur. *Qui spernit modica, paulatim decidet*, ait Sapiens [4].

Circa lapsorum correptionem discretio Prælati similiter vigere debet. Hic est ordo secundus, tres gemmas continens, quia triplex continentia ad hoc est necessaria, sicut sunt tria genera delinquentium. Quidam enim cum deliquerunt, mox aut intus moti a spiritu, aut foris correpti ab homine, ad pœnitentiæ remedium confugiunt. His cum clementiæ fomentis medicus spiritualis remedia satisfactionis sic temperata debet adhibere, quibus et satisfaciant Deo de offensis, et proximo de scandalo, ut cæteri peccare magis timeant, et tamen propter levitatem remedii ipsos non pœniteat se pœnitentiæ submisisse. Nam dicit Paulus [5] : *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis*, subaudi, medici, *hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans temetipsum*, etc., id est, talem ei satisfactionem imponite, per quam cognoscat pondus reatus sui, ita tamen clementer, sicut tibimet velles alium compati, si tali peccato delinqueres. Et hæc est una gemma secundi ordinis, discretio talis. Alii, cum delinquunt, tegunt, palliant, defendunt, et virus interius latet. Et licet rector ex certis indiciis deprehendat ibi saniem putridam esse collectam, tamen non ita erumpet exterius, nec per evidens testimonium, nec per voluntariam confessionem, quod possit opportune ferro apertæ correctionis secare.

[1] *Matth.*, XVIII, 6. — [2] I *Cor.*, IX, 25. — [3] I *Tim.*, IV, 8. — [4] *Eccli.*, XIX, 1. — [5] *Gal.*, VI, 1.

Si corripit, non proficit, et videtur magis vitiorum diffamator, quam vitiosorum corrector: sed movetur (*a*) et dissimulat, uritur et anxiatur, tam pro anima fratris quam pro se, quia non corrigit delinquentem. Cum ergo aliud congrue facere non possit, portet, dissimulet, patientiam suam exerceat : et quod arguendo non valet, orando laboret obtinere, ut aut Deus citius demum corrigat, aut latentem ejus malitiam detegat, ut aliquod remedium apponatur. Sicut Dominus Judam proditorem diu tacite toleravit, quod eum aperte non corripuit, donec in tantum ejus iniquitas crevit, quod per se patenter erupit. Quæ quandiu latuit, licet in se lethaliter ægrotaret, tamen aliis non nocuit, et ideo irreprehensibiliter potuit tacite tolerari; nam dicit Dominus in Matthæo [1] : *Sinite utraque crescere usque ad messem*, id est, zizania cum tritico. Et in Apocalypsi dicitur [2] : *Qui in sordibus est, sordescat adhuc*. Debet tamen talibus, ubi potest, caute càveri ab occasione peccandi, et in communi moneri debent, ut resipiscant, juxta illud [3] : *Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur*. Sed cum ad tam singulare facinus non potuisset Judas subito proruisse, nisi diu paulatim in deterius semper prolapsus, apparet eum a Domino in malo statu diu occulte toleratum. [4] *Ego tacens, et quasi non videns*. Talis ergo dissimulatio in corde rectoris multa discretione indiget, ut in neutro deviet a justo. Et hæc est gemma secundi ordinis secunda in pectore sacerdotis. Tertii offendunt graviter aperte, et non recipiunt debitam correctionem, vel ficte recipiunt, quia non emendantur, et alii ex eis fiunt deteriores, vel scandalizantur de ipsis, vel imitari eos incipiunt, si vident eos impune peccare, volentes sibi parci, sicut illis parcitur. Ubicumque ergo quatuor illa conveniunt, scilicet graviter, aperte peccare, et non esse spem correctionis propter obstinationem, seu inveteratam mali consuetudinem, et alios infici per ejus exemplum, vel scandalizari, quia talia tolerantur : quid restat, nisi ut ovis morbida abjiciatur, et membrum putridum præcidatur, ne sana inde inficiantur et corrumpantur ? Unde dicit Apostolus [5] : *Utinam et abscindantur qui vos conturbant !* Et ad Corinthios [6] : *Auferte malum ex vobismetipsis.* [7] *Quod si infidelis discedit, discedat.* Et Lucas dicit [8] : *Succide ergo illam*, scilicet ficum infructuosam : *ut quid etiam terram occupat?* Et Matthæus [9] : *Omnis arbor quæ non fert fructum bonum, excidetur.* Et in Numeris [10] : *Præcipe filiis Israel, ut ejiciant de castris omnem leprosum, et qui semine fluit, pollutusque est super mortuo, ne contaminent ea, cum habitaverint vobiscum*, etc. Ad ista tamen non debent impetu ferri, sed maturo consilio prudentum, et spiritum Dei et donum consilii habentium. [11] *Omnia cum consilio fac, et post factum non pœnitebis.* Et in Matthæo [12] : *Qui scandalizaverit unum ex pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris :* hoc est, cujus vita inhabitu religionis magis scandalizat simplices, quam ædificet, expedit ut, foris (*b*) missus, solus damnetur, quam per eum sacra religio contaminetur.

Tertius ordo versatur circa negotia, quæ per Prælatum sunt disponenda, quorum alia expedit ut aliis disponenda committat, alia per seipsum disponat, alia præcidat et removeat, quantum valet. Sic Christus commisit alia discipulis procuranda, ut Judæ loculos, sibimet retinuit prædicationis et curationis officium, ut patet in *Luca*. Requisitus enim ut inter fratres quosdam hæreditatem divideret, respondit [13] : *Homo, quis me constituit judicem aut divisorem inter vos?* Exteriora et temporalia corporalis necessitatis officia, si per seipsum voluerit actu

[1] *Matth.*, XIII, 30. — [2] *Apoc.*, XXII, 11. — [3] *Matth.*, XXVI, 24. — [4] *Isa.*, LVII, 11. — [5] *Gal.*, V, 12. — [6] I *Cor.*, V, 13. — [7] Ibid., VII, 15. — [8] *Luc.*, XIII, 7. — [9] *Matth.*, III, 10. — [10] *Num.*, V, 2. — [11] *Eccli.*, XXXII, 24. — [12] *Matth.*, XVIII, 6. — [13] *Luc.*, XII, 14.—

(*a*) *Leg.* si moratur.— (*b*) *Leg.* foras.

disponere, impeditur ab interiorum et meliorum provisione, quia sparsus ex se mentis oculus minus videt interiora et necessariora saluti. Unde in Exodo dicitur [1] : *Esto tu populo in his quæ sunt ad Deum, et levius feres partito in alios onere,* scilicet leviorum. Et in Actis [2] : *Non est æquum nos relinquere* (a) *verbum Dei, et ministrare mensis*, etc. Si alios non haberet, quibus curam exteriorum committeret, potius deberet ab alio fraudem in temporalibus pati, quam ipse Prælatus in talibus occuparetur, exemplo Christi qui sciens Judam esse furem, tamen permisit eum exteriora procurare, juxta illud [3] : *Fur erat, et loculos habebat, et ea quæ mittebantur, portabat.* Hoc est contra illos, qui facilius inveniunt, quibus curam animarum committant, quam rerum suarum temporalium, cum incomparabiliter majus sit dispendium periclitari animas, quam res perire. Spiritualia vero, et quæ ad salutem necessaria sunt, et profectum virtutum, principaliter debet animarum custos et rector sibimet curanda retinere, cum hæc sint de substantia officii pastoralis, et de his maxime sit in judicio rationem Domino redditurus. Hæc sunt, qualiter regula studiose servetur, et alia statuta, et ordinis disciplina. Item, quod pax et dilectio sit inter fratres. Item ad ipsum pertinet conscientias singulorum agnoscere, et de quibuslibet perplexitatibus expedire, pericula peccatorum providere et præcavere, monere fratres ut proficiant, corrigere corrigenda, elucidare dubia, informare singulos, qualiter officia sibi commissa congrue administrent, quo et fratribus, prout convenit, sufficiant, et conscientiam non offendant. Ubi vero non potest hominibus satisfieri, nisi cum offensa Dei, ibi servetur ad Deum obedientia, et ad homines patientia, et dicamus cum Petro [4] : *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.*

[1] *Exod.*, XVIII, 22. — [2] *Act.*, VI, 2. — [3] *Joan.*, XII, 6. — [4] *Act.*, V, 29. — [5] *Hebr.*, XIII, 17. — [6] *Eccli.*, XI, 10.

Prælatus vero gerit vicem capitis in corpore fraternitatis, ut cum alia membra dedita sunt actionibus sibi competentibus, caput omnibus præsidendo provideat, quasi omnium sensuum capax, et omnia regens, et sensum et motum omnibus transmittens per jussiones, vel concessiones sanctæ obedientiæ, quasi quorumdam compaginatione nervorum : unde et caput singulari actione non occupatur, ut vacet omnium membrorum provisioni. Omnibus enim proficit, pro omnibus audit, odorat, gustat, et loquitur. Sic et Prælatus sibi commissis : *Ipsi enim* [5] *pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri*, ait Apostolus.

Superflua vero, et non necessaria saluti vel profectui animarum negotia, expedit præcidere, et tam a se, quam a fratribus, quantum opportune poterit, removere. Cum enim propter temporis brevitatem et diei malitiam vix necessariis sufficimus disponendis, si supervacuis vel alienis volumus occupari negotiis, negligimus utiliora et meliora, cum distractus animus ad plura, fit minor ad singula provide peragenda. Inde fit aliquotiens, cum Prælati et Religiosi nimis se exterioribus occupationibus implicant ædificiorum, librorum, causarum, et aliorum quibus fructuosius carerent, ut non solum meliora interim negligant, sed etiam conscientiam sæpius inquinent, et ex usu exteriorum tenebrescat oculus mentis ad contemplationem spiritualium et internorum, et tepescat ad desiderium supernorum. Sicut enim humores noxii affluunt, ubi fuerit in corpore læsio, nisi caute removeantur, ne fiat ibi tumor vel ulcus; ita et negotia crescunt ad extinctionem spiritus, qui se eis acquieverit occupari. Ideo discretio Prælati debet provide prospicere, quid ex quolibet eventu possit consequi, et quæ negotia admittere, vel quantum expediat ea exequi, circumspecte rimari. Ait enim Sapiens [6] : *Fili, ne in multis sint actus tui.* Qui sarcinam satis gravem portat, imprudens est, si

(a) Vulg. *derelinquere.*

adhuc onera plura sibi portanda imponit, quibus potest opportune carere.

Super omnia vero debet semetipsum rector circumspicere, ne, aliis providens, seipsum negligat; ne, alios salvans, seipsum in periculum demergat. *Quid prodest enim*[1] *homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Hic est quartus ordo gemmarum triplici circumspectione, quasi pretiosorum trium lapidum ornatu complendus; ait enim Joannes[2]: *Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis*, supple, in aliis: *sed ut mercedem plenam suscipiatis.*

Una circumspectio sui versatur, ut illa semper secura sit et munda. Secura sit, ut nihil velit, agat, jubeat, vel permittat illicitum et indecens, professionique suæ contrarium, in quo peccatum seu scandalum deprehendatur. Munda, ut de bonis quæ fecit, vel promovet, gloriam ab hominibus non captet, nec sibimet exinde immoderate placeat, solius Dei beneplacitum in omnibus quærens, ut quæ pro eo facit, id est, vice Dei, etiam pure faciat propter eum et ipsius amorem.[3] *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*, hoc est, si intuitus intentionis purus fuerit charitate, totum corpus bonæ operationis dignum erit præmio lucis æternæ. *Si autem nequam fuerit*, etc. Scrutetur ergo conscientiam suam, sollicite dijudicans quid egerit, quid (*a*) omiserit de agendis, et quo fine bona fecerit: et de malis doleat, et confiteatur, et corrigat, et caveat; de bonis vero non in se, sed *in Domino glorietur*[4] cum Apostolo, qui ait[5]: *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Qui pulverem ab aliis detergit, vix potest transire, nisi et ipse pulvere respergatur, quem etiam in se detergere necesse habet, juxta illud[6]: *Medice, cura teipsum.* De bonis vero, quæ facit, sic lætetur, ut inde non extollatur, æstimans quod non propter se, sed propter alios quibus præest, Deus dederit ei bene facere, vel dicere, vel sentire.

Alia circumspectio sui versatur circa exteriores mores et verba, quibus oportet eum aliis magis quam sibimet deservire. Qui enim pluribus cogitur vivere ad exemplum, et satisfacere singulis et omnibus placere, multa indiget discretione, ut medium valeat tenere, ne sit nimis tristis vel hilaris, nimis severus vel lenis, nimis socialis vel alienus, nimis tacitus vel verbosus, nimis dure loquens vel blande, nimis rigidus vel remissus, nimis sæpe cum hospitibus vel raro, nimis laute reficiens vel tenuiter, nimis facta fratrum observans vel dissimulans, nimis fovens aliquos vel alios parvipendens, et similia. Cum ergo non possit semper teneri, quod de omnibus placeat, minus tamen deviat, si ad benignitatis partem plus declinat, per quam redditur subditis magis amabilis, ob quam ei libentius obtemperant, et audacius ad eum recurrunt, in quibus indigent, et alacrius imitantur. Ipsa enim potestatis auctoritas facit eum satis timendum subditis, et si huic jungitur austeritatis severitas, pavidis fit mentibus onerosa.[7] *Vos autem cum austeritate imperabatis eis et cum potentia, et dispersæ sunt oves meæ, dicit Dominus.* Et in Ecclesiastico[8]: *Noli esse quasi leo in domo tua, subvertens domesticos tuos.* Hinc est, quod ipse summus princeps pastorum Dominus Jesus tantam nobis benignitatis charitatem exhibuit, ut se nobis faceret amabilem, et ita imitabilem, ut per amorem suæ humanitatis traheret ad amorem et cognitionem suæ divinitatis,[9] *ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur.* Sic et vicarius Christi Prælatus, ad hoc maxime studeat a subditis diligi, ut sic facilius trahat eos ad amorem Christi. In omni tamen dubio semper magis inclinet se ad illud, quod secundum veritatis judicium virtuti charitatis et humilitatis, et professæ puritati

[1] *Matth.*, XVI, 26.— [2] II *Joan.*, 8.— [3] *Matth.*, VI, 22, 23.— [4] I *Cor.*, I, 31.— [5] Ibid., XI, 31.— [6] *Luc.*, IV, 23. — [7] *Ezech.*, XXXIV, 4. — [8] *Eccli.*, IV, 35. — [9] Præf. de Incarnatione, in offic. Missæ.— (*a*) *Cæt. edit.* quod.

magis consonat, et evangelicæ perfectioni.

Ultimo etiam ipsa discretio, quæ cætera omnia dijudicat, circumspiciat seipsam, ne ei contingat ut oculo corporis, qui, cum alia videat, non videt seipsum : videlicet [1] *ne plus sapiat quam oportet sapere*, ne sibi plus credat quam expedit, ne sit sapiens in oculis suis, quia, teste beato Gregorio [2], sicut subditorum tentatio est reprehendere in prælatis quod in multis non recte agant, ita prælatorum tentatio est, quod se cæteris sapientiores æstimant. Unde dicitur [3] : *Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit stultus.* Stultus enim sibimet non confidens, quærit consilium a sapientibus, ne decipiatur; ille autem, dum de se plus, quam debet, præsumit, etiam ubi errat, recte se plerumque sentire deceptus putat. Inter omnes autem tentationes videtur ista periculosior cuique christiano, scilicet, proprio sensui nimis inniti. Cum enim nemo reperiatur ita perspicacis intelligentiæ, quin possit in aliquibus falli, qui hoc totum et solum reputat justum quod ipse senserit, astuto adversario ad varias seductiones sub specie boni liberum aditum pandit. Ait enim Psalmista [4] : *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem.* Ibi enim libentius insidiatur, ubi majores meritorum divitias cernit inquiri, ut ibi innocentem inquirat et occidat, ubi se Deo magis obsequium præstare sperabat. Unde cautum est semper rectori, consilia libenter audire, et humiliter quærere. Et in hoc triplex humilitas consistit : primo, si alii idem sentiunt quod et ipse, securior est quod non decipiatur; secundo, quidquid fecerit cum prudentium consilio, si aliquid inde evenerit contrarii, minus ei poterit imputari, quam si de suo tantum sensu id fecisset; tertio, quod sæpe, in merito humilitatis talis, Deus dat ei agnoscere, per se vel alium, quod ante non intellexit. Hinc Moyses, cui Deus facie ad faciem loquebatur, consilium Jetro soceri sui gratum habuit et servavit. Hinc apostolus Paulus, Spiritu sancto repletus, Evangelium, quod per revelationem Jesu Christi didicerat, ipsius instinctu ascendens Hierusalem, cum Petro et Joanne et Jacobo coapostolis suis contulit, ut esset securior in prædicando, cum ab eis non discordaret, et exemplum per hoc daret fidelibus prælatis consilium requirendi. [5] *Omnia cum consilio fac, et post factum non pœnitebis*, ait Scriptura. Aliqui vero, cum ad officium regiminis assurgunt, ita se continuo repletos spiritu scientiæ reputant, ut omnia antecessorum suorum facta stulta judicent et perversa; alii vero e contrario, cum ab eodem absolvuntur officio, quæcumque successores eorum faciunt, simili modo condemnant, non attendentes, quod sicut ipsi aliorum facta deprimunt, ita eorum facta alii possunt despicere. Hinc (*a*) dicit Isaias [6] : *Væ qui spernis, nonne et ipse sperneris?* Nullorum enim facta tam studiose solent ab aliis observando notari, sicut illorum qui aliorum facta severe dijudicant, si forte in quo ipsi alios arguunt, reprehensibiles deprehendantur (*b*).

Sunt enim duo genera hominum, quorum consilia prudens rector non facile debet recipere, scilicet adulatores, et detractores. Primi istorum seducunt eum, ut magis de se quam expedit præsumat, juxta illud [7] : *Qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant*, ne de te vera sentias humilitate propriæ cognitionis. Secundi inducunt eum ut pejus, quam habet de aliis suspicandum (*c*), sentiat, et sæpe innocentes condemnet, et priusquam veritatem rei plene cognoscat, dicente Scriptura [8] : *Aures principum simplices, et ex sui natura aliud æstimantes callida fraude decipiuntur* (*d*), et malis quorumdam suggestionibus regum studia depravantur, [9] *ut eos qui credita sibi*

[1] *Rom.*, XII, 3. — [2] Greg., *Moral.*, lib. XXV, c. XIV, al. XVI, n. 36, quoad sensum. — [3] *Prov.*, XXVI, 12. — [4] *Psal.* X, 8. — [5] *Eccli.*, XXXII, 24. — [6] *Isa.*, XXXIII, 1. — [7] Ibid., III, 12. — [8] *Esth.*, XVI, 6. — [9] Ibid., 5.

(*a*) *Cæt. edit.* huic. — (*b*) *Item* reprehendantur. — (*c*) *Item* suspicando. — (*d*) Vulg. *decipiunt.*

officia diligenter observant, et ita cuncta agunt, ut omni laude sint digni, mendaciorum cuniculis conentur subvertere, etc. Cum autem tribus de causis soleat requiri consilium, scilicet: propter emendationem, ut discatur de quo dubitatur; propter auctoritatem, ut magis habeat vigoris quod per tales consultum fuerit; et propter pacem, ne habeant aliqui occasionem murmurandi: propter primam causam, consulendi sunt prudentiores; propter secundam, nominatiores; et propter tertiam, omnes ad quos negotium pertinere videtur. Sed quia singularia sine numero sunt, in quibus discretio est necessaria, non potest dari certa et communis regula, quæ valeat pro omnibus.

CAPUT VIII.

Quod sexta Prælatorum ala est devotio ad Deum.

Sexta et ultima ala, sine qua reliquæ perfici non valent, maxime est necessaria, ut sit devotus ad Deum per quem zelus justitiæ accenditur, pietas compassionis infunditur, patientia roboratur, exemplum bonum conditur, discretio clarificatur. Hæc est *unctio Spiritus, docens de omnibus*, quæ expediunt saluti. Unde dicit Joannes [1]: *Vos unctionem habetis a Spiritu sancto, et nostis omnia, et non necesse habetis ut aliquis vos doceat; sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus.* Devotio mentem illuminat ad cognoscendum quid sit melius; unde Dominus dicit [2]: *Docebit vos omnia, et suggeret*, etc. Inflammat ad appetendum bonum; unde et in *Ecclesiastico* dicitur [3]: *Qui edunt me, adhuc esurient; et qui bibunt me*, etc. Roborat ad perficiendum [4]: *Deus est enim qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate.* Facit horrere peccata, dicente Psalmista [5]: *Iniquitatem odio habui*; et in *Apocalypsi* [6], liber comestus, dulcis gustu, amaricat ventrem. Actiones ordinat ad virtutes, sicut dicitur in *Canticis* [7]: *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* Mores exterius componit et verba, sicut dicit Tobias [8]: *Nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum iis qui in levitate ambulant.* Scientiam fidei dulcem reddit: sapientia enim secundum nomen suum est, id est, sapida scientia. Spem in fiduciam erigit [9]: *Ipse enim Spiritus sanctus reddit testimonium* nobis *quod sumus filii Dei.* Amorem Dei accendit; nam dicit [10]: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Deo familiarem efficit juxta illud [11]: *Loquebatur Dominus cum Moyse, sicut homo loqui solet ad amicum suum.* Dat fiduciam impetrandi petita, sicut habebat Joannes, cum dicebat [12]: *Fiduciam habemus ad Deum, et quodcumque petierimus, accipiemus.* Orationem impinguat; Psalmus [13]: *Holocaustum tuum pingue fiat.* Et in *Ecclesiastico*, ait enim [14]: *Impingua oblationem.* Pium et affectuosum facit, juxta illud [15]: *Suavis, humanus et benignus est spiritus sapientiæ.* Cor humiliat, ut ait Isaias [16]: *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem* (*a*), etc. Oleum spiritum premit in olla fervente. Contra adversa constantiam præstat; unde dicit Psalmista [17]: *Dominus illuminatio mea, et salus mea; quem timebo?* Et Apostolus [18]: *Quis nos separabit a charitate Christi?* Omnia opera bona delectabilia facit, juxta illud [19]: *Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium, sed lætitiam et gaudium.* Mentem in superna elevat [20]: *Si direxerit ad Deum cor suum, spiritum ejus et flatum ad se trahet.* Mundum vilescere facit, dicente Ecclesiaste [21]: *Vidi quæ fiunt cuncta sub sole, et ecce omnia vanitas.* Desiderare cœlestia cogit; hinc Apostolus dicit [22]: *Coarctor e duobus, desiderium habens dissolvi, et*

[1] I *Joan.*, II, 27. — [2] *Joan.*, XIV, 26. — [3] *Eccli.*, XXIV, 29. — [4] *Philip.*, II, 13. — [5] *Psal.* CXVIII, 163. — [6] *Apoc.*, X, 10. — [7] *Cant.*, II, 4. — [8] *Tob.*, III, 17. — [9] *Rom.*, VIII, 16. — [10] *Rom.*, V, 5. — [11] *Exod.*, XXXIII, 11. — [12] I *Joan.*, III, 21-22. — [13] *Psal.* XIX, 4. — [14] *Eccli.*, XXXVIII, 11. — [15] *Sap.*, VII, 22. — [16] *Isa.*, LXVI, 2. — [17] *Psal.* XXVI, 1. — [18] *Rom.*, VIII, 35. — [19] *Sap.*, VIII, 16. — [20] *Job.*, XXXIV, 14. — [21] *Eccle.*, I, 14. — [22] *Philip.*, I, 23.

(*a*) Vulg. *pauperculum.*

esse cum Christo. Peccata delet, et pœnas peccati; unde ait Dominus [1] : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Merita sublimat, teste Sapiente, qui ait [2] : *Si divitiæ appetuntur, quid sapientia locupletius, quæ omnia operatur?* Proximos maxime ædificat, unde dicitur [3] : *Offerre illi incensum dignum in odorem suavitatis.* Et [4] : *Christi bonus odor sumus.* Dæmones fugat; nam [5] : *Fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum.* Angelos invitat et Sanctos; ait enim Psalmista [6] : *Prævenerunt principes conjuncti psallentibus.* Et Tobias [7] : *Quando orabas cum lacrymis*, etc. Hæc et multa alia devotionis gratia confert. Ideo præcipue rector animarum studiosus esse debet eam habere, per quam semper informetur quid faciat, adjuvetur ut possit, conservetur ne deviet. Non enim solum pro se orare necesse habet, sed etiam pro illis qui sibi commissi sunt, quos non sufficit sine divino auxilio custodire. Nam [8] : *Nisi Dominus custodierit civitatem*, etc. Est enim Prælatus mediator inter Deum et subditos, ut sicut negotium Dei gerit apud illos, docendo, corrigendo, sursum agendo, ita etiam negotia eorum studeat apud Deum fideliter promovere, placando, gratiam impetrando, et conservando a malo. Unde scriptum est [9] : *Ego sequester et medius fui inter Deum et vos.*

Triplex devotio.

Alia autem devotio communis, alia specialis, alia assidua : communis, in divinis officiis; specialis, in orationibus; assidua, in omnibus agendis. Circa divina triplicem debet habere diligentiam devotionis, scilicet ut omnia fiant ordinate, et non confuse, et sine erroris hæsitatione; ut quisque deputatum ministerium congrue exequatur. Unde Paulus dicit [10] : *Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis.* Nam dicitur in Paralipomenis [11] : *David et omnis exercitus segregaverunt in ministerium Domini, qui prophetaverunt in citharis, psalteriis et cymbalis, secundum numerum suum, dedicato sibi officio servientes.* Item, ut strenue, et non pigre seu desidiose, opus Domini, scilicet divini cultus officium peragatur, quia ait Hieremias [12] : *Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter*, etc. Item, ut devote et reverenter, sine aliqua dissolutione et strepitu, distincte et attente divina officia persolvantur, sicut in conspectu angelorum, et in præsentia Dei, sicut dicitur in Ecclesiastico [13] : *In omni corde et ore collaudate et benedicite nomen Domini.*

Officium enim divinum in Ecclesia Spiritus sanctus ordinavit fieri quinque de causis. Primo, propter imitationem cœlestis concentus, quo Sancti et Angeli in cœlo assidue in præsentia Dei ejus laudibus sunt intenti. Unde dicit Psalmista [14] : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Cum enim secundum promissionem suam dicat (*a*) Dominus [15] : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, hic dignetur Christus nobiscum esse veraciter, tam sacramentaliter, quam spiritualiter; dignum est, nos ei pro modulo nostro aliqualem exhibere reverentiam honoris et laudis juxta exemplar similitudinis cœlestis, ut ei, etsi non continue, sicut illi cœli cantores, saltem interpolate pro nostra fragilitate psallendo, alacriter assistamus, imitantes illam *quæ sursum est, Hierusalem matrem nostram*, ut ait [16] Paulus.

Secundo, ut beneficiorum Dei memores, certis horis gratias, pro his laudando et orando, ei jugiter referamus, qui natus in nocte ex Maria Virgine, mane judici passurus assistitur, diluculo resurrexit, hora tertia flagellatur, et post, Spiritum sanctum misit apostolis, sexta crucifixus, nona in cruce pro nobis mortuus, vespere cœnans corporis et sanguinis sui nobis sacramenta tradidit, et completorio sepultus est. Missarum autem celebratio non tantum ejus nobis

[1] *Luc.*, VII, 47. — [2] *Sap.*, VIII, 5. — [3] Antiph. ad Capit. Non. Confess. Pontif. — [4] II *Cor.*, II, 15. — [5] *Tob.*, VI, 8. — [6] *Psal.* XXVII, 36. — [7] *Tob.*, XII, 12. — [8] *Psal.* CXXVI, 1. — [9] *Deut.*, V, 5. — [10] I *Cor.*, XIV, 22, 40. — [11] I *Paral.*, XXV, 1. — [12] *Jerem.*, XLVIII, 10. — [13] *Eccli.*, XXXIX, 19. — [14] *Psal.* LXXXIII, 5. — [15] *Matth.*, XXVIII, 20.— [16] *Gal.*, IV, 26.— (*a*) *Leg.* qua dicebat.

passionis mysterium memorandum ingerit, sed et præsentiæ suæ gratiam exhibet, et sub forma sacramenti nos seipso spiritualiter pascit. Si ergo justum est nos horum nunquam oblivisci, ita expedit ea semper recolere certis horis. Unde Isaias ait [1] : *Miserationum Domini recordabor, laudem ejus super omnibus quæ reddidit nobis.*

Tertio, ut nosmetipsos sic assidue ad devotionem excitemus, et ignem amoris Dei per hoc nobis, ne per desidiam seu alias occupationes tepescat, continue reaccendamus, sicut jussit Dominus Moysi, dicens [2] : *Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet, quem nutriet sacerdos in altari, subjiciens mane ligna.* Ignis est devotionis fervor, qui semper in altari cordis ardere debet, quem sacerdos devotus, semper subjiciendo ligna divinæ laudis, debet nutrire, ne aliquando extinguatur. Unde dicit Psalmista [3] : *Benedicam Dominum in omni tempore*, etc.

Quarto, ut simplices fideles, qui per se nesciunt certa orandi tempora eligere, per hoc ad orationis studium assuefaciamus, ut saltem tunc ad ecclesiam oraturi conveniant, quando ibidem divinæ laudis officia persolvuntur, et ut minus afficiantur tædio ibi persistendi, quandiu coram se vident clericos celebrare divina. Unde in *Luca* dicitur [4] : *Omnis multitudo populi erat foris hora incensi.* Multi enim rudes vix unquam se orationi offerrent, si foris non certis temporibus in ecclesiam ex consuetudine, ad divinorum celebrationem, et verbi Dei recitationem, ordinarie vocarentur.

Quinto, propter decorem religionis christianæ : quia decens est et congruum, ut si Judæi et Gentiles, et quidam hæretici quandoque conventicula sua faciunt, et sua profana ibi commercia celebrant, et ritus suæ perfidiæ observant, multo dignius qui vera et sacrosancta habent sacramentorum mysteria, ad ea celebranda et veneranda sæpe conveniant, et debita Conditori suo laudum solemnia persolvant, quibus et gratiam Dei ampliorem mereantur (*a*) et vitam æternam, et quibus alliciantur simplices ad religionis sanctæ reverentiam et amorem. Propter quod scriptum est [5] : *Dedit in celebrationibus decus, et ornavit tempora*, etc. Inter omnes ergo exteriores observantias major debet diligentia divino officio adhiberi, ut, sicut dictum est, ordinate fiat, strenue et devote. Alia enim tempora facimus pro Deo; in hoc autem assistimus Deo, et intendimus Deo, et alloquimur eum, et nos ipse simul, et pro nostris necessitatibus ejus auxilium postulamus.

Specialis devotio consistit in orationibus privatis, in familiaribus vocalium orationum recitationibus, veluti psalmorum, litaniarum, et aliarum orationum, quas in secreto quisque per se extraordinarie ruminando persolvit. Nam dicit Dominus [6] : *Cum oratis, dicite : Pater noster.* Item in sacris meditationibus, cum quis ante mentis oculos recolligit peccata propria et miserias, et futura supplicia, vel beneficia Dei generalia seu specialia, et passionem Christi, et bonitatis ejus dulcedinem, et præmia repromissa, ut ex his concipiat devotionis affectum, timoris, vel amoris Dei, desiderii, mœroris vel gaudii spiritualis, juxta illud [7] : *Meditatus sum nocte cum corde meo*, etc. Item in piis erga Deum affectibus, et lacrymis, et suspiriis, et sanctis desideriis amoris, et aliis internis et ineffabilibus motibus cordis, in jubilis, excessibus, et raptu, et absorptione spiritus in Deum, quo *adhærens Deo* [8], *unus fit spiritus cum eo* per puræ intelligentiæ lucem, et cognitionem Dei, et amoris ejus ardorem, et glutinosam fruendi inhæsionem. *Ipse* enim [9] *spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

Quod si prælatus præpeditur variis curarum distractionibus speciali devotioni sæpius intendere, saltem interdum, cum op-

[1] *Isa.*, LXIII, 7. — [2] *Levit.*, VI, 13. — [3] *Psal.* XXXIII, 1. — [4] *Luc.*, I, 10. — [5] *Eccli.*, XLVII, 12. — [6] *Matth.*, VI, 9. — [7] *Psal.* LXXVI, 7. — [8] I *Cor.*, VI, 17. — [9] *Rom.*, VIII, 26.

(*a*) *Cæt. edit.* merentur.

portune videlicet, quasi furtim et raptim ad orationis studium se conferat, ne omnino refrigescat, ne in dissuetudinem orandi veniat, ne Deo alienus efficiatur, ne gratia divinæ propitiationis ei quasi insensibiliter subtrahatur. Unde Moyses cum per populi negotia exterius vexaretur, crebro in tabernaculum fœderis ad Dominum recurrit, familiare ipsius colloquium ibi expetens, quo intrinsecus in spiritu reficeretur. Dominus quoque diebus prædicans turbis, noctibus [1] in orationibus solus pernoctavit. Et licet parva detur mora prælato orandi, tamen quia pro aliis debet ex officio orare, datur ei quandoque propter alios copiosior orandi gratia, ut quibus prodest agendo, possit etiam orando prodesse : tantum non negligat quærere, nec abjiciat, cum offertur, ne ex merito ingratitudinis ab eo gratia elongetur. Assidua devotio semper ei debet adesse, sicut et quibuslibet proficere volentibus in religionis virtute. Et ipsa triplex est : una est jugis memoria Dei ante oculos cordis; unde dicitur [2] : *Providebam Deum in conspectu meo semper;* et alibi [3] : *Oculi mei semper ad Dominum.* In omni loco et tempore semper debet homo studere Deo intendere, quasi sit coram eo per mentis intuitum. Unde solebant dicere Elias et Elisæus [4] : *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto.* Sicut enim angeli, quocumque mittantur, tamen a divina contemplatione non recedunt; ita homo virtutis, pro suo posse, semper Dei memoriam a suo corde non removeat. Unde, si aliquando contigerit, semetipsum inde redarguat. Nam dicit Bernardus [5] : « Omne tempus quo de Deo non cogitas, puta te perdidisse. » Nam etsi profunde non possis cogitationem tuam semper in ipsum defigere meditando, saltem memorando cordis intuitum in eum dirige, et cum datur opportunitas, ipsa memoria in meditationem seu orationem formetur, sicut qui materiam formandæ imaginis secum fert, ut cum habuerit opportunitatem, aliquid in ea sculpendo operetur.

Alia est continuum studium Deo placendi, in omni actione vel locutione, ut semper quasi in ejus præsentia caveat, unde ei displiceat et doleat si forte fecerit, et studeat in quo et qualiter ei possit magis placere. Dicebat enim Apostolus [6] : *Contendimus, sive absentes, sive præsentes, placere illi. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* Semper enim debet Religiosus se gerere, quasi in proximo sit tribunali summi Judicis præsentandus. [7] *Estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet,* dicebat Dominus discipulis suis. Omnia nostra videt, quæ facimus; et sicut non obliviscitur bonorum operum, ad præmiandum, ex diuturnitate temporis, ita nec malorum, ad puniendum, nisi per pœnitentiam diluantur. Unde peccator, contemnens animam suam, dicit in Ecclesiastico [8] : *Nemo circumspicit me : quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur Altissimus. Et non intelligit, quoniam omnia videt oculus ejus*, etc.

Tertia est, omnia agenda oratione saltem mentali prævenire, ad omnes eventus oratione se præmunire, et omnia beneficia gratiarum actione prosequi ac laude divina; agenda petat a Domino sibi salubriter inspirari, eventum dirigi ad salutis profectum, beneficia augeri et conservari. Sicut enim nauta, prævidens (*a*) tempestatem, festinat sæpius ingredi portum securum, ita Religiosus ad orationis portum continue confugiat, ubi omnes periculorum collisiones evadat, et in omnibus agendis semper plus orationi fidat, quam propriæ industriæ, vel labori. Unde scriptum est [9] : *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut ad te oculos nostros dirigamus,* videlicet in oratione. Et Psalmista [10] : *Sicut*

[1] *Luc.*, VI, 12. — [2] *Psal.* XV, 8. — [3] *Psal.* XXIV, 15. — [4] III *Reg.*, XVII, 1. — [5] Imo auctor *Medit.*, c. VI, n. 18, inter Oper. Bernardi. — [6] II *Cor.*, V, 9-10. — [7] *Luc.*, XII, 40. — [8] *Eccli.*, XXIII, 26-27. — [9] II *Paral.*, XX, 12. — [10] *Psal.* CXXII, 2.

(*a*) *Cæt. edit.* providens.

oculi servorum in manibus dominorum suorum, etc.

His igitur et aliis pennis ecclesiasticus seraph, id est, prælatus spiritualis, Domino sedenti super solium excelsum et elevatum, ornatus assistat : quarum primas duas super caput elevet, mediis duabus corpus et pedes contegat, ultimis duabus in latum et altum volet : ut zelum ejus non humanæ laudis fervor deprimat, nec compassionem ejus carnalis inclinet affectus ; sed sursum recta intentio sustollat, et fraternæ charitatis pietas in altum erigat, propter retributionem supernam, juxta illud Psalmistæ [1] : *Inclinavi cor meum ad faciendas*, etc. Patientia vero et vita exemplaris contegant eum a perturbationum jaculis, et a nuditate inopiæ meritorum : quibus quasi armis defendatur, et quasi sacris vestibus adornetur. Unde ait Isaias [2] : *Induere fortitudine tua, Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ*. Circumspectione vero ubique circumvolet, videndo quid et qualiter sit agendum, et devotionis studio, quæ sursum sunt, quærat [3], *ubi Christus est in dextera Dei sedens*, sublimi volatu ad ipsum accedens. Licet autem omnes, qui præsunt animabus, has virtutes non possint omnes æqualiter habere, tamen omnino necessarium est eis aliquatenus non carere, tam pro fructu ædificationis illorum, quibus præsunt, quam propriæ salutis profectu. Quilibet etiam Religiosus, qui seipsum habet regere, et de suiipsius regimine rationem Deo est redditurus in extremo examine, his alis et pennis, quantum sibimet indiget, oportet adornari, et in superna sublevari, ut sit fervens in justitia, compatiens proximis propter Deum, patiens in adversis; bono exemplo alios ædificans, circumspectus in omnibus, et super omnia Deo per orationis studium familiariter adhærens, qui eum in omnibus protegat, dirigat et promoveat, et tandem ad cœlestia evolare faciat. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus.

Amen.

[1] *Psal.* CXVIII, 112. — [2] *Isa.*, LII, 1. — [3] *Coloss.*, III, 1.

DE PUGNA SPIRITUALI

CONTRA SEPTEM VITIA CAPITALIA [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Breve hoc Opusculum, cui titulus est, *De pugna spirituali contra septem vitia capitalia*, continet documenta salutaria christianis militibus, qui hostem vincere, et in hoc certamine superiores evadere conantur. Nam Auctor, Gregorii, Hieronymi, Climaci, Cassiani, et Isidori doctrinis usus, singulorum vitiorum naturas explicat; deinde machinas, quibus hominem adoriuntur, detegit; remedia denique tradit, quibus veluti propugnaculis insidiæ vitiorum retundantur [2].

CAPUT PRIMUM.

De certamine contra gulam, de natura gulæ, et ejus remediis.

Eia nunc, milites Christi, bellum spirituale ingressuri, induite vos armatura Dei, arripite gladium et scutum, gladium virilitatis et strenuitatis, scutum patientiæ, ut sitis patientes in sustinendo eorum impetus et dolores. Videtur autem incipiendum certamen primo contra gulam, quia quandiu gula in nobis dominatur, aliorum vitiorum certamina magis occulta videre non possumus. Item, ut Gregorius dicit: « Multi quandoque ardua et magna incipiunt; sed quia gulam non vincunt, ea, quæ fortiter egerunt, turpiter perdunt. » Qui enim nequit in propria terra, id est, naturali carne debellare, quomodo vincet in terra longinqua? Est autem gula inordinatus et immoderatus appetitus cibi.

Gula quid.

Omnia illa quæ faciunt animam interius utiliter occupari in viribus animæ, et quæ ejus desiderium internum augent, remedia sunt contra gulam, imo contra omnia vitia carnalia. Hoc est quod dicit Hieronymus ad Rusticum [3]: « Ama scientiam Scripturarum, et vitia carnis non amabis. » Hinc est quod dicit Joannes Climachus [4], etiam in hac materia expertissimus, quod carentia dolorum et oblivio mortis est occasio gulæ. Breviter quælibet vacantia vel vacuitas a desideriis bonis, a meditationibus, sunt origo vel augmentum præcipuum vitiorum carnalium. Remedia igitur sunt timor mortis, judicii et inferni bene cordi impressus, si homo interius occupatur circa desiderium regni cœlorum, desiderium perfectionis, imo quodlibet bonum internum desiderium, ut devotio, maxime compunctio, lacrymæ, oratio: hæc enim intus cor hominis occupant; et

[1] *Cf.* Edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, pag. 27; edit. Ven., an. 1611, tom. II; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, pag. 27; edit. Ven., an. 1754, tom. VI, part. I, pag. 21. — [2] Capitum tituli, qui in cæteris editionibus hoc loco leguntur, nobis potius videntur ad calcem voluminis, videlicet ad Indicem rejiciendi. — [3] Hieron., *ad Rustic.*, epist. IV, circa med. — [4] Joan. Clim., *de Gula*, grad. XIV, circa fin.

secundum Hieronymum [1], desiderium desiderio, affectus affectu expellitur.

Sobrietas arcem concupiscibilitatis contra gulam deberet custodire. Est enim virtus, qua corporis alimenta cum moderamine admittuntur. Et debet sobrietas præcipue esse vigil contra gulam. Vide ne excedat in cibi qualitate; sed de quantitate difficile discernitur. Hic tamen in omnibus potest esse continentiæ finis, ne quis, juxta mensuram capacitatis suæ, saturitatis oneretur ingluvie.

Primus gradus sobrietatis est, ut patienter sustineas et feras, cum non poteris habere cibum vel potum ad libitum.

Secundus est, etiam velle his quæ possunt haberi, amore sobrietatis, paupertatis et boni exempli, carere.

Tertius, posse abstinere sine difficultate ab habitis delectabilibus.

CAPUT II.

De pugna et natura luxuriæ, et ejus remediis.

Si gulam non viceris, sed ipsa te vicerit, statim advocat sororem suam, id est, luxuriam, cujus adventus indicia sunt, quæ per naturam ejus poteris agnoscere. Statim enim in concupiscibili accendit amorem et inclinationem, et affectum ad fœminas, aut suscitat motus in carne : et hoc potes videre per motus carnis, et titillationes. Aliquando magis in anima, per affectionem et inclinationem ad actum illicitum, vel ad personam affectu illicito. Et hunc modum affectus potes considerare per imagines mulierum in te depictas. Contra illud vitium est certamen longum et durum; imo vero viribus nostris hoc specialiter non possumus perficere.

Unde radicale remedium, secundum Augustinum pluribus locis libri *Confessionum* de continentia, et alios sanctos, est, ut homo cor suum humiliet, et cognoscat propriam fragilitatem, et recurrat ad misericordiam Dei. Sunt quædam remedia, quæ magis luxuriam removent ab anima, ut contritio spiritus, frequens oratio, continua meditatio mortis, inferni, et similium præmissorum. Horum remediorum ratio patet ex his, quæ dicta sunt de gula. Item repressio interiorum affectionum et malarum cogitationum; quod fit maxime per alia devota et spiritualia desideria. Item sunt quædam remedia, quæ magis restringunt luxuriam, abstinere a carne, et jejunium. Maxime autem est tenendum contra hoc vitium æquale moderatumque jejunium; item opus manuum, instabiles cordis pervagationes coercens. Sunt quædam quæ directe juvant contra utraque, id est, luxuriam tam in carne, quam in anima, sicut est custodia diligens sensuum. Hi enim sunt fenestræ, per quas hoc vitium intrat. Item fuga societatis mulierum : nec familiaritatem habere cum eis; nec solus cum sola, maxime in secreto loco, loqui; nec domus earum, secundum Hieronymum [2], frequentare.

Primus gradus castitatis est, ut viriliter cum labore abstineas ab actu carnis, cum proposito sic manendi, et neges semper consensum motibus illicitis.

Secundus, ut per remedia prædicta, et alia similia, caro tua spiritui tuo subjugetur, ut rarius tenteris; et facilius tentatio cæditur imperando magis, quam reluctando.

Tertius gradus castitatis est, ita domitas habere concupiscentias carnis, ut vix rarissime et tenuissime sentias, et talem te induisse affectum, ut cum nausea et horrore inde audias vel loquaris.

CAPUT III.

De philargyria vel avaritia, et remedio ejus.

Post luxuriam sequitur philargyria vel avaritia, quæ passio vexat tepefactos in servitio Dei. Nam raro impugnat certantes legitime, præsertim si sub alterius degunt cura. Remedium tibi sit, ut sciens aliquam artem, labore manuum victum et vestitum conquirens, illis sis contentus. Ideo Deo con-

[1] Hieron., loc. cit., quoad sensum. — [2] Id., *ad Nepotian.*, epist. II.

fide, qui non relinquit sperantes in se.

Remedia contra avaritiam.

Summa remediorum : si vis avaritiam ad plenum vincere, relinque omnia quæ habes, et alterius curæ te committe, cum aliis vivens in communi. Huic autem vitio in principiis obsta, ut non admittas desiderium cujusque rei. Sicut enim hoc vitium in principio facile vincitur; ita, si semel admittitur, potest cunctis difficilius excludi.

Primus gradus quo proficis contra hoc vitium, in contemptu mundi est, nihil habere injusti, et divitiis non abuti ad peccatum, et eleemosynam facere.

Secundus est, nihil habere superfluum, sed necessariis esse contentum. Sed multi necessitatem suam valde amplificant; sed non est tutum ut homo in multis sibi confidat, sed potius alteri.

Tertius est, nihil possidere in hoc mundo, sed duntaxat capere usum necessarium, et frequenter pati penuriam, cibo, potu, et vestitu.

CAPUT IV.

De ira, et remediis ejus.

Ira.

Tria prædicta vitia arcem concupiscibilitatis oppugnant. Quartum autem vitium, quod est ira, debellat vim irascibilem, et est nociva bestia sibi nocens, et alios scandalizans, virus mortiferum animam interficiens, et Spiritum sanctum expellens. Cum autem ira vim irascibilem obtinuit, statim introducit ibi suam familiam, quæ sunt rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, et blasphemia.

Remedia contra iram.

Remedia contra iram sunt ista : primo os tacendo comprimere, et accensam flammam in corde suffocare. Nota autem quod, secundum Ambrosium in libro *de Officiis* [1], verus præliator eo usque per timorem, meditationemque mortis et similium, et maxime devotam compunctionem (qua secundum Climacum [2] ita extinguitur ira et indignatio, sicut ignis aqua) motus iræ deberet reprimere et mansuefacere, ut morum tranquillitas usu quodam, et affectione, et proposito, in naturam vertatur. Multum juvat contra iram, si quoties quis in ira excesserit (*a*), jam sopita commotione seipsum dure redarguat, et reprehendat (*b*), et humiliter reum se det toto corde, ab illis veniam petens, quos offendit.

Gradus autem quibus contra iram ascenditur, patent ex dictis. Primus est iræ resistere, cohibendo linguam, membra, etc., ne excedat foris.

Secundus est, cum homo jam per exercitia didicit non turbari ex adversis, sed est quasi in loco munito, non curans ea quæ sibi fiant contraria.

Tertius est, gaudere in tribulationibus, (*c*) et gloriari, cum adsunt, et desiderare, cum desunt.

CAPUT V.

De invidiæ natura, de ortu ejus, atque remedio.

Quintum certamen est contra invidiam, quam beatus Gregorius [3] ponit inter vitia capitalia, eo quod ex sui ratione habet, quod alia vitia inde sequantur; licet Cassianus et Isidorus eam inter capitalia non enumerent, eo forsitan, quod ipsa ex vitio capitali suam ducit originem. Ut autem hujus vitii naturam per suum effectum in te comprehendas, scire debes, quod invidia est dolor de bono alterius. Invidiæ enim objectum est bonum fraternum, in quantum est sibi malum. Hoc autem contingit dupliciter, vel tripliciter : uno modo in quantum sibi imminet malum, ut si invidemus quod inimicus noster, vel aliquis qui nobis non placet, fit noster prælatus, timentes ne nos deprimat, et hoc in casu staret sine peccato; alio modo, quando respicimus bonum proximi, non quod sibi invidemus illud, sed quia dolemus illud nobis abesse, et hoc est interdum bonus zelus :

[1] Ambros., *de Offic.*, lib. I, c. XXI, n. 90. — [2] Joan. Climac., *de Iræ Vacuit. et Mansuetud.*, grad. VIII, in princ. — [3] Gregor., *Moral.*, lib. XXXI, c. XVII, al. XLV, n. 87.

(*a*) *Cæt. edit.* recesserit. — (*b*) *Item* comprehendat. — (*c*) *Item* et in tribulationibus.

tali enim invidia debemus omnes tendere ad humilitatem, et charitatem, et obedientiam; alio modo fit istud, in quantum bonum fratris est diminutivum nostræ præcipue gloriæ. Unde invidia est præcipue circa illa, in quibus gloria consistit. Unde generaliter vane gloriosi (a) et pusillanimes sunt invidi, quia isti timent minui gloriam suam, illi timent faciliter superari. Hæc invidia, ubicumque venerit, filias suas secum adducit, quæ sunt odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, et afflictio in prosperis ejus.

Vane gloriosi, pusillanimes, quare sint invidi præ cæteris.

Invidiam vero dilectio proximi expellit; ideo de ipsa dilectione proximi aliqua dicamus : et primo quibus mediis dilectionem inter nos mutuo servare possumus; deinde quomodo quilibet se talem exhibere debeat, ut et ipse diligatur ab aliis, et alios ipse diligat : et ex his sufficientia remedia invidiæ apparebunt. De primo scias, quod perfecta, vera et indisrupta dilectio solum inter tales inviolabiliter servatur, qui sunt unius propositi, unius nolle et velle, et quodammodo vitiis omnibus expurgati, ut in decima sexta *Collatione Patrum* [1] dicitur. Et ita summa dilectio erit in patria; et fuisset vera in Paradiso, si non primus homo cecidisset.

Quomodo mutua dilectio conservetur.

Attamen sunt quædam remedia, quibus dilectio inter nos acquiritur et servatur, etsi non perfecta.

Primum est, quod etiam invidiæ est summum remedium, ut unusquisque toto corde omnia quæ mundi sunt, ex quibus contentio, rixa, vel invidia oriri potest, cordialiter despiciat et calcet, sive sint divitiæ, sive honores.

Secundum, ne quis sapiens sibi sequatur propriam suam voluntatem nulli acquiescens : et hoc causat maxime discordiam et rancorem.

Tertio, ut sciat quæ utilia sunt ac necessaria postponenda bono charitatis. Nam [2] *si habeam fidem, ita ut montes transferam; si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Ideo super omnia exercitia, in omnibus operibus, præ omnibus debemus quærere fraternam charitatem. Nec est aliquid, quod tantum angeli et Dominus angelorum in nobis invenire desiderant, sicut fraternam unionem et mutuam charitatem.

Quartum, ut unusquisque summopere iracundiam, et alia quibus fratrem offendit, caveat et devitet : et si quando contra fratrem excessit, humiliter satisfaciat; si quando frater contra eum rancorem sine causa concepisset, quantum in ipso est, studeat pacificare. Hæc habentur in *Collatione Patrum* decima sexta [3].

CAPUT VI.

De acedia, et remediis ejus.

Sextum certamen est contra acediam. Cujus natura est, ut tædium boni generet, animi torporem causet, mentem gravet, tristitia ad somnum et dissolutionem inclinet, horrorem loci, et cellæ fastidium, fratrum contemptum, et aspernationem gignit, nil operis libet maxime spiritualis. Nam interdum opus manuale arripit, ut possit spiritualia, orationes et similia relinquere. Hujus filiæ sunt malitia, id est voluntas machinandi malum, desperatio, pusillanimitas, rancor, id est odium inveteratum, torpor circa præcepta Dei, evagatio mentis circa illicita.

Remedia contra acediam.

Summum remedium contra acediam est, nunquam tædere, sed repugnando acediæ obviare, et vincere eam laborando. Attamen homo potest opera sua variare, ut nunc oret, nunc legat, nunc meditetur, etc., ut si unum non sapiat, sapiat saltem aliud; sicut febricitanti, habenti gustum infectum, apponuntur multa fercula. Item, contra tædium cordis, valet varietas actionis. Item valet compunctio : qui enim luget seipsum,

[1] Cassian., *Collat. Patr.* XVI, c. 3 et seq. — [2] I *Cor.*, XIII, 1 et seq. — [3] Cassian. *Collat. Patr.* XVI, c. XXVII.

(a) *Cæt. edit.* vanagloriosi.

non novit acediam, ait Climacus [1]. Ligetur ergo iste tyrannus memoria offensionum et delictorum, et percutiatur opere manuum, et intenta meditatione futurorum bonorum.

CAPUT VII.

De tristitiæ natura, et pugna contra tristitiam.

Nota, quod tristitia mala est duplex. Nam quandoque tristitia dicitur generaliter, ita quod versetur circa omnes passiones : nam in omni passione est invenire tristitiam et delectationem, secundum quod suum objectum adipiscitur, vel ab ea (*a*) repellitur. Et hanc tristitiam in tantum superabis, in quantum singula vitia extirpaveris : si multum, multum; si parum, parum ; omnino autem, si omnino ipsam necas. Sed ad hoc quis idoneus? Alia est specialis circa divina tædium, et ista potest comprehendi sub acedia. Tristitiæ origo difficulter est cognoscibilis, eo quod tam multas habeat origines, omniamet (*b*) vitia et affectiones.

Contra hæc duo vitia, acediam et tristitiam, pugnat charitas Dei, quæ nunquam est otiosa contra acediam. Ad quam charitatem triplici gradu perveharis.

Primus, sic uti licitis concessis, ut tamen illicita devites.

Secundus est ferventiori desiderio omnia, quæ Dei sunt, studiose facere in se, et in aliis promovere.

Tertio est tanto affectu æstuare ad Deum, quod quasi sine ipso vivere non possit. Valet etiam contra tristitiam devota confabulatio in bona societate, memoria benignitatis et misericordiæ Dei; item devotus cantus, ut dicit Paulus *ad Ephesios* [2].

CAPUT VIII.

De vana gloria, et remediis ejus.

Si omnia prædicta vitia viceris, quod sine maximis laboribus et multis doloribus non fit, si tamen fit, tunc amplius a vana gloria cavere debes. Hæc enim occulte virtutibus se ingerit, ita ut vix a spiritualibus semper valeat comprehendi. Hæc est multiformiter vana, semper et in omnibus vanitatem ingerens in vestitu, in apparatu, in loquela, in taciturnitate. Si veste pretiosa indutus fueris, adest ; si humilis fueris, amplius gloriatur ; si loqueris, gaudet unde dixeris ; si taces, laudat te velut humilem. Ipsa semper suggerit, et magnum desiderium ingerit ad illa, in quibus laus et honor consistit, etiam per magna pericula et labores ; et majorem fortitudinem dat suis amatoribus, quam spes beatitudinis veris præliatoribus. Hæc eadem bestia suggerit gradum clericatus, presbyterii, et diaconatus, si quis tamen eum vellet cogere, nam per se non vult, ne ipse appetere videatur. Vide super hoc exemplum libro *de Institutis Cœnobiorum* Cassiani [3]. Non possunt varietates hujus bestiæ explicari ; sed ubicumque eam projeceris, semper stat aculeo recto sicut tribulus. Ipsa est sicut allium : quoties unum tegmen removeris, aliud adhuc intus habet ; ubi autem ipsa intraverit, matrem dolosam sequuntur filiæ perversæ, quæ sunt inobedientia, contentio, jactantia, hypocrisis, pertinacia, discordia, novorum præsumptio seu inventio.

Quam vanam gloriam si vincere desideras, cave summo studio, ne quicquam intentione gloriæ incipias facere, cogitans illud Salvatoris [4] : *Receperunt mercedem suam.* Et illud [5] : *Quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent ; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* Item illud [6] : *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Secundo deberes niti illud, quod bona intentione incœpisti, simili custodia ab inquinatione gloriæ custodire. Item quidquid singulare est, et unde laus et gloria

[1] Joan. Climac., *de Aced.*, grad. XIII, statim ac princ. — [2] *Ephes.*, V, 10. — [3] Cassian., *de Instit. cœnob.*, lib. XI, c. 14 et 15. — [4] *Matth.*, VI, 5. — [5] *Psal.* LII, 6. — [6] *Gal.*, I, 10.

(*a*) *Leg.* eo. — (*b*) *Leg.* omnia scilicet.

posset conquiri, semper vitandum est bellanti contra hanc bestiam. Nam principium privationis vanæ gloriæ, secundum Climacum [1], est custodia oris, et amor humilis societatis, ignominia consummata, coram multitudine miserabiliter adinveniri. Chrysostomus : « Unicum vanæ gloriæ remedium, orare Deum, ut ipse te liberet. »

CAPUT IX.

De superbia, et remediis ejus.

Ultimo aggredienda est ipsa superbia, vitiorum regina, vitiorum radix, virtutum omnium devoratrix, quæ tantæ est fortitudinis et severitatis, ut Luciferum ejiceret de cœlo. Attamen puer David in Domino confidens, per humilitatem Goliam, quantalibet esset staturæ enormitate erectus, prostravit.

Est autem superbia duplex : una spiritualis, pulsans scilicet virtuosos de perfectione; alia carnalis, quæ minus perfectos pulsat de aliqua excellentia exteriori. Nam primæ est in corde suo magna merita sibi depingere, spiritualem gratiam attribuere sibi, quantum Deus eum diligat cogitare, mirari quod non faciat mirabilia, turbari quod Deus non dat sibi nescio quid speciale, et alios velut carnales despicere. Et hæc est multum periculosa, et plusquam vitia carnalia. Nullum vitium est, quod ita omnes virtutes exhauriat, cunctaque justitia et sanctitate hominem expoliet, quemadmodum hujus superbiæ malum.

Qui autem hujus nequissimi spiritus laqueos vult evadere, debet in singulis, in quibus se senserit virtutibus profecisse, dicere ex sententia [2] : *Gratia Dei sum id quod sum ;* et cogitare Deum esse, *qui operatur in nobis et velle, et perficere, pro bona voluntate.* Item diligenter considerare, quia bona nostra non sunt a nobis, sed dona Dei, de quibus districte sumus rationem reddituri. Item, bona nostra quam multis malis sunt permixta, tepiditate, hypocrisi, etc. Item considerare, quam multa sint in nobis mala et vitiosa. Item attendere meliores nobis homines et angelos, ut ita in comparatione vilescamus nobis.

Carnalis autem superbia his indiciis demonstratur. Est clamosa; dum tacet, amara et indignabunda; et in dissoluta lætitia, risus irrationabilis et sine causa; in tristitia sua est severa, dura; reprehendit cum rancore, non ex compassione; verba profert passim sine aliqua cordis gravitate, vel ponderatione; expers patientiæ, charitatis, aliena audacter injuriat, sed pusillanimiter injuriam patitur, difficulter aliis obedit, exhortationem recipere spernit, in propria voluntate permanens, sed vult propria statuere, nunquam alterius diffinitioni acquiescere, non vult consilium ab aliquo recipere, magis sibi credens quam sapientibus.

Remedia superbiæ

Hujus remedium primum est obedientia simplici corde suscepta, et humiliter exhibita. Secundum, ut intimo cordis affectu fratribus nostris humilitatem exhibeamus, in nullo eos lædere acquiescentes. Item semper niti exercere nos in humilibus operibus, vilibus et despectis officiis, puta ministrare in coquina, lavare scutellas, purgare domum, semper vilia officia eligere; humili habitu, humilibus gestis incedere. Hæc, si in consuetudinem venerint, cor ad humilitatem inclinant. Item honorem fugere, magis semper eligere ministrare, quam ministrari, superba vocabula et nomen jactantiæ etiam a propria familia devitare. Item omnia signa, et quæque facta jactantiam vel vanitatem prætendentia declinare.

Humilitatis gradus tres.

Humilitas, quæ contra superbiam pugnat, tres habet gradus.

Primus est, ut homo seipsum cognoscat infirmum, inopem boni, vitiosum, et si quos alios habet defectus; et non elevet se supra se.

Secundus est, cum homo se desiderat

[1] Joan. Clim., *de Cenodox.*, grad. XXI, prope fin. — [2] 1 *Cor.*, XV, 10. — [3] *Philip.*, II, 13.

ab aliis reputari, qualem seipse noscit in veritate, scilicet, vilem, inopem, superbum, etc.

Tertius est, quando homo in magnis virtutibus et honoribus non extollitur, et nihil sibi ex hoc blanditur, totum in illum refundens, a quo totum accepit, et ei integrum restituens. Talis fuit humilitas Christi, et talis angelorum et sanctorum in gloria.

COLLATIO

DE CONTEMPTU SÆCULI [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Mirifice hic nos ad mundi contemptum hortatur sanctus Bonaventura, septem propositis, quæ si optime perpenduntur, facile nos inducunt ad sæculi fugam et ad æterni et incommutabilis boni prosecutionem. Hæc autem sunt labor amatores mundi fatigans, negligentia melioris boni ex amore mundi, vanitas rerum temporalium, fugacitas gloriæ mundanæ, periculum in quo versantur mundani, mutabilitas rerum temporalium, vulnus occultum peccati, quod infligunt suis amatoribus bona mundi : quæ omnia mira brevitate prosequitur Auctor. Bona vero pars hujus collationis ex diversis locis S. Gregorii constat, ut alicubi in margine annotatur.

Septem sunt in mundo, quæ si homo bene perpenderet, et attente consideraret, facile mundum contemneret, vinceret, et fugeret, et ad serviendum Deo se conferret. Deo enim servire, est servitium perdere.

Primum est labor amatores mundi fatigans. Quis enim in honore sine dolore, in prælatione sine tribulatione, in sublimitate sine vanitate esse poterit? Unde damnati in fine dicent [2] : *Lassati sumus in via iniquitatis, et perditionis, ambulavimus vias difficiles.* Reprobi hic fatigantur in desideriis, postea cruciantur in tormentis. Magna est proinde securitas cordis, nihil habere concupiscentiæ sæcularis. Nam si ad terrena adipiscenda inhiat, securum tranquillumque nullatenus esse potest : quia aut non habita concupiscit ut habeat, aut adepta metuit ne perdat. *Nolite* ergo, charissimi [3], *diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt*, scilicet delicias et divitias. Beatus homo, qui scit Christum Jesum, etiamsi alia nescit. Infelix qui scit omnia alia, illum autem nescit. Unde versus :

Hoc est nescire, sine Christo plurima scire.
Si Christum bene scis, satis est si cætera nescis.

Secundum est negligentia melioris boni, ex amore mundi. Amatores enim mundi adeo intenti et diligentes sunt circa bona terrena acquirenda, quod omnes negligunt æterna. Amator enim mundi hujus, quanto amplius Dei obliviscitur, tanto plus a Deo derelinquitur, et mens ipsius obdurescit. Quanto quis malis adhæret, tanto minus intelligit bona quæ perdit. Contemnentes etiam Deum, minime sentiunt quantum sit mali quod sic agunt. Sancti etenim viri, quia nihil hujus mundi diligunt, sed cœlestem gra-

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, part. I; edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, pag. 102; edit. Ven., an. 1611, tom. I; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, pag. 99; edit. Ven., an. 1754, tom. VI, part. I, pag. 28. — [2] *Sap.*, v, 7. — [3] I *Joan.*, II, 15.

tiam appetunt, magna tranquillitate vivunt. Hujus autem mundi felicitas magna est infelicitas. O quam felix est, cui datum est mundum contemnere, et Christo servire! Omni libertate melior est servitus Christi.

Vanitas temporalium.

Tertium quod nos excitare debet ad contemptum mundi et rerum temporalium, est vanitas ipsarum. Lætitia sæculi vanitas est. Cum magna expectatione speratur ut veniat, et non potest teneri cum venerit, et transeunt omnia, et evolant omnia, et sicut fumus evanescunt, et væ qui amant talia! Unde quidam :

Præterit iste (*a*) dies, nescitur origo secundi,
An labor, an requies : sic (*b*) transit gloria mundi.

Ecce [1] *mundus transit et concupiscentia ejus*. Quid ergo vis, an amare temporalia, et transire cum tempore ; an Christum amare, et in æternum vivere ? Unde [2] « perfecti viri indesinenter brevitatem præsentis vitæ respiciunt; quasi quotidie morientes vivunt, et tanto sollicitius (*c*) ad ventura se præparant, quanto et nulla esse transitoria semper ex fine pensant. » Immensum est quod sine termino sequitur, et parum est quidquid finitur. Et quo verius summa cognoscunt, eo subtilius terrena despiciunt, quia illuminatæ mentis oculos considerationis in æterna figunt. Et ideo [3] « gaudia præsentis vitæ, quæ injusti æstimant magna (*d*), ipsi deputant ut stercora; » et ea quæ sæculi amatoribus chara sunt, ipsi velut adversam rem fugiunt. Alienos enim sciunt esse a Deo, quibus hoc sæculum ad omne commodum prosperatur. O [4] *gens sine consilio et sine prudentia, utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent!* Saperent damnatorum multitudinem, salvandorum paucitatem, et temporalium rerum vanitatem. Intelligerent tria, scilicet peccatorum multitudinem, bonorum omissionem, et temporis amissionem. Providerent tria, scilicet mortis periculum, extremum judicium, et æternum supplicium. Mors quasi ad oculum demonstrat esse contemnenda quæcumque in hoc mundo ab impiis quæruntur, scilicet divitias, delicias et honores. Labor quærentium divitias vanus ostenditur, cum homo nudus in terra (*e*) revertitur. Et labor deliciarum inutilis probatur, quia corpus, nutrifum deliciis, vermibus esca paratur. Ambitio honoris infructuosa cognoscitur, quia homo sub terra conditur, et homines et jumenta vadunt super eum. Augustinus (*f*) [5] : *Nolite* ergo, charissimi, *diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt*. Dimittamus hæc vana et inania. Conferamus nos ad solam inquisitionem eorum, quæ finem non habent. Vita hæc misera est, mors incerta subito obrepit, et post hæc negligenti supplicia luenda sunt. *Redite* ergo [6], *prævaricatores, ad cor*, et adhærete illi qui vos fecit. State cum illo, et stabitis; fallax et vanus est mundus, finis dubius, exitus horribilis, judex terribilis, et pœna infinibilis.

Quartum nos ad mundi contemptum sollicitans, est fugacitas gloriæ mundanæ. Dum enim libenter ac jucundissime moratur homo in mundo, diuque victurum se arbitratur, subito rapitur a morte, et anima segregatur a corpore, pergitque miseriis plena, tremens ac dolens, in regionem penitus ignotam, occursantibus sibi dæmonibus, etc. Ubi sunt amatores hujus sæculi, qui ante paucos dies nobiscum fuerunt? nihil ex eis remansit nisi cineres et vermes. Attende diligenter, qui sunt vel fuerunt. Homines fuerunt sicut et tu, comederunt et biberunt, duxerunt in bonis dies suos, et in puncto descenderunt ad infernum. Hic caro vermibus, illic anima sempiternis deputatur incendiis. *Nolite* ergo, fratres, *diligere mundum* ; sed sequimini Christum, qui dixit [7] : *Regnum meum non est de hoc mundo*. Ad cœlestem patriam toto mentis desiderio sus-

[1] I *Joan.*, II, 17. — [2] Ex B. Greg., *Moral.*, lib. VII, c. XIV, al. XXX, n. 45. — [3] Ex eod., lib. XV, c. III, al. IV, n. 5. — [4] *Deut.*, XXXII, 29. — [5] I *Joan.*, II, 15. — [6] *Isa.*, XLVI, 8. — [7] *Joan.*, XVIII, 36.

(*a*) *Cæt. edit.* ista. — (*b*) Item *requies sit*. — (*c*) *Al.* solidius. — (*d*) *Suppl.* bona. — (*e*) *Leg.* terram. — (*f*) Joannes.

pirate, ut ipsam finaliter consequamini. Non sunt hic vera solatia : sed ibi potius est vera vita, ubi nunquam mors timebitur.

Periculum in mundo.

Quintum, quod nos ab amore mundi retrahere debet, est periculum in mundo. Quid enim faciunt homines existentes in mundo? Quid enim faciunt homines sæculares secundum sæculum viventes, quam quod implicant se peccatis, et confodiunt animas suas magnis vulneribus suorum peccatorum, in tantum quod non possunt ea sentire? Adulteria, fraudes, furta, mendacia, et cuncta mala diffusa sunt. *A maximo usque ad minimum* [1] *omnes sequuntur avaritiam. Unusquisque* [2] *ad uxorem proximi sui hinniebat.* Quilibet quomodo substantiam suam faciat ampliorem, excogitat; nullus vel pauci, qualiter animam suam salvent. O quantum exultat nunc diabolus! Omnes in proclivo vitiorum sunt. Nullus vel pauci convertuntur; cuncta nobis superflua sunt expensa; terrenis inhiamus, terrena sapimus, Deum et ejus mandata contemnimus, terribilia judicia audientes non obstupescimus. *Nolite* ergo, charissimi, *diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt*, quia jacula diaboli sunt; sed serviamus Christo : nihil est melius et utilius bona vita.

Mutabilitas rerum temporalium.

Sextum nos sollicitans ad fugiendum de mundo, est mutabilitas rerum temporalium. Unde legitur quemdam philosophum dixisse : Quando cogito de pace et quiete quæ est in corde puro, et de delectatione quæ est in intellectu Deum contemplante, de securitate et de spe quæ est in corde Deum diligente; tunc judico, quod talibus intendere nihil aliud est, quam deiformiter vivere. Cæcus est, qui aliis deditus est, quia deificum est omne quod creatum est. Quæ est ista vita nostra, nisi cursus ad mortem; et quid est vivere, nisi diu torqueri? Si enim sublimiter pensetur, omne quod agitur, pœna est, miseria est. O amatores mundi, ad quem laboratis finem? Cur vosmetipsos affligitis circa nihil, cum Creatorem omnium possidere valeatis? Quid amplius quæritis? Quid homini sufficit, cui Conditor ipse non sufficit? O [3] *filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? Nolite* [4] *diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* Quicumque ergo vult ad terram promissionis pervenire, id est, gloriam supernæ patriæ obtinere, necesse est ut per virgam crucis transeat mare rubrum, ab Ægypto intrans desertum, vitam deliciosam et tenebras peccatorum deserens, assumat vitam laboriosam, et moriatur cum Christo in cruce pœnitentiæ, ut sic in hora mortis suæ mereatur audire illud dulce verbum, quod dictum est latroni [5] : *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.*

Vulnus occultum peccati.

Septimum et ultimum, quod nos debet compescere ab amore rerum mundialium, est occultum vulnus peccati, quod bona mundi suis amatoribus infligunt. Difficile enim est ut, inter vanitates sæculi quis positus, a vitiis maneat illibatus : proximus periculo, diu tutus non eris. Felix est ergo illa anima, quæ hujusmodi delectationibus oblectatur, ubi turpitudine nulla inquinatur, sed veritatis securitate purgatur; quam ita delectat lex Dei, ut omnes delectationes lasciviæ vincat. Cui ergo sapit Christus, amarus est illi mundus, quia gustato spiritu Christi, desipit omnis caro. Unde beatus Augustinus ad Dominum [6] : « Peto, ut omnia mihi amarescant, ut tu solus dulcis animæ meæ appareas, qui es dulcedo ineffabilis, per quam cuncta amara dulcorantur. Tua dulcedo Laurentio craticulam dulcem fecit. Pro tua dulcedine [7] *ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Ibat Andreas securus et gaudens, quoniam ad tuam dulcedinem properabat. Pro hac emenda, pellem propriam Bartholomæus dedit. Pro hac gustanda, veneni poculum in-

[1] *Jerem.*, VIII, 10. — [2] Ibid., V, 8. — [3] *Psal.* IV, 3. — [4] I *Joan.*, II, 15. — [5] *Luc.*, XXIII, 43. — [6] Imo auctor *Soliloq.*, c. XXII, inter Oper. Augustin., append. tom. VI. — [7] *Act.*, V, 41.

trepidus Joannes potavit. Hanc ut gustavit Petrus, omnium inferiorum oblitus, clamavit quasi ebrius dicens[1] : *Domine, bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula.* Hic moremur et (*a*) contemplemur, quia nullo alio indigemus. Unam scintillam dulcedinis iste gustavit, et omnem aliam dulcedinem fastidivit. Quid putas dixisset, si magnam illam dulcedinis multitudinem divinitatis gustasset, quam abscondisti timentibus te? Hanc dulcedinem tuam ineffabilem et illa gustaverat virgo Agatha, de qua legimus, quod lætissima (*b*) et gratulanter ibat ad carcerem, quasi ad epulas invitata. Hanc, ut reor, et ipse gustaverat qui dicebat[2] : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te!* Et iterum[3] : *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.* » Hæc Augustinus (*c*). Qui ergo nihil de ista dulcedine Dei gustat, sordidari terrenis desideriis non evitat. Magnum donum Dei est, vitia et delicias hujus mundi abdicasse. Ululate ergo, miseri dilectores hujus mundi, qui corpus ante tempus destruitis, et animam interficitis. Unde infirmitates multæ, et mors tam repentina, nisi ex ciborum nimia copia, et frequenti mulierum usu? Dum dulciter (*d*) creditis, certe deluditis vosmetipsos; pro corpore obliviscimini animam, et ecce corpus simul cum anima ante tempus destruitis. Epulamini et inebriamini, non enim post mortem amplius facietis. Seminate corruptionem, et de corruptione colligetis divinam sententiam, quam justus ille judex dabit in magno judicio Dei dicens[4] : *Ite, maledicti, in ignem æternum.* Heu, cor lapideum, si cum talem tibi cogitas ob hujus mundi parva solatia imminere sententiam, non formidas! Sed forte quis dicat, quod vir qui in peccatis vixit toto tempore vitæ suæ, in mortis articulo accepta pœnitentia, a Deo veniam obtinebit. Heu, quam vana suspicatio, et falsa meditatio! Raro accidit ut in morte mereatur divinam obtinere indulgentiam, qui, dum sanus est et validus, Deum offendere non formidat. Hoc teneo (*e*), hoc verum puto, quod ei non bonus est finis, cui semper fuit mala vita. *Pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus*[5], ait Psalmista : *Mors* vero[6] *peccatorum pessima. Nolite* ergo, charissimi[7], *diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt,* sed[8] *fugite de medio Babylonis.* Exite de Ur Chaldæorum, incendio scilicet vitiorum. Fugite, et salvate animas vestras. Convolate ad urbes refugii, ad loca videlicet religiosa, ubi possitis de præteritis agere pœnitentiam, in præsenti obtinere gratiam, et fiducialiter futuram gloriam præstolari.

[1] *Matth.*, XVII, 4. — [2] *Psal.* XXX, 29. — [3] *Psal.* XXXIII, 9. — [4] *Matth.*, XXV, 41. — [5] *Psal.* CXV, 15. — [6] *Psal.* XXIII, 22. — [7] I *Joan.*, II, 15. — [8] *Jerem.*, LI, 6.

(*a*) *Al.* te. — (*b*) *Al.* lætissime. — (*c*) *Suppl.* vel quilibet alius auctor *Soliloquiorum* spuriorum. — (*d*) *Suppl.* vivere. — (*e*) *Cæt. edit.* tendo.

EXERCITIA QUÆDAM SPIRITUALIA [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

In hoc Opusculo tredecim spiritualia exercitia proponit Auctor, et post ultimum exercitium adjungit brevem quamdam formulam ex Bernardo desumptam, qua ab exterioribus ad interiora, et ab his ad superiora conscendamus. Quæ quidem omnia, quo brevius ab Auctore proponuntur, eo frequentius a nobis exerceri debent.

Ut in virtutibus conserveris, oportet te habere exercitia spiritualia quibus animum tuum occupes, quia, nisi, sic non poteris in virtutibus perseverare.

Primo igitur exercebis te in oratione tali modo, et temporibus istis ferventer.

Quid oditanum sinlis dies.

Ante cujuslibet operis vel facti inceptionem, Dominum invocabis et modicum orabis cum tali oratiuncula : *Deus, in adjutorium meum intende : Miserere mei , Deus*; vel hujusmodi. Item quandocumque audis campanam sonare, orabis; vel quando audis pulsare horas, has orationes ferventer ad intra facias; et ita facias, quod si juxta alios fueris, illi non considerent quod ores.

Secundum tuum exercitium erit istud, videlicet ut ferventer proponas, quandocumque audis sonare campanam, generaliter te emendare breviter cum oratione per morulam unius *Pater noster*.

Antequam notabile opus facias, breviter cogitabis qualiter proposuisti te habere in priori proposito.

Item de mane semper proponas, qualiter te per totam diem velis habere; et hoc, antequam facias (*a*) facta tua extrinseca; et quando facis factum aliquod, cogitabis breviter qualiter proposuisti.

Item ter vel quater in die, propones ferventer contra superbiam.

Tertium exercitium erit de aliquo bono cogitatio, quando tempus vacaverit. Habebis enim qualibet die unam memoriam specialem, de qua cogitabis sæpe, et ad quam recursum (*b*) habeas.

Habebis enim dominica die de regno cœlorum; feria secunda, de extremo judicio; feria tertia, de beneficiis Dei; feria quarta, de morte; feria quinta, de pœnis inferni; feria sexta, de passione Domini; sabbato, de Domina nostra, et peccatis propriis. Passionem tamen Domini in qualibet die cum materia diei et cum beneficiis Dei habebis. Et in qualibet hora matutina, primæ, tertiæ, etc., de passione illius horæ, cum pauco de materia illius diei cogitabis. Sic igitur cogitando, et tua facta faciendo, spero quod tempus competenter expendes.

Quartum exercitium erit, ut quotidie te exerceas in operibus humilibus et despectis, semper eligere locum vilissimum, et teipsum ex toto corde despicere, nulliusque laudis dignum te reputare; sed totum ascribere Deo; sive lauderis, sive vitupereris,

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, part. I; edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, pag. 105; edit. Ven., an. 1611, tom. I; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, pag. 102; edit. Ven., an. 1754, tom. VI, part. I, pag. 32.

(*a*) *Cæt. edit.* facis. — (*b*) *Item* cursum.

non curabis. Esto considerans teipsum, et invenies quod non est aliqua laude dignus, sed omni opprobrio dignissimus. Cum enim es juxta alios, habebis te taciturne, verecunde et mansuete, tamen sicut decet.

Quintum exercitium erit, ut omnia signa superbiæ devites, scilicet clamorem in loquendo, et sic de aliis.

Sextum exercitium erit, ut sæpe consideres in quibus te male habeas, ubicumque fueris; et non permittas aliquod parvum vitium transire non judicatum : quia qui parva non reputat, in majora sæpe cadit.

Septimum exercitium erit, ut præcipue ubicumque fueris, oculos tuos custodias, quia ex incustodia oculorum infinita mala eveniunt. Ergo præcipue custodi oculos.

Octavum exercitium est considerare aliorum bona, et non mala. Cum enim videris aliquem peccantem, cogitabis quod si ipse haberet tantam gratiam a Deo sicut tu ipse, multum ferventius emendaret se quam tu. Si autem videris aliquem aliquid boni facere, cogitabis qualiter possis (*a*) illud imitari.

Nonum exercitium erit, ut omnia quæ videris et audieris ab hominibus, ad bonum trahas; et sic non suspicaberis.

Decimum exercitium erit, ut semper, ubicumque fueris, habeas te morigerate et composite ad (*b*) extra, ne aliis exhibeas malum exemplum : quia exterior incompositio est signum indevotæ mentis.

Undecimum exercitium erit, ut semper, ubicumque fueris, videas ut illud non facias, cum quo alicui possis præbere malum exemplum, vel unde alius posset suspicari : quia valde periculosum est aliis præbere malum exemplum.

Duodecimum erit, viriliter tentationibus resistere, et a carnalibus te abstinere et abstrahere, quia in illis salus non est.

Ultimum erit, ut semper stes in timore, et habeas te verecunde; et ita custodi te solus, sicut quando es cum aliis : nam Deus omnia videt, quæ facis. Hæc exercitia in communi, in quantum potes, facere studebis; et Dominum diligenter rogabis, ut velit tibi dare gratiam ad faciendum ea, quia sine ipso nihil potes facere, etc.

Redeam[1] ab exterioribus ad interiora; ab interioribus ad superiora conscendam, ut possim cognoscere unde venio, aut quo vado, quid sum, et unde sum, ut ita, ex cognitione mei, valeam pervenire ad cognitionem Dei. Quanto namque in propria cognitione proficio, tanto ad cognitionem Dei accedo. Unde venio? Secundum exteriorem hominem, de parentibus illis qui me fecerunt ante damnatum quam natum; peccatores peccatorem in peccato suo genuerunt, et de peccato nutrierunt. Quid sum ego? Homo de humore liquido. Sum enim, in momento conceptionis, de humano semine conceptus; deinde spuma illa coagulata, modicum crescendo, caro facta est; postea plorans et ejulans, traditus sum hujus mundi exilio, et ecce jam major plenus iniquitatibus. Jamjam præsentabor ante districtum judicem. Tunc dicetur de me : Ecce homo et opera ejus. Cogita hæc profundius.

[1] Multa ex his a B. Bernardo vel potius ab auctore *Medit.*, c. I et II, inter Oper. Bernardi, tom. II, edit. 1690.

(*a*) *Cæt. edit.* posses. — (*b*) *Item* ab.

DE EXERCITIIS SPIRITUALIBUS [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Auctor in hoc Opusculo nonnulla ad meditandum proponit, quibus devoti, ut vel timore perterreantur, vel amore accendantur, frequenter sese spiritualiter exerceant. Hæc autem sunt : memoria peccatorum, memoria mortis, memoria extremi examinis, memoria pœnarum inferni, memoria æternæ gloriæ, et memoria beneficiorum Dei, beneficii incarnationis præsertim. De quibus omnibus generalia quædam affert, et in unum ad modum fasciculi colligit, unde quis plura elicere valeat [2]?

PRÆFATIO

Scire debes, quod quamvis omnia quæ in divina Scriptura reperiuntur, imo cœlum et terra, et omnia quæ in eis sunt, de Deo loquantur et instruant, non tamen omnia conveniunt ad utiliter meditandum; sed ea debes potius ad meditandum suscipere, unde amplius timore conciteris, vel accendaris ad amorem. Sunt autem quædam generalia, circa quæ frequentius exercitia devoti versantur, videlicet memoria peccatorum, qua compunguntur ad compunctionem vel dolorem; memoria mortis, qua ut omnia hujus mundi oblectamenta, gloriam et honorem, altum statum vilipendant, accenduntur; memoria extremi examinis, qua inflammantur ad bona opera peragenda, ut tunc cum justis mereantur accipere præmium meritorum; memoria pœnarum infernalium, qua omnia illicita, licet dubia, respuant (*a*) timore tormentorum; memoria cœlestis gloriæ, ut hic quiescant et exultent in spe, ac ut illic sint digni gloria, nitantur se veris virtutibus adornare; memoria beneficiorum Dei, et maxime beneficii incarnationis, ne gratiæ largitori inveniantur ingrati. Ut autem de his cogitare eo promptius ad manum valeas, habeas aliqua generalia, unde tu valeas plura elicere. De unoquoque præmissorum hic inseruntur, ut data occasione sapiens (*b*) sapientior fiat, et ex paucis plura eliciat, sicut ipsi congruit cogitanti. Esto igitur animal mundum, ruminans et revolvens ea, et ipsis similia, in corde tuo, ut ita inutilia et vana possis e memoria removere.

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an 1495, part. II; edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, pag. 106; edit. Ven., an. 1611, tom. II; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, pag. 103; edit. Ven., an. 1754, tom. VI, part. I, pag. 35. — [2] Capitum summa, quæ hoc loco in cæteris editionibus posita legitur, nobis potius videtur, uniformitatis gratia, ad calcem voluminis, videlicet ad indicem rejcienda.

(*a*) *Cæt. edit.* respuent. — (*b*) sapienti.

CAPUT PRIMUM.

Qualiter fiat memoria peccatorum.

Ut tibi de memoria tuorum peccatorum nascatur compunctio, talibus stimulis te concute meditando. Cogita, et ut sentire valeas diligenter stude, quantum unumquodque peccatum Deo displiceat. Revolve, quod superbia ejecit Luciferum de cœlo; inobedientia Adam de paradiso projecit; luxuria subvertit Sodomam et Gomorrham, et pene totum mundum in diluvio submisit; Christus pro peccato mortem sustinuit amarissimam, et ne peccatum inultum remaneret, et suæ justitiæ non satisfieret. Cogita secundo quod Deus aliter judicare non poterit, quam opera nostra merentur. Est enim Deus æquitas quædam intelligibilis, inconvertibilis, atque indeclinabilis non minus malorum pœna, quam beatorum gloria. Igitur tibi reddet juxta opera tua. Non igitur palliemus ut blandiamur nobis, quia non est ita durum, et Deus est misericors. Cogita de peccatis tuis præteritis ante conversionem; cogita quam multa sunt in locutione, opere et consensu. In cogitatione tot sunt, quod nequeas numerare. Cogita quam turpia, præcipue ad carnalia; in quibus tamen minus immoreris, ne delectatio subrepat. Cogita quam gravia, quibus Deum offendisti, et rursum Christum quodammodo crucifixisti. Cogita de peccatis post conversionem tuam, quod semper tam negligens, tam tepidus tot annis sine profectu fuisti, et vide de singulis tuis criminibus, et numera ea, si potes, in conspectu Domini, et pete veniam de præteritis, adjutorium de præsentibus, et cautelam contra futura. Deinde cogita in quanto satisfecisti pro istis, certus quod quidquid hic non reddideris, in futuro a te exigetur usque ad minimum quadrantem. Nullum enim malum impunitum erit, sicut nec aliquod bonum irremuneratum. Demum cogita quod judicia Dei sunt inscrutabilia; nescis si in gratia; nescis si vere conversus, quid in te lateat quod Deum non latet, sed offendit; nescis si perseveraturus. Hæc rumina, hæc cogita, et si bene sentis ea, non altum sapies de teipso. Cave tamen desperationem, si profundius hujusmodi meditationibus te immerseris; atque ita hujusmodi meditationes digere, ut non absorbearis tristitia nimia et dejectione, sed ut instigeris ad vitæ emendationem et tolerantiam omnium tribulationum.

CAPUT II.

Generalis modus ad formandum meditationes de morte.

De morte tua ita poteris formare meditationes tuas. Primo, ut horam mortis semper suspectam habeas. Cogita quod improvise mors veniet, quia sicut fur, quando minime putabis, quando minime disposuisti, quando adhuc diutius vivere sperabas, et tamen adhuc multa agere cogitasti, prout experientia quotidiana te satis sufficienter docet, et docuit de pluribus tibi notis. Revolve deinde ordinem, quo ad mortem devenitur, et habe te nonnunquam sicut si statim esses moriturus, et melius senties quæ sequuntur. Cogita igitur qualiter præcedit mortem gravissima infirmitas, cujus aliæ infirmitates non sunt nisi sicut præcones; vide gravitatem hujus infirmitatis. Cogita horrorem naturalis inclinationis appetentis permanere. Cogita deinde, cum jam homo sentit se hinc transiturum, sive medicis hoc dicentibus, sive si ipse per se senserit, quantus tunc erit clamor conscientiæ, quantus remorsus in eo qui se non disposuit; tunc enim ipsa peccata ad memoriam confluunt. Et cogita de singulis peccatis tuis, et passionibus propriis singulariter, quantum tunc de eis dolebis, quia non vicisti. Cogita, si tali articulo mortis esses constrictus, et vitiis et concupiscentiis ligatus, quanto desiderio desiderares unam horam vel annum sanitatis pro emendatione. Cogita, homo, cum ad illam horam veneris, et hinc transibis, et

tempus præteritum comparaveris ad æternitatem ad quam transibis, quam breve tibi videbitur; tota vita tua apparebit tibi breve somnium, et ita tibi erit totum tempus ac vita, ac si per modicum spatium, puta iter mediæ leucæ, perrexisses. Cogita etiam quantus erit dolor ille, cum vides, quod propter tam parvam delectationem, illa sempiterna gaudia amisisti. Cogita quam amara erit separatio, cum ab his, quæ vitiose dilexisti, separaberis (*a*); puta ab honore tuo, qui hic in alto statu totis viribus honorem quæsivisti, et a voluptatibus, et sic de aliis. Considera dispositionem morientis, quomodo totum corpus nigrescit et rigescit, oculi contabescunt. Cogita quomodo dæmones sint ibi, tanquam rugientes, parati ad escam, expectantes. Deinde imaginare quomodo anima in egressu a corpore suo, cum incipit considerare regionem ignotam, quod tot dæmones eam expectent, quam invite exiret, quam libenter rediret ad corpus suum; sed non potest, quia clausæ sunt fenestræ sensuum et aditus vitales. Cogita quomodo tunc singuli spiritus vitiorum ad eam occurrent, quærentes sua in eis : spiritus superbiæ, superbiam; spiritus luxuriæ quærit luxuriam; quilibet qua sua sunt, et sic de aliis. Ultimo adverte quomodo anima egressa de corpore statim statuitur ante tribunal judicis, et fertur (*b*) sententia, quæ ex hoc tunc usque in æternum non revocabitur. Et [1] *ubicumque tunc lignum ceciderit, ibi manebit.* Demum cogita, quod tandem corpus traditur sepulturæ et perpetuæ oblivioni; hospes hic fuit [2] unius noctis, et abiit, et memoria ejus recessit a terra. Poteris autem modum hunc contrarium sumere de morte justorum; nam justi videntes se de hoc mundo migraturos, gaudent in testimonio conscientiæ, exultant quod liberantur de istis miseriis, quia hic non fuerant ligati concupiscentiis, non dolent hinc exire, et sic de aliis.

[1] *Eccle.*, XI, 9. — [2] *Sapient.*, V, 15. — [3] *Isa.*, LXVI, 24. — (*a*) *Cæt. edit.* separeris.— (*b*) refertur. — (*c*) Cæt. edit. add. *qui.*

CAPUT III.

Generales modi ad formandum meditationes de pœnis infernalibus.

De pœnis infernalibus, imaginare ipsum infernum secundum quasdam similitudines a sanctis super hoc positas. Aspice igitur chaos horribilissimum, lacum subterraneum, puteum profundissimum, et totum ignitum. Item imaginare civitatem magnam et horribilem, et penitus tenebrosam, obscurissimis et terribilissimis flammis succensam, clamantibus, ululantibus et plangentibus universis præ inexplicabilibus doloribus; et similes similitudines poteris cogitare. Cogita de pœnarum acerbitate : dicitur enim ignis ille ad ignem nostrum tanti esse caloris, quanti noster ignis est ad depictum. Et ita cogita de frigore, et fœtore. Hujus pœnalitatis acerbitas patet ex stridore dentium, ex gemitu et planctu, et blasphemia, et sic de aliis. Cogita de pœnarum multiplicitate : ibi enim est ignis inextinguibilis, obscurissimus, frigus intolerabile, fœtor horribilis, tenebræ palpabiles. Ibi erit pœna in omni sensu : in visu, per horribiles visus et aspectus dæmoniorum; in auditu, per lamentabiles gemitus et clamores de miserabili societate, et crudelitate tortorum, sine omni misericordia; in torquendo non fatigantur, nec ad misericordiam commoventur. Insultabunt dicentes : Ubi nunc gloria? ubi nunc altus status? ubi superbia? Cogita quomodo nunc ibi per membra, quibus quis peccavit, eisdem puniatur; et omnibus membris malus pœnam sustinebit. Cogita etiam de pœna interiori, videlicet remorsu interiori conscientiæ [3] : *Et vermis eorum* (*c*) *non morietur.* Quis potest sufficienter cogitare quantum doleant, quod illam pœnam modicis laboribus et brevi tempore non evaserunt? Item internæ passiones maxime regnabunt in eis : erunt enim maxime iracundi et invidi, et erunt ita simul sicut canes rabidi. Item recordabuntur priorum delectationum ad augmentum pœnæ.

Unde ibi lamentabuntur, dicentes [1] : *Quid nobis profuit superbia?* Cogita de duratione pœnarum, quod scilicet nunquam sit finem habitura. Non potest mille millia annorum, imo non potest tot annos, quot anni possunt in millibus numerari, quia nulla ibi redemptio, nullus ibi finis.

CAPUT IV.

Generales modi meditandi circa extremum judicium.

De extremo examine, cogita quantus tunc fiat terror. Ipsa enim angelica tuba, mirabilia, terrenda, scilicet fulgura, coruscationes, percutient corda hominum, et pavere facient. Cogita, si potes, magnitudinem iræ justi judicis, venientis contra eos qui eum offenderunt, et quantum mali terrebuntur. Imaginare quomodo et quam amara fiet ibi divisio. Ponentur omnes justi, humiles, mites ad dexteram; superbi, invidi, luxuriosi, etc., ad sinistram, amodo non conjungendi. Nunc sunt [2] *duo in mola una,* etc.; *et unus assumetur, et unus relinquetur.* Cogita quid timoris, et quid horroris, quid admirationis erit superbis, elatis hujus mundi, cum se abjectos viderint; et pauperes, viles, et despectos, quos insanos putabant, ad dexteram Christi in gloria viderint assistentes. Tunc pœnitentiam intra se agentes dicent [3] : *Ecce hi quos habuimus in derisum aliquando.* E contra [4] : *Justi stabunt in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt.* Cogita quomodo omnium operum ibi et cogitationum fiet redditio. *Hierusalem* [5] *scrutabitur in lucernis*; id est, hi qui apparebant (*a*) velut sancti, investigabuntur ibi, et quidquid in eis occultum fuerit, ad lumen veniet. Testes erunt diabolus, qui ostendet nobis omnia quæ fecimus, ubi, et quando, etc.; item, proprium scelus; et totus mundus dabit testimonium contra peccatores. Cogita quomodo Christus exhibebit passionis suæ insignia, et quomodo per illam Christus exprobrabit quod eam contempsimus. Cogita de illo horribili tonitruo, et irrevocabili sententia [6] : *Ite, maledicti*, etc. Cogita de dulcissima invitatione justorum ad sempiternam cœnam per illam vocem [7] : *Venite*, etc. Cogita quam magna sint opera misericordiæ et pietatis, cum ea solum Christus ad judicium suum adducere videatur. Cogita quod [8] *justi ibunt in vitam æternam, injusti in supplicium sempiternum.* Et hæc duo loca per [9] *chaos magnum* divisa semper permanebunt.

CAPUT V.

Generales meditationes de gloria cælesti.

De gaudiis supercœlestibus, imaginare locum illum per imaginarias similitudines a sanctis pro nostra capacitate inventas. Est enim [10] *civitas ex auro purissimo, gemmisque pretiosis mirabiliter constructa, singulæ portæ ex singulis margaritis,* et campus spatiosissimus ac speciosissimus, omnium florum pulchritudine decoratus. Ibi æstatis amœnitas, ibi odoris suavitas, etc. Cogita, quantum potes, quantum erit gaudium ex visione sanctissimæ Trinitatis, in qua relucet exemplar omnis pulchritudinis, omnis bonitatis, omnis suavitatis, quam videndo omnia scienda scies, et quidquid volueris habebis in illa : in illa enim visione beatificaberis. Cogita de visione humanitatis Christi, qui hic fuit propter nos pauper et vilis homo, ibi sublimis Deus et homo. Cogita de gaudio quod habebis ibi ex societate gloriosæ Virginis, omnium sanctorum apostolorum, martyrum, confessorum, virginum; et de cujuslibet gaudio gaudebis et tu. Cogita de dotibus quas ibi corpus tuum recipiet, quæ sunt immortalitas, impassibilitas, summa agilitas, et maxima speciositas. Cogita de dotibus animæ quibus ipsa anima

[1] *Sap.*, v, 8. — [2] *Matth.*, xxiv, 41. — [3] *Sap.*, v, 3. — [4] Ibid., 1. — [5] *Soph.*, i, 12. — [6] *Matth.*, xxv, 41. — [7] Ibid., 34. — [8] Ibid., 46. — [9] *Luc.*, xvi, 26. — [10] *Apoc.*, xxi, 18, 21.

(*a*) *Cæt. edit.* apparebunt.

replebitur, quæ sunt plenitudo scientiæ et lætitiæ. Cogita de istis dotibus, quam multa alia consequeris, videlicet securitatem qua non timebis ejici, non timebis a tentatione vinci; inde tibi libertas summa, inde sanitas, inde voluptas, inde amicitia, inde honor, inde concordia. Et breviter, habebis ibi quidquid volueris, et quidquid nolueris non habebis.

CAPUT VI.

Brevis modus meditandi circa beneficia Dei.

Ut circa beneficia Dei innumera aliquem modum habeas meditandi et memoriam tuam reformandi, scias, quod in his triplici consideratione potes tuas meditationes variare et dilatare, ut nunc tua quidem meditatio versetur circa ipsum benefactorem, nunc circa teipsum cui benefecit, nunc circa ipsa beneficia quæ tibi multipliciter elargitur. Considera, quod ipse benefactor tuus Dominus Deus ita tibi benefaciat, ut nihil a te repetat, nec te nec aliqua creatura indiget (*a*). Considera, quod sit infinitæ potentiæ, cujus potentiam declarat universitas et multitudo creaturarum suarum. Considera quod sit immensæ sapientiæ, et hoc attende ex pulchritudine et ordine totius universi. Attende igitur quantæ sit bonitatis, si hic talis tantusque Dominus modicum encæniolum tibi tribuit, imo quantæ bonitatis quod tantus de tantillo dignetur cogitare. Considera quam sollicita sit tanta majestas circa te, in tribuendo beneficia : modo quo tibi magis expedit, ab æterno disposuit tibi ea dare, ab æterno et semper actualissime cogitavit, et talia tibi beneficia præordinavit, ita sollicitus circa te sicut circa integrum orbem vel universitatem creaturarum. Ita enim hic magnus Rex tibi et circa te intendit, ac si vacaret singulis. Et hoc affectum tuum non modicum ad gratitudinem et amorem accenderet, si singula beneficia divina toti generi humano collata ita tibi attraheres, et ita te ex eis ad gratitudinem intelligeres obnoxium, ac si tibi soli fuissent collata, verbi gratia, ac si pro te solo crucifixus, factus homo, etc., propter te solum creasset cœlum et terram; et hoc docet nos Chrysostomus. Affectu etiam tanto beneficia illa dat, quod si etiam quid minimum daret, gratissimum merito deberet esse. *Perpetua*, inquit [1], *charitate dilexi te*; et ex perpetua et maxima charitate donat sua beneficia. Attende quam sis vilis, quam plenus malitiis et concupiscentiis, sicut tibi superius satis est ostensum, cum diceretur de discussione tui, et propria cognitione, et de memoria peccatorum.

Circa beneficia forma dupliciter meditationes : primo circa hoc, quod mala tua benigne tibi remisit; secundo, quod innumerabilia tibi contulit dona et munera; dimisit enim tot mala quot fecisti, de quibus supra dictum est; imo dimisit tot quot facere potuisti, a quibus te præservavit. Attende quam longanimiter te expectavit in peccatis, et non occidit sicut meruisti. Circa beneficia autem, quæ dedit tibi, cogita quam multa, quam bona, quam utilia, quam magna; quis enumerabit ea? quis intelliget? quis loquetur? Attamen, ut hic habeas modum cogitandi, cogita quomodo dedit tibi dona naturæ, dona gratiæ, dona superexcellentiæ. Percurre aliqua de singulis; nam in quolibet sunt multa bona valde. De dono naturæ est, quod creavit te in tempore, et quod ab æterno te disposuit creandum; non creavit te pecus, sed hominem : dedit visum, auditum, etc., et singulis creavit sensibus ea quæ sibi congruunt oblectamenta. Item dedit animam immortalem, cui dedit rationem, ingenium, industriam, qua omnia materialia potest intelligere. Dedit mentem vel intellectum, qua immateriales spiritus, Deum et angelum intelligeret. Propter te omnia in terra creavit, omnia elementa ad tuam vitam, omnia animantia ad tuum nutrimentum. Dona gratiæ : primo quod voluntatem tuam ab eo aversam ad se revocavit, et ei

[1] *Jerem.*, XXXI, 3. — (*a*) *Leg.* indigeat.

gratiam suæ justificationis infudit, quæ solum ab eo descendit; dedit voluntatem, ut velles te emendare; tum et locum ordinavit, ut possis. Ad donum superexcellentiæ spectat, quod propter te fecit Filium suum incarnari, ut esset amicus tuus, frater tuus, qui et propter te mortuus est, crucifixus, et seipsum dedit in altaris sacramento. Misit tibi Spiritum sanctum, et hoc in signaculum acceptationis, in privilegium amoris, in annulum desponsationis. Cogita quam multa ab initio egit mirifica cum genere humano: propter genus hominum locutus est cum patribus, apparuit in figuris, loquebatur in prophetis, eduxit de Ægypto, induxit in terram promissionis, et infinita mirabilia. Ut quid autem hæc omnia fecit, nisi ut per figuras et per prophetas intellectum tuum in cognitione veri illuminaret, et affectum tuum detraheret ad amorem boni?

CAPUT VII.

De cœna Domini, et præparatione ad susceptionem corporis Christi.

Sed super omnia quotidie, et maxime dominici corporis sacramenta sumpturus, memoriam facias illius devotissimi mysterii, quod in cœna Domini primitus erat institutum. Siquidem postquam agnum paschalem typicum cum suis discipulis Dominus Jesus comedit more Judæorum, tunc verum agnum paschalem comedendum dedit. Consecravit enim corpus suum, atque discipulis suis tradidit ad manducandum, quibus et potestatem tradidit idipsum consecrandi, et aliis tribuendi. O vere magna munificentia! o inaudita largitas! o charitas superexcellens! qui seipsum dat, quid poterit negare? quid ultra faceret? omnia quæ potuit pro nobis fecit; omnia quæ habuit nobis dedit, dedit regnum suum, dedit et seipsum; ideoque in hac cœna dicebat[1]: *Hæc quotiescumque feceritis, in mei commemorationem facite: in memoriam*, scilicet eorum quæ pro te in in carne gessi, quod propter te derisus, illusus, crucifixus sum. *In mei*, inquit, *memoriam:* hoc sacramentum omnium sacramentorum excellentissimum ægrotis est medicina, peregrinantibus diæta, debilesque confortat, valentes delectat, languorem sanat, sanitatem servat, fit homo mansuetior ad correptionem, patientior ad laborem, ardentior ad amorem, sagacior ad cautelam, ad obediendum promptior, ad gratiarum actionem devotior. Adverte tamen, quod effectus sacramentorum solet esse secundum dispositionem et præparationem suscipientium. Neque enim Judas præmissa dona suscepit, qui corpus Domini suscepit, si tamen suscepit. Ideoque tibi summopere studendum est ut, quantum potueris, ante susceptionem digne te præpares. *Qui enim*[2] corpus et sanguinem Domini *indigne* sumit, *judicium sibi manducat et bibit.* Tria autem sunt quæ exigit a te hujus sacramenti digna susceptio, scilicet corporalem munditiam, puritatem conscientiæ, et actualem devotionem. Corporalis autem munditia aliquando ex decenti, aliquando ex necessario requisita. Puritas autem conscientiæ, præsertim a criminibus, ipsa est necessaria. Ideo vide, ut ante susceptionem hujus sacramenti contritionem habeas, atque, si fieri potest, ante conspectum Domini humiliter lacrymas fundas, quibus te laves a peccatis tuis quæ fecisti, et quæ omisisti, et quæ facere potuisti corde, ore et opere. Actualem autem devotionem in te faciunt timor et amor: timor incutit reverentiam; amor autem desiderium et affectum. Habeas reverentiam et timorem: terribilis enim est hæc mensa, ad quam cum debita reverentia et congrua vigilantia necesse est accedas. Siquidem in hac sacerdotali mensa nunc præsens est Christus; et qui ultimam cœnam cum apostolis cœnavit, ipse istam quoque consecravit. Non enim homo est qui proposita, scilicet panem et vinum, corpus Christi facit et sanguinem; sed ille, qui pro nobis crucifixus est, Christus; sa-

[1] *Luc.*, XXII, 19; I *Cor.*, XI, 24, 25. — [2] I *Cor.*, XI, 29.

cerdotis ore verba proferuntur, et Dei virtute et gratia proposita consecrantur. Quomodo tu igitur ad illam mensam, ad præsentiam Christi, ad tactum Dei Filii intrepidus audes accedere, quem Joannes Baptista tangere contremiscit[1], Petrus apostolorum princeps a se præ formidine repulit, dicens[2] : *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum?* Cogita quod iste quem tu sumis, erit judex tuus. Time igitur ne, si indigne sumpseris, et sine reverentia, post mortem invenias iratum, cum ad ejus tribunal præsentatus fueris judicandus, quem tremunt Potestates, adorant Dominationes. Denique cogita, quod licet mille millibus annorum te ad hoc sacramentum per puras orationes, sanctissimas præparationes præparaveris, nihil esset ad condignam susceptionem, etiamsi haberes merita omnium sanctorum; quanto magis tu qui sine devotione, ine præparatione accedis! Item attende propriam vilitatem modo superius dicto, et reputabis te indignum, et acquires reverentiam congruam; et hoc valet maxime pro hujus Sacramenti susceptione, ut, quantum poteris, fias vilis in oculis tuis. Habe (*a*) etiam desiderium ad hujus reverendi sacramenti susceptionem : « panis enim iste, » ut dicit Augustinus[3], « esuriem quærit hominis interioris. » Diversi autem diversimode affectum ad susceptionem hujus sibi formant sacramenti : aliqui enim trahuntur amore unionis Christi, ut dilectum in se sæpius amplexentur; aliqui trahuntur desiderio sanationis passionum suarum et malorum desideriorum, ut eum quasi medicum advocent, per quem ab omni infirmitate curentur; aliquos trahit conscientia delictorum, eo quod hoc sacramentum institutum est in remissionem peccatorum; aliquos trahit amor et compassio proximi, ut succurrant per hanc hostiam vivis simul et defunctis. Ut autem desiderium tuum accendatur, cogita, quod Christus omnium ad se accedentium dolores tulit, et omnes infirmitates nostras ipse portavit.

Mulier accedens retro sanata est; peccatrix pedes osculans est mundata; Chananæa, dum importune sequitur, est exaudita; leprosi accedentes curati sunt; dæmoniaci, paralytici, et cuncta naturæ monstra, dum accedunt et credunt, salutem consequuntur : nam[4] *virtus de illo exibat, et sanabat omnes.* Publicani et peccatores accedentes, veniam merentur, nec eorum convivia despexit. Igitur cum feceris quod in te est, accede in fide et fiducia, sperans de infinita Dei pietate. Debes etiam præcipue, ante hujus sacramenti susceptionem, devotissime Christi passionem percurrere; nam specialiter in memoriam passionis hoc sacramentum legitur institutum. Si autem quæris, quo te affectu magis debeas excolere, timoris scilicet et reverentiæ, an amoris et desiderii, an debeas, ut multi, cum importuna desiderii festinantia anhelare, an, ut nonnulli, reverentiæ et timoris magnitudine, magnitudinem sacramenti attendens et propriam infirmitatem considerans, magis debeas affectu retrahi et elongari; ad hoc sancti responderunt utrumque affectum commendantes, uniuscujusque conscientiæ, quid ei melius visum fuerit, relinquentes. Festinavit siquidem Zachæus, ut Dominum gaudens in domum suam susciperet; Centurio propriæ infirmitatis conscius, repulit eum, dicens[5] : *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Unum tamen est quod omnibus generaliter tutum videtur, ut scilicet ex reverentia timentes spem et desiderium non relinquamus; ut ex spe et fiducia non amittamus timorem et reverentiam; sed semper inter hæc utraque confidentes, et timidi fluctuemus. Ait enim sanctus Gregorius : « Nihil nobis securius, quam sub spe timere. » Simpliciter tamen loquendo dubium non est, quin melior sit affectus amoris, quam timoris; sed quod est simpliciter melius, in casu est sæpe pejus, et pluribus periculosius.

[1] *Matth.*, III, 14. — [2] *Luc.*, V, 8. — [3] Aug., *in Joan.* tract. XXVI, n. 1. — [4] *Luc.*, VI, 19. — [5] *Matth.*, VIII, 8.

(*a*) *Cæt. edit.* habet.

CAPUT VIII.

De generali materia exercendi se (a) in passione Domini.

Circa passionem dominicam, in qua te præ cæteris exercitiis ardentius et devotius exercebis, ut ea, quæ in sacris Evangeliis legeris, ad tuam devotionem melius scias reflectere et dirigere ad propriam utilitatem; scire debes quod tria sunt, in quibus tua consideratio circa mortem Salvatoris nostri speciosissime (b) speculatur.

Circa passionem Domini tria consideranda.

Sunt autem hæc tria, opus, modus, et causa. Opus, ut ipsam passionem, sicut facta a sanctis evangelistis narratur, studiosa et devota mente pertractes, et invenies Christi mirabilem patientiam, et excitaberis tu ad compassionem. Cum autem sacramentum, divinæ scilicet passionis historiam in mente tua revolvis ut ad litteram materiam nostræ redemptionis contempleris, diligenter debes ad hoc niti, ut quoties audis Jesum vel Christum hoc fecisse, vel sustinuisse, per nomen Jesus in mente tua repræsentetur, nec solum Deus, nec solum homo, nec sola deitas, vel humanitas; sed in mente formabis conceptum personæ unius, quæ simul est Deus et homo, et in qua deitas et humanitas, sine essentiarum permixtione, in uno supposito convenerunt. Itaque *Christus* vel *Jesus* cum dicitur, Deus et homo, et persona deitatis et humanitatis designatur. Ita quidquid Deus fecisse dicitur, hominem fecisse firmiter fide catholica retinemus; quidquid homo sustinuit, Deum credamus et cogitemus sustinuisse, verbi gratia, cum legis Christum flevisse super Lazarum, vel Hierusalem, in mente concipies non nudum hominem, quoniam tunc minus mirabile est hominem flevisse: sic cum audies Christum in cruce pependisse, non hominem solum in mente cogita, sed hominem Deum, et amplius miraberis, et multo plus ad devotionem accenderis, et moveberis ad compassionem. Et quidem omnibus fidelibus Jesus, vel Christus, Deum hominem repræsentat; sed quanto illud lucidius, et clarius attendere poteris, tanto eris devotior in Christi vita, morte, miraculis et factis.

Secundo, circa opus passionis Christi, ut magis accendaris ad compassionem, debes diligenter advertere, quotiescumque legeris, ut (c) in passione Christi, aliquas pœnalitates Christo inflictas, eodem genere pœnalitatis seu eodem genere pœnarum Christum in passione sua ultra omnem æstimationem fuisse afflictum; quod ex multis causis poteris considerare, quæ te, ut passionis Christi amaritudinem sentias, multum movebunt. Si bene consideras, unusquisque homo in eodem gradu pœnalitatis plus minusve patitur, quanto pœnam plus minusve senserit, ut notum est. Tanto enim quisque pœnam facilius et acrius sentit, quanto natura fuerit vivacior, et sensus ejus facilius perceperit (d): sed Christus erat vivacissimus; ideo quælibet pœna ei inflicta erat ei gravissima. Cogita ergo, si illa crucifixio, et illa clavatio manuum et pedum, de qua Propheta ait [1]: *Foderunt manus meas*, etc., alteri fuisset homini intolerabilis, quam gravior et acerbior Christo in sua natura delicatissima, nobilissima et vivacissima. Item erat pœna eo gravior, quo a peculiari suo populo inflicta, cui merito dicere poterat [2]: *Popule meus, quid facere debui tibi, et non feci?* Tu autem quid pejus mihi retribuere poteras, quam fecisti? Item pœna Christi erat in omni sensu, et in omni membro, sicut invenies si bene opus passionis in mente tractaveris. Item devote imaginare interiorem Christi pœnalitatem, quæ forte exteriori pœna non erat minor, imo forsitan multo major, quia interior (d) pœna causabatur in eo ex zeli fervore pro humano genere, in quo tamen, quoad majorem partem, videbat passionem suam fore inutilem. Item hæc

[1] *Psal.* XXI, 17. — [2] Ex *Isa.*, V, 4.

(a) Cæt. edit. deest *se*. — (b) *Forte legendum* specialissime. — (c) *Cæt. edit.* aut. — (d) *Item* percipit. — (e) *Item* quæ interiora.

interior pœna surrexit ex magna compassione suæ dilectissimæ matris; item ex nostra cæcitate et ingratitudine. Cum igitur legeris, vel in mente revolveris, quomodo Christus fuit flagellatus, derisus, illusus, consputus, crucifixus, etc., noli solum cogitare de pœna exteriori; sed ita Dominum Jesum respice in talibus pœnis, quasi hominem Deum exterius summa pœnalitate afflictum, et etiam ultra quam humana mens comprehendere potest, interius tribulatum et dolorosum. Et vere, si ita respicis Christum in quavis afflictione constitutum; si non condoles, valde mirandum est, cum revera, si perfecte comprehenderes animal brutum ita inexplicabili pœna affligi, humanitatis aspectu compatereris, quanto magis Domino Deo? Et hæc de opere.

Circa modum autem patiendi si diligens fueris et devote rimaris, invenies præcipue humilitatem, mititatem, et generaliter omnium virtutum exemplar imitandum. Ut autem modum patiendi in Christo in te melius sentias, debes in omnibus, quæ de passione Christi legis vel cogitas, semper in mente tua revolvere, quomodo Christus se habuit in verbis, in responsionibus, in factis, in pœnis, quomodo se habuit tam interius, quam exterius, et quomodo illa, prout loco, et personis congruebat, optimo modo formabat; et hoc poteris in Evangelio invenire, vel certe, si ibi non est expressum, ex teipso forma. Nam nullus christianus ignorat, quia (*a*) in omnibus optimo modo se habuit. Igitur de modo ita debes cogitare, cum verbi gratia legis[1]: *Stetit Jesus ante Pilatum præsidem*, etc. Cogita primo modum stationis, quam humilis fuit, forte inclinato capite, demissis oculis. Deinde de modo prolationis verborum, quam leni et dulci voce deprompsit, ita ut te delectaret audire aliquem hominem ita loquentem. Nam vox ejus non minus quam facies decora. Deinde cogita quomodo se habuit, et planum est quod stetit cum summa humilitate, non habens invidiam contra Pilatum et Judæos, sed compassionem. Sic cogita, quando Judæis clamaverunt, *Crucifige*, et cætera, quomodo Christus ea audivit; certe summo dolore, et ex compassione et zelo; tamen exterius humiliter se habuit. Et sic omnia pertractans, imitare modum Christi se habendi secundum locum et tempora, et invenies omnem virtutem in Christo, et optimum modum quo se habere potuit. Maxime autem diligenter attende modum, quo interius se habuit compassione et zelo.

Circa tertium (*b*), scilicet causam, ita semper lege et cogita de passione Redemptoris tui, ut scias quia tu es causa; passus est enim propter tuam redemptionem, illuminationem, justificationem, et glorificationem. Ita semper attrahe tibi et hoc beneficium, quasi sit pro te solo passus, ut supra dictum est; ita cogita semper, ut quidquid legeris vel cogitaveris, quasi dicat Christus: « Hoc feci ut sequaris vestigia mea, te humilies, patiens sis, tollas crucem tuam et sequaris me, quia non est servus super Dominum suum. »

[1] *Matth.*, XXVII, 11. — [2] *Luc.*, XXIII, 21.

(*a*) *Cæt. edit.* quin. — (*b*) *Cæt. edit.* tertiam.

DE REGIMINE ANIMÆ[1]

AD BLANCHAM HISPANIÆ REGINAM

ARGUMENTUM

(*Ex editione Vaticana.*)

Blanchæ, Hispaniæ Reginæ, hoc opusculum de regimine animæ Auctor inscribit: in quo documenta salutaria tradit, quibus ad vitam secundum Deum Reginam instruit. Fuit autem hæc Blancha S. Ludovici Francorum regis filia, Fernando Alphonsi decimi cognomento Sapientis, Hispaniæ regis, primogenito filio in uxorem data. Sed Fernandus princeps, procreatis ex ea Alphonso et Fernando, qui de la Cerda vocati sunt, superstite adhuc Alphonso Patre, antequam ad regni gubernacula manum admovisset, apud Villam regiam cessit e vita. Testantur hæc Alphonsus a Carthagena in *Anacephalæosi Regum Hispaniæ*, c. 84; Michael Reticius, *de Regibus Hispaniæ*, lib. 3; Franciscus Tarafa, *de Regibus Hispaniæ*, in Alphonso X. Hoc tempore S. Bonaventura Lutetiæ floruit.

Primum omnium necesse habes, anima mea, altissime, piissime, sanctissime de optimo Deo sentire; videlicet certa fide credendo, attenta mente considerando, et perspicaci rationis intuitu cum admiratione perspiciendo. Altissime quidem de optimo Deo sentis, si cuncta de nihilo creantis et supportantis immensam potentiam, si cuncta gubernantis et ordinantis infinitam sapientiam, si denique cuncta judicantis et retribuentis indeterminatam justitiam, fideli, pio et perspicaci contuitu, et credis, et admiraris, et perspicis, et extra te exiens, et intra te ingrediens, et supra te transcendens, ut illud veraciter decantes[2]: *Exultaverunt filiæ Judæ propter judicia tua, Domine, quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes Deos*, etc. Piissime de optimo Deo sentis, si ejusdem misericordiam admiraris, amplexaris et benedicis, ut summe benignam in nostræ humanitatis et mortalitatis assumptione, ut summe viscerosam in crucis et mortis perpessione, et ut summe liberalem in Spiritus sancti donatione et sacramentorum institutione, cum seipsum communicet liberalissime in sacramento altaris: quatenus illud Psalmi ex animo cantes[3]: *Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus*, etc. Sanctissime de optimo Deo sentis, si ejusdem inexplicabilem sanctitatem advertens, miraris, et laudas, atque illi cum Seraphim[4], *Sanctus, sanctus, sanctus*, proclamas. Sanctus primo, hoc est, in seipso sanctitatem summe ac purissime habens, ut impossibile sit ipsum aliquid, nisi sanctum, velle vel ap-

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, part. II; edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, pag. 18; edit. Ven., an. 1611, tom. II; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, pag. 18; edit. Ven., an. 1754, tom. VI, part. I, pag. 65. — [2] *Psal.* XCVI, 8 et seq. — [3] *Psal.* CXLIV, 9. — [4] *Isa.*, VI, 2.

probare. Sanctus secundo, hoc est, sanctitatem ita perfecte in aliis diligens, ut impossibile sit ipsum vere sanctitatem servantibus, aut gratiæ dona subtrahere, aut gloriæ præmia denegare. Sanctus et tertio, hoc est, ita severe oppositum sanctitatis abhorrens, ut impossibile sit ipsum peccata nisi (*a*) abhorrere, aut reprobare, aut impunita relinquere. Quod si sic senseris, cum Legislatore cantabis [1] : *Deus fidelis et absque ulla iniquitate, justus et rectus.*

Post hoc oculos tuæ mentis ad Dei legem converte, quæ te jubet exhibere Altissimo cor humile, piissimo cor devotum, et sanctissimo cor illibatum. Cor, inquam, humile debes exhibere Altissimo, per reverentiam in animo, per obedientiam in facto, et per honorificentiam in verbo et signo, quatenus, secundum apostolicam regulam et doctrinam [2], *omnia in gloriam Dei facias.* Cor autem devotum exhibere debes piissimo, per interpellationem ferventium precum, per degustationem spiritualium suavitatum, et per actionem multiplicium gratiarum, ut anima tua jugiter per desertum ascendat in Deum [3], *sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris*, ut de sponsa in *Canticis* dicitur. Cor vero illibatum exhibere debes sanctissimo Sponso, ut nullus in te regnet, nec sensu, nec consensu, nec affectu corporeæ voluptatis applausus, nullus terrenæ malignitatis affectus, quatenus omni exclusa macula peccati, possis cum Psalmista cantare [4] : *Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar.* Attende ergo diligenter, et vide, si hæc omnia a juventute servasti. Quod si hæc in conscientia repereris, non tibi hoc attribuas, sed dono Dei; illique gratias agas. Quod si te invenis semel aut pluries in horum aliquo, vel pluribus, vel forte in omnibus, aut graviter, aut leviter deliquisse, sive per infirmitatem, sive per ignorantiam, sive ex certa scientia, inenarrabilibus gemitibus studeas reconciliari Deo. Et ad exhibendam emendam illi, spiritum virtutis assume, ut possis cum pœnitente veraciter cantare ac psallere [5] : *Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper.*

Dolor animi qualis debeat esse.

Debet autem dolor animi duos habere comites, ut sit purgativus animæ, et placativus Dei; nimirum timorem divini judicii, et ardorem interni desiderii : ut recuperes, timendo, cor humile; desiderando, cor devotum; et dolendo, cor illibatum. Time igitur divina [6] *judicia*, quæ sunt *abyssus multa.* Time, inquam, vehementer, ne forte quanquam sis aliqualiter pœnitens, adhuc tamen displiceas. Time vehementius, ne post hoc Deum offendas. Time etiam vehementissime, ne finaliter a Deo discedas, semper carens lumine, semper ardens igne, nunquam carens verme, nisi per veram pœnitentiam in gratia finali decedas : ut sic cum Propheta decantes [7] : *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui.* Dole quoque et satage propter commissa peccata. Dole, inquam, vehementer, propter annihilationem omnis boni divinitus tibi dati; vehementius, propter impugnationem Christi pro te nati, et pro te cruci affixi; vehementissime, propter vilipensionem Dei, cujus transgrediendo leges, tu inhonorasti majestatem, denegasti veritatem, et offendisti bonitatem, totumque universum debilitasti, deformasti et deordinasti, dum divinis adversando statutis, imperiis et judiciis, omnibus tibi servientibus propter Deum abusa es naturis, scripturis, justitiis, misericordiis, donis gratuitis, et præmiis repromissis. Quibus diligenter consideratis [8], *luctum unigeniti fac tibi planctum amarum,* [9] *deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem, non des requiem tibi, nec somnum oculis tuis.* Desidera nihilominus divina charismata divini amoris, in Deum conscendens, qui te peccantem tam patienter sustinuit, longanimiter expectavit, et misericorditer ad pœni-

[1] *Deut.*, XXXII, 4. — [2] I *Cor.*, X, 31. — [3] *Cant.*, III, 6. — [4] *Psal.* CXVIII, 80. — [5] *Psal.* XXXVII, 18. — [6] *Psal.* XXXV, 8. — [7] *Psal.* CXVIII, 120. — [8] *Jerem.*, VI, 26. — [9] *Thren.*, II, 18.— (*a*) *Leg.* non.

tentiam reduxit, tibi concedendo veniam, infundendo gratiam, et promittendo coronam. Dum tamen eidem impendas, vel potius ab ipso suscipias, eique rependas sacrificium contribulati spiritus, cordisque contriti et humiliati, per compunctionem amaram, confessionem veridicam, et per satisfactionem condignam. Desidera, inquam, vehementer divinam complacentiam, per largam immissionem sancti Spiritus; vehementius divinam conformitatem, per expressam imitationem Christi crucifixi; et vehementissime divinam comprehensionem, per apertam visionem Patris æterni, ut veraciter cum Propheta decantes [1] : *Sitivit anima mea, quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?*

Porro, ut hunc spiritum vitæ, timoris, doloris et ardoris acquiras intrinsecus, exerce te foris ad omnimodam modestiam, justitiam et pietatem, quatenus juxta documentum Apostoli [2], *abnegans impietatem, et sæcularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivas in hoc sæculo.* Exerce itaque temetipsam ad omnimodam modestiam, ut, juxta Apostoli doctrinam [3], *modestia tua nota sit omnibus hominibus.* Ad modestiam, inquam, parcimoniæ, in victu et vestitu, somno et vigilia, otio et labore, ut in nullo excedas. Ad modestiam disciplinæ, per moderamen silentii et loquelæ, per moderamen mœroris et gaudii, ac etiam per moderamen mansuetudinis et rigoris, juxta quod opportunitas exigit, et recta ratio dictat. Ad modestiam honestatis, per gloriationem, ordinationem, compositionem, scilicet actuum, motuum, gestuum, vestimentorum, seu habituum, membrorum et sensuum, juxta quod moralis honestas et regularis observantia id exposcit : ut merito sis ex illorum numero, quibus Apostolus dicit [4] : *Omnia honeste, et secundum ordinem fiant* in vobis. Exerce te quoque ad justitiam, ut tibi illud propheticum possit veraciter aptari [5] : *Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam*, etc. Ad justitiam, inquam, integram, per zelum divini amoris, per observantiam divinæ legis, et per desiderium fraternæ salutis. Ad justitiam ordinatam, per obedientiam ad superiores, societatem ad pares, et per castigationem ad inferiores. Ad justitiam perfectam, ut omni veritati consentias, omni bonitati faveas, et omni malitiæ adverseris; tam mente, quam verbo, quam etiam opere; nihil agens alii, quod tibi nolis fieri; nihil negans alii, quod tibi velis impendi; quatenus illorum sis imitatrix perfecta, quibus dicitur [6] : *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Exerce te tandem ad pietatem, quia, ut dicit Apostolus [7] : *Pietas ad omnia valet* (*a*), *promissionem habens vitæ, quæ nunc est, pariter et futuræ.* Ad pietatem, inquam, divini cultus, attente et devote, ac reverenter, scilicet horas persolvendo canonicas, ac quotidiana confitendo peccata et deplorando, sacratissimam pro tempore Eucharistiam sumendo, et quotidie Missam audiendo. Ad pietatem salvationis animarum, nunc adjuvando per orationum frequentiam, per sermonum informationem, et per exemplorum incitamenta, ut [8] *qui audit, dicat : Veni.* Hoc tamen sic sapienter oportet fieri, ut salutis propriæ dispendium non incurras. Ad pietatem relevationis (*b*) corporalium necessitatum, in supportando patienter, consolando amicabiliter, et subministrando humiliter, hilariter et misericorditer, ut sic divinam impleas legem, cum dicat Apostolus [9] : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Ad quæ omnia prosequenda, super omnia credo valere memoriam Crucifixi, ut dilectus tuus tanquam [10] *fasciculus myrrhæ inter* mentis tuæ *ubera* jugiter commoretur. Quod ipse præstare dignetur, qui est benedictus in sæcula. Amen.

[1] *Psal.* LXII, 2. — [2] *Tit.*, II, 12. — [3] *Philip.*, IV, 5. — [4] I *Cor.*, XIV, 40. — [5] *Psal.* XLIV, 5. — [6] *Matth.*, V, 20. — [7] I *Tim.*, IV, 8. — [8] *Apoc.*, XXII, 17. — [9] *Gal.*, VI, 2. — [10] *Cant.*, I, 12.

(*a*) Vulg. *utilis est.* — (*b*) *Cæt. edit.* revelationis.

DE SEPTEM GRADIBUS CONTEMPLATIONIS[1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Omnis perfectionis initium, profectum et statum subtili narratione Auctor in hoc opusculo docet, simulque ad hæc viam commonstrans veluti per gradus ducit · qui quidem gradus ab eodem septem connumerantur, videlicet : Ignis, unctio, ecstasis, speculatio, gustus, quies, gloria. De his vero singulis brevem sermonem scribit, sed mirabili doctrina refertum.

Contemplativorum aquilinos obtutus acui, et ipsorum spirituale palatum perfundi dapibus supernæ dulcedinis affectans, septem gradus eo gloriosissimos, quo scientia experientiæ probatissimos, in medium censui deducendos, reseratione quorum odorifera confido, quod tam intellectui splendoris copia, quam affectui deifici dulcoris affluentia piissimæ matris thearchicæ exhalabit. Primum igitur dicamus ignem ; secundum, unctionem; tertium, ecstasim ; quartum, speculationem; quintum, gustum; sextum, quietem ; septimum, gloriam. Primo enim anima ignitur ; ignita ungitur ; uncta rapitur ; rapta speculatur vel contemplatur ; contemplans gustat; gustans quiescit. Hæc in via possunt acquiri; non tamen subito, sed gradatim. Citius autem hæc experitur, qui frequentius spiritualibus se exercet. Septimus in patria confertur abundantius, iis qui se in præcedentibus gradibus exercuerunt.

Ignis est vehemens divini caloris vel amoris fervor, ex camino supersplendentis Hierusalem flabellatus. Hujus ignis calor contemplativi sive sancte (*a*) activi viri animam, cum se ad orandum Deum effuderit in conspectu Dei, subito eam valde perlucido splendore irradians, quamplurimum ignit, et arentes motus affectionesque accendit, malosque concremat et exsufflat, teporem inflammat, et torporem expergisci facit, atque ipsam totam animam, velut vespertinum quoddam et pinguissimum holocaustum, divino conspectui repræsentat. Intuetur tunc, et gaudet : Deus adest, et pavet illa ; ille immissum ignem auget, ut magis caleat ; illa ortas affectiones colligens nutrit, ut eo amplius magis reddatur incendium, quo abundantius subministratur materia accendendi. Super hunc gradum pedem fixit, qui potest dicere cum Propheta[2] : *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.* Et iterum[3] : *Inflammatum est cor meum, et renes mei commutati sunt.*

Unctio est velut quidam roseus liquor, qui per totam animam se diffundens ipsam erudit, corroborat et confortat, disponens eam suaviter ad veritatis luculentias suscipiendas, atque pariter contemplandas. Hac cœlica unctione perlinitus fuerat, qui dice-

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, part. II; edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, pag. 104; edit. Ven., an. 1611, tom. II ; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, pag. 100; edit. Ven., an. 1754, tom. XII, pag. 204. — [2] *Psal.* XXXVIII, 4. — [3] *Psal.* LXXII, 21. — (*a*) *Cæt. edit.* sancti.

bat : « Unxit me unctione misericordiæ suæ. » De qua rursum dicit David [1] : *Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.* Hermon interpretatur *lumen exaltatum.* Habet autem signare infinitissimam Jesu bonitatem. Ipse etenim de se dicit [2] : *Ego sum lux mundi.* Quæ quidem lux de terra in crucem, de cruce vero fuit super pulchritudinem cœlorum omnium exaltata, ita ut, licet semper potuerit, nunc autem convenientius propter suæ humanitatis superpulchrificam claritatem adjectam, dici queat supersplendens candor, et supercandens splendor illius æternæ et felicissimæ regionis. Ros igitur montis hujus descendit in montem Sion, id est, contemplativi viri mentem; ipsius præcordia tam irrigando fœcundans, quam fœcundando irrigans; et calorem, scilicet primi gradus, leniter temperans, ne plus ardeat, quam oportet. Quod enim purificat ignis concremando, hoc unctio mulcet suam pinguedinem perfundendo, ut capacior (*a*) sit divinorum et pulchrificorum radiorum, ab æternaliter oriente aurora ditissime emanantium, quibus quidem salubriter perlustrata, ita secundum Apostolum [3] *docetur de omnibus*, ut nequaquam quisquam ibidem locus ignorantiæ tenebris pateat, ubi fulgeat copia tam gloriosi luminis.

Ecstasis quid.

Ecstasis est, deserto exteriore homine, sui ipsius supra se voluptuosa quædam elevatio, ad superintellectualem divini amoris fontem, mediantibus sursum activis virtutibus, pro viribus se extendens. Virtutes sursum activas voco humilitatem et puritatem. Humilitate etenim fit exterioris hominis desertio; puritate vero interioris hominis sursum actio, quem quidem ad fontalem perducens radium, ibidem haurit sanctas thearchici amoris et inolitas influitiones : quarum gratia posteriorum oblitus, ad anteriora empyrei et superlucidissimi tabernaculi se extendit. Est enim ecstasin faciens amor divinus, non dimittens sui ipsorum amatores esse, sed amandorum, ut testatur secretorum Dei conscius Dionysius [4]. Igitur si in vera et non ficta Dei charitate sumus et amore, in sancta ecstasi sumus, interiorem hominem ad anteriora extendente, exterioris vero, sicut posterioris, oblivisci faciente.

Speculatio quid.

Speculatio est beatorum et supercœlestium, et soli Deo scibilium divitiarum intellectualis et affectualis pia investigatio. Contemplantur autem hi duo, scilicet intellectus, et affectus; sed intellectus longe dissimiliter ab affectu. Cum enim animus contemplativus, sensibus spiritualibus suspensis, synderesim in specula æterna extendit, apex intelligentiæ et principalis affectio pariter feruntur mutuo in divina se promoventes, et æqualiter ascendentes, illa speculando, hæc vero desiderando. Præcurrente autem intelligentia, nec ingredi queunte, utpote per speculum videns, foris remanet. Affectio vero, quæ nescia est speculi, intrans unitur secundum illud [5] : *Qui adhæret Deo, unus spiritus est.* Ingressoque intellectu, qui ante conatu suo ingredi non poterat, a superessentiali et superintellectuali deifica bonitate hilariter excipitur affectio ipsa : susceptamque superfervide ipsam desiderantem, et se sursum pro viribus impingentem ipsam in se profundius trahens, tam intelligentiæ, superclarorum radiorum pulchrificans claritatem fontani splendoris, quam affectioni, thearchici et superimmensi saporis suaviter sanctum desiderium nutriens, suavitatem superlucidissimam elargitur. Postea illis sic gustantibus, illam magis desiderantibus, magis seipsam divina bonitas immittit, et abundantius superfulget, quoniam multum diligunt illam summam veritatem, hoc summum bonum. Felix nimis qui hujus gradus collem attingit : hic plane angelificatus in præsenti, futuram jam inchoavit vitam. Ex quibus fuerat, qui dicebat [6] : *Nos autem revelata facie gloriam Dei speculantes, in eamdem transformamur imaginem a clari-*

[1] *Psal.* CXXXII, 3. — [2] *Joan.*, VIII, 12. — [3] *Joan.*, II, 27. — [4] Dion., *de Div. Nom.*, c. IV. — [5] I *Cor.*, VI, 17. — [6] II *Cor.*, III, 18.

(*a*) *Cæt. edit.* capificilior.

tate in claritatem, tanquam a Domini spiritu. Ubi potissime divinus ille apostolus utilitatem expressit contemplationis. Quid enim est revelata facie gloriam Domini speculari, nisi remota omni impuritate faciem nostræ intelligentiæ velante, gloriam Dei, id est, tam superignotam, et simplicissimam, et supersplendentem æternitatis claritatem, quam superineffabilem et humanis mentibus non capifacilem omnino supercœlestium substantiarum supertranquillissimam pacem, pie, pure, devoteque rimari? Quid vero est taliter speculantes in eamdem imaginem transformari, nisi quia causa superactivæ suavitatis sunt hæc eadem, quæ imaginati sumus, ut nos a nobis abstractos, et in seipsa absorptos, ita torrente voluptatis nos potant, ut necesse sit de terrenis in cœlestes, de carnalibus in spirituales, de hominibus in quodammodo angelos transformari? Sic ergo intelligo verbum, *in eamdem imaginem transformari*, id est, in eadem imaginata. Bene autem dicitur: *A claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu*, quia ad ipso Domini spiritu manuducti, supersanctissimis divinis splendoribus adimplemur, et per hoc de cognitione in cognitionem proficimus, sicut per Prophetam dicitur [1] : *In lumine tuo videbimus lumen.* Hæc contemplatio vel investigatio quasi nihil habet periculi vel laboris; in animo pio, puro et vacante, habet utilitatem inæstimabilem, etiamsi nihil investiget.

Gustus. Gustus autem est superinæstimabilis divinæ dulcedinis persuavis quædam et inolita prælibatio, ex cellario sancti Spiritus in sanctorum contemplativorum animas distillata. Prælibatio dico, quoniam permodicum valde est, quod nobis ex ista tam supermagna multitudine divinæ dulcedinis tribuitur, quod provisive et superineffabili thearchica bonitate fieri, non est dubium. Dum enim stillatim æternis et supersuavibus illis influitionibus recreamur, frequentius nosipsos orationibus extendimus, atque ad cumulos omnimodæ plenitudinis anhelamus. Quamvis autem utrumque faciunt, tamen plus alliciunt, quam reficiunt divinæ illæ prælibationes: efficiunt enim esuriem, non saturitatem pariunt. Beneficio hujus gradus cognitio experientiæ tribuitur, per quam supercœlestium substantiarum cognitioni conformamur. Quidquid enim divinæ mentes noverunt, hoc illius experientia probaverunt: quia sicut sol terris, sic ipsa simplici cognitioni prælata est. Gloriosi et felices illi qui super verticem hujus gradus elevati sunt Eructant plane hi abundantiam suavitatum æternarum nuptiarum; vacant et vident, quam suavis est Dominus.

Quies est totius animæ mira quædam et suavis tranquillitas, per infusam nobis ex frequentia orationis dulcedinem concreata (*a*). Solis valde spiritualibus experientia hujus quietis conceditur, quibus et datur etiam ipsas supercœlestes substantias contemplando transcendere. Superignota enim bonitas, ipsis familiaris, seipsam eis immittit; et ipsi, tota virtute dilatato sinu sancti desiderii, potenter suscipiunt beatas immissiones, animalibus præsumptuosis omnino incognitas. Sic igitur puris sanctorum contemplativorum animabus, tam insueto nutrimento ditissime adimpletis, splendescit ipsorum ratio, dulcescit concupiscentia, hilarescit irascibilis, ex dilectione quorum deificam illam quietem non ambigimus emanare. Hic gradus (*b*) gloriosior et pretiosior est, quo ultimo modo (*c*) gradui, qui solum patriæ est, appropinquat. Quies.

De septimo tutius tacendum censui, quam loquendum, quoniam nulli viatorum ascensus, sive visio hujus gradus patere potuit, nisi illi cœlesti Paulo, qui se [2] *raptum* usque ad hujusmodi per sacram Scripturam asserit. Felix certe superdulcissimæ et gloriosissimæ Virginis Mariæ anima, cui hoc datum est in via, quod nulli sanctorum aliquando possederunt; portavit ergo illam gloriam a qua portantur cæteri; ascendit illa gradum hunc Gloria.

[1] *Psal.* XXXV, 10. — [2] II *Cor.*, XII, 2. — (*a*) *Forte leg.* concreta.— (*b*) *Suppl.* eo.— (*c*) *Forte leg.* magis.

per fidei cognitionem, descendit ille ad eam per carnis assumptionem. Quid hunc gradum, hanc gloriam censeam dicis? Nihil aliud quam ipsum quem peperit, quem lacte virgineo educavit, manibus eburneis contrectavit, dulcissimo gremio fovit, pudicissimo vultu blandiebatur, castissimo amplexu complexa est, Dominum nostrum Jesum Christum, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

FORMULA AUREA

DE GRADIBUS VIRTUTUM [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

In hoc Opusculo, ut titulus præferre videtur, S. Bonaventura, veluti per scalæ gradus, ascensum aperit ad montem omnium virtutum; deinde eumdem conscendere monet, et hortatur; ac denique modum præscribit, quo is ascensus facilior nobis sit, ut cuique attente et devote legenti omnino patebit.

Accedite ad Dominum, illuminamini, et facies vestræ non confundentur [2], dicebat David. Jus hominis est ad Deum accedere; jus Dei, accedentem ad ipsum illuminare. Ad Deum spiritualiter accedit, qui affectiones suas ad Deum dirigit, qui sperat Dei laudem, qui timet Dei contumeliam, qui lætatur de omnibus quæ Deo placent, qui tristatur de omnibus quæ Deo displicent, qui diligit virtutes et opera virtutum, qui odit vitia et opera vitiorum, qui erubescit iniqua, et opera iniquitatum, et occasiones iniquitatum. Deus lux vera illuminat accedentem ad cognoscendum virtutes, et gradus virtutum, quæ sunt certissima via ad regnum cœlorum. Si aliquis calumniatur gradus qui ponuntur, et scit meliores gradus ponere, quam hic ponuntur, non est contra me, nec propter hoc volo litem subire. Et sciendum quod gradus in plerisque ordinantur secundum raritatem, vel secundum perfectionem; tamen diversis respectibus se excedunt.

Quid sit ad Deum accedere, et ab eo illuminari

CAPUT PRIMUM.

Gradus Charitatis.

Primum autem notandum est de gradibus charitatis. Nam dicit sponsa in *Canticis* [3]: *Ordinavit in me charitatem.* Infimus gradus charitatis est diligere amicum a quo homo diligitur, honoratur, fovetur, et in omnibus adjuvatur: qui hoc non curat facere, contra naturam nititur laborare. Diligere enim amantem, naturæ est, ut dicit Chrysostomus. Altior gradus, diligere inimicum ex corde propter Deum, qui eum ad imaginem suam creavit, et corpore suo refecit, et sanguine suo redemit; quia diligere non amantem gratiæ est, ut dicit Chrysostomus: qui hoc facere non curat, *filius Dei* esse recusat [4], *qui facit solem suum oriri super bonos et malos.* Altissimus gradus charitatis est, inimicos beneficiis ad amorem trahere. Unde, super illud [5]: *Ut sitis filii*

Gradum charitatis ordo. I.

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, part. I; edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, pag. 20; edit. Ven., an. 1611, tom. I; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, pag. 26; edit. Ven., an 1754, tom. XII, pag. 208. — [2] *Psal.* XXXIII, 6. — [3] *Cant.*, II, 4. — [4] *Matth.*, V, 45. — [5] Ibid.

Patris vestri, dicit Glossa : « Cumulus perfectionis est inimicos diligere, et pro ipsis diligenter orare, sicut fecit Christus. » Et alia Glossa super illud [1] : *Benefacite*, etc., dicit : « Non tantum ad amicos, sed etiam ad inimicos extendite opera charitatis, ut amici esse incipiant. » In primo gradu stant ethnici et publicani, qui diligunt eos qui se diligunt. In secundo stant perfecti christiani, qui maledicentibus benedicunt. In tertio stant perfectissimi religiosi, imo Christus, qui Judam ad amorem suum traxit benignissime osculando, pedes lavando, sua carne cibando, et in cruce pro persecutoribus orando.

II. Item altus gradus charitatis est, cum aliquis utilitatem amici sui cum proprio lucro quærit ; altior, cum aliquis commodum amici sui, cum damno rerum suarum quærit ; altissimus, cum aliquis bonum amici sui, cum propria morte, quærit. Unde dicitur [2] : *Majorem charitatem* (*a*), etc. Ergo maximam charitatem habet, qui animam suam pro amicis ponit. In illo gradu stetit Christus, quando [3] *pauper factus est, cum esset dives, ut nos inopia sua divites essemus*, ut dicit Apostolus : cum per suam contumeliam nobis obtinuit æternam gloriam ; cum per sua vulnera nobis exhibuit medicinam ; cum per suam mortem turpissimam nobis comparavit vitam æternam.

III. Item altus gradus charitatis est, cum quis diligit auferentem sibi res temporales; altior, cum diligit auferentem sibi honorem ; adhuc altior, cum diligit auferentem sibi corpus, vel membra corporis ; altissimus, cum diligit auferentem sibi virtutes et dona spiritualia, sive ipsum Deum, ad peccatum quacumque occasione inducendo, vel a virtuosis operibus retrahendo.

CAPUT II.

Gradus obedientiæ.

Gra- Obedientiæ altus gradus est obedire Creatori, Redemptori, Remuneratori nostro, qui vult commune bonum nostrum in præsenti, et in futuro, cui obediendum est merito in omnibus præceptis et prohibitionibus : quia nihil præcipit, nisi (*b*) ducat nos ad summum bonum ; et nihil prohibet, nisi (*b*) abducat nos a summo bono. Altior videtur gradus obedientiæ quodammodo esse, cum obedimus homini in persona Dei, quasi obediremus ipsi Deo ; quia Deo tenemur obedire propter prædicta, sed non homini tenemur, nisi propter Deum : cum obedimus, inquam, homini perfecto et discreto, qui omnia cum discretione et deliberatione imperat. Altissimus autem videtur gradus obedientiæ, cum obedimus homini indiscreto et dyscolo, et despecto in persona Dei, qui multa imperat cum impetu, sine discretione et deliberatione. Unde Petrus [4] : *Servi, obedite* (*c*) *dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis. Hæc est enim gratia apud Deum :* quasi dicat : Non est meritum magnum bonis et modestis obedire. Tamen caute videatur, ne obediatur contra salutem.

duc obed tiæ o I.

II. Item aliqualis gradus obedientiæ in eo, quod homini suave est, et leve ; altior est obedire in eo, quod grave est, et ad breve tempus ; altissimus, obedire in eo, quod grave est ad longum tempus, vel usque ad mortem. In hoc gradu stetit Christus, cum obedivit Patri suo usque ad mortem, a principio vitæ, turpissima sustinendo.

III. Item aliqualis est gradus obedientiæ, obedire propter timorem pœnæ inferendæ propter inobedientiam, sicut sæpe contingit ; altior est obedire propter spem gratiæ in præsenti, et propter amorem gloriæ in futuro, quod etiam sæpe contingit ; altissimus est obedire propter neutrum horum, sed pure propter Deum, quia Deus Dominus noster est, et nos servi ejus.

IV. Item altus gradus est obedientiæ, implere verbum prælati, propter Deum ; altior, implere nutum ; altissimus, implere voluntatem, sicut dixit Christus [5] : *Non veni face-*

[1] *Matth.*, v, 44. — [2] *Joan.*, xv, 13. — [3] II *Cor.*, viii, 9. — [4] I *Petr.*, ii, 18. — [5] *Joan.*, viii, 38. — (*a*) Vulg. *dilectionem*. — (*b*) *Suppl.* quod. — (*c*) Vulg. *subditi estote*

re (*a*) *voluntatem*, etc. Et item [1] : *Si fieri potest, transeat*, etc.

V. Item aliqualis gradus est, cum mandatum differtur, et tamen impletur; altior, cum statim perficitur, sed tamen cum murmure et involuntarie; altissimus, cum statim perficitur, sponte, et cum magno desiderio.

CAPUT III.

Gradus hnmilitatis.

Gradum umilitis ordo I. Humilitatis altus gradus est, cum aliquis sponte subjicit se majori, hæc est debita; altior, cum subjicit se pari, hæc abundans est; altissimus, cum subjicit se minori, hæc superabundans est. In hoc ultimo gradu fuit Christus, cum veniens ad Jordanem subjecit se Joanni dicens [2] : *Sine modo, sic enim decet nos adimplere omnem justitiam*, id est humilitatem superabundantem, ut dicit Glossa.

II. Item altus gradus est, cum aliquis habet humilitatem in verbis; altior, cum in factis; altissimus, cum habet humilitatem in corde. Ibi enim est virtus, sed non in verbis vel factis : quandoque enim est, qui se nequiter humiliat, verbis, vel factis, vel gestibus, vel vestitu, vel incessu. Christus vero fuit humilis in corde, cum diceret [3] : *Discite a me*, etc. Humilis in verbis, cum diceret [4] : *Ego sum vermis et non homo*. Et [5] : *Mea doctrina non est mea*, etc. Et [6] : *Verba quæ ego loquor, a meipso non loquor*. Humilis in factis, cum se inclinavit ante pedes apostolorum in lotura.

III. Item altus gradus humilitatis est, humiliare se propter magnitudinem et multitudinem defectuum, juxta illud Prophetæ [7] : *Humiliatio tua in medio tui*, id est, materia humiliationis sit in corde tuo, scilicet defectus tui. Altior est humiliare se propter abundantiam virtutum, et donorum spiritualium, sicut arbor nobilis inclinatur ex abundantia fructuum. Unde dicitur [8] : *Quanto major es, humilia te in omnibus*. Altissimus, propter imitationem exempli humilitatis Christi.

IV. Item altus gradus est humiliare se de omnibus malis commissis; altior, de omnibus bonis omissis; adhuc altior, de omnibus deturpatis; altissimus de omnibus bonis in vacuum perceptis. Iste ordo sumitur ex raritate : quanto enim gradus est rarior, tanto videtur altior. In nullo istorum fuit Christus, quia nihil mali commisit, et nihil boni omisit, et nihil boni deturpavit, nihil boni in vacuum recepit.

V. Item altus gradus est, tam vilem se reputare, sicut vere est in oculis Dei; altior, sicut vilis esse potuit coram Deo, si Dominus non cavisset; altissimus, sicut vilis adhuc fieri posset, si Dominus a tentationibus non custodierit.

CAPUT IV.

Gradus castitatis.

Gradum castitatis ordo. I. Castitatis altus gradus est castitas conjugalis; altior, vidualis; altissimus, virginalis. Hoc patet per fructus qui eis debentur, scilicet tricesimus, sexagesimus, centesimus. In hoc ultimo gradu fuit Christus, et beata Virgo mater ejus. Damascenus etiam dicit [9] : « A nuptiis abstinentia, est angelorum imitatio. »

II. Item altus gradus est detestari gestus et tactus impudicos; altior, detestari verba impudica; adhuc altior, detestari voluntatem, vel concupiscentiam impudicam, sicut Sara dixit [10] : *Nunquam concupivi virum*, etc.; altissimus, detestari cogitationem impudicam, sicut dicit Job [11] : *Pepigi fœdus cum oculis*, etc. Item multum quandoque periclitatur castitas ex auditu impudico; magis quandoque ex visu, ut in David [12], et in senibus (in *Daniele* [13]); sed maxime quandoque

[1] *Matth.*, XXVI, 39. — [2] Ibid., III, 15. — [3] Ibid., XI, 29. — [4] *Psal.* XXI, 7. — [5] *Joan.*, VII, 16. — [6] Ibid., XIV, 10. — [7] *Mich.*, VI, 14. — [8] *Eccli.*, III, 20. — [9] Damasc., *de Fid. orth.* lib. IV, c. XXV. — [10] *Tob.*, III, 16. — [11] *Job*, XXXI, 1. — [12] II *Reg.*, XI, 2. — [13] *Dan.*, XIII, 12.

(*a*) Vulg. *ut faciam*.

ex tactu impudico. Item maxime adjuvatur castitas, si homo vitat locum suspectum; magis, si vitet homines suspectos; multo amplius, si vitat familiaritates suspectas, et ea quæ provocant familiaritates suspectas, ut sunt dulces litteræ, dulces salutationes, dulces respectus, dulcia verba et blanda, et crebra munuscula, de quibus Hieronymus dicit[1] : « Crebra munuscula, et dulces litteras, et sudariola, et cibos prægustatos, sanctus amor non habet. »

III. Item altus gradus castitatis est, esse castum per munditiam carnis; altior, per munditiam mentis : quia per impudicitiam maculatur corpus et anima, ut dicit Apostolus[2] : *Quodcumque peccatum fecerit homo*, etc.; altissimus, per imitationem exempli castitatis Christi.

CAPUT V.

Gradus patientiæ.

Gradum patientiæ ordo. I. Patientiæ altus gradus est, patienter sustinere amissionem rerum, ut Job[3]; altior, patienter sufferre amissionem honoris, ut David[4], cum improperia Semei sustinuit; altissimus est, patienter sufferre mutilationem membrorum, vel ablationem vitæ corporalis. In hoc gradu fuit Christus, cum sponte pro nobis animam suam posuit.

II. Item altus gradus est patientiæ, tolerare afflictionem, quam homo pro peccatis meruit. Unde Petrus[5] : *Si peccantes et colaphizati suffertis*, etc. Altior, patienter sufferre afflictionem, quam innocenter sustinet pro justitia. Unde[6] : *si quid patimini propter justitiam, beati.* Altissimus est, ferventer appetere afflictionem. In hoc gradu fuit Christus, cum dicebat[7] : *Improperium expectavit*, etc.

III. Item altus gradus patientiæ est, non vindicare injuriam facto; altior, non vindicare verbo; altissimus est non habere vindictam in desiderio.

IV. Item altam habet patientiam, qui non indicat impatientiam in verbo : altiorem (*a*), qui non indicat vultu; altissimam, qui non portat impatientiam in corde suo.

V. Item altum gradum patientiæ habet, qui non vindicat injuriam suam, cum vindicare potest, licet non sine damno; altiorem, qui non vindicat, cum vindicare potest sine damno; altissimus est, cum gratias agit pro afflictione, ut Tobias, cum dixit[8] : *Gratias ago tibi, Domine, quia castigasti et sanasti me.*

VI. Item altus gradus patientiæ est, cum aliquis patienter sustinet adversitates, ut a peccatis suis purgetur, juxta illud[9] : *In fornace probatur argentum.* Altior, ut in cœlo gloriose remuneretur, juxta illud Matthæi[10] : *Beati eritis, cum vos oderint homines*, etc. Altissimus, ut Christo vicem rependat, juxta illud Hieronymi : Felix est anima, quæ pro Christi nomine tanta voluerit sustinere, quanta ille pro nobis passus est.

VII. Item altus gradus patientiæ est, de injuria nunquam querimoniam facere; altior, nunquam injuriam propriam excusare; altissimus est, injuriam propriam nunquam alicui ad vindicandum significare.

CAPUT VI.

Gradus misericordiæ.

Gradum misericordiæ ordo. Misericordiæ altus gradus est misereri proximi, juxta illud[11] : *Estote misericordes.* Et Job[12] : *Si negavi quod volebant pauperes*, etc. Et iterum[13] : *Oculus fui cæco, et pes claudo.* Altior, misereri sui, secundum illud[14] : *Miserere animæ tuæ, placens Deo.* Altissimus, misereri Dei, sicut ipse petit in Job[15] : *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos*, etc.

II. Item altus gradus est, misereri consan-

[1] Hieron., *ad Nepotian.*, epist. II. — [2] I *Cor.*, VI, 18. — [3] *Job*, I, 21. — [4] II *Reg.*, XVI, 10. — [5] I *Petr.*, II, 20. — [6] Ibid., III, 14. — [7] *Psal.* LXVIII, 21. — [8] *Tob.*, XI, 17. — [9] *Prov.*, XXVII, 21. — [10] *Luc.*, VI, 22. — [11] Ibid., 36. — [12] *Job*, XXXI, 16. — [13] Ibid., XXIX, 15. — [14] *Eccli.*, XXX, 24. — [15] *Job*, XIX, 21.

(*a*) *Cæt. edit.* altior.

guineis afflictis; altior gradus, misereri extraneis afflictis; altissimus, misereri inimicis afflictis. In hoc ultimo gradu fuit Christus, cum dixit [1] : *Misereor super turbam.* Et iterum [2] : *Pater, ignosce* (*a*) *illis*, etc.

II. Item altus gradus est misereri vivis in afflictione corporis; altior, misereri vivis in afflictione spiritus; altissimus, misereri mortuis in purgatorio.

IV. Item altus gradus est, misereri sanis in necessitate; altior, misereri infirmis non decumbentibus in necessitate; altissimus, misereri infirmis decumbentibus in necessitate.

V. Item altus gradus misericordiæ consistit in dando temporalia, sicut fecit Abraham [3], qui nulli negavit hospitium; altior, in condonando injurias, sicut fecit David Sauli [4] et Semei; altissimus, pro injuriantibus supplicando fideliter, sicut Christus [5] et beatus Stephanus [6].

VI. Item in alto gradu misericordiæ consistit, quem ad miserendum inducit natura suadendo; in altiori, quem inducit homo præcipiendo, vel admonendo; in altissimo, quem inducit Deus inspirando.

CAPUT VII.

Gradus veritatis.

Gradum veritatis miserendæ ordo. I. Veritatis altus gradus est libenter cogitare veritatem, et libenter cogitare de veritate; altior est libenter loqui veritatem, et libenter loqui de veritate; altissimus est libenter vivere secundum veritatem, et alios ad hoc inducere.

II. Item altus gradus est cognoscere veritatem; altior, amare veritatem; altissimus, seipsum et alios judicare secundum veritatem. In omnibus istis gradibus fuit Christus.

II. Item altus gradus est libere, et absque adulatione, et sine pallio pronuntiare veritatem, quando libere pronuntiare oportet; altior, libere defendere veritatem, quando defendere convenit. Sed qui hoc faciunt, sæpe amaritudinibus replentur, quia veritas res amara est. Dicit sanctus Bernardus : « Melius est tamen pro veritate pati supplicium, quam pro adulatione pati beneficium. » Altissimus est libere defendere veritatem coram inimicis.

IV. Item altus gradus est propter veritatem res temporales in periculo ponere; altior, honorem imponere; altissimus, corpus in periculo ponere. Et hoc merito faciendum est, quia Christus veritas est.

CAPUT VIII.

Gradus paupertatis.

Gradum paupertatis perfectæ ordo. I. Paupertatis, quæ est una de octo beatitudinibus, altus gradus est, relinquere res temporales; altior, relinquere amicos sæculares, et spirituales; altissimus, relinquere seipsum, id est singularem sensum, amorem privatum, propriam voluntatem. In omnibus istis gradibus fuit Christus, qui reliquit seipsum, sua, suos.

II. Item altus gradus est pro transitoriis non laborare, nec sollicitari; altior, transitoria non appetere; altissimus, oblata respuere. In secundo fuit Apostolus, cum dixit [7] : *Argentum et aurum, aut vestem nullius concupivi.* In ultimo fuit Daniel propheta, qui [8] contempsit munera Balthasar, quia Scriptura reprehendit [9] munuscula dare, et accipere.

III. Item altus gradus est nolle habere certum hospitium, sicut [10] Christo non fuit locus in diversorio; altior, non habere certum victum et vestitum tempore sanitatis; altissimus, nolle habere certum victum et vestitum tempore infirmitatis. In hoc ultimo gradu fuit Christus, cum non habuit ubi caput suum reclinaret, nec haustum aquæ, nec vestem, sed nudus ante crucem stetit.

IV. Item in alto gradu paupertatis est, qui

[1] *Marc.*, VIII, 2. — [2] *Luc.*, XXIII, 34. — [3] *Gen.*, XVIII, 3. — [4] I *Reg.*, XXIV, 12; XXVI, 11; II *Reg.*, XVI, 10. — [5] *Luc.*, XXIII, 34. — [6] *Act. Apost.*, VII, 59. — [7] *Act. Apost.*, XX, 33. — [8] *Dan.*, V, 17. — [9] *Exod.*, XXIII, 8; *Eccli.*, XX, 31. — [10] *Luc.*, II, 7.

(*a*) Vulg. *dimitte.*

propter hoc eligit paupertatem, ut a transitoriis sollicitudinibus eruatur; in altiori est, qui propter hoc elegit paupertatem, ut in virtutibus et donis spiritualibus dotetur; in altissimo, qui propter hoc elegit paupertatem, ut in sessione sua apud Christum in judicio (*a*) glorificetur.

V. In alto gradu est, qui nihil habet proprium in speciali, sicut multi religiosi; in altiori, qui nihil habet proprium in communi ad annum, vel ad longum tempus, sicut pauci religiosi; in altissimo est, qui nihil habet proprium in communi, nec ad septimanam, vel ad diem, ut Fratres minores.

CAPUT IX.

Gradus prudentiæ.

Gradum prudentiæ veræ et christianæ ordo. I. Prudentiæ altus gradus est, cognoscere Deum per creaturas, sicut dicit Apostolus [1] : *Invisibilia Dei*, etc.; altior, per Scripturas; altissimus, per fidem.

II. Item altus gradus est prudentiæ, ordinare mores exteriores secundum voluntatem Dei; altior, ordinare affectiones interiores; altissimus, ordinare vires animæ secundum placitum Dei.

III. Item altus gradus est, ordinare vitam interius et exterius secundum exempla sanctorum; altior, secundum exempla Christi; altissimus secundum mores Christi.

IV. Item in alto gradu est, qui considerat amaritudinem animæ, cum separatur a corpore; in altiori, qui considerat amaritudinem animæ, cum separatur a familiaritate Dei ad breve tempus : unde Bernardus : « Quæ anima semel accepit, » etc.; in altissimo, qui considerat amaritudinem animæ, cum æternaliter separatur a fruitione Dei.

V. Item in alto gradu est, qui considerat jucunditatem animæ, cum unitur Deo ad longum tempus; in altissimo est, qui considerat jucunditatem animæ, cum unitur Deo æternaliter.

[1] *Rom.*, I, 20. — [2] *Philip.*, III, 8. — [3] I *Cor.*, IX, 27.

VI Item in alto gradu est, qui considerat, quomodo dat se Deus in bonis spiritualibus; in altissimo est, qui considerat quomodo dat se Deus totum in omni quod est ipse, in divina et humana natura.

CAPUT X.

Gradus fortitudinis.

Gradum veræ quæ christianæ fortitudinis ordo. Fortitudinis est altus gradus vincere mundum et delicias ejus contemnendo, sicut dicit Apostolus [2] : *Omnia*, inquit, *arbitratus sum ut stercora*, etc. Altior est vincere carnem, et concupiscentias ejus restringere, ut Apostolus [3] : *Castigo*, inquit, *corpus meum*. Altissimus, vincere seipsum simpliciter et sponte usque ad mortem obediendo, sicut in omnibus istis fuit Christus.

II. Item altus gradus est, fortiter resistere peccatis corporalibus, ut sunt luxuria, gula, etc. Altior, resistere peccatis spiritualibus, ut sunt placentia propria, displicentia aliena, hypocrisis, personarum acceptio, ingratitudo. Altissimus est resistere occasionibus, tam corporalium, quam spiritualium peccatorum, ut munuscula, et familiaritates, verba blanda, etc.

III Item altus gradus est, non consentire peccatis operationis; altior, non consentire peccatis locutionis; altissimus, non consentire peccatis cogitationis. In his omnibus fuit Christus.

IV Item altus gradus est, fortiter laborare in hoc mundo pro sancta vita, quæ consistit in bona conscientia, et in bonis operibus et moribus; altior, laborare pro societate angelica; altissimus, laborare pro unione Dei in vita æterna.

CAPUT XI.

Gradus justitiæ.

Gradum christianæ justitiæ ordo. I Justitiæ altus gradus est, reddere proximo jus suum, scilicet, congratulationem in prosperitate, et compassionem in adver-

(*a*) *Cæt. edit. add.* Deus.

sitate, juxta illud [1] : *Gaudere cum gaudentibus*, etc. Et altior, reddere sibimet jus suum, scilicet dolorem de malis commissis, juxta illud propheticum [2] : *Dole sicut parturiens;* et cautelam contra mala committenda, juxta illud [3] : *Non solum a malo, sed ab omni specie mala abstinete vos.* Altissimus, reddere Deo jus suum, scilicet timorem, quia Dominus justus est; et amorem, quia pater bonus est. Unde Dominus dicit [4] : *Si ego Dominus, ubi timor meus? si pater, ubi amor meus?*

II. Item altus gradus est, reddere unicuique bonum pro bono; altior, reddere bonum pro malo; altissimus, reddere optimum pro pessimo. Hoc fecit Christus, quando dedit corpus suum sanctissimum Judæ pessimo traditori.

III. Item altus gradus est, justificare omnes operationes, ut Deo placeant; altior, justificare omnes locutiones; altissimus, justificare omnes voluntates. In istis gradibus fuit Christus, cum dicit [5] : *Quæ placita sunt ei, facio semper.*

IV. Item altus gradus est, discere judicare omnia opera sua, qua intentione, et ad quem finem fiant; altior, judicare verba, utrum sint utilia vel nociva; altissimus, judicare conscientiam, utrum recta vel erronea sit, et omnes affectiones, utrum ordinatæ vel inordinatæ sint.

V. Item altus gradus est, exhibere naturalem justitiam omnibus vivis, scilicet [6] : *Quod oderis tibi fieri,* etc.; et [7] : *Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines.* Altior, exhibere justitiam omnibus mortuis consanguineis in eleemosynis, orationibus, et maxime in testamentis eorum distribuendis secundum ordinationem ipsorum, et in omnibus quæ ipsi (*a*) fideliter commiserunt. Altissimus, justitiam exhibere mortuis extraneis, sicut (*b*) commiserunt, et confidunt.

[1] *Rom.*, XII, 15. — [2] *Mich.*, IV, 10. — [3] II *Thess.*, V, 22. — [4] *Malach.*, I, 6. — [5] *Joan.*, VIII, 29. — [6] *Tob.*, IV, 16. — [7] *Matth.*, VII, 12. — [8] Gloss., in c. III, *Job*, ex Greg., *Moral.*, lib. V, c. VIII, al. XI, n. 17. — [9] *Prov.*, X, 19.

CAPUT XII.

Gradus temperantiæ.

Temperantiæ altus gradus est, moderare se in omnibus exterioribus, scilicet in victu, habitu, somno, in incessu, verbis, factis, et moribus, ut omnia ordinate et modeste fiant secundum Deum; altior est, temperare se in motibus et affectionibus interioribus, ne nimis circa transitoria occupentur; altissimus, temperare cogitationes, ne nimis extra Deum evagentur. Graduum christianæ temperantiæ ordo. I.

Item altus gradus est, restringere se ab illicitis interioribus et exterioribus; altior, refrenare se a licitis exterioribus et interioribus ad tempus; altissimus est, abstrahere a licitis exterioribus et interioribus usque ad mortem, juxta illud : *Virtus est licitis abstinuisse bonis.* « Ille enim solus ad illicita non cadit, qui se caute restringit (*c*) a licitis, » dicit Glossa super *Job* [8]. Qui enim non vult detrahere et mentiri, et similia, restringat se a licitis verbis, quia, auctore Salomone [9], *In multiloquio peccatum non deerit.* II.

Item aliqualis altus gradus est, moderate loqui de defectibus hominum in præsentia eorum; altior, temperate loqui de defectibus vivorum et mortuorum in absentia ipsorum, sed tanquam præsentes essent; altissimus, excessus tam vivorum quam mortuorum absentium excusare fideliter, quia locum excusationis non habent. III.

Item Chrysostomus ponit gradus de temperantia cibi et potus, dicens : « Nihil sic ægritudinem fugat, sicut moderata refectio, » ecce altus gradus; « nihil sic sanitatem servat, » ecce altior; « nihil sic acumen sensuum operatur, » ecce altissimus. IV.

CAPUT XIII.

Gradus pacis.

Pacis altus gradus est, cum caro subjici- Gra-

(*a*) *Cæt. edit.* ipsis. — (*b*) *Cæt. edit. add.* eis. — (*c*) *Suppl.* aliquando et.

duum christianæ pacis ordo, I.

tur spiritui, sive rationi, difficilem se reddens ad omnia mala perpetranda; altior, cum subjicitur caro spiritui, promptam se exhibens ad omnia bona facienda; altissimus est, cum spiritus subjicitur Deo, omnem ordinationem tam in exterioribus, quam in interioribus animæ viribus penitus observando. Iste ultimus gradus servatur in cœlo.

II. Item altus gradus est inferioribus parcere, si in aliquo excesserint (*a*), eosque benigne consolari, si in aliquam afflictionem inciderint; altior est, cum paribus benigne conversari, ita quod faciat eis bonum quod sibi juste vult fieri, nec inferat malum aliquod, quod sibi juste non vult fieri; altissimus, voluntatem suam voluntati superiorum in omnibus conformare.

III. Item altus gradus, nullum turbare factis; altior est, nullum turbare verbis, vel facie, vel in verbis post tergum; altissimus est, nullam dare occasionem justam alicujus turbationis, signo, nutu. In omnibus istis gradibus fuit Christus, secundum illud [1]: *Non veni facere* (*b*) *voluntatem meam*, etc.

IV. In altum gradum pacis ascendit, qui mala proximorum non publicat; in altiorem gradum, qui bona proximorum non minuit, nec denigrat, nec invertit, sed extollit; in altissimum ascendit, qui defectibus eorum compatitur, et profectibus eorum ex corde congratulatur. In isto gradu fuit Christus.

CAPUT XIV.

Gradus constantiæ.

Gradum christianæ constantiæ ordo I.

Constantiæ altus gradus est, cum homo tantum unitur Deo, quod non potest induci ad aliquod malum, quod Deo displicet, nec abduci ab aliquo bono, quod Deo placet, per amissionem rerum temporalium, sicut Tobias et Mathathias; altior, cum homo non potest cogi per mutilationem membrorum, sicut illi septem, de quibus legitur in libro *Machabæorum* [2]: altissimus, cum non potest cogi per ablationem vitæ temporalis, sicut Paulus, cum dixit [3]: *Non solum alligari, sed etiam mori paratus sum propter nomen Domini Jesu Christi.*

II. Item in altum constantiæ gradum ascendit, qui non recedit a Deo in prosperitate, sicut David; in altiorem ascendit, qui non recedit a Deo in adversitate illata ab inimicis, ut Stephanus; in altissimum, qui non recedit a Deo in adversitate illata ab amicis, ut Job, qui dixit amicis [4]: *Justificationem, quam tenere cœpi, non deseram.*

III. Item in alto gradu constantiæ est, qui non consentit tentationibus peccatorum carnalium, sed tamen suffert; in altiori est, qui non consentit tentationibus peccatorum spiritualium, sed tamen suffert: unde Jacobus dicit [5]: *Beatus vir qui suffert tentationem*, etc.; in altissimo est, qui extirpat a se etiam occasiones tentationum carnalium et spiritualium peccatorum. In isto gradu fuit Christus.

IV. Item in altum ascendit, qui non movetur a sancta conversatione, vel a bono opere, vel proposito bono, irrisione, vel vituperatione, ut David [6], cui Michol irrisit et contempsit, et improperavit, quod saltasset, sicut scurra nudus, coram ancillis; in altiorem, qui non movetur adulatione, vel laude histrionum, et malorum hominum; in altissimum ascendit, qui non movetur adulatione, vel laude bonorum hominum.

CAPUT XV.

Gradus largitatis.

Largitatis altus gradus est, hilariter dare temporalia, sicut fecit Abraham, qui nulli negavit hospitium; altior est, hilariter dare spiritualia, sicut Apostolus fecit, dicens [7]: *Sapientibus et insipientibus debitor sum*; item [8]: *Si vobis spiritualia seminamus*, etc.

Gradum christianæ largitatis (a) liberitatis (b) I.

[1] *Joan.*, VI, 38. — [2] II *Mach.*, VII, per totum. — [3] *Act. Apost.*, XXI, 13. — [4] *Job*, XXVII, 6. — [5] *Jac.*, I, 12. — [6] II *Reg.*, VI, 22. — [7] *Rom.*, I, 14. — [8] I *Cor.*, IX, 11.

(*a*) *Cæt. edit.* excesserunt. — (*b*) Vulg. *ut faciam.*

Altissimus est, sponte et hilariter dare corpus suum, sicut fecit Christus, qui dicit per Prophetam [1] : *Corpus meum dedi percutientibus ;* et cum dixit [2] : *Comedite ex hoc omnes, hoc est,* etc.

II. Item in altum gradum largitatis ascendit, qui dat quidquid ab eo petitur, sicut Herodes fecit, qui filiæ dixit [3] : *Quidquid petieris, dabo tibi* ; in altiorem ascendit, qui dat plus, quam petatur ab eo, sicut fecit Naaman Giezi servo Elisæi, petenti unum talentum, dixit [4] : *Melius est, ut duo accipias.* In altissimum ascendit, qui arguit non petentes, ut petant, sicut Christus [5] : *Usque modo non petistis quidquam.*

III. Item in alto gradu stat, qui dat aliquid habens spem recuperandi, vel recompensationis, sicut fere faciunt omnes homines, juxta illud Isaiæ [6] : *Omnes diligunt munera,* etc. In altiori stat, qui dat aliquid sine spe recompensationis, sicut Apostolus dedit spiritualia, dicens [7] : *Non quæro vestra, sed vos.* In altissimo stat, qui refert gratias accipientibus dona, sicut Chrysostomus dicit de Christo : « Pro omnibus, quæ tribuisti nobis, o Christe, nihil petis, quam salvari, hoc ipsum tribuens, et accipientibus gratias agens. » In omnibus istis gradibus fuit Christus.

IV. Item in alto gradu stat, qui dat dona consanguineis indigentibus ; in altiori stat, qui dat extraneis indigentibus ; in altissimo stat, qui dat inimicis indigentibus, sicut Deus [8], *qui facit solem suum oriri super bonos et malos.*

CAPUT XVI.

Gradus compassionis.

Gradum compassionis christianæ ordo I.

Compassionis altus gradus est, medullitus condolere amico afflicto ; altior, condolere inimico afflicto ; altissimus, condolere Deo de contumelia sibi illata.

II. Item in alto gradu est compassionis, qui condolet sanis in afflictione ipsorum ; in altiori est, qui condolet infirmis in infirmitate ; in altissimo est, qui condolet purgandis in pœnis eorum in purgatorio.

III. Item altum gradum ascendit, qui afflictis condolet in corde, sicut dicit Apostolus [9] : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur,* aliqua molestia tribulationis, *et ego non uror?* dicit Glossa. In altiorem ascendit, qui ore conqueritur incommodum afflictorum, sicut David mortem Saulis et Jonathæ, dicens [10] : *Quomodo ceciderunt fortes in prælio?* In altissimum ascendit, qui plorat super afflictionem, sicut David lugebat Absalonem inimicum suum, et Job [11] : *Flebam,* inquit, *quondam super eo qui afflictus erat, et anima mea compatiebatur pauperi.* In his gradibus fuit Christus, quando conquerendo flevit super Hierusalem, dicens [12] : *Quia si cognovisses,* etc. Quædam Glossa dicit super *Marcum :* « Homo patitur, et ridet ; Deus compatitur, et flet. »

IV. Item altus gradus, condolere omnibus in afflictionibus corporalibus ; altior, condolere in afflictionibus spiritualibus ; altissimus, condolere in defectibus spiritualibus.

V. Item altus gradus est, condolere afflictis ad breve tempus ; altior, condolere ad longum tempus ; altissimus, condolere semper. In omnibus his gradibus fuit Christus.

CAPUT XVII.

Gradus congratulationis.

Graduum christianæ congratulationis ordo. I.

Congratulationis altus gradus est, congratulari omnibus hominibus quod ad imaginem et similitudinem Dei sunt facti, et congratulari eis in omnibus bonis quæ a Deo perceperunt ; altior est, congratulari omnibus angelis, quod signaculum Dei sunt, et quod nullam miseriam experti sunt, et semper in fruitione Dei fuerunt ; altissimus est, congratulari Deo de æterna et immensa

[1] *Isa.*, L, 6. — [2] *Matth.*, XXVI, 26. — [3] *Marc.*, VI, 23. — [4] IV *Reg.*, V, 23. — [5] *Joan.*, XVI, 24. — [6] *Isa.*, I, 23. — [7] II *Cor.*, XII, 14. — [8] *Matth.*, V, 45. — [9] II *Cor.*, XI, 29. — [10] II *Reg.*, I, 19. — [11] *Job*, XXX, 25. — [12] *Luc.*, XIX, 42.

beatitudine, quam habet a seipso per naturam.

II. Item altus gradus est, congratulari in omni beneplacito suo, quod perficitur in cœlo et in terra ab hominibus; altior est, congratulari Deo in omni beneplacito suo in cœlo, quod perficitur ab angelis; altissimus, congratulari singulis personis in omni beneplacito, quod perficitur unicuique personæ a duabus personis.

III. Item altus gradus est, congratulari omnibus hominibus de omnibus bonis fortuitis; altior, congratulari in omnibus donis naturalibus in corpore et anima; altissimus, in omnibus donis spiritualibus et virtutibus in spiritu.

IV. Item altus gradus est, congratulari omnibus consanguineis in omnibus bonis et profectu; altior est, congratulari omnibus extraneis; altissimus, congratulari omnibus inimicis.

V. Item altus gradus est, congratulari cum ad congratulandum instigat natura; altior, cum Scriptura; altissimus, cum inspiratio divina. In omnibus his fuit Christus.

CAPUT XVIII.

Gradus abstinentiæ.

Graduum christianæ abstinentiæ ordo. I. Abstinentiæ altus gradus est, vitare superflua oblectamenta corporis in victu, et in vestitu, et in aliis commoditatibus; altior, vitare oblectamenta spiritus, quæ subito veniunt, et subito terminantur, ut contingit in luxuria, in choreis, et cum aliquis delectabiliter audit, et loquitur mendacia, vel detractiones, et similia; altissimus, vitare delectabilia spiritus, quæ sæpe veniunt, et diu permanent, sicut est in ornatu superfluo, et amicitia carnali, et in gaudio temporali.

II. Item altus gradus est libenter vitare illicita oblectamenta, quæ homo non potest, vel difficulter habere potest; altior est, sponte vitare delectabilia, quæ habet, vel quæ habere potest; altissimus, qui potest vitare licita delectabilia, quæ habet, et quæ habere potest, et quibus meritorie uti potest, unde illud : *Virtus est licitis abstinuisse bonis.*

III. Item altus gradus est, sponte vitare delectabilia in vilibus et nocivis; altior, vitare delectabilia in raris et caris ad tempus, et quæ fiunt cum multa diligentia, et magnis sumptibus comparantur; altissimus, vitare delectabilia in raris et caris omni tempore.

IV. Item altus gradus est, consolationem transitoriam non admittere in omnibus visibilibus, propter Deum; altior est, fugere consolationem transitoriam in angelis et invisibilibus propter Deum, sicut Maria Magdalena dixit : «Non quæro angelos, sed eum qui fecit me, et angelos, » etc.; altissimus, vitare ad tempus consolationem, quæ potest haberi in ipso Creatore, propter salutem proximorum, sicut dixit Apostolus [1] : *Optabam anathema esse pro fratribus.* Et [2] : *Cupio dissolvi, et esse cum Christo.* In omnibus his fuit Christus.

CAPUT XIX.

Gradus concordiæ.

Concordiæ altus gradus est concordare cum sanctis hominibus in sancta conversatione; altior, concordare cum sanctis angelis in continua laude Dei; altissimus, concordare cum Deo in perfecta voluntate.

II Item altus gradus est, concordare cum subditis, defectibus compatiendo; altior, concordare cum paribus et sociis, profectibus eorum congaudendo; altissimus, concordare cum prælatis, voluntati eorum obediendo in omnibus.

II Item altus gradus est, concordare cum perfectis, præcepta Dei servando; altior, concordare cum perfectioribus, consilia Dei in Scriptura perficiendo; altissimus, concordare cum perfectissimis, divinis moribus se conformando.

IV Item altus gradus est, concordare cum

[1] *Rom.*, IX, 3. — [2] *Phil.*, I, 23.

omnibus hominibus, quantum in se est, ut omnis perturbatio caveatur; altior est, concordare cum omnibus hominibus propter quietem propriam, ne homo in seipso affligatur; altissimus est, concordare cum omnibus hominibus, ne propter inquietudinem cordis Deus ab ipso, vel ipse a Deo ad breve, vel ad longum tempus alienetur. In omnibus his fuit Christus.

CAPUT XX.

Gradus gratitudinis.

Gradum gratitudinis ordo. I. Gratitudinis altus gradus est, digne ponderare naturalia dona corporis; altior, digne ponderare naturalia dona animæ, scilicet memoriam, intelligentiam, et voluntatem; altissimus, digne ponderare gratuita dona animæ, scilicet dona Spiritus sancti, et virtutes.

II. Item altus gradus est, ponderare dona temporalia a Deo collata; altior, ponderare dona spiritualia a Deo percepta; altissimus, ponderare dona æterna a Deo percipienda.

III. Item altus gradus est, gratias agere de Scriptura; altior est, gratias agere de septem sacramentis; altissimus est, gratias agere de sanctissimis exemplis Jesu Christi, et moribus divinis.

IV. Item altus gradus est, gratias agere de præceptis sacræ Scripturæ; altior, de consolationibus; altissimus, de doctrinis Christi in Evangelio.

V. Item altus gradus est, gratias agere de omnibus creaturis, quas habet homo in terra; altior est, gratias agere de omnibus angelis, et sanctis, quos homo habet in cœlo; altissimus est, gratias agere de omnibus bonis, quæ habet in ipso. In omnibus his gradibus fuit Christus, ipso teste[1]: *Quæ placita sunt ei, facio semper.*

CAPUT XXI.

Gradus religionis.

Gradum religionis, ut est virtutis studium, ordo. I. Religionis altus gradus est, cognoscere omnia impedimenta religionis, et ea odire, sicut est otium, dissolutio, mala societas, curiositas, et nimia libertas; altior est, cognoscere omnia incitamenta religionis, et ea desiderare, ut est maturitas, solitudo, taciturnitas, bona societas, bona exempla; altissimus, studiose se exercitare in omnibus quæ pertinent ad religionem, ut sunt virtutes et opera virtuosa.

II. Item altus gradus est, diligenter servare omnia præcepta religionis; altior, servare omnia vota religionis, non solum maxima, sed et minima: *Qui* enim[2] *minima negligit* (*a*), *paulatim decidet;* altissimus, imitari optimos in religione, et ipsis se conformare.

III. Item altus gradus est, relinquere res temporales; altior, relinquere omnes amicos, tam carnales, quam spirituales; altissimus, relinquere proprium sensum, et propriam voluntatem.

IV. Item altus gradus est, servare religionem, et amare religionem, propter pœnam vitandam, quæ debetur irreligiosis; altior, propter spem in præsenti (*b*), et gloriam in futuro, quæ debetur religiosis; altissimus, amare religionem pure propter Deum.

V. Item altus gradus est, semper niti ad proprios defectus vitandos (*c*), qui semper pullulant; altior, niti semper ad crescendum in virtutibus et spiritualibus donis, ad conformandum se divinis moribus; altissimus, semper dolere, quod non potest omnes defectus devincere, nec semper exercere virtutes. In multis (*d*) his gradibus fuit Christus.

CAPUT XXII.

Gradus contritionis.

Gradum contritionis ordo. I. Contritionis altus gradus est, ex corde dolere pro omnibus peccatis mortalibus; altior, pro omnibus peccatis venialibus magnis; altissimus, dolere pro omnibus peccatis venialibus minimis.

[1] *Joan.*, VIII, 29. — [2] *Eccli.*, XIX, 1.

(*a*) Vulg. *spernit modica.* — (*b*) *Cæt. edit.* præcedenti. — (*c*) *Cæt. edit.* videndos. — (*d*) *Suppl.* ex.

II. Item altus gradus est, vehementer dolere pro peccatis operum; altior, dolere pro peccatis verborum; altissimus, dolere pro peccatis cogitationum et affectionum.

III. Item altus gradus est, dolere pro commissis omnium malorum; altior, pro omissis omnium bonorum; altissimus, pro deturpatione omnium bonorum per tædium et teporem, et etiam impuram intentionem.

IV. Item altus gradus est, dolere pro omnibus malis, quæ homo commisit personaliter; altior, pro omnibus, quorum fuit occasio scienter; altissimus, pro omnibus, quorum occasio fuit ignoranter : unde illud [1] : *Ignorantias*, etc.

V. Item altus gradus est, dolere pro peccatis manifestis; altior, pro peccatis occultis, quæ homo solus scit coram Deo; altissimus, dolere pro peccatis, quæ solus Deus scit sine ipso in lumine suo. Unde Apostolus [2] : *Nihil mihi conscius sum*, etc.

VI. Item altus gradus est, dolere de damno quod sibi homo per peccatum intulit; altior, (*a*) quod communitati intulit; altissimus, de contumelia, quam Deo intulit.

VII. Item altus gradus est, cum in contritione deletur culpa tantum; altior, cum deletur culpa, et pars pœnæ; altissimus, cum deletur culpa et omnis pœna.

VIII. Item in alto gradu est, qui dolorem mentis indicat in ore pure confitendo; in altiori, qui dolorem indicat in oculis lacrymando; in altissimo, qui dolorem indicat in opere, jejuniis, vigiliis, et disciplinis carnem suam affligendo.

CAPUT XXIII.

Gradus confessionis.

Gradum confessionis sacramentalis ordo I.

Confessionis altus gradus, declarare, secundum præceptum apostolicum, semel in anno omnia peccata illius anni; altior est, confiteri singulis mensibus; altissimus, confiteri semel in septimana, cum scriptum sit [3] : *Septies* in die *cadit justus, et resurgit* (*b*) per confessionem.

II. Item altus gradus est, confiteri tantum uni sacerdoti, juxta illud [4] : *Vade, ostende te sacerdoti* (*c*); altior est, confiteri pluribus sacerdotibus sæcularibus, juxta illud [5] : *Ite, ostendite vos sacerdotibus;* altissimus, confiteri pluribus sacerdotibus religiosis, qui diligentes sunt circa confessionem et confitentes.

III. Item in alto gradu est, quem ad confitendum movet horror peccati, et fœtor; in altiori est, quem movet ad confitendum desiderium regni cœlestis; in altissimo, quem movet ad confitendum amor unionis Dei.

IV. Item in alto gradu est, qui confitetur, ut a maculis emundetur animæ; in altiori, qui ideo confitetur, ut Deo per munditiam assimiletur; in altissimo est, qui ideo confitetur, ut Deo habitaculum in anima per munditiam præparetur. Sciendum, quod de singulis gradibus, de quibus est contritio, de eisdem debet etiam fieri confessio.

CAPUT XXIV.

Gradus satisfactionis.

Gradum satisfactionis, ut ad pœnam pertinet, ordo. I.

Satisfactionis altus gradus est, emendare digne peccata propria; altior, bonorum hominum; altissimus, emendare peccata malorum hominum.

Item altus gradus est, emendare peccata consanguineorum; altior, emendare peccata extraneorum; altissimus, emendare peccata inimicorum.

II. Item altus gradus est, emendare peccata in propria domo; altior, emendare peccata in eremo; altissimus, emendare in claustro.

III. Item altus gradus est, emendare peccata in claustro rigido; altior, emendare in claustro rigidiori; altissimus, in rigidissimo claustro.

IV. Item altus gradus est, emendare peccata eleemosynis; altior, emendare bonis operi-

[1] *Psal.* XXIV, 7. — [2] I *Cor.*, IV, 4. — [3] *Prov.*, XXIV, 16. — [4] *Matth.*, VIII, 4. — [5] *Luc.*, XVII, 14.

(*a*) *Suppl.* de damno. — (*b*) Vulg. *Septies cadet justus, et resurget.* — (*c*) Cæt. edit. *sacerdotibus*, sed male.

bus corporis, jejuniis, orationibus, peregrinationibus, et similibus ; altissimus, emendare peccata passionibus corporis, scilicet lacrymis, disciplinis, ciliciis, et similibus. Perfectius est adversa tolerare patienter, quam bonis operibus insudare.

CAPUT XXV.

Gradus contemplationis.

Gradum contemplationis ordo. I. Contemplationis altus gradus est, cognoscere Deum in creaturis ; altior, cognoscere Deum in Scripturis ; altissimus est, cognoscere Deum in sua potentia, et sapientia, etc.

II. Item altus gradus est, cognoscere Deum in hominibus, qui ad imaginem ejus sunt creati ; altior, cognoscere Deum in angelis, qui sunt signaculum similitudinis Dei ; altissimus, cognoscere Deum in sua substantia.

III. Item altus gradus est, cognoscere Deum in suis operibus ; altior, cognoscere in suis moribus Deum ; altissimus, cognoscere Deum in claritate sua. Unde in Joanne[1] : *Ut videant claritatem quam dedisti mihi.*

IV. Item ad altum gradum contemplationis ascendit, qui abstrahit animam suam ab omnibus transitoriis, et colligit eam ad seipsam ; ad altiorem tendit, qui cognoscit qualis sit anima in se collecta super corpus, et sine corpore, et secundum quem, imaginata ; ad altissimum tendit, qui cognoscit Deum, ad cujus imaginem factus est, ut pro posse suo se illi conformet. In omnibus his fuit Christus.

CAPUT XXVI.

Gradus discretionis.

Gradum discretionis ordo. I. Discretionis altus gradus est, secundum ordinem Dei uti donis temporalibus ; altior, secundum ordinem Dei, uti donis naturalibus in corpore et in anima ; altissimus, uti secundum ordinem Dei donis gratuitis in anima.

II. Item altus gradus est, servare præcepta Scripturæ ; altior, servare consilia Scripturæ ; altissimus, servare doctrinas Jesu Christi.

III. Item altus gradus est, regere se secundum exempla sanctorum ; altior, secundum exempla Christi ; altissimus, secundum mores Dei.

IV. Item altus gradus est, cogitare varia beneficia Dei ; altior, de beneficiis collatis gratias agere ; altissimus, laudare divinam naturam, et bonitatem, quæ coegit dantibus.

V. Item altus gradus est, in omnibus cautum esse coram sæcularibus, ne scandalizentur ; altior, cautum esse coram religiosis, ut ædificentur ; altissimus, coram Deo judice cautum esse, ne offendatur.

CAPUT XXVII.

Gradus spei.

Gradum christianæ spei ordo. I. Spei altus gradus est, expectare cœlestem hæreditatem, quam daturum se Deus nobis per pignus obligavit, scilicet Spiritum sanctum in baptismo, *qui est pignus hæreditatis nostræ*[2], ut dicit Apostolus ; altior est, expectare beatitudinis eamdem hæreditatem, quam nobis se daturum juramento firmavit, unde[3] : *Jusjurandum*, etc. Altissimus est, expectare eamdem beatitudinem, quam nobis se daturum in lege et prophetis promisit ; unde Apostolus[4] : *Quod oculus non vidit*, etc.

II. Item in alto gradu est, qui expectat æternam beatitudinem ex operibus misericordiæ et justitiæ, in quibus se diu exercuit ; in altiori est, qui expectat eam ex passione Christi, qui nobis eam promeruit. Unde Bernardus : « Peccanti mihi peccatum, » etc. In altissimo, qui expectat eam ex mera bonitate et misericordia Dei, qui nos ad ipsam creavit.

III. Item in alto gradu est, quem certificat de æterna beatitudine bene discussa conscientia ; in altiori est, quem certificat veteris et novæ legis scriptura ; in altissimo est, quem certificat inspiratio divina.

[1] *Joan.*, XVII, 24. — [2] *Ephes.*, I, 14. — [3] *Luc.*, I, 73. — [4] 1 *Cor.*, II, 9.

IV. Item altum gradum tenet, qui expectat æternam beatitudinem ex multiplici intercessione in via et in patria; altiorem, qui eamdem expectat ex diligenti custodia angelorum; altissimum, qui eamdem (*a*) diligentissima custodia divina expectat. Unde Augustinus : « Perfectioribus adest ipse Deus ad custodiam, imperfectioribus vero ipsi angeli. »

CAPUT XXVIII.

Gradus timoris.

Graduum timoris ordo. I. Timoris infimus gradus est, timere judicem sæcularem; altior est, timere judicem spiritualem; altissimus, timere judicem sempiternum.

II. Item altus gradus est, timere judicem Deum, quia punire potest corpus in hoc mundo; altior, timere eumdem, quia punire potest animam; altissimus, timere eumdem, quia punire potest corpus et animam in inferno.

III. Item in alto gradu est, quem timor cogit fugere omnia, quæ elongant a familiaritate Dei ad breve tempus; in altiori est, quem cogit timor fugere omnia, quæ separant ab unione de longo tempore; in altissimo est, quem cogit timor fugere omnia, quæ separant a fruitione Dei omni tempore.

IV. Item in alto gradu est, cui timor semper suadet requirere voluntatem Dei, juxta illud[1] : *Qui timet Dominum, inquiret quæ placita sunt ei.* In altiori gradu est, cui timor suadet semper perficere voluntatem Dei, juxta illud[2] : *Qui timet Deum, nihil negligit;* et[3] : *Qui timet Deum faciet bona.* In altissimo est, cui timor omnia bona conservat, juxta illud[4] : *Timor Domini omnibus se superponit* (*b*), quasi signaculum omnia conservans.

CAPUT XXIX.

Gradus doloris.

Graduum doloris ut ad virtutem spectat ordo. I. Doloris altus gradus est, tristari ex corde de omni incommodo proximorum corporali; altior, tristari de omni incommodo proximorum spirituali; altissimus, tristari de omni contumelia Dei.

II. Item altus gradus est, contristari quod animæ continue in peccatis venialibus maculantur; altior est, contristari quod animæ frequenter peccatis mortalibus vulnerantur, juxta illud Bernardi[5] : « Agnosce, homo, quam aspera peccatorum vulnera, pro quibus oportebat Dominum Christum vulnerari. » Altissimus, tristari quod vulnera Christi quotidie innovantur, cum peccati mortalis vulnere sauciantur.

III. Item altus gradus est, tristari pronitate cadendi in malum; altior, tristari de tarditate et raritate surgendi a malo; altissimus est, tristari de difficultate perseverandi in bono.

IV. Item altus gradus est, tristari de debilitate perficiendi bonum; altior, de debilitate desistendi a malo; altissimus, de fortitudine consummandi malum.

V. Item altus gradus est, tristari quod tam parum curantur exempla bonorum hominum in terra; altior, quod tam modicum curantur exempla perfectiora in patria; altissimus, quod tam parum curantur exempla perfectissima Jesu Christi, per quatuor Evangelistas nobis testificata.

CAPUT XXX.

Gradus gaudii.

Graduum gaudii spiritualis ordo. I. Gaudii altus gradus est, lætari hic et in futuro de æterna societate angelorum inferiorum, et sanctorum; altior est, lætari de æterna societate supernorum angelorum et sanctorum, et præcipue beatæ Virginis Mariæ, quæ est super omnes angelos et sanctos; altissimus, lætari de æterna societate Dei.

II. Item altus gradus est, lætari de mundissima

[1] *Eccli.*, II, 19. — [2] *Eccle.*, VII, 19. — [3] *Eccli.*, XV, 1. — [4] Ibid., XXV, 14. — [5] Imo auctoris *Medit.*, c. III, n. 9, inter Oper. Bernardi, vol. II, tom. V, edit. 1690.

(*a*) *Suppl.* ex. — (*b*) Vulg. *super omnia se superposuit.* Cæt. edit. *omnibus superponit.*

carne Christi, quam sibi assumpsit de mundissimis sanguinibus beatæ Virginis Mariæ, quam homo videbit in æternum carnalibus oculis; altior, lætari de perfectissima anima sua in omnibus virtutibus, et donis spiritualibus, cujus anima non accepit Spiritum sanctum ad mensuram, secundum quod alii sancti; altissimus est, lætari de divinitate Christi, quam habet communem cum Patre et Spiritu sancto æternaliter.

Item altus gradus est, de omnibus voluntatibus meritoriis lætari; altior, lætari de omnibus meritoriis locutionibus; altissimus, lætari de omnibus meritoriis operationibus.

Item altus gradus est, lætari hic et in futuro de exteriori sancta conversatione; altior, lætari de interiorum affectionum ordinatione; altissimus, lætari de mentis securitate. Unde illud [1] : *Secura mens, quasi juge convivium.*

Item altus gradus est, lætari de sanctæ Trinitatis visione, sive æterna cognitione; altior, lætari de ejusdem æterna visione; altissimus, lætari de ejusdem æterna fruitione.

Propterea nos hortatur Augustinus dicens : « O anima, mirabilis creatura, quo te dejicis? terram amas, melior es : solem miraris, pulchrior es : cœlum contemplaris, altior es, solo Creatore tuo inferior. Si vis ergo progredi in me, et ego transiens (*a*) in te, exi totaliter de te, traham te in me, et introduc (*b*) me, et sic nec in te, nec in ulla creaturarum, quidquid amabis, præter me. » Idem : « Anima inter Deum et creaturas media posita est : conversione ad Deum illuminatur, melioratur, perficitur : conversione autem ad creaturas obtenebratur, deterioratur, occiditur. » Item : « Deus intrabit in animam omni voluptate dulcior, omni luce clarior, omni honore sublimior, omni secreto interior. » Gregorius [2] : « Esse quidem sine delectatione anima non potest : aut enim delectatur in summis, aut in infimis. » Glossa super *Ecclesiasticum :* « Felix anima, quæ quotidie mundat cor suum, ut recipiat habitatorem Deum, cujus possessor nullo eget bono, quia omnium bonorum auctorem in se habet. » Augustinus : « Magna Dei pietas, et ineffabilis bonitas, qui hominem ad vitam æternam prædestinatum mori non permittit, nisi in eo statu quo melior futurus non est; tollit etiam damnandos, cum noscit eos pejores futuros, ut sic minus puniantur, et justi eorum exemplo non corrumpantur. »

[1] *Prov.*, xv, 15. — [2] Greg., *Moral.*, lib. XVIII, c. 8, in princ.

(*a*) *Forte legendum* ut ego transeam.— (*b*) *Item* introducam in.

EPISTOLA

CONTINENS

VIGINTI QUINQUE MEMORIALIA [1]

ARGUMENTUM

(*Ex editione Vaticana.*)

Hæc Epistola quædam veluti regula et institutio est omnium, qui veteri homine exuto, mori mundo, et Christo vivere percupiunt. At ne hoc ipsum desiderium negligentiæ et incuriæ nostræ tepiditate languescat, vigintiquinque memorialia ob oculos ponit S. Bonaventura : ut in his quæ fugienda, quæve sequenda sint, omni intimo mentis affectu speculantes, tamdiu in eorumdem exercitatione versemur, ut, præstante Deo, virtutibus et gratiis crescamus, quousque perfectum veniat desiderium collium æternorum.

PROLOGUS

In Christo suo dilecto Fratri N. (*a*) Bonaventura de Balneo Regio confrater ejus in Domino. Qualicumque, homine veteri jam exuto, Christo vivere, et mori mundo. Quoniam, dilecte mi frater in Domino, adhuc me in præsentia tibi posito mihi instantissime supplicasti, ut te in posterum aliquibus litteris exhortationis visitarem, novi, frater, quod hæc dicens, ardentes prunas congeris super caput meum. Verumtamen affectuose instando, duritiæ meæ superbiam supplici humilitate vicisti in tantum, ut ipse jam promitterem quod optabas, quamvis magis dignum foret, hæc me a te quidem suscipere, quam me tibi hujusmodi destinare. Quia tamen instantia tuæ devotionis me compellit stultum fieri in parte ista, sicut potero, qualitercumque experiar quod hortaris; non tamen tibi alia specialia scribens, nisi ea quæ rudia et simplicia mihi ipsi colligere proponebam, ex quibus jam plurima bene nosti. Sed interim, alloquens dilectionem tuam, charissime, cum nullus, sicut experientia certa docet, perfecte Deo servire possit, nisi dissolvere omnino se procuret a mundo : oportet, si sequi volumus Dominum Salvatorem, voci nos propheticæ [2] obedire, ut scilicet peccatorum colligationibus dissolutis, dissolvamus *fasciculos deprimentes* : quatenus a terrenis actibus dissoluti, sequamur liberis gressibus Redemptorem, quia, juxta Apostoli testimonium [3], *Nemo militans Deo* debet se *negotiis sæcularibus implicare*. Nunquam ergo de aliqua re creata, nisi in quantum nostrum excitet divini amoris, et dilectionis affec-

[1] *Cf.* Edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, pag. 15; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, pag. 15; edit. Venet., an. 1755, tom. VI, part. II, pag. 1. — [2] *Isa.*, LVIII, 6. — [3] II *Tim.*, II, 4. — (*a*) *Ita codex manuscriptus Biblioth. Casanatensis S. Mar. supra Minervam, Ord. Prædic. Romæ. Cæt. edit.* dileeto.

tum, cor nostrum esse sollicitum permittamus : quia multiplex rerum labentium varietas plus debito ruminata non solum animum distrahendo, pacatæ mentis gratam interrumpit quietem ; verum etiam in animo gignendo phantasias, turbulentæ quassationis molestia importune impellit eamdem. Sed potius affectionis omnium terrenorum sarcina onerosa deposita, absque retardationis gravedine curramus ad illum, qui nos salubriter invitat : in quo est animarum opulenta refectio, et [1] *pax* summa *quæ exuperat omnem sensum. Venite ad me*, inquit [2], *omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* O Domine, quo indiges? quare vocas? quid tibi commune nobiscum ? O veræ (*a*) pietatis vox ! *Venite ad me*, inquit, *et ego reficiam vos.* O Dei nostri dignatio admirabilis ! O charitas ineffabilis ! Quis enim aliquando fecit talia? quis unquam audivit, quisve conspexit similia? Ecce invitat inimicos, hortatur reos, allicit ingratos. *Venite*, inquit [3], *ad me omnes*; *et discite a me*, etc. *Tollite jugum meum super vos, et invenietis requiem animabus vestris.* O verba dulcia, verba deifica, et penetrabiliora omni gladio ancipiti, intima præcordiorum eviscerantia, nimiaque repleta dulcedine usque ad divisionem animæ pertingentia. Expergiscere nunc, o anima christiana, ad tantæ benignitatis amorem, dulcedinis tantæ saporem, et tantæ suavitatis odorem. Certe, qui ista non sentit, infirmus est, alienatus est, jam proximat morti. Inardesce, quæso, o anima mea, pinguesce amore, dulcesce sapore : nemo te prohibeat intrare, tenere, gustare. Quid amplius quærimus, quid ultra expectamus, quid desideramus in hac vita? Habemus in Christo omnia bona. Sed, heu, o insania nostra mirabilis ! O infirmitas miserabilis ! O vesania detestabilis ! Nam vocamur ad requiem, et sequimur laborem : invitamur ad solatium, et quærimus dolorem : promittitur gaudium, et appetimus mœrorem. Mirabilis prorsus infirmitas, miseraque perversitas. Jam omnes insensibiles facti sumus, et quasi deteriores simulacris : habentes oculos, et non videntes ; aures, et non audientes ; rationem, et non discernentes ; amarum dulce, et dulce amarum ponentes. O Deus, unde nobis tantæ perversitatis correctio? unde nobis tantæ offensionis satisfactio ? Certe nihil tale invenitur in nobis, nisi tuo munere tribuatur. Tu enim solus potes nos corrigere, tu solus pro nostris delictis satisfacere, qui solus nosti figmentum nostrum, salus et redemptio nostra, qui solum illis hæc facis, qui se miseros conspicientes in imis, a te solum relevari confidunt. Levemus ergo ad Deum mentis nostræ oculos in directo, et videamus, ubi nunc prostrati sumus. Quoniam qui proprium suum casum ignorat, surgere minus curat. Cognoscentes vero clamemus in fortitudine ad Deum de profundis, ut nobis adjutricem porrigat misericordiæ suæ manum, quæ abbreviari nunquam poterit ad salvandum. Non, quæso, confidentiam amittamus, magnam remunerationem habentem. [4] *Adeamus thronum gratiæ ejus cum fiducia,* [5] *fructum nostræ fidei reportantes, salutem* scilicet *animarum nostrarum.* Nulla nobis insit cunctatio. Jam enim vita nos vocat, salus expectat, tribulatio compellit intrare. Quid ergo facimus? quid pigritamus? quid moras contrahimus? Festinemus ingredi in illam requiem jucunditatis æternæ, ubi sunt magna et inscrutabilia, quorum non est numerus. Ascendat, quæso, Hierusalem cor nostrum : suspiremus ad patriam nostram : tendamus sursum ad matrem nostram. Introeamus in potentiam Domini, et intueamur nostrum regem in ea regnantem, et liquescant in miserationibus ejus corda nostra. Agamus illi gratias toto corde, qui defectum nostræ ingratitudinis non considerans, suæ non abstulit a nobis misericordiæ pietatem : desiderium

[1] *Philip.*, IV, 7. — [2] *Matth.*, XI, 28. — [3] Ibid., et seq. — [4] *Hebr.*, IV, 16. — [5] I *Petr.*, I, 9.

(*a*) *Cæt. edit.* vere.

nobis tribuens ipsius viam currere mandatorum, quam sine desiderio nullus currere potest. Quod quidem munus non est vilipendendum, sed gratiæ reputandum, cum hoc prophetarum ille eximius se asserat concupisse, qui ait [1] : *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore.* Sed quia hoc ipsum desiderium aliquando nimia tepiditate nostræ incuriæ et negligentiæ lassescit; cogitavi quædam incitationis hujus memorialia annotare, in quibus fugienda pateant, et sequenda : quæ quidem cum affectu affectuose (*a*) speculantes, pristino vigore resumpto, tamdiu infatigabiliter virtutibus et gratiis (*b*) charitate divina crescamus, quoad usque perfectum veniat desiderium collium æternorum. Ponantur autem memorialium prædictorum prius quædam generalia, postmodum specialibus subsequentibus.

MEMORIALIA GENERALIA.

Sunt ergo hæc quædam virtutes probatæ in juvenibus et scalæ salutis, per quas sine dubio ad perfectionem virtutum, et culmen gloriæ possunt ascendere fideliter exercitati per eas, videlicet sancta verecundia in cunctis rebus et actibus suis, tarditas loquendi, promptitudo obediendi, frequentatio orationis, fugere otium et dissolutiones, pure et frequenter confiteri, libenter servire, et infructuosum consortium devitare. Hæ namque sunt margaritæ fulgentes, quæ possessorem suum Deo et angelis faciunt gratiosum. Dum autem ei placuerit, qui te segregavit ex utero matris tuæ, vocavitque per gratiam suam, ut in te revelet imaginem Filii sui, de miserabili servitute ægyptiaca transferens te in libertatem filiorum Dei ; jamque in viam novi hominis incœperis pedem ponere, quæ inter timorem et amorem humilitatis est semita constituta : tunc per eamdem humilitatis viam ad eminentiora conscendens, poteris te in altioribus exercere, ex quibus certa memorialia subscribuntur.

De concupiscentiis mortificandis.

Primum ergo oportet ante omnia, te cupiente vestigia sequi Salvatoris, ut spem tuam totam fixam in Domino habeas, de omnibus hujus mundi consolationibus penitus desperans.

De vitiis extirpandis.

Secundum est, ut ab omnibus vitiis, et concupiscentiis malis, in quantum sustinet humana conditio, teipsum studeas penitus emundare, ut fermento veteri totius malitiæ et nequitiæ expurgato, ambules in novitate vitæ post Christum : quia nisi prius hujusmodi catenas iniquitatis confregeris, anima tua, in tenebris aggregata, ad cœlestia non poterit elevari.

De c gati bus r cand

Tertium est, ut a te ipso dissolvas omnem colligationem extrinsecam, ut sana et pura mente possis Deo colligari.

De bula nib cum tien toler dis.

Quartum est, ut amore altissimi et sponsi tui Christi, omnes mundi hujus persecutiones æquanimiter feras, imo, si possibile est, pro voto suscipiens, solum in Christi passionibus delecteris : renuensque omnem temporalem lætitiam, in ipsis tribulationibus hilarescas, omnes reputans tibi esse ad purgationem peccaminum, et lucrum animæ tuæ præparatas.

Ut nulla conc rar

Quintum, ut cum Creatorem tuum, et omnium, te sentias offendisse, rationem tibi fieri non poscas ab aliqua creatura.

De pert sui siu

Sextum, ut habeas despectui temetipsum, cupiens ab omnibus despici, zelansque sacratissimam paupertatem in omnibus quæ ad te spectant. Asperitatem, utilitatem, et parcitatem habeas, quantum potes; non tamen in aliis requiras, sed potius lætus et gaudens de omni consolatione fraterna, eis sicut oportet obsequendo et ministrando assistas, omnis consolationis eos reputans esse dignos, nisi, quod absit, ita tibi in aliquo

[1] *Psal.* CXVIII, 20.

— (*a*) *Leg.* affectuoso.— (*b*) *Suppl.* in *vel* ex.

pateret divina offensa, quod omni excusatione careret; de qua compatiendo et timendo, ex intimo corde doleas, quantum potes.

De honoribus fugiendis.

Septimum est, ut omni tempore in timore stans, blanditias hujus sæculi, honores, glorias, vel favores, aurasque vanæ gloriæ quasi mortiferas pestes omnino fugias toto posse, stansque continuo in teipso, omni hora habeas te suspectum, quia si tuiipsius victoriam fueris assecutus, nullus hostis interius, vel exterius tibi nocebit.

De humilitate vera.

Octavum est, ut amore illius, qui cum sit Dominus omnium cœlestium, terrestrium et infernorum, pro nobis assumpsit vilissimam servi formam, in ea subjiciens se voluntarie hominum potestati, humiliando te ipsum, omnem hominem reputes tuum dominum, et te verissime reputes servum omnium, et in omnibus circa hominem te reputes sicut servum. Sic enim tranquillitatem et pacem cum omnibus perpetuam obtinens, scandalum penitus ignorabis.

De pace animæ, et quomodo habetur.

Nonum, ut nihil eorum tangas, quæ te spirituali utilitate non tangunt, hoc est de nulla re cures, vel implices te in aliquo exterius vel interius quoquo modo, ubi non invenis animæ tuæ lucrum, nec in hujusmodi te ab aliquo implicari permittas.

De custodia sensuum

Decimum, ut visui atque omnibus sensibus corporis omnimodam custodiam ponas ita, ut nihil prorsus velis videre, vel audire, aut tangere, nisi utilia animæ tuæ. Linguam etiam diligentissime restringas, ut nihil loquaris nisi interrogatus, vel necessitate vel utilitate evidenti coactus; et tunc cum reverentia animi, timoris dulcedine, breviter et submisse, si potes, semper devitans prolixitatem verborum, eorum occasiones juxta posse præscindens.

De solitudine et vigiliis

Undecimum, ut gratam sanctamque solitudinem desiderans, omni tempore operationem vigiliarum habeas pretiosam, in ipsis semper offerens Deo orationes tuas cum attentione, verborum devotionis fervore, et humilitate profunda.

De divino officio.

Duodecimum, ut cum debes divinum officium celebrare, ita factus in teipso quietus obliviscaris omnium terrenorum, quatenus fixa mente cœlestibus insistens mysteriis, cum tanta illud devotione, reverentia, gaudio ac timore persolvas, quasi inter angelorum agmina constitutus, divino conspectui laudes præsentialiter offeras cum eisdem.

Quod super omnia habeas in devotione Virginem gloriosam.

Tertium decimum, ut gloriosam Reginam Domini nostri matrem benedictam in summo habeas omni tempore venerationis affectu, et in cunctis ad eam necessitatibus, periculis et pressuris, tanquam ad refugium tutissimum, te convertas, ipsius tutelæ præsidium flagitando, eamque in tuam suscipiens advocatam, devotissime ac secure tuam ei causam committas, quia mater est misericordiæ, quotidie studens ei specialem et singularem reverentiam exhibere. Et, ut tua devotio sit ei accepta, et reverentia grata, ipsius puritatem et munditiam omni virtute, mente et corpore, illibate in te ipso servando, toto conatu nitaris humilitate et mansuetudine ejus vestigia imitari.

Quomodo fugienda sunt consortia mulierum.

Quartumdecimum, ut ubicumque mulieres, et virgines, et juvenes quoscumque, præter necessitatis vel manifestæ utilitatis causam, devites. Et unum, ubicumque fueris, elige tibi patrem, virum quidem sanctum, discretum et pium, doctum potius experientia operis, quam sublimitate sermonis, qui te verbis et exemplis efficacibns et probatis, ad divinum amorem instruat et inflammet: ad quem in cunctis necessitatibus tuis possis habere recursum et spirituale solamen.

De fuga acediæ et tristitiæ.

Quintumdecimum, ut omnem frigiditatem acediæ et tristitiæ, in qua latet via confusionis, quæ ducit ad mortem, a te ipso summo studio depellens, interius exteriusque serenus semper et tranquillus existas. Nulli ullo modo contradicas, vel resistas in aliquo, sed potius omni modo, per omnia, omnibus acquiescas, dummodo divinæ laudi, vel saluti animæ non obsistat.

Quod de omnibus habeas

Sextumdecimum, ut omnes affectiones tuas ac voluntates conformes divinæ volun-

bonum exemplum.

tati. Omnia te ædificent, neque te deædificet aliquid in hoc mundo puritatis et innocentiæ, gratia divini tibi muneris, elargitæ. Nec aliorum plus debito defectibus perturbatus, iniquitati addendo iniquitatem, alienis sordibus polluaris; ne dum cupis alios de pelago liberare, deterius ipse corruas in profundum. Potius igitur omnia quibus non potes sine detrimento prodesse, operiens charitate benigna, illi summæ sapientiæ derelinquas, quæ novit bona de malis elicere quibuscumque; sicque in bonis operibus pariter atque malis, spiritualem, Domino concedente, poteris reperire profectum.

De custodia cordis.

Decimumseptimum, ut cor tuum servans omni custodia, solisque spiritualibus exercitiis deditum, nullæ tibi rerum visibilium imprimantur concupiscentiæ, ut creaturis omnibus alienum, libere possit vacare omnium Creatori.

De charitate ad proximos.

Decimumoctavum, ut imaginem ac similitudinem majestatis divinæ considerans in cunctis hominibus, ita omnes diligas intimæ charitatis affectu, omniumque et maxime infirmorum et quorumcumque indigentium curam geras, dummodo circa spiritualia tibi non fiat nociva distractio, sicut bona mater diligit, atque curat unicum filium prædilectum.

De orationibus cum operibus sanctis.

Decimumnonum, ut continue mentem tuam ita habeas ordinatam cum Deo, quod omne opus tuum atque exercitium tam mentis quam corporis sit oratio, omniaque servitia, et maxime humiliora, cum tanto facias charitatis fervore, ac si ea Christo corporaliter exhiberes. Quod certe debes et potes veraciter cogitare, quoniam ipse dixit in Evangelio [1] : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

De obedientia sancta.

Vigesimum, ut honorem et reverentiam omnibus tam debitam quam devotam sanctissimæ obedientiæ normam, non solum magnis, verum etiam minimis, quasi pupillam studeas semper servare illæsam; obediens quidem non solum majoribus, ut prælatis, verum etiam minoribus; omnibus te subjiciens quibuscumque, abnegando teipsum pro Christo. In bonis et indifferentibus semper alterius studeas facere voluntatem, in nullo præbens te alicui onerosum, sed potius in charitate Christi diligens universos, teipsum communiter omnibus gratum reddens. Affabilitates, amicitias et familiaritates fugias singulares. Summopere caveas, ne unquam verbo, vel gestu, alicujus rancoris, odii, clamoris, injuriæ, turbationis, murmurationis, detractionis, scandali, et adulationis, et quorumcumque similium, aliqua ratione vel modo, per te vel alium, causa vel occasio fias.

Quo consolationes tributione occultenea

Vigesimumprimum, ut virtutes vel gratias spirituales quas in te vel per te divina misericordia operari dignatur, tribulationes et prælia, virtutisque propositum, vel similia, ab omnibus abscondere studeas, quantum potes : his tamen exceptis, quæ proprio sacerdoti in propria debent accusatione detegi, nisi forte alicui tuo speciali ac probato amico ea spirituali sutilitatis gratia revelares, cujus consilium vel doctrinam in hujusmodi credas tibi posse valere. Sollicitus semper sis furari tempus ubique, ut possis solitæ orationi, et meditationi sanctæ vacare, ut sedendo solitarius, elevatus sis desiderio ad superna.

Quod Deum sempe et ubi que h beasit memo ria.

Vigesimumsecundum, ut solutus ab omnibus creaturis, tanto mentis conatu desideriique fervore circa tuum Creatorem intendas, ut quasi omnium inferiorum oblitus, quidquid agas, ubicumque steteris, et quibuscumque negotiis impliceris, die ac nocte et omni momento et hora Deum semper habeas in memoria, credens et cogitans te esse verissime coram eo, et ipsum cogitans undique te aspicere. Hæc autem cogita cum magna reverentia, ac timore pariter et amore, et cum magna discretione; nunc ante pedes immensæ majestatis ejus prostratus, corde amarissimo peccatorum veniam postulando; nunc sacratissimæ passionis Filii Dei gladio compassionis coram ejus

[1] *Matth.*, xxv, 40.

cruce vulneratus cum eo, lacrymosus et flebilis apparendo; nunc totius vitæ illius decursum obliquitati tuæ, velut rectitudinis lineam, præponendo: nunc inenarrabilia et immensa Dei beneficia mente pertractans, gratiarum actionibus insistendo: nunc stimulis ipsius amoris ardentissime punctus, ipsum in creaturis omnibus intuendo: nunc potentiam, nunc sapientiam, nunc bonitatem et clementiam ejus attendens, eum devotissime in cunctis operibus suis collaudando: nunc desiderio patriæ cœlestis attractus, ad ipsum gemebundis suspiriis anhelando: nunc circa nos viscera inæstimabilis charitatis ejus aspiciens, lætabunda quadam excessiva admiratione, corde ac animo, in ipso deficiendo: nunc te præcipitem, nunc te fugientem, nunc te ruentem, nunc Deum te timentem, sublevantem, retinentem et attrahentem, nunc Deum te ingratum per omnia concernentem considerans, ineffabilibus divinæ misericordiæ visceribus tibi patefactis, nimio in eo charitatis ardore te conferens, totum te fletibus resolvendo: nunc vero occultissima, profundissima, et summe arcana nimiumque stupenda judicia justitiæ ejus diligenter attendens, eum in omnibus fidelis et constans, cum summo amore, ingenti quoque timore ac tremore, discretus, supplex et humilis venerando, præ omnibus autem continuam et vivam memoriam ipsius sacratissimæ passionis in animo et corde tuo ferens.

De sollicita custodia sui ipsius

Vigesimumtertium, ut super custodia tua vigilans, omni tempore ab antiqui hostis fraudibus, qui sæpe se in angelum lucis transfigurans, omni tempore et in omni via homini laqueum tendit et retia, ut animas nostras valeat captivare, sollicitudine te cautissima tuearis, venantium laqueos fugiens sicut passer, tantæque puritatis humilitate sancta in oculis tuis fias, ut ne subtilissima ejus retia te valeant continere, a quibus sane tunc poteris liberari illæsus, cum effectus fueris *Israel*, continue mentalibus oculis videns Deum: quia [1] *non dormitabit, neque dormiet* ejus custos.

De pura confessione peccatorum.

Vigesimumquartum, ut tenens indefestum instituti sancti rigorem, sacris ardoribus cœlestium desideriorum succensus, mentis et corporis munditiæ pulchritudinem, innocentiæ puritatem, conscientiæque teneritudinem conservans, cura diligentissima caveas, ne unquam tependo in aliquo resipiscas. Ad quod quidem diligentius et purius conservandum, quotidiana discussione septies in die examines vitam tuam, semper ante vel immediate post quamlibet horam canonicam, considerans et discutiens attentissime, qualiter de hora in horam ambulaveris digne coram Deo sine macula in justitiæ semita. Et quia nemo est, qui sic disciplinam et justitiam observet, ut nihil penitus negligat, vel omittat; ideo necessarium est, ut ad pœnitentiæ lavacrum recurrens cum dolore et gemitu sæpissime tuæ accusationi insistas. In qua quidem accusatione seu confessione, integre, veraciter et pure, sine omni velamine excusationis, vel occultationis, seu palliationis, per ordinem omnes tuos retexendo defectus, sacerdoti proprio tanquam Deo debes intimare, narrando prius omissiones, quas in iis, quæ sunt ad Deum, fecisti, et maxime in oratione quantum ad duplicem ejus partem, mentalem scilicet et vocalem; deinde defectus in observatione justitiæ quoad proximum; post, commissiones, quas egisti ex mala custodia sensuum, et sensibus adjacentium affectionum et cogitationum. Hanc autem confessionem semper debet contritio et satisfactio comitari, ut doleas videlicet de omnibus offensis, non solum de magnis, sed etiam de modicis, et dolendo caveas iterare culpam: semper studens causas et occasiones peccati præscindere, quantumcumque per amorem videantur tibi conjunctæ: quia tunc, juxta Salvatoris sententiam [2], eruendus est oculus scandalizans, id est occasiones peccati vitandæ, quæ quidem apparent nobis delectabiles nimium, etiamsi

[1] *Psal.* CXX, 4. — [2] *Marc.*, IX, 46.

multum nobis displiceant earum effectus : unde fortissimum est in hac pugna bellum. Et ideo oportet secundum Dei præceptum esse cæcum, surdum, et mutum, et insensibilem ad omnia, in quibus non invenit anima lucrum.

Ad observantiam mandatorum Dei quinque frequenter sincera mente tractanda.

Ut autem divinorum præceptorum, ejusque disciplinæ cœlestis observantiam in supradictis et cæteris aliis sollicitius intendas, ac ferventius accendaris, studeas hæc quinque semel ad minus inter diem et noctem, affectuose et morose omni tempore sincera mente tractare : quam scilicet sit brevis vita nostra; quam lubrica via; quam mors incerta; quæ præmia justis; quæ supplicia parantur (*a*) injustis; ut non sit servitium sine timore, nec gaudium sine tremore.

Quales esse debemus in nostra reputatione, quamvis perfecti.

Vigesimumquintum et ultimum, ut cum divina gratia largiente omnia bene feceris, te servum inutilem et peccatorem recognoscens, omni beneficio Dei reputes te indignum, semper robustissimam fidem tenens, repletus charitate divina, fiducia magna sperans, ab ipso misericordissimo Patre misericordiæ tibi viscera aperiri; ut dum in fossam profundæ humilitatis firmissima jeceris fidei fundamenta, erexerisque lucidissimos parietes continuæ ac fervidæ charitatis, decoratos omnium virtutum picturis, tectumque desideratæ spei beatissimæ posueris gloriosum, tandem omnibus ordinate dispositis summus ille cœlestis inhabitator dulcisque hospes fidelium animarum, cujus [1] *deliciæ sunt esse cum filiis hominum*, tamdiu tecum dignetur inhabitare per gratiam in præsenti sæculo vel exilio, quousque post terminum vitæ hujus, in cœlestis beatitudinis patria gloriosa stola perpetuæ immortalitatis indutus, claritatem vultus ejus cum omnibus sanctis cernere merearis in jubilo, ubi erit summa fœlicitas, et æterna beatitudo, finis et complementum omnium desideriorum nostrorum.

[1] *Prov.*, VIII, 31. — (*a*) *Leg.* parentur.

CONCLUSIO EPISTOLÆ HUJUS.

Hoc verumtamen adhuc scias, charissime frater, indubitanter, quod nisi perfecte abnegaveris temetipsum, sequi non poteris vestigia Salvatoris : et sine sollicitudine continua et labore, ejus gratiam adipisci nequibis; et nisi assidue propulsaveris portas ejus, ingredi non poteris ad pacem mentis; et nisi te instanter in timore Dei tenueris, cito domus tua corruet in profundum. Et si fideliter et constanter te tenueris, et exercitatus fueris in prædictis, spero in misericordia Salvatoris, quod te gratia sua dignum faciet in præsenti, secumque potieris gloria in futuro. Quod ipse tibi concedat, qui est trinus et unus in sæcula sæculorum benedictus. Amen.

Hæc autem, charissime, non ideo tibi scripsi, quia te crederem talibus indigere; sed quia ante collegeram pro meipso, cernensque meæ inconstantiæ pronitatem, seu constantiæ parvitatem, cogitavi ea tibi tanquam coadjutori fideli communicare, ut quod mea pusillanimitate negligentiaque temporis omittitur tua magnanimitate fervorisque sollicitudine restauretur, maxime cum te concordem quasi omnibus votis meis, in hujusmodi simplicioribus plurimum delectari cognoscam. Quapropter, charissime in Christo, hæc ea rogo charitate suscipias, qua illa tibi me scio affectione misisse, ut videlicet his omnibus supradictis, quorum quidem disciplina non videtur esse gaudii, sed mœroris, ita per cœlestium studiorum exercitia studeas te mancipare, ut pacatissimum justitiæ fructum afferant in futuro, et expectationis ejus dulcis memoria, etiam in præsenti anima tua gustu devotionis, adipe et pinguedine repleatur in Christo Jesu Domino nostro, cui me aridum et verbosum potius, quam devotum, devotis tuis oratiobus commendabis. Cui est honor et gloria, decus et imperium per infinita sæcula sæculorum. Amen.

DE PERFECTIONE VITÆ

AD SORORES [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Instituit in hoc opusculo sanctus Bonaventura sorores suas, quatenus ad vitæ perfectionem conscendere cupientes ea observent, quæ ipse hic tradit, dictorum potius in his veritate, quam sermonis venustate, perspecta.

PROLOGUS

[2] *Beatus homo quem tu erudieris Domine, et de lege tua docueris eum.* Neminem censeri sapientem fateor, nisi eum solum, quem Spiritus sancti docuerit unctio. Ille enim, teste David propheta, solus vere beatus est, solus vere sapiens, cujus mentem Dominus erudierit. Lex enim Domini sola est immaculata, sola irreprehensibilis, sola convertens animas ad salutem. Hujus autem legis doctrina, sive eruditio, non foris tantum quærenda est in littera; sed potius per devotæ mentis affectum. Est autem desideranda in spiritu et virtute, ut ille videlicet intus doceat, qui solus novit exteriorem legis asperitatem in interiorem dulcedinem commutare. Docet autem lex Domini quid agendum, quid fugiendum, quid credendum, quid orandum, quid desiderandum, quid timendum. Docet immaculatum esse et irreprehensibilem. Docet servare promissa, deflere commissa. Docet mundana contemnere, carnalia respuere. Docet enim cor totum, animam totam, mentem totam in solum convertere Jesum Christum. Ad hujus doctrinæ comparationem omnis mundana sapientia est stulta et fatua. Bernardus : « Dicat quicumque vult, ego non dicam sapientem, dum non timebit Deum, neque diligit. » Qui hujus doctrinæ auditor non obliviosus, sed factor fuerit studiosus, hic vere sapiens erit, et beatus. Beatus ergo homo ille quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum. Tu itaque, Deo devota, dilecta mihi, reverenda soror, rogasti me, ut de cordis mei penuria aliquid dictando scriberem, in quo tuum animum devotionis gratia valeas pro tempore erudire. Sed certe fateor pro insufficientia mea hujusmodi eruditione me potius indigere, præsertim cum apud me nec vita foris resplendeat, nec devotio intus ardeat, nec scientia suffragetur : tuæ tamen devotionis provocatus desiderio, et (*a*) sicut cum humilitate suppliciter postulasti. Rogo autem beatitudinem tuam, soror sanctissima, quatenus magis penses intentionis affectum, quam operis effectum; magis dictorum veritatem, quam sermonis venustatem, et ubi

Divinæ legis perfectio.

Quid divina lex doceat.

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, part. II, 36; edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, 670; edit. Ven., an. 1611, 7; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, 653; edit. Ven., an. 1754, tom. V, 375. — [2] *Psal.* XCIII, 12.

(*a*) *Leg.* faciam.

tuo non satisfeci desiderio propter brevitatem et occupationem, ipsum mihi benigne indulgeas et ignoscas. Ut autem facilius possis invenire quod quæris, ideo singulorum capitulorum præmisi titulos. Et primo agitur de vera suiipsius cognitione; secundo, de humilitate; tertio, de perfecta paupertate; quarto, de silentio; quinto, de studio orationis; sexto, de passionis Christi memoria; septimo, de perfecta Dei charitate.

CAPUT PRIMUM.

Quomodo homo pervenit ad cognitionem suiipsius.

Ad perfectionis vitæ fastigium sponsæ Christi conscendere cupienti, primum necesse est, ut a seipsa incipiat, ita ut omnium exteriorum oblita, ingrediatur in secretum conscientiæ suæ, ibique omnes defectus suos omnesque consuetudines, omnes affectiones, omnes operationes, omnia peccata tam præsentia, quam præterita diligenti consideratione discutiat, examinet, et inspiciat; et si quod minimum peccatum apud se invenerit, statim defleat in amaritudine cordis sui. Et ut ad hanc cognitionem, dilecta soror, melius possis venire, scire debes quod omnia peccata nostra et mala, aut committimus per negligentiam, aut per concupiscentiam, aut per nequitiam. Et circa ista tria debet omnium tuorum versari recordatio; alioquin ad tuiipsius cognitionem perfectam nunquam poteris pervenire. Si igitur teipsam cupis cognoscere, considera mala commissa, et ea deplange. Primo debes cogitare si aliqua in te sit vel fuerit negligentia. Debes, inquam, cogitare, qualiter cor tuum custodias, quam negligenter tempus tuum expendas (*a*), quam malum finem operi tuo imponas (*b*). Hæc enim tria sunt cum summa diligentia observanda, scilicet : ut cor tuum bene custodiatur; tempus utiliter expendatur, et consumatur; et finis bonus et debitus in omni opere præfigatur. Item debes cogitare quam negligens fueris in oratione, quam negligens in lectione, et in operis executione. In his enim tribus debes diligentissime teipsam exercitare et excolere, si vis *fructum* bonum facere et *dare in tempore suo*[1], ita ut nequaquam unum sufficiat sine aliquo (*c*) istorum. Item debes cogitare, quam negligens sis vel fueris ad pœnitendum, quam negligens ad resistendum, et quam negligens ad proficiendum. Debes enim cum summa diligentia deflere mala commissa, repellere diabolica tentamenta, et proficere de una virtute in aliam, ut possis pervenire ad terram promissionis. Sic debet circa negligentiam tua (*d*) versari cognitio.

Omnia peccata trifariam committi

Tria cum summa sunt diligentia observanda.

Si autem melius teipsam cupis cognoscere, debes secundo cogitare, si in te vigeat (*e*), vel viguerit concupiscentia voluptatis, curiositatis, aut vanitatis. Certe tunc viget concupiscentia voluptatis in religioso homine, quando appetit dulcia, videlicet saporosa; quando appetit mollia, scilicet vestimenta deliciosa; quando appetit carnalia, videlicet oblectamenta luxuriosa. Certe tunc viget concupiscentia curiositatis in Dei famula, quando appetit scire occulta, quando appetit videre pulchra, quando appetit habere rara. Certe tunc viget concupiscentia vanitatis in Christi sponsa, quando appetit hominum favorem, quando quærit humanam laudem, quando desiderat humanum honorem. Ista omnia debet ancilla Jesu Christi tanquam venenum fugere, quia istæ sunt radices omnis mali.

Conc piscen quanc et qu modo homi religio vigeat

Item, si certam et perfectam vis habere notitiam, debes tertio recogitare diligenter, si in te vigeant, vel viguerint nequitiæ, iracundiæ, invidiæ, et acediæ. Audi quod dico sollicite. Certe tunc in religioso homine viget iracundia, quando vel animo, vel cor-

Iraci dia quan vigeat

[1] *Psal.* I, 3.

(*a*) *Cæt. edit.* expendis.— (*b*) *Item* imponis.— (*c*) *Leg.* alio.— (*d*) *Cæt. edit.* tuam. — (*e*) *Item* viget.

de, vel affectu, vel signo, vel facie, vel verbo, vel clamore quantumcumque modicam indignationem, et ex corde rancorem
Invidia. proximo suo ostendit. Tunc autem in homine regnat invidia, quando gaudet de proximi adversitate, et tristatur de proximi prosperitate; quando lætatur de malis proxi-
Acedia. mi, et tabescit de bonis ipsius. Tunc autem acedia regnat in religioso, quando fuerit tepidus, somnolentus, otiosus, tardus ad chorum, negligens in cantando, remissus in excutiendo torporem, dissolutus in colloquio, indevotus in missa, tristis in facie, et tædiosus in cella. Hæc omnia debet sponsa Christi detestari, fugere tanquam venenum mortiferum, quia in his consistit corporis
Quid discendum. perditio et animæ. Si igitur, Deo amabilis famula, ad tui ipsius perfectam vis venire notitiam et cognitionem, redeas ad teipsam introrsus ad cor tuum et discas scopare spiritum tuum. Discute quid sis, quid fueris, et esse debueris, quid esse poteris. Quid fueris per naturam, quid modo sis per culpam, quid adhuc esse poteris per gratiam. Audi adhuc, soror, audi prophetam David, quomodo se tibi in exemplum proponat, cum dicit [1] : *Meditatus sum* (inquit) *nocte cum corde meo, exercitabar, et scopabam* (*a*) *spiritum meum.* Meditabatur ille cum corde suo; meditare et tu cum corde tuo. Scopabat ille spiritum suum, scopa et tu spiritum tuum, exerce agrum istum. Attende ad teipsam : absque dubio, insistens huic exercitio, invenies thesaurum novum et absconditum pretiosum : ex hoc enim exercitio crescit auri copia, multiplicatur scientia, augmentatur sapientia; ex hoc exercitio cordis oculus mundatur, ingenium acuitur, diligentia dilatatur. Nihil recte æstimat, qui seipsum ignorat, qui conditionem suæ dignitatis non pensat. Nescit omnino, nescit de spiritu, quid de angelico, quid de divino sentire debeat, qui spiritum suum primo non cogitat. Si nondum idonea es redire ad te ipsam, si nondum digna es intrare tabernaculum primum, qua fronte præsumes ingredi tabernaculum secundum? Si cupis elevari ad secundum et tertium cœlum, sit tibi transitus per primum, id est, cor tuum. Qualiter hoc possis vel debeas facere, ecce jam satis docui te superius. Audi tamen qualiter beatus Bernardus [2] optime te informat, dicens : « Integritatis tuæ esto curiosus explorator, vitam tuam assidua discussione examina, et cogita diligenter quantum proficias (*b*), et quantum deficias (*c*), qualis sis in moribus, qualis in affectibus, quam similis Deo, et quam dissimilis, quam prope, et quam longe. » O quam magni periculi res est in homine religioso multa velle, scire, et seipsum nescire! O quam prope ille religiosus est perditioni et interitui, qui in cognoscendis rebus est curiosus, in judicando aliorum conscientiam sollicitus, seipsum autem ignorat et nescit! O Deus meus! unde in religioso est tanta cæcitas? Ecce in promptu ratio est : quia mens sollicitudinibus distracta, non intrat ad se per memoriam; quia phantasmatibus est obnubilata, non redit ad se per intelligentiam; quia concupiscentiis illicitis illecta, ad se nequaquam revertitur per desiderium suavitatis internæ, et lætitiæ spiritualis. Ideo totaliter in his sensibilibus jacens, non potest ad se tanquam ad Dei imaginem intrare, et sic totus miser se ignorat, et nescit. Omnibus ergo postpositis, tuiipsius habe memoriam et notitiam. Hoc etiam beatus Bernardus orabat, dicens : « Deus det mihi non aliud facere, et scire, quam ut meipsum cognoscam. »

CAPUT II.

De humilitate, et quibus gradibus pervenitur ad humilitatem.

Verum qui vult defectus proprios cordis oculo contemplari, necesse est vere humiliari sub potenti manu Dei. Ideo te famulam

[1] *Psal.* LXXVI, 7. — [2] Imo auctor *Medit.*, c. V, n. 14, inter supposit. *Oper.* S. Bern., vol. II, col. 326.

(*a*) Vulg. *scopebam.* — (*b*) *Ita Mabill.; cæt. edit.* proficis. — (*c*) *Item* deficis.

Christi admoneo, ut cognitione tuorum defectuum adepta, valde humilies spiritum tuum, et tibiipsi vilescas. Humilitas enim virtus est, ut dicit Bernardus [1], « qua homo verissima suiipsius cognitione, sibi ipsi vilescit. » Hac vilitate viluit pater noster Franciscus; hanc amavit et exquisivit ab initio religionis suæ usque ad finem; per hanc mundum reliquit. Hanc virtutem maxime a Filio Dei, soror Deo devota, discere debes, quia ipse dicit [2] : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* « Qui enim virtutes sine humilitate congregat, in ventum paleas mittit (*a*), » ut dicit beatus Gregorius [3]. Sicut enim principium omnis peccati est superbia, sic fundamentum omnium virtutum est humilitas. Disce autem veraciter esse humilis, non fallaciter, sicut qui nequiter se humiliat, ut hypocritæ, de quibus dicit Ecclesiasticus [4] : *Est qui nequiter se humiliat, et interiora ejus plena sunt dolo.* « Verus enim humilis, ut dicit Bernardus [5], semper vult vilis reputari, non humilis prædicari. »

Ad humilitatem perfectam triplex via.

Si igitur, soror dilectissima, ad perfectam humilitatem vis pervenire, oportet te per triplicem semitam incedere. Prima semita est consideratio Dei. Debes enim considerare Deum, ut auctorem omnium bonorum; ideo debes sibi dicere : *Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine* [6]. Et quia talis est, ideo debes sibi omnia bona retribuere, et nihil tibi, considerans quod non fortitudo tua, aut robur manuum tuarum fecit bona quæ habes, quia [7] Dominus *fecit nos, et non ipsi nos.* Et talis cogitatio destruit totam superbiam eorum qui dicunt [8] : *Manus nostra excelsa* (*b*), *et non Dominus, fecit hæc omnia.* Hæc superbia exclusit a gloria cœli Luciferum. Non considerabat se Lucifer de nihilo factum; sed potius aspiciebat suum decorem, suam pulchritudinem, qualiter [9] *omnis lapis pretiosus operimentum ejus :* et extulit eum superbia cordis sui ; et quia [10] *superbiam* (*c*) *sequitur humilitas,* ideo statim ejectus est de sede nobilitatis suæ in locum extremæ vilitatis : et qui fuerat inter angelos excellentissimus, factus est inter dæmones miserrimus. O quanti sunt hodie luciferiani, et imitatores Luciferi, filii et filiæ superbiæ, quos patienter tolerat Dominus ! Cum autem « tolerabilior sit superbia in divite, quam in paupere, » ut dicit Bernardus [11], oportet ergo ancillam Christi semper valde humilem inveniri, quæ debet intrare in locum angeli repudiati : humilitas enim sola placet Deo, sive in homine, sive in angelo. Non credamus quod virginitas placeat Deo sine humilitate : certe nec Maria mater Dei fuisset effecta, si superbiam habuisset in se. Propterea dicit Bernardus [12] : « Sine humilitate, audeo dicere, nec Maria Deo placuisset. » Et ideo est virtus magna, sine cujus obtentu non solum virtus non est, sed etiam in superbiam erumpit.

Secunda semita est rememoratio Christi. Rememorari debes, quod Christus humiliatus fuit usque ad vituperatissimum genus mortis, et in tantum factus est humilis, ut quasi leprosus reputaretur. Unde dixit Isaias propheta [13] : *Reputavimus eum quasi leprosum, et a Deo humiliatum.* Imo in tantum fuit humiliatus, ut tempore ipsius nihil vilius eo reputaretur. Unde idem Isaias dicit [14] : *In humilitate judicium ejus sublatum est* (*d*); ac si diceret : Tanta ejus humilitas fuit, tantum se dejecerat, ut nullus de eo daret rectum judicium, ut a nullo crederetur Deus esse. Si ergo ipse *Dominus et magister* [15] noster ita vilis et contemptibilis reputatus est, et [16] *non est servus major domino suo*, et [17] *discipulus non est super magistrum :* si an-

[1] Bern., *de duod. grad. Humilit.*, c. I, n. 2. — [2] *Matth.*, XI, 29. — [3] Greg., *in Evang.*, hom. VII, n. 4. — [4] *Eccli.*, XIX, 23. — [5] Bern., *in Cant.*, serm. XVI, n. 10. — [6] *Isa.*, XXVI, 12. — [7] *Psal.* XCIX, 3. — [8] *Deut.*, XXXII, 27. — [9] *Ezech.*, XXVIII, 13. — [10] *Prov.*, XXIX, 23. — [11] Bern., *in Cant.*, serm. LIV, n. 8. — [12] Bern., super *Missus est*, hom. I, n. 5. — [13] *Isa.*, LIII, 4. — [14] Ibid., 8, juxta LXXII interp. — [15] *Joan*, XIII, 14. — [16] Ibid., 16. — [17] *Matth.*, X, 24; *Luc.*, VI, 40.

(*a*) *Al.* portat. — (*b*) Cæt. edit. *nostræ excelsæ.* — (*c*) Vulg. *superbum.* — (*d*) Vulg. *De angustia et de judicio sublatus.*

cilla Christi es, si discipula, vilis et contemptibilis esse debes, et humilis. O quam abominabilis est ille religiosus Domino, qui vestem sumit humilem, et cor superbum! O quam inutilis est ille Christianus, qui Dominum suum videt humilem, et despectum, et ipse exaltat cor suum, et ambulat in magnis et in mirabilibus super se! Quid amplius detestandum in sponsa Christi? quid gravius puniendum in ancilla Christi, quam quod, postquam summus factus est imus, immensus parvus, homo putredo et vermis, apponat se magnificare? De talibus dicit beatus Augustinus : « O pellis morticina, quid extenderis? O sanies fœtida, quid inflaris? Caput humile, et membrum superbum! » quasi dicat : Non decet.

Tertia semita per quam debes incedere, si vis ad perfectam humilitatem pervenire, circumspectio tui est. Tunc teipsam, charissima soror, circumspicis, quando cogitas unde veneris, aut quo vadis. Considera ergo unde veneris, et scias quia de massa perditionis, de pulvere et limo terræ facta es, et in peccatis conversata, et exul es de beatitudine paradisi. Et hæc consideratio spiritum tumoris abjicit et excludit in tantum, ut clamare incipias cum tribus pueris in Daniele [1] : *Sumus hodie humiles in universa terra propter peccata nostra.* Considera etiam quo tendis : tendis enim ad corruptionem et incinerationem, quia [2] *pulvis es, et in pulverem reverteris.* [3] *Quid* igitur *superbis, terra et cinis?* Si hodie es, cras non eris. Si hodie sanus es, cras infirmaberis forte. Si hodie sapiens, cras forte stultus eris. Si hodie dives in virtutibus, cras forte mendicus eris et miser. Quis ergo miser ille Christianus est qui audeat superbire, cum tantis miseriis et calamitatibus undique se videat circumdatum? Discite igitur, o virgines sacræ, humilem habere spiritum, humilem incessum, humilem habitum. Sola enim humilitas est, quæ divinam mitigat iram, quæ divinam inveuit gratiam. *Quanto* enim *magnus es, humilia te in omnibus,* dicitur in Ecclesiastico [4], *et coram Deo invenies gratiam.* Hoc modo Maria invenit gratiam apud Dominum, sicut ipsa testatur dicens [5] : *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Nec mirum, quia humilitas charitati locum præparat, mentem a vanitate evacuat. Propter quod dicit Augustinus : « Quanto sumus a tumore superbiæ inaniores, tanto sumus dilectione pleniores. » Et sicut aqua confluit ad valles, sic gratia Spiritus sancti confluit ad humiles : et sicut aqua, quanto fortius fluit, tanto magis descendit; sic qui toto corde humiliatus procedit, magis propinquat ad Dominum, et impetrat gratiam. Propterea dicit Ecclesiasticus [6] : *Oratio humiliantis se nubes penetrat; donec appropinquat ad Altissimum* (*a*), *non consolabitur,* quia [7] *Dominus timentium se faciet voluntatem, et deprecationem eorum exaudiet.* Sitis ergo, o famulæ Dei, ancillæ Christi, humiles, ita ut nunquam superbiam in cordibus vestris permittatis, quia magistrum habuistis humilem, scilicet Dominum nostrum Jesum Christum; et quia dominam habuistis humilem, scilicet Virginem Mariam, Reginam omnium. Sitis humiles, quia patrem habuistis humilem, scilicet beatum Franciscum. Sitis humiles, quia matrem habuistis humilem, scilicet beatam Claram, humilitatis exemplar. Sic tamen sitis humiles, ut testis vestræ humilitatis sit patientia. Virtus enim humilitatis per patientiam perficitur : neque enim est vera humilitas, cui non est adjuncta patientia. Et hoc bene testatur beatus Augustinus dicens : « Facile est velum ante oculos ponere, vestes viles et despectas habere, demisso capite incedere; sed verum humilem probat patientia, » juxta illud [8] : *In humilitate tua patientiam habe.* Sed, ut cum dolore loquar, multi sumus qui superbire volumus in claustro, qui certe non nisi humiles fui-

[1] *Dan.*, III, 37. — [2] *Gen.*, III, 19. — [3] *Eccli.*, X, 9. — [4] *Eccli.*, III, 20. — [5] *Luc.*, I, 48. — [6] *Eccli.*, XXXV, 21. — [7] *Psal.* CXLIV, 19. — [8] *Eccli.*, II, 4.

(*a*) Vulg. *penetrabit; et donec propinquet.*

mus in mundo. Unde beatus Bernardus dicit [1] : « Video, de quo multum doleo, post spretam seculi pompam, nonnullos in schola humilitatis superbiam addiscere, ac sub alis mitis humilisque magistri gravius insolescere, et impatientes magis fieri in claustro, quam fuissent in sæculo; quodque magis perversum est, plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in sua nonnisi contemptibiles esse potuerunt. » Consulo ergo tibi, o prædilecta soror, consulo et virginibus Deo sacratis, ut virginitatem in humilitate, et humilitatem in virginitate conservent. Est enim humilitas mixta virginitati, sicut gemma auro superaddita. Propterea dicit beatus Bernardus [2] : « Pulchra permixtio virginitatis cum humilitate. Non mediocriter placet Deo ista anima, in qua humilitas commendat virginitatem, et virginitas humilitatem exornat. » Audi denique consilium fratris tui, audi, soror, et placebit tibi. Fuge superbas famulas, velut viperas; sperne superbas virgines, tanquam dæmones; contemne societatem superborum, velut virus mortiferum. Et quare hoc? Audi quare. Quidam sapiens describit superbiam dicens : « Omnis superbus intolerabilis, habitu superfluus, in incessu pomposus : cervix erecta, facies torva, oculi truces : de loco superiori decertat; præferri se melioribus affectat; sententias, et verba, et facta jactat; reverentiam in obsequio non servat. » Propterea debes, famula Dei, sponsa Christi, virgo Domini, fugere superborum consortia, ne et tu eis similis efficiaris. Dicit enim Ecclesiasticus [3] : *Qui communicat superbo, induet superbiam.*

CAPUT III.

De paupertate religiosorum.

Est etiam paupertas virtus ad perfectionis integritatem necessaria, in tantum, ut nullus omnino sine ea possit esse perfectus, teste Domino, qui dicit in Evangelio [4] : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus.* Cum enim summa evangelicæ perfectionis consistat in excellentia paupertatis, credat se non apprehendisse perfectionis apicem, qui nondum imitator perfectus factus est evangelicæ paupertatis. Ait namque Hugo de Sancto Victore : « Quidquid perfectionis in religiosis reperiri poterit, nec tamen æstimetur perfectionis integritas, nisi diligatur paupertas. »

Sunt autem duo, quæ quemlibet religiosum hominem movere debent ad amorem paupertatis. Primum est divinum exemplum, quod est irreprehensibile; secundum est divinum promissum, quod est inæstimabile. Primo dico, quod famulam Christi primo movere debet ad amorem paupertatis amor Domini nostri Jesu Christi. Ipse enim fuit pauper nascendo, pauper conversando, pauper moriendo. Vide quale exemplum paupertatis tibi reliquit, ut suo exemplo efficiaris amica paupertatis. Pauper fuit Dominus Jesus Christus in tantum, ut non haberet hospitium, nec vestimentum, nec alimentum : sed pro hospitio habuit stabulum, pro vestimento vilem panniculum, pro alimento lac virgineum. Item Apostolus, hanc paupertatem considerans, exclamavit dicens [5] : *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, qui cum esset dives, pro nobis egenus factus est, ut ejus inopia divites essemus.* Et beatus Bernardus : « Bonorum omnium æterna affluentia suppetebat in cœlis; sed paupertas non inveniebatur in eis. Porro in terris abundabat, et superabundabat hæc species; et nesciebat homo pretium ejus. Hanc itaque Filius Dei concupiscens, descendit ut sibi eam eligeret, nobisque sua æstimatione faceret pretiosam. »

Præbuit etiam se nobis in exemplum paupertatis Dominus noster Jesus Christus conversando in mundo. Audi, Virgo Beata, audite omnes qui professi estis paupertatem,

[1] Bern., super *Missus est*, hom. IV, n. 10. — [2] Bern., super *Missus est*, hom. I, n. 5. — [3] *Eccli.*, XIII, 1. — [4] *Matth.*, XIX, 21. — [5] II *Cor.*, VIII, 9.

quam pauper Filius Dei exstitit, Rex angelorum, dum vixit in mundo. In tantum fuit pauper, quod aliquotiens hospitium habere non potuit, sed cum suis discipulis extra civitatem et villas dormire oportuit. Propterea dicit beatus Marcus (*a*) Evangelista [1] : *Circumspectis omnibus, cum jam vespera esset, exiit in Bethaniam cum duodecim.* Super hoc verbo dicit Glossa : « *Circumspectis,* si quis eum in hospitio susciperet, quia tantæ erat paupertatis, et ita nulli adulatus (*b*), ut in tanta urbe hospitium non inveniret. » Et in *Matthæo* dicit (*c*) : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos ; filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.*

Non solum Dominus angelorum fuit pauper nascendo et conversando ; verum etiam, ut nos ad amorem paupertatis accenderet, fuit pauperrimus moriendo. O vos omnes, qui vovistis paupertatem, attendite et videte, quam pauper ille dives Rex angelorum et cœlorum, propter nos fuerit tempore mortis suæ. Fuit enim spoliatus vestibus, quando [3] *diviserunt vestimenta* sua, *et super vestem* suam *miserunt sortem.* Fuit etiam spoliatus corpore et anima, quando acerbissima mortis passione anima ipsius de corpore ejecta fuit. Fuit etiam spoliatus divina gloria, quando ipsum non sicut Deum glorificaverunt, sed tanquam maledictum tractaverunt, sicut ipse Job conqueritur [4] : *Spoliaverunt me gloria mea.* De tantæ paupertatis exemplis loquitur beatus Bernardus, dicens [5] : « Videte pauperem Christum, natum sine hospitio, jacentem inter bovem et asinum in præsepio, involutum vili panniculo, fugientem in Ægyptum, sedentem in asino, pendentem nudum in patibulo. » Quis igitur miser Christianus, quis ille despectus Religiosus, qui adhuc divitias amet, qui paupertatem detestetur, cum videat et audiat Deum deorum, et Dominum mundi, Regem cœli, unigenitum Dei, tantæ paupertatis sustinuisse defectum? « Magna utique, ut dicit Bernardus, abusio est, et nimis magna, ut dives velit esse pauper, cum Deus majestatis, et Dominus Deus Sabaoth voluit pauper fieri. » Quærat divitias Paganus, qui sine Deo vivit. Quærat divitias Judæus, qui terrenas promissiones accepit. Sed tu, Christi virgo, ancilla Domini, qua mente quæras divitias, cum paupertatem voveris, cum inter pauperes Christi vivas, cum patris pauperis Francisci velis esse filia, cum pauperis matris Claræ promiseris esse imitatrix? Supra modum, soror charissima, tua ac mea confunditur avaritia, quia cum simus professores paupertatis, paupertatem in avaritiam commutamus, quæ non licet appetentes, quæ regula prohibet, cum tamen Filius Dei pro nobis egenus factus sit. Scio quod ita sit, quod quanto ferventiores professæ paupertatis fueritis amatores, quanto perfectiores evangelicæ paupertatis fueritis imitatrices, tanto magis bonis omnibus tam temporalibus, quam spiritualibus abundabitis. Si autem vos ad contrarium converteritis, si paupertatem quam professæ estis contempseritis, omnium bonorum tam temporalium, quam spiritualium egentes eritis. Illa enim pauper genitrix pauperis Jesu, Maria dicit [6] : *Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.* Hoc etiam testatur propheta ille sanctissimus dicens [7] : *Divites eguerunt et esurierunt ; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Numquid non legistis, numquid non audistis Dominum Jesum loquentem apostolis suis in Evangelio, et dicentem [8] : *Nolite solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus? aut quid bibemus? Scit enim pater vester,* etc. Audi igitur iterum in Evangelio Lucæ, quid dicit eis [9] : *Quando misi vos sine sacculo et pera, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt : Nihil.* Si, inter

[1] *Marc.*, XI, 11. — [2] *Matth.*, VIII, 20. — [3] *Psal.* XXI, 19. — [4] *Job*, XIX, 9. — [5] Bern., *de Resurr.*, serm. I, non longe a princ. — [6] *Luc.*, I, 53. — [7] *Psal.* XXXIII, 11. — [8] *Matth.*, VI, 31-32. — [9] *Luc.*, XXII, 35, 36.

(*a*) *Cæt. edit.* Matthæus. — (*b*) *Forte legendum* adunatus. — (*c*) *Cæt. edit.* Et Matthæus dicit.

Judæos duros et crudeles, pascebat Dominus discipulos suos sine omni sollicitudine, quid mirum, si pascat Fratres Minores, et pauperes sorores, paupertatis evangelicæ imitatores, inter populos christianos et fideles? *Omnem itaque* [1] *sollicitudinem vestram projicite in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Cum igitur sit tanta Dei Patris circa nos sollicitudo, tanta sit sibi cura de nobis, mirum videtur, cur istis rebus curiosis et defectibilibus tanta occupatione sollicitamur. Certe aliam causam non invenio, nisi quia affectiones nostræ longe recesserunt a Deo salutari nostro. Alia causa non est, nisi quia fervor divinæ charitatis refriguit, et congelatus est in nobis. Certe, si essemus bene ferventes, nudi nudum Christum sequeremur. Nam homines, cum magnum æstum habent, consueverunt se denudare et expoliare. Signum magnæ frigiditatis est in nobis, quia ita attrahimus nobis ista temporalia. O Deus meus, quomodo possumus ita duri esse contra Christum? qui exivit de terra sua, id est, de cœlis, et de cognatione sua, id est, de angelis, et de domo patris sui, id est, de sinu Patris, et factus est pro nobis pauper, abjectus et despectus; nos nolumus pro eo miserum et fœtidum mundum derelinquere. Corpore quidem relinquimus mundum; sed, heu, totum cor, et tota mens, totum desiderium nostrum occupatur et absorbetur a mundo. O beata Dei famula, recordare paupertatis Domini nostri Jesu Christi; imprime cordi tuo paupertatem pauperis patris tui Francisci; memorare matris tuæ Claræ: et toto studio, toto conamine inhære paupertati, amplectere dominam paupertatem; nec sub cœlo aliud pro nomine Domini velis, quam paupertatem: non honorem, non divitias; sed paupertatem sanctam, quam vovisti, cura firmiter observare.

Nota. Divitias enim habere, et amare, infructuosum est; amare, et non habere, periculosum est; habere autem, et non amare, laboriosum est. Igitur nec habere divitias nec amare, utile est, securum est, delectabile est, et actus virtutis perfectæ: et ideo tam consilium Domini de paupertate, quam exemplum, omnem Christianum movere debet et accendere ad amorem paupertatis. O quam beata, paupertas! quam amabilem Deo, quam securum Deo in mundo reddis amatorem tuum! «Qui enim, ut dicit Gregorius, nihil habet in mundo quod diligit, nihil est in mundo quod pertimescit.» Unde legitur in Vitis Patrum, quod quidam pauper frater habebat unam mattam, de medietate cooperiebat se in nocte, et alteram medietatem submittebat corpori, etc.

Secundum, quod ad amorem paupertatis te accendere debet, est divinum promissum, quod est inæstimabile. O dives in omnes, o bone Domine Jesu, quis potest digne verbo exprimere, corde percipere, manu scribere, illam cœlestem gloriam, quam tuis pauperibus te daturum promisisti? Ipsi enim paupertate voluntaria merentur gloriæ Conditoris assistere; ipsi merentur intrare in potentias Domini, in illa æterna tabernacula, in illas lucidissimas mansiones. Ipsi merentur fieri cives illius civitatis, cujus artifex et conditor est Deus. Tu enim ore tuo benedicto promisisti eis, dicens [2]: *Beati pauperes spiritu*, etc. Non aliud est, Domine, regnum cœlorum, nisi tu ipse, qui es *Rex regum, et Dominus dominantium.* Teipsum dabis eis in præmium, in mercedem, et in gaudium. Ipsi te fruentur, de te gaudebunt et satiabuntur [4]: *Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt*, etc.

CAPUT IV.

De silentio, et quod omnibus religiosis sit necessarium silentium.

Non mediocriter cooperatur ad perfectionem religioso homini virtus silentii, quia sicut [5] *in multiloquio non deerit peccatum*, sic breviter et raro loqui ad hoc valet, ut homo caveat sibi a peccato. Pro nimia lo-

[1] I *Petr.*, v, 7. — [2] *Matth.*, v, 3. — [3] *Apoc.*, xix, 16. — [4] *Psal.* xxi, 27. — [5] *Prov.*, x, 19.

quela frequenter sequitur injuria tam Dei quam proximi : sic ex silentio nutritur justitia, ex qua, velut ex quadam arbore, colligitur fructus pacis. Unde cum claustralibus pax sit summe necessaria, valde necessarium est eis silentium, per quod pax eis tam cordis, quam corporis conservatur. Propterea Isaias propheta, virtutem silentii considerans, ait [1] : *Erit opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium*, quasi diceret : Tantæ virtutis est silentium, quod in homine conservat Dei justitiam, et inter proximos pacem nutrit et custodit. Nisi homo diligentem ori suo adhibeat custodiam, et bona gratuita quæ habet cito dissipat, et etiam in multa mala corruit. *Lingua quidem*, ut dicit beatus Jacobus in canonica sua [2], *modicum membrum est, magna exaltat*; et sequitur : *Lingua nostra ignis est, universitas iniquitatis*. Ubi dicit Glossa quod pene cuncta facinora concinnantur aut patrantur in ea. Vis audire, o famula Dei, vis scire quanta mala ex lingua prodeunt, si diligenter non custodiatur. Audi, et dicam. Ex lingua prodeunt blasphemiæ, murmurationes, dissensiones, perjurium, mendacium, detractiones, adulatio, maledictio, convitium, contentio, bonorum derisio, pravum consilium, rumor, jactantia, secreti revelatio, indiscreta comminatio, indiscreta promissio, multiloquium, scurrilitas. In veritate magna confusio sexui fœmineo, et maximum dedecus est sacris virginibus, non habere oris custodiam, non servare linguæ disciplinam, cum cuncta mala per linguæ inquietudinem committantur. Certe frustra, audeo dicere, quod ille religiosus gloriatur de possessione virtutis in corde, qui dissipat disciplinam silentii per inquietudinem multiloquii. *Si quis, teste Scriptura* [3], *putat se religiosum esse non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.* O Jesu Christi sponsæ, intuemini virtutum speculum Mariam, et discite ab ea silentii disciplinam.

Quot mala ex lingua prodeant

[1] *Isa.*, XXXII, 17. — [2] *Jac.*, III, 5, 6. — [3] *Jac.*, I, 26.

Quantæ maturitatis fuerit Beata Virgo, satis patet. Si enim percurras Evangelium, perpauca et cum paucis eam locutam invenimus. Cum quatuor tantum personis legimus eam habuisse sermonem, et non nisi septem verba eam locutam fuisse : cum Angelo duo, cum filio suo duo, cum Elizabeth duo, cum ministris in nuptiis unum. In hoc confunditur nostra loquacitas, quia proni sumus ad multiplicationem verborum, cum tamen magna sit utilitas silentii. Una utilitas est, quia inducit compunctionem. Homo cum tacet, cogitat vias suas, et locum habet cogitandi quam multiplex sit suus defectus, et ex hoc surgit compunctio. Item dicit propheta David [4] : *Obmutui, et silui a bonis, et dolor meus renovatus est.* Alia utilitas silentii est, quia demonstrat hominem cœlestem esse. Argumentum quasi infallibile est, ut si sit homo in Theutonia, et non loquatur theutonice, videtur quod non sit Theutonicus. Sic qui est in mundo, et mundana non loquitur, evidenter demonstrat se in mundo non esse. *Qui* enim *de terra est, de terra loquitur*, ut dicitur in Evangelio Joannis [5]. Nihil autem tantum in religioso homine valet ad conservandum silentium, nisi ut fugiat consortium hominum, et ducat vitam solitariam. Ille enim homo qui elevatur jam supra statum hominum, non debet habere consolationem et consolatorem, nisi solum Deum, et ideo debet este solitarius, et tacere : ex quo enim Deum habet pro socio, non debet curare de humano consortio. Propterea dicitur in Threnis [6] : *Sedebit solitarius, et tacebit, quia levabit se supra se. Sedebit solitarius*, inquam, consortia hominum fugiendo; *et tacebit*, de cœlestibus cogitando et meditando; *et levabit se supra se*, cœlestem dulcedinem degustando.

Silentii utilitates.

Etsi omnibus Religiosis necessarium sit silentium ad perfectionem virtutum, maxime tamen virginibus dedicatis Jesu Christo est necessarium, ut disciplinam servent silentii.

— [4] *Psal.* XXXVIII, 3. — [5] *Joan.*, III, 31. — [6] *Thren.*, III, 28.

Ita enim earum sermo deberet esse pretiosus, et ita deberent esse verecundæ in labiis, ut nunquam nisi magna necessitate loquerentur. Ideo beatus Hieronymus dicit : « Sit sermo virginis modicus et rarus, nec tam eloquentia pretiosus, quam pudore. » Hoc etiam consuluit Philosophus : « Ad summam perfectionem volo te esse breviloquum, et submissa voce. » Audi, verbosa famula, audi, virgo clamorosa et garrula : certe, ut possis assuescere silentio, debes facere sicut fecit Agathon abbas, de quo legitur in *Vitis Patrum*, quod lapidem in ore suo per triennium mittebat, donec taciturnitatem addisceret. Alliga et tu lapidem ad linguam; affige linguam tuam ad palatum; pone digitum super os tuum, ut possit taciturnitatem addiscere : quia magnum dedecus est sponsæ Christi, ut cum alio, quam cum sponso suo Christo Jesu, velit habere sermonem. Loquere ergo raro, et pauca, et breviter, cum timore et pudore; imo in tua causa vix loquere. Tege faciem tuam velo verecundiæ; consue labia filo disciplinæ; et sermo tuus sit brevis, pretiosus et utilis, sit modestus et humilis. Loquere, famula Dei, raro et parum, quia [1] *in multiloquio non deerit peccatum ; quia* [2] *de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicii.* « Verbum otiosum est, ut dicit Glossa, quod sine necessitate dicitur proferentis aut utilitate audientis. » Semper igitur melius est tacere, et utilius, quam loqui, quia dicit sapiens : « Locutum me esse aliquando pœnituit; tacuisse vero, nunquam. »

CAPUT V.

De studio orationis, et qualiter orandus est Deus.

Supra modum cupienti etiam proficere sponsæ Christi est necessarium, ut assiduis orationum studiis et devotionibus animum suum exerceat : quia revera Religiosus orationem non frequentans assidue, non solum est miser et inutilis, quinimo coram Deo fert animam mortuam in vivo corpore. Cum enim tantæ efficaciæ sit devotionis virtus, ut ipsa sola hostis maligni devincat tentamenta, et versutias diaboli, qui solus famulam Dei impedit ne sursum ad cœlos ascendat; non est mirum, si tentationibus succumbat frequenter miserabiliter, qui studium orationis non frequentat. Unde beatus Isidorus dicit [3] : « Hoc est remedium ejus qui vitiorum tentamentis æstuat : quoties quolibet vitio tangitur, toties se ad orationem subdat, quia frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit. » Et hoc est quod Dominus dicit in Evangelio [4] : *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem.* Est autem tantæ virtutis devota oratio, ut ad omnia valeat, et in omni tempore homo possit per eam lucrari, in hieme, in æstate, in sereno et in tempore pluviali : imo in quacumque hora lucratur homo oratione devota, plusquam valeat totus mundus, quia tali oratione acquirit homo regnum cœlorum. Ut autem cognoscas quomodo et qualiter orare debeas, quantum mihi donaverit Deus, te informabo, licet ego in hac parte et in hoc negotio magis indigeam informari, quam tu.

Ora nis tus.

Scias itaque, Deo digna famula, quod ad perfectam orationem tria sunt necessaria. Primum, quando in oratione constituta fueris, tunc erecto corpore et erecto corde, omnibus sensibus clausis, debes sine strepitu ex amore et contrito corde de omnibus miseriis tuis cogitare, scilicet præsentibus, præteritis et futuris. Primo debes siquidem sollicite cogitare, quam magna et quam multa peccata omnibus diebus vitæ tuæ commisisti, quam magna et quam multa bona in sæculo et in ordine omisisti, quam magnam et quam multam Creatoris tui gratiam frequenter amisisti. Debes etiam cogitare, quam longe facta es a Deo per peccatum, quæ olim fueras prope; quam dissimilis facta es Deo, quæ aliquando fue-

Ad fect. orat nem req rant

[1] *Prov.*, x, 19. — [2] *Matth.*, xii, 36. — [3] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. vii, sect. 2. — [4] *Matth.*, xxvi, 41.

ras valde similis; quam pulchra aliquando fueras in anima, quæ modo valde turpis es et fœtida. Debes cogitare quo tendas per peccatum, quia ad portas inferni; quid tibi occurret, quia tremendus dies judicii; quid pro omnibus his tibi dabitur, quia æternæ mortis incendium : et statim pro his omnibus debes pectus tuum cum Publicano [1] tundere; cum propheta David [2], debes rugire a gemitu cordis tuis; et cum Maria Magdalena [3], debes lacrymis rigare pedes Jesu. Nec debes aliquem modum habere in lacrymis, quia sine modo dilectum tuum Jesum offendisti. Et hoc est quod ait beatus Isidorus [4] : « Quando cum Deo in oratione assistimus, gemere et flere debemus, reminiscentes quam gravia sunt quæ commisimus, quam dura inferni supplicia quæ timemus. » Et hujusmodi lacrymosæ cogitationes, meditationis debent esse principium.

Secundum, quod sponsæ Dei in oratione necessarium est, est gratiarum actio, ut videlicet suo Creatori cum omni humilitate grates referat pro beneficiis jam ab eo receptis. Et hoc consuluit Paulus apostolus dicens [5] : *Orationi instate* (*a*), *vigilantes in ea in gratiarum actione.* Nihil enim est quod hominem ita dignum reddit divinis muneribus, sicut semper Deo gratias reddere et agere pro receptis donis. Unde beatus Augustinus, scribens ad Aurelium, dicit [6] : « Quid melius animo gerimus, et ore pronuntiamus, et calamo exprimimus, quam Deo gratias ? Hoc nec dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest. » Debes ergo, in oratione posita, cum gratiarum actione meditari, quia Deus te hominem fecit, quia christianam te fecit, quia innumerabilia peccata tibi indulsit, quia incidisses in multa peccata, si Dominus te non custodisset, quia mori (*b*) in sæculo te non permisit, quia ad altissimam et perfectissimam te religionem elegit, et quia sine labore tuo te pavit et pascit, quia pro te homo factus est, circumcisus et baptizatus est, quia pro te pauper et nudus, humilis et despectibilis, quia pro te jejunavit et esurivit, laboravit et fatigatus fuit, quia propter te ploravit, sudorem sanguineum sudavit, te sanctissimo corpore suo cibavit et sanguine potavit, quia propter te colaphizatus est, consputus est, derisus et flagellatus est, vulneratus et crucifixus est, mortem turpissimam et amarissimam sustinuit, quia sepultus resurrexit, ad cœlos ascendit, Spiritum sanctum dedit, et quia tibi et omnibus electis cœlorum regnum dare promisit. Est enim gratiarum actio supra modum utilis in oratione, nec sine ea aliqua potest valere oratio. Nam ingratitudo, ut dicit beatus Bernardus [7], « est ventus urens, et exsiccans fontem pietatis, rorem misericordiæ, et fluenta gratiæ. »

Tertium quod ad perfectionem orationis necessario requiritur, est ut animus tuus nihil aliud in oratione cogitet præter illud solum, quod precatur. Valde enim indecens est, ut quis cum Deo loquatur ore, et aliud meditetur corde, et dimidium cor dirigat in cœlum, et dimidium maneat in terra : et talis oratio nunquam exauditur a Deo. Unde super illo verbo Psalmistæ [8] : *Clamavi in toto corde meo*, etc., dicit Glossa : « Divisum cor non impetrat quod petit. » Debet enim famula Dei, tempore orationis, cor suum ab omnibus exterioribus curis, et mundanis desideriis, ab omnibus carnalibus amoribus revocare ad interiora, et illi soli in toto corde et tota mente intendere, ad quem suam orationem dirigit. Et hoc consuluit tibi sponsus tuus in Evangelio, dicens [9] : *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio*, id est corde tuo, *ora patrem tuum.* Tunc cubiculum es ingressa, quando omnes cogitationes, omnia desideria, omnes affectiones tuas, in secreto cordis tui revo-

[1] *Luc.*, XVIII, 13. — [2] *Psal.* XXXVII, 9. — [3] *Luc.*, VII, 38. — [4] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. VII, sect. 5. — [5] *Coloss.*, IV, 2. — [6] August., *ad Aurel.*, epist. LXXVII, al. XLI, n. 1. — [7] Bern., *in Cant.*, serm. LI, n. 6. — [8] *Psal.* CXVIII, 145. — [9] *Matth.*, VI, 6.

(*a*) Cæt edit. *instantes.* — (*b*) *Forte legendum* morari.

casti. Tunc clausisti ostium tuum, quando cor tuum diligenter custodis, ut per nullas cogitationes tuas phantasticas possis in devotione impediri. Oratio enim est, ut dicit beatus Augustinus [1], « conversio mentis in Deum per pium, et humilem affectum. » Audi, o beatissima soror, audi o famula Jesu Christi, et inclina aurem tuam ad verba oris mei. Noli falli, nolli decipi, non amittas magnum orationis tuæ fructum, non perdas suavitatem, non frustreris dulcedine, quam in oratione haurire debes. Oratio enim hausorium est, quo Spiritus sancti gratia hauritur de fonte supereffluentis dulcedinis illius beatissimæ Trinitatis. Et hoc expertus erat ille devotissimus propheta David, qui dicebat [2] : *Os meum aperui, et attraxi spiritum.* Os meum aperui, dicit, et hausi. Numquid jam non dixi tibi, quid sit oratio? Audi iterum : Oratio est conversio mentis in Deum. Vis scire, quomodo debes mentem tuam in Deum convertere? intende. Cum stas in oratione, te totam debes in teipsam convertere et colligere, et cum dilecto in cubiculum cordis tui ingredi, et cum eo sola morari, omnium exteriorum oblivisci, et toto corpore, tota mente, toto affectu, toto desiderio, tota devotione debes te levare supra te. Nec debes spiritum tuum ab oratione relaxare; sed tamdiu per devotionis ardorem sursum ascendere, donec ingrediaris in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, et ibi utroque cordis oculo dilecto tuo viso, et utcumque degustato, quam suavis est Dominus, et quam magna dulcedo ejus, in amplexus ejus ruas, impressis labiis intimæ devotionis oscula figas, ut sic tota a te alienata, tota in cœlum rapta, tota in Christum reformata, et transformata, non valeas cohibere spiritum tuum : sed exclama cum propheta David, et dic [3] : *Renuit consolari anima mea; memor fui Dei, et delectatus sum.*

[1] Vel quisquis alius, *De Spir. et Anim.*, c. L. — [2] *Psal.* CXVIII, 131. — [3] *Psal.* LXXVI, 3. — [4] *Psal.* LXXII, 26. — [5] *Esth.*, XV, 16, 17.

Ut autem cor tuum, soror charissima, per devotionis orationem in sublimius elevetur, et ferventius in Deum inflammetur, nota diligenter, quod tribus de causis in mentis alienationem deducimur : aliquando per magnitudinem devotionis; aliquando per magnitudinem admirationis; aliquando per magnitudinem exultationis.

Tribus de causis in mentis alienationem deducimur

Dico, quod fit aliquando per magnitudinem devotionis, ut mens seipsam non capiat, et supra seipsam elevata, in alienationem transeat, quando tota igne cœlestis desiderii succenditur, ut omne quod foris est, vertatur in amaritudinem et fastidium, et amoris intimi flamma ultra humanum modum excrescat, quæ animam ad ceræ similitudinem liquefactam in seipsa deficere faciat, ad instar fumi aromatum, in superna elevet et ad summam patriam emittat : et tunc cum Propheta exclama et dic [4] : *Defecit caro mea, et cor meum; Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.*

Item aliquando fit per magnitudinem admirationis, quando divino lumine mens irradiatur, et summæ pulchritudinis admiratione suspensa, tunc vehementi concutitur stupore, ut a suo statu funditus excutiatur, et in modum fulguris (*a*) coruscantis, quanto profundius, pro despectu sui, visæ pulchritudinis respectu (*b*) in ima dejicitur, tanto sublimius tantoque celerius per summorum desideriorum ardorem relevata, et super semetipsam rapta in sublime elevatur : et tunc cogitur clamare cum sanctissima Esther [5] : *Vidi te, Domine, quasi angelum Dei, et conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valde enim mirabilis es, Domine, et facies tua plena est gratiarum.*

Item aliquando præ multitudine exultationis, quando intima illa internæ suavitatis abundantia potata, imo plene inebriata, quid sit, quid fuerit, penitus obliviscitur, et insuper mundanum quemdam affectum sub quodam miræ felicitatis statu rapta transformatur : et tunc cogitur clamare, et di-

(*a*) *Cæt. edit.* fulgoris. — (*b*) *Item* respecta.

cere illud Prophetæ [1] : *Quam dilecta, tabernacula tua, Domine virtutum ! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.* Sic ergo famula Dei debet exercere animum suum ex devota in Deum oratione, et ducere per frequentem ordinis versum, per mundati et purificati cordis oculum, per infatigabilem devotionis spiritum, quatenus efficiatur idonea ad contemplanda divina, et degustandam divinæ dulcedinis suavitatem. Non enim decet animam insignitam Dei imagine, decoratam Dei similitudine, redemptam Dei sanguine, capacem beatitudinis, volutari circa ista temporalia; sed ascendere debet super Cherubin, et volare super pennas ventorum, id est, ordines angelorum, et ad contemplandam ipsam Trinitatem, et Christi humanitatem, et meditari gloriam et lætitiam supernorum civium, scilicet angelorum et sanctorum omnium. Sed qui sunt hodie, qui hujusmodi meditationibus vacent, qui sint exploratores gaudii cœlestis, qui corde et animo conversentur in cœlis? Rari sunt. Unde bene potest dici de quibusdam religiosis illud verbum, quod beatus Bernardus dicit : « Quorum studium deberet esse devotione cœlos penetrare, mente circuire supernas mansiones, salutare apostolos et choros prophetarum, martyrumque admirari triumphos, omnibus his postpositis, turpi se mancipant corporis servituti, ad obediendum carni, et ad satisfaciendum gulæ et ventri. »

CAPUT VI.

De passionis Christi memoria.

Quoniam devotionis fervor per frequentem passionis Christi memoriam nutritur et conservatur in homine, ideo est dicendum consequenter, ut semper oculis cordis sui Christum in cruce tanquam morientem videat, qui devotionem in se vult conservare inextinguibilem. Propter hoc Dominus dicit in Levitico [2] : *Ignis in altari meo semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subjiciens ligna per singulos dies.* Audi, soror devotissima. Altare Dei est cor tuum : in hoc altari debet semper ardere ignis fervidæ devotionis, quem singulis diebus debes nutrire per ligna crucis Christi, et memoriam passionis ipsius. Et hoc est quod dicit Isaias propheta [3] : *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Ac si diceret : Quicumque desiderat aquas gratiarum, aquas lacrymarum, iste hauriat de fontibus Salvatoris, id est de vulneribus Jesu Christi. Accede ergo tu pedibus affectionum tuarum ad Jesum vulneratum, ad Jesum spinis coronatum, ad Jesum patibulo crucis affixum, et cum beato Thoma apostolo non solum intuere in manibus ejus fixuras clavorum, non solum mitte manum tuam in latus ejus, sed totaliter per ostium lateris ejus ingredere usque ad cor ipsius Jesu, ubique ardentissimo amore crucifixi in Christum transformata, clavis divini amoris affixa, lancea præcordialis dilectionis transfixa, intimæ compassionis transverberata, nihil aliud quæras, nihil aliud desideres, et nullo alio velis consolari, quam ut cum Christo tu possis mori in cruce; et tunc cum apostolo Paulo exclames, dicens [4] : *Christo confixus sum cruci. Vivo jam non ego, vivit vero in me Christus.*

Debes autem per hunc modum passionem Christi in memoria habere, ut cogites, quoniam passio ejus fuit ignominiosissima, acerbissima, generalissima et diuturnissima. Primum considera, Deo dignissima famula, quam ignominiosissima fuit mors Jesu Christi sponsi tui. Fuit enim crucifixus, tanquam fur et latro. Nulli enim in veteri lege tali morte puniebantur, nisi pessimi, et sceleratissimi, et fures, et latrones. Adhuc attende majorem Christi ignominiam. Fuit enim in loco turpissimo et vilissimo crucifixus, scilicet in monte Calvariæ, ubi multa ossa et cadavera mortuorum jacebant. Ille siquidem locus erat morti damnatorum de-

Quomodo Christi passio memoranda sit

[1] *Psal.* LXXXIII, 2. — [2] *Levit.*, VI, 12. — [3] *Isa.*, XII, 3. — [4] *Gal.*, II, 19, 20.

putatus, et ibi decollabantur, et suspendebantur pessimi homines. Adhuc vide Christi majorem ignominiam, quia inter latrones tanquam latro suspenditur, et in medio tanquam princeps latronum. Unde dicit Isaias[1] : *Cum sceleratis reputatus est.* Adhuc intuere sponsi tui ignominiam, quia aeri deputatus est, et inter cœlum et terram suspensus, ac si non esset dignus mori in terra, aut vivere. O digna indignatio et injuria! Domino orbis totus negatus est orbis; vilius in mundo nihil æstimatum est Domino mundi. Sic ergo mors Filii Dei fuit ignominiosissima propter genus mortis, quia in patibulo suspensus; propter socios mortis, quia cum iniquis deputatus et condemnatus; propter locum mortis, quia in monte Calvariæ fœtidissimo crucifixus. O bone Jesu, o benigne Salvator, quia non semel, sed multoties confunderis. Quanto quis pluribus locis confunditur, tanto ignominiosior efficitur mundo. Ecce tu, Domine Jesu, in horto ligaris, in domo Annæ alapa cæderis, in atrio Caiphæ conspueris, in hospitio Herodis illuderis, in via crucem bajulas, in Golgotha crucifigeris. Heu me (*a*) ! ecce libertas captivorum, gloria angelorum, vita hominum occiditur. O Judæi miseri, bene implevistis quod promisistis! Dixistis enim[2] : *Morte turpissima condemnemus eum.* Beatus vero Bernardus dicit[3] : « *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens*[4], ut subesset. Filius erat, et factus est servus : et non solum formam servi, ut subesset, accepit, sed etiam mali servi, ut vapularet, ut pœnam solveret, cum culpam non haberet. » Et erat non solum servus servorum Dei, sed propter tria servus servorum diaboli, factus serviens infima peccata peccatorum expurgando. Nec hoc suffecit, sed mortem omni morte confusibiliorem elegit. *Humiliavit enim semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis,* quæ ignominosior est, ut dicit Glossa.

[1] *Isa.*, LIII, 12. — [2] *Sap.*, II, 20. — [3] Bern., serm. *de pass. Dom.*, fer. IV, hebdom. pœnos., n. 10. —

Secundo considera et attende, virgo Deo devota, passio Christi quam acerbissima fuit. Crux enim illa benedicta, membra extensa contrahi in dolore mortis non permisit, quod tamen solet esse quoddam levamen et solatium cordis anxiati; nec habuit illud caput reverendum divinum, ubi ad dimissionem animæ se inclinaret. Attende adhuc melius, quam acerba mors Christi fuerit. Quanto quis tenerior, tanto patitur gravius : nunquam autem fuit corpus ita tenerum ad sustinendum passiones, sicut corpus Salvatoris. Corpus enim mulieris tenerius est quam viri corpus : caro autem Christi tota virginea fuit, et de Spiritu sancto concepta, et de virgine nata : igitur passio Christi fuit omnium passionum acerbior, quia omnium virginum tenerior. Si enim ad solam mortis recordationem, Christus in sancta anima sua præ teneritudine carnis tantum afflictus est, ut sudor corporis fieret[5] *sicut sudor sanguinis decurrentis in terram,* quantus superadditus est ei dolor, quanta eum afflixit pœna in degustatione acerbissimæ mortis et passionis? Ideo dicit beatus Bernardus : « Angustias corporis tui, Domine Jesu Christe, certissime indicabat sudor ille sanguineus, qui orationis tempore de sanctissima carne decurrebat in terram. Quid fecisti, dulcissime puer, ut ita tractareris? Quid commisisti, o amantissime juvenis, ut ita judicareris? Ecce ego sum causa tui doloris, ego plaga tuæ occisionis. » Adhuc vide diligentius quam amara Christi mors fuerit. Quanto quis innocentior, tanto pœna ad tolerandum gravior. Si enim Christus propter sua peccata sustinuisset, aliquantulum ei esset tolerabilior. Sed ipse[6] *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Et hoc ipsum testatur Pilatus dicens[7] : *Ego nullam causam mortis invenio in eo.* Ipse enim est *candor lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis* et bonitatis,

[4] *Philip.*, II, 7, 8. — [5] *Luc.*, XXII, 44. — [6] I *Petr.*, II, 22. — [7] *Joan.*, XVIII, 38.

(*a*) *Leg.* mihi.

imago illius, sicut dicitur in libro *Sapientiæ*[1]. Considera adhuc plenius, quam pœnalis fuerit mors sponsi tui Jesu Christi. Quanto generalior, tanto pœna acerbior : Christus autem sponsus tuus passus est in omni parte corporis sui, sic quod nullum ita parvum membrum in eo esset, quin pœnam haberet ; nullus ita modicus locus, quin repletus esset amaritudine. *A planta* enim[2] *pedis usque ad verticem non fuit in eo sanitas.* Unde præ nimia doloris vehementia clamavit, dicens[3] : *O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte dolorem meum.* Revera, Domine Jesu Christe, nunquam fuit dolor similis dolori tuo. Tanta enim fuit doloris tui effusio, ut totum corpus tuum sanguine aspergeretur. O bone Jesu, o dulcissime Domine, non gutta, sed unda sanguinis ita largiter per quinque partes corporis tui emanavit de manibus et pedibus tuis in crucifixione, de capite in capitis coronatione, de toto corpore in flagellatione, de ipso corde in lateris apertione, mirum videtur (*a*) si quid sanguinis remansit in te. Dic, quæso, dilecte mi Domine, dic, cum unica sanguinis tui gutta potuisset sufficere ad totius mundi redemptionem, cur tantum sanguinem de corpore tuo effundi permisisti ? Scio, Domine, et vere scio, quia non propter aliud fecisti, nisi ut ostenderes quanto affectu diligeres me. Quid igitur retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ? Certe, Domine, quamdiu vixero, « memor ero[4] laborum tuorum, quos sustinuisti in prædicando, fatigationum in discurrendo, vigiliarum in oratione, lacrymarum in compassione, dolorum, convitiorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, clavorum, vulnerum : alioquin requiretur a me sanguis, qui effusus est super terram. » *Quis* igitur[5] *dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum,* ut possim flere die ac nocte mortem Domini mei Jesu Christi, quam non pro suis, sed pro meis peccatis sustinuit? *Vulneratus est enim propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra,* sicut dicit Isaias propheta[6].

Ulterius considera, et attende diligenter, quia mors et passio Christi fuit diutina. A prima enim die nativitatis suæ usque ad ultimum diem mortis suæ, semper fuit in passionibus et doloribus, sicut ipse testatur per Prophetam, dicens[7] : *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea.* Et alibi dicit[8] : *Fui flagellatus tota die,* id est, toto tempore vitæ meæ.

Adhuc aliter considera, quam morosa fuit passio Christi, ut pœna ejus magis duraret, ut dolor non cito finiretur, ut mors protraheretur, et sic diutius cruciaretur, et fortius vexaretur.

Ex his omnibus quæ dixi, colligere potes, o virgo Christi, o famula Dei, quam probrosa, quam dolorosa, quam vilis, quam morosa fuit mors et passio dulcissimi sponsi tui Jesu Christi. Et hæc omnia sustinuit, ut ad amorem suum te accenderet, ut pro omnibus his toto corde, tota anima, tota mente ipsum diligeres. Quid enim benevolentius, quam quod Dominus propter servi salutem accipiat servi formam ? Quid magis informat hominem in salutem, quam exemplum tollendi mortem propter justitiam et obedientiam divinam? Quid vero magis incitat hominem ad diligendum Deum, quam tanta benignitas, quod pro nobis Filius Dei altissimus, absque meritis, imo cum multis nostris demeritis, posuit animam suam ? Hoc tantæ benignitatis est, ut nihil clementius, nihil benignius, nihil amicabilius cogitari possit. Hæc benignitas tanto magis ostenditur major, quanto pro nobis graviora et abjectiora sustinuit, vel pati voluit. Deus enim *qui*[9] *proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non cum illo omnia nobis donavit?*

[1] *Sap.*, VII, 26. — [2] *Isa.*, I, 6. — [3] *Thren.*, I, 12. — [4] Bern., ubi sup. prox., n. 11. — [5] *Jerem.*, IX, 1. — [6] *Isa.*, LIII, 5. — [7] *Psal.* LXXXVII, 16. — [8] *Psal.* LXXII, 14. — [9] *Rom.*, VIII, 32.

(*a*) *Leg.* ut mirum videatur.

Ex quo invitamur ad ipsum amandum, et amatum imitandum. Væ ergo illis, qui tantæ benignitatis beneficiis sunt ingrati, in quorum animabus nullum mors Christi habet effectum. Unde inquit Bernardus : « Vide caput Christi inclinatum ad te deosculandum, manus perfossas ad largiendum, latus apertum ad diligendum, totius corporis extensionem ad se totum impendendum. » Væ iterum illis, qui suis peccatis *rursum* Christum *in semetipsis crucifigentes*[1], *super dolorem vulnerum*[2] ipsius dolorem adjiciunt. Sed væ tertio illis, quorum corda ad planctum emolliri non possunt, neque ad benevolentiam provocari, et ad boni operis virtutem inflammare non valet tanta effusio sanguinis, effusio tanti pretii, tam ingens magnitudo. Certe isti tales inimici crucis Christi plus Christum Dei Filium hodie ad dexteram Dei Patris in cœlis sedentem crucifigunt, quam olim fecerunt in crucis patibulo pendentem. Ad tales et de talibus Dominus conquerendo per beatum Bernardum loquitur, dicens : « O homo, vide quid patior pro te, si est dolor sicut quo crucior. Ad te clamo, qui pro te morior : vide pœnas quibus afficior, vide clavos quibus confodior; et cum sit tantus dolor interior et exterior, planctus est gravior, cum te sic experior. » Cave tibi, mater, cave, ne tanto ingrata sis beneficio, ne tanto pro te dato indevota sis pretio; sed pone istum crucifixum sicut signaculum super cor tuum, ut sicut sigillum in cera molli, sic Jesum sponsum tuum imprimas cordi tuo, et dicas cum Propheta[3] : *Factum est cor meum tanquam cera liquescens*. Pone eum etiam ut signaculum super brachium tuum, ut videlicet nunquam desinas operari, nunquam fatigeris laborare pro nomine Domini Jesu; sed cum operata omnia fueris, tunc primum incipe, quasi nihil feceris. Si autem aliquando aliquid triste, aliquid grave, aliquid tædii, aliquid amaritudinis acciderit, vel certe si forte aliquod bonum desipuerit, statim recurras ad crucifixum Jesum pendentem in cruce. Ibi intuere coronam spineam, clavos ferreos, lanceam lateris : ibi contemplare vulnera Christi pedum, et vulnera manuum, vulnera capitis, vulnus lateris, vulnera totius corporis : recolens quia qui sic pro te passus fuit, qui pro te tanta sustinuit quantum te amaverit. Crede mihi, quia statim tali intuitu omne triste lætum, omne grave leve, omne tædiosum amabile, omne asperum dulce et suave reperies : sic ut et tu incipias exclamare cum beato Job, et dicere[4] : *Quæ prius noluit tangere anima mea, nunc propter angustias* passionis Christi *cibi mei sunt*. Quam dulcia et delectabilia facta sunt mihi. Unde legitur, quod cum quidam conversus fuisset ad religionem, in tantum factus est impatiens propter asperitatem ciborum et cæterarum disciplinarum religionis : et cum ex nimia impatientia angustiatus fuisset, procidit ante imaginem Crucifixi, et ibi replicare cœpit cum multis lacrymis intolerabiles angustias et labores ordinis, insipiditatem ciborum panis et potus : et statim ex latere imaginis cœpit sanguis emanare : et cum ille fortiter flens suas angustias replicaret, respondens imago Christi dixit, quod quandocumque sentiret aliquam asperitatem in cibo vel in potu, ut intingeret in salsamento sanguinis Christi.

[1] *Hebr.*, VI, 6. — [2] *Psal.* LXVIII, 27. — [3] *Psal.* XXI, 15. — [4] *Job*, VI, 7.

CAPUT VII.

De perfecta Dei charitate.

Superius te famulam Dei, prout Deus inspiravit, docui qualiter animum tuum exercere debeas, ut quasi gradatim ascendere possis, et de virtute in virtutem proficere. Nunc septimo loco restat dicendum de forma virtutum, scilicet charitate, quæ sola ducit hominem ad perfectionem : ad mortificandum enim vitia, ad proficiendum in gratia, ad consequendum omnium virtutum perfectionem summam, nihil potest dici melius, nihil excogitari utilius charitate po-

test. Propterea dicit Prosper in libro *de Vita contemplativa* [1] : « Charitas est vita virtutum, mors vitiorum ; » et sicut fluit cera a facie ignis, sic pereunt vitia a facie charitatis. Tantæ siquidem virtutis est charitas, quod ipsa claudit infernum, sola aperit cœlum, sola Deo amabilem reddit. Tantæ virtutis charitas est, quod ipsa sola inter virtutes virtus nominata est, quam qui habet, dives est, et locuples, et beatus ; quam qui non habet, pauper et mendicus est, et miser. Unde super illo verbo ad Corinthios [2] : *Si charitatem non habuero*, dicit Glossa : « Attende quanta sit charitas : quæ si desit, frustra habentur cætera ; si autem adsit, habentur omnia ; quam qui habere cœperit, Spiritum sanctum habebit. » Et beatus Augustinus dicit : « Si virtus nos ad beatam vitam sine charitate non ducit, nihil esse omnino virtutem affirmaverim, nisi tantum summum amorem Dei. » Cum igitur charitas virtus tanta sit præ cunctis virtutibus, charitati est insistendum : et non cuilibet charitati, sed ei solum qua Deus diligitur super omnia, et proximus post Deum.

Qualiter autem Creatorem tuum diligere debeas, ipse tuus sponsus docet in Evangelio, dicens [3] : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua.* Intende diligenter, famula Jesu Christi dulcissima, quam dilectionem dilectus tuus Jesus requirat a te. Vult certe amantissimus tuus, ut amori suo des (*a*) cor tuum, totam animam tuam, totam mentem tuam, sic ut in toto corde tuo, in tota mente nullus omnino cum eo aliquam partem possideat. Quid ergo facies, ut certe Dominum Deum tuum ex toto cordediligas ? Quomodo ex toto corde? Audi beatum Joannem Chrysostomum dicentem [4] : « Ex toto corde diligere Deum est, ut ad nullius rei dilectionem magis sit inclinatum cor tuum, quam Dei, ut non delecteris in specie mundi amplius, quam in Deo, non in honoribus aut parentibus : si autem in aliquo istorum sit animus et (*b*) amor cordis tui, jam non ex toto corde Deum diligis. » Unde Augustinus dicit [5] : « Minus te amat, qui tecum aliquid amat (*c*). » Si autem aliquid amas, ex cujus dilectione in amore Dei non proficis, jam non ex toto corde Deum diligis. Et si quid diligis, pro cujus amore ea, quæ Christo teneris (*d*), negligis, jam non ex toto corde diligis. Dilige itaque Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Non solum ex toto corde, verum etiam ex tota anima diligendus est Dominus Jesus Christus. Quomodo ex tota anima ? Audi beatum Augustinum docentem te : « Ex tota anima, inquit, Dominum diligere, est ipsum diligere ex tota voluntate sine contrarietate. » Certe tunc ex tota anima Deum diligis, quando non quod tu vis, non quod mundus consulit, non quod caro suggerit, sed quod Dominum Deum tuum scis velle, sine contradictione libenter facis. Certe tunc Deum ex tota anima diligis, quando pro amore Jesu Christi animam tuam, si necesse fuerit, morti libenter exponis. Si autem in aliquo istorum negligens fueris, jam non ex tota anima Deum tuum diligis. Dilige ergo Dominum Deum tuum ex tota anima tua, et conforma voluntatem tuam voluntati divinæ in omnibus. Et non solum ex tota anima, sed etiam ex tota mente. Audi iterum beatum Augustinum te docentem : « Ex tota, inquit, mente diligere Deum, est diligere eum ex omni memoria sine oblivione. » Amen.

Quomodo Deus diligendus.

CAPUT VIII.

De finali perseverantia.

Postquam omnium virtutum adeptus est quis principium, nec tamen in conspectu Dei apparet gloriosus, nisi virtutum consummatrix adsit perseverantia : quia nullus

[1] Prosp., *de Vit. contempl.*, lib. III, c. XIII. — [2] I *Cor.*, XIII, 2. — [3] *Matth.*, XXII, 37. — [4] Imo auctorem Operis imperf. *in Matth.*, hom. XLI, post med. — [5] Aug., *Conf.*, lib. X, c. VII.

(*a*) *Suppl.* totum. — (*b*) *Al.* fuerit occupatus. — (*c*) *Suppl.* quod non propter te amat. — (*d*) *Suppl.* impendere.

omnino mortalis, quantumcumque perfectus, est laudandus in vita, nisi prius hoc totum, quod inchoavit, bono et felice exitu concludat. Unde beatus Bernardus dicit [1] : « Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet (*a*), nec beneficium (*b*) gratiam, nec laudem fortitudo præstabit. » Parum enim valet hominem fuisse religiosum, sive fuisse humilem et patientem, fuisse devotum et continentem, Deum dilexisse, et cœlicas virtutes habuisse, nisi adesset perseverantia : cum enim omnes virtutes currant, sola perseverantia accipit bravium. Quia non ille qui incipit, sed [2] *qui perseveraverit, salvus erit.* Unde Joannes Chrysostomus dicit : « Quæ utilitas seminum florentium, et postea tabescentium ? » quasi diceret : Penitus nulla. Si igitur, Christi dilectissima, aliquas bonorum operum habeas (*c*) virtutes, imo quia multas habes, in his persevera, in his profice, in his usque ad mortem viriliter Christi age militiam, ut cum extrema dies finisque vitæ advenerit, pro stipendio et mercede laboris, detur tibi corona gloriæ et honoris. Unde Jesus Christus, unice tibi dilectus, alloquitur te in *Apocalypsi*, dicens [3] : *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.* Hæc corona nihil aliud est quam præmium vitæ æternæ, ad quam adipiscendam (*d*) inflammare te debet desiderium omnium Christianorum : est enim tam magna, ut nullus omnino eam æstimare possit, sicut dicit beatus Gregorius ; tam multa, ut nullus eam dinumerare queat; est denique tam longa et durabilis, ut nunquam terminari possit, et finiri. Ad hanc mercedem, ad hanc coronam invitat te dilectus sponsus tuus, dilectissimus Jesus Christus, in *Canticis Canticorum* dicens [4] : *Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, coronaberis.* Surge ergo, amica Dei, sponsa Jesu Christi, columba sponsi æterni ; veni et propera ad nuptias Filii Dei, quia tota cœlestis curia expectat te, quia omnia parata sunt. Est enim paratus speciosus servus tuus, ut tibi serviat ; et nobilis cibus pretiosus et delectabilis, ut te reficiat ; societas dulcis et præamicabilis, ut tibi congaudeat. Surge ergo et propera festinanter ad nuptias, quia ibi est paratus servus speciosus, ut tibi serviat. Iste servus non est alter, nisi cœtus angelicus, imo ipse æternus Dei Filius, qui de seipso testatur, dicens in Evangelio [5] : *Amen dico vobis, quia præcinget se, et faciet illos discumbere*, etc. O quam magna gloria tunc erit pauperibus abjectis, quando ministrum habebunt Filium Dei et summi Regis, et totum conventum exercitus regni cœlestis ! Est etiam ibi paratus cibus pretiosus et delectabilis, ut reficiat : ipse enim Dei Filius mensam propriis manibus posuit, sicut ipse de se in Evangelio testatur dicens [6] : *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* O quam suavis et deliciosus est cibus ille, quem præparavit in dulcedine sua pauperi Deus ! O quam beatus est ille, qui in regno cœlorum panem manducabit illum, qui in clibano virginalis uteri coctus est igne sancti Spiritus. *Si quis manducaverit ex hoc pane* [7], *vivet in æternum.* Tali cibo, tali pane, cibat et reficit suos electos Rex cœlestis in mensa sua, sicut in libro *Sapientiæ* dicitur [8] : *Angelorum esca nutrivisti populum tuum, et paratum panem de cœlo præstitisti ei sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem, et deserviens uniuscujusque voluntati*, etc. Ecce talis est refectio divinæ mensæ. Et nihilominus parata est ibi societas dulcis, et præamabilis, ut tibi congaudeat. Illic enim erit Jesus cum Patre et Spiritu sancto. Illic Maria cum florigero exercitu virginum. Illic apostoli, martyres, confessores, et omnium electorum cœlestis exercitus. Miserabilis prorsus,

[1] Bern., *ad Januens.*, epist. CXXIX, n. 2. — [2] *Matth.*, X, 22. — [3] *Apoc.*, II, 10. — [4] *Cant.*, IV, 8. — [5] *Luc.*, XII, 37. — [6] *Luc.*, XXII, 29. — [7] *Joan.*, VI, 52. — [8] *Sap.*, XVI, 20.

(*a*) *Cæt. edit. desunt voces* mercedem habet. — (*b*) *Cæt. edit. repet.* nec. — (*c*) *Cæt. edit.* habens. — (*d*) *Item* addiscendam.

qui tam nobilissimæ societati non fuerit sociatus. Valde mortuum habet desiderium, qui huic societati jungi non desiderat. Sed tu, o præclarissima Dei famula, scio te quidem desiderare Christum, ad hoc te niti totis viribus, quomodo Regis æterni possis jungi consortiis, et amplexibus. O [1] « nunc excita cor tuum, et animam tuam, et erige totum cor tuum, et cogita quantum potes (*a*). Si enim singula bona delectabilia sunt, cogita intente (*b*) quam bonum sit illud delectabile, quod continet jucunditatem omnium bonorum : si bona est vita creata, quam bona est vita Creatoris (*c*) ; si jucunda est salus facta, quam jucunda est salus quæ facit omnem salutem. [2] Qui hoc bene fruetur, quid erit illi, et quid non erit? Certe quidquid volet, hoc erit ibi ; quidquid nolet, hoc non erit. Ibi quippe erunt bona corporis et animæ, qualia [3] *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis intellexit.* Cur ergo (famula Dei) per multa vagaris, quærendo bona animæ tuæ, et corporis tui? Ama unum bonum, in quo sunt omnia, et sufficit : desidera simplex bonum, quod est omne bonum, et satis est. Ibi est quod amas (mater mea), quod desideras (virgo beata). Ibi est quidquid amas, quidquid desideras. Si te delectat pulchritudo, [4] *fulgebunt justi sicut sol.* Si te delectat longa et salubris vita, ibi est sana æternitas, quia [5] *justi in perpetuum vivunt, et* [6] *salus justorum æterna* (*d*). Si delectat satietas, *satiabuntur* [7] *gloria Dei.* Si ebrietas, [8] *inebriabuntur ab ubertate domus* suæ. Si te delectat dulcis melodia, ibi Angelorum chori concinunt alleluia laudantes. Si te delectat amicitia, ibi sancti diligunt Deum plusquam seipsos, et Deus diligit suos plusquam se ipsi. Si concordia delectaris, omnibus illis erit una voluntas, quia nulla erit ibi, nisi Dei voluntas. Si te delectat honor et divitiæ, Deus ancillas suas et servos bonos et fideles supra multa constituit (*e*), imo filii et filiæ Dei vocabuntur ; et erunt ibi ipsi hæreditas Dei, illi (*f*) [9] *quidem hæredes Dei, cohæredes autem Christi.* Quale autem, vel quantum gaudium, ubi tale ac tantum est bonum ? [10] Certe, Domine Jesu, [3] *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* in hac vita quantum amabunt te beati, et de te gaudebunt in illa beata vita. Quantumcumque enim quisque Deum amat, tantum ibi de Deo gaudebit. Ergo hic multum ama, ut multum gaudeas ; crescat in te amor Dei, ut ibi plene possideas gaudium Dei. Meditetur inde mens tua, loquatur inde lingua tua, amet illud cor tuum, sermocinetur os tuum, esuriat illud anima tua, sitiat illud caro tua, desideret tota substantia tua, donec intres in gaudium Dei tui, » donec venias ad amplexus dilecti tui, et donec introducat te in thalamum dilecti sponsi tui, qui cum Deo Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum, amen.

[1] Ex Anselm., *Proslog.*, c. XXIV. — [2] Ibid., c. XXV. — [3] *Isa.*, LXIV, 4 ; I *Cor.*, II, 9. — [4] *Matth.*, XIII, 43. — [5] *Sap.*, V, 16. — [6] *Psal.* XXXVI, 39. — [7] *Psal.* XVI, 15. — [8] *Psal.* XXXV, 9. — [9] *Rom.*, VIII, 17. — [10] *Prosl.*, c. XXV, paucis additis seu mutatis.

(*a*) *Suppl.* quale et quantum sit illud bonum. — (*b*) *Cæt. edit.* mente. — (*c*) *Al.* creatrix. — (*d*) Vulg. *a Domino.* — (*e*) *Leg.* constituet. — (*f*) *Leg.* et ubi erit filius ejus, ibi erunt et illi.

SERMONES DE DECEM PRÆCEPTIS [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Sermones hi de decem præceptis doctrinam continent saluberrimam, et omnibus maxime necessariam, iis præsertim qui vel confessiones audiunt, vel peccata sua integre confiteri desiderant. Nam de observantiis mandatorum nonnulla generatim præmittens sanctus hic Doctor, breviter et dilucide explicat, quid singulis Decalogi mandatis præceptum, quidve prohibitum sit : ut inde quisquis intelligat, quæ præstare debeat ad præceptorum observationem, et quot quibusve modis eorum incurrat transgressionem. Qui vero de præceptis Decalogi fusius desiderat ab Auctore instrui, legat eumdem, *Centiloquii* tertia parte, sect. XXXIII, et *Diætæ Salutis* titulo tertio, per omnia capita, ubi hac de re itidem disputat.

SERMO PRIMUS.

De iis quæ nos movere débent ad servandum mandata Dei, et de præceptis Decalogi in genere.

Si vis ad vitam ingredi, serva mandata[2]. Verba ista scripta sunt in *Matthæo*, et sunt verba Salvatoris nostri, in quibus explicatur nobis summa totius nostræ salutis quantum ad duo : primo, quantum ad præmium retributionis divinæ; secundo, quantum ad meritum operationis humanæ. Primum ibi : *Si vis ad vitam ingredi*. Secundum ibi : *Serva mandata*. Et hic rectus ordo tangitur, quia finis movet agentem, ut se exerceat ad debitum finem. Sequamur ergo formam illius magni Magistri. Sed antequam de præceptis aliquid dicamus, primo de observantiis præceptorum. Præmittit Dominus primo motivum; postea subjungit actum, per quem possumus devenire ad debitum finem. Et notandum, quod sunt quatuor, quæ debent nos movere ad observandum mandata Dei : primum est auctoritas mandantis; secundum est observationis mandatorum utilitas; tertium est transgressionis periculum; quartum est irreprehensibilitas mandatorum. Quando ille qui mandat est magnæ auctoritatis, et observatio mandatorum est magnæ utilitatis, et in transgressione est magnum periculum, et irreprehensibile est mandatum, tunc nullus potest habere excusationem de observatione mandatorum.

Quatuor sunt, quæ debent nos movere ad ser-

vand mand Dei.

Primo dico, quod debet nos movere ad observandum mandata Dei, auctoritas mandantis; quia ille, qui mandat, scilicet Deus, magnæ auctoritatis est. Quod patet ex tribus, primo : quia ipse sua magna potentia nos creat; secundo, quia ipse sua mira sapientia nos gubernat; tertio, quia ipse sua munifica benevolentia nos salvat. Primo

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, part. II; edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, pag. 1; edit. Ven., an. 1611, tom. II, pag. 47; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, pag. 1; edit. Venet., an. 1755, tom. XI, pag. 317. — [2] *Matth.*, XIX, 17.

dico, quod ille, qui mandat observari mandata Dei, est magnæ auctoritatis, quia sua magna potentia nos creat. Job [1] : *Manus tuæ fecerunt me.* Et in *Deuteronomio* dicitur [2] : *Oculi vestri viderunt omnia opera magna Dei, quæ fecit, ut custodiatis mandata ejus.* Secundo est magnæ auctoritatis, qui sua mira sapientia nos gubernat. Unde dicit per Isaiam (*a*) : *Ego Dominus, docens te utilia, gubernans te in via, qua ambulas; utinam attendisses mandata mea.* Et Psalmista [4] : *Servavi mandata tua, et testimonia tua : quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.* Tertio est magnæ auctoritatis, quia sua munifica benevolentia nos salvat. Unde in Deuteronomio [5] : *Et nunc, Israel, quid petit Dominus Deus tuus a te, nisi ut timeas ipsum, et diligas ipsum, et ambules in viis ejus, et custodias mandata ejus? Dominus,* qui te creavit : *Deus,* qui te gubernat : *tuus,* qui te salvat. Patet modo, quod dignitas sive auctoritas præcipientis debet nos movere ad servandum mandata.

Triplex utilitas in servando mandata Dei.

Secundo debet nos movere ad servandum mandata Dei observationis utilitas. In servando enim mandata Dei est multiformis utilitas, quæ ad tres utilitates reducitur : prima utilitas est impetratio divinorum charismatum; secunda est revelatio sanctarum Scripturarum; tertia est assecutio cœlestium præmiorum. Prima, dico, utilitas in servando mandata Dei, est impetratio divinorum charismatum. Unde in Joanne [6] : *Si diligitis me, mandata mea servate, et ego rogabo patrem meum, et dabit vobis alium Paraclitum.* Secunda, intelligentia sanctarum Scripturarum. Unde dicitur in Psalmo [7] : *Super senes intellexi, quia mandata tua quæsivi.* Sed quomodo perveniemus ad intelligentiam Scripturarum, docet Gregorius [8]. Unde super illud, quod discipuli quando viderunt Dominum Jesum, ipsum non intellexerunt, sed quando loquebatur, tunc ipsum intellexerunt, dicit Gregorius, quod audiendo Dei præcepta discipuli illuminati non sunt, sed faciendo ea illuminati sunt. Quare? quia [9] *non auditores legis tantum, sed factores justificabuntur.* Propter hoc dicit Jacobus in canonica sua [10] : *Estote factores verbi Dei, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos : quia qui est auditor verbi Dei tantum, et non factor, comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo.* Si videat homo decies vultum suum in speculo, adhuc non sciet ipsum; sed si videt vultum alterius hominis extra speculum, bene recognoscit ipsum : et hoc est propter fortem impressionem speciei super organum visus secundum rectam lineam; sed in speculo non est verus intuitus. Similiter, quando homo audit verbum Dei, videtur ei, quod ipsum intelligat; sed statim recedit; sed quando ponit ipsum ad experientiam bene operando, tunc ipsum intelligit. Tertia utilitas in servando mandata Dei, est assecutio præmiorum cœlestium. Unde dicitur in Proverbiis [11] : *Serva mandata mea, et vives; et legem meam quasi pupillam oculi.* Hæc est ratio, quare homini existenti in Paradiso Deus dedit observantiam mandatorum. Patet modo, quod ad observandum mandata Dei, debet nos movere utilitas observationis.

Tertio debet nos movere ad observantiam mandatorum, periculum transgressionis; homo enim qui transgreditur mandata, incidit in multa pericula : primo, quia multa bona perdit; secundo, quia in nefanda flagitia ruit; tertio, quia æterna supplicia meretur Primo dico, debet nos movere ad servandum mandata Dei transgressionis periculum, quando transgressores multa bona perdunt. Unde dicitur in Levitico [12] : *Si non audieritis vocem meam, et non feceritis omnia mandata mea, visitabo vos in egestate et calore, qui conficiet oculos vestros, et consumet animas vestras.* Dicit : *Visitabo vos*

[1] *Job*, x, 8. — [2] *Deut.*, xi, 7. — [3] *Isa.*, xlviii, 17. — [4] *Psal.* cxviii, 168. — [5] *Deut.*, x, 12, 13. — [6] *Joan.*, xiv, 15. — [7] *Psal.* cxviii, 100. — [8] Greg., *in Evang.*, hom. xxiii, n. 2. — [9] *Rom.*, ii, 13. — [10] *Jac.*, i, 22, 23. — [11] *Prov.*, vii, 2. — [12] *Levit.*, xxvi, 16.

(*a*) *Cæt. edit.* dicit Isaias.

in egestate, quæ est privatio omnium bonorum; *et calore, qui conficiet oculos vestros, et consumet animas vestras;* quia auferet affectum boni, et intellectum veri. Unde Psalmista [1] : *Dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.* Secundo transgressores in nefanda flagitia ruunt. Unde dicitur in Baruch [2] : *Non obedivimus voci Domini, ut ambularemus in mandatis ejus, et abivimus unusquisque in sensu cordis sui maligni.* Et Psalmista [3] : *Populus meus non audivit vocem meam, et Israel non intendit mihi; et dimisit eos secundum desideria cordis eorum.* Tales dat Dominus in manus dæmonum. Unde dicitur in Daniele [4] : Dixerunt pueri in fornace ignis ardentis : *Peccavimus, inique gessimus, et prævaricati sumus.* Et sequitur eorum ignominia [5] : *Et traditi sumus in manus inimicorum nostrorum iniquorum, et regi injusto, et pessimo super terram.* Tertio transgressores incidunt in pericula, quia æterna supplicia promerentur. Unde dicitur in Psalmo [6] : *Maledicti qui declinant a mandatis tuis. Maledicti*, quia dicetur eis [7] : *Ite, maledicti, in ignem æternum*, etc. Ecce modo observationis mira utilitas, et transgressionis mira calamitas. Unde Dominus per Moysen [8] : *En*, inquit, *propono tibi benedictionem et maledictionem : benedictionem, si mandata mea feceris; maledictionem, si non feceris.* Ponit nos Dominus in medio, et mirabiliter operatur nobiscum : quia quando alquis vult aliquid alii ostendere, utitur duplici ratione, scilicet ratione ostensiva, et ratione ducente ad impossibile. Sic facit Dominus : ponit hominem in medio inter cœlum et infernum. In cœlo est æterna gloria; in inferno sunt æterna supplicia. Et quando Dominus ostendit homini gloriam cœli, quam homo potest promereri, si observet ejus mandata, tunc inclinat ipsum ad observantiam mandatorum per rationem ostensivam. Quando vero ostendit homini inferni supplicia, quæ promeretur, si transgreditur mandata, tunc inclinat hominem per rationem ducentem ad impossibile. *Ecce proponit tibi maledictionem et benedictionem.* Dimitte Judæ maledictionem, et accipe cum Matthia benedictionem. De Juda dicit Psalmus [9] : *Noluit benedictionem, et elongabitur ab eo.*

Mandata Dei irreprehensibilia

Quarto, debet nos movere ad observandum mandata Dei irreprehensibilitas mandatorum. Est enim mandatum irreprehensibile, quia non continet aliquod impossibile, nec aliquod onerosum, nec iniquum. Primo dico : debet movere ad servandum mandata Dei irreprehensibilitas mandatorum, quia non continent aliquod impossibile, imo sunt facilia ad servandum. Unde dicitur in Joanne [10] : *Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus, et mandata ejus gravia non sunt.* Habenti enim charitatem mandata sunt facilia; sed non habenti charitatem videntur difficilia. Et ponit Augustinus [11] exemplum de ave sine plumis, et de ave cum plumis. Avi habenti plumas facile est volare; sed avi non habenti est difficile. Similiter homini perversæ voluntatis difficilia videntur mandata; sed habenti charitatem sunt facilia. Unde dicitur in Deuteronomio [12] : *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non est super te, nec procul positum, nec in cœlo situm, nec trans mare positum; sed juxta te est valde sermo in ore tuo, ut facias illum.* Secundo mandata Dei sunt irreprehensibilia, quia non continent aliquid onerosum; imo sunt suavia. Unde dicitur in Ecclesiastico [13] : *Nihil melius est, quam timor Dei; et nihil dulcius, quam respicere in mandatis Domini.* Et Psalmus [14] : *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum.* Gaudium est justo servare justitiam; sed palato infecto cibus dulcis videtur esse amarus : similiter ho-

[1] *Psal.* XXXVII, 11. — [2] *Baruc.*, I, 18. — [3] *Psal.* LXXX, 12, 13. — [4] *Dan.*, III, 29. — [5] Ibid., 32. — [6] *Psal.* CXVIII, 21 — [7] *Matth.*, XXV, 41. — [8] *Deut.*, XI, 26-28. — [9] *Psal.* CVIII, 18. — [10] I *Joan.*, V, 3. — [11] Aug., *de verb. Apost.*, serm. XXIV, ante med. — [12] *Deut.*, XXX, 11-14. — [13] *Eccli.*, XXIII, 37. — [14] *Psal.* XVIII, 11.

mini perversæ voluntatis mandata Dei videntur difficilia, licet sint suavia. Tertio, mandata Dei sunt irreprehensibilia, quia non continent aliquid iniquum. Unde dicit Apostolus [1] : *Lex quidem sancta est, et mandatum sanctum, justum et bonum.* Propter hoc dicit alibi [2] : *Præcipio tibi in Deo, qui vivificat omnia, ut sine macula serves mandatum irreprehensibile.* Conjungamus ista quatuor insimul, scilicet quod in illo qui præcipit, est summa auctoritas, quia sua magna potentia nos creat, mira sapientia nos gubernat, et munifica benevolentia nos salvat.

Mandatorum observationis utilitas triplex.

Item videamus utilitatem observationis mandatorum : quarum prima est impetratio divinorum charismatum, secunda est revelatio sacrarum Scripturarum, et tertia est assecutio cœlestium præmiorum. Item videamus transgressionis periculum, quia transgressores multa bona perdunt, in nefanda flagitia ruunt, et æterna supplicia promerentur. Item videamus irreprehensibilitatem mandatorum, quia mandata non continent aliquod impossibile, nec onerosum, nec iniquum. Et si ista quatuor bene consideremus, non est aliquis qui possit se excusare de observatione mandatorum.

Sed quod est magnum mandatum, et primum in lege? Respondet Dominus in Matthæo [3] : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua. Secundum simile est huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum. Ex his universa lex pendet, et prophetæ.* Augustinus ostendit [4], quod in isto verbo : *Mihi autem adhærere Deo bonum est*, continetur totum hoc, quod dicitur : *Diliges Dominum Deum*, etc. Debemus enim diligere Deum, quia hoc est justum, bonum, sanctum, suave et facile. Unde Augustinus [5] : « Domine, quis mihi es? et ego quis tibi, ut jubeas me amare te, et si non amem te, mineris (*a*) mihi ingentes miserias? » Decalogus sacer, qui datus est Moysi in monte Sinai, ostendit quomodo debemus custodire mandata Dei. Volo vobis ostendere, quod sicut octo partes orationis sunt fundamenta omnium eorum, quæ exprimi possunt per sermonem in Grammatica, et decem prædicamenta sunt fundamentum omnium eorum, quæ determinantur in Dialectica; sic decem præcepta sunt fundamentum et regulæ omnium legum, et bonorum, quæ sunt in moribus. Nec voluit Dominus, quod sine ratione data essent decem præcepta Moysi. Dicam modo ista decem in generali :

Non habebis Deos alienos.
Non assumes nomen Dei tui in vanum.
Memento, ut diem sabbati sanctifices.
Honora patrem tuum et matrem tuam.
Non occides.
Non mœchaberis.
Non furtum facies.
Non falsum testimonium dices.
Non concupisces uxorem proximi tui.
Non agrum, nec aliquam aliam rem [6].

Ut magis clarius sit hoc quod dicam, nota quod lex omnis non mandat nisi justitiam : est enim lex regula justitiæ. Sed justitia est, secundum quam homo habet ordinari ad Deum et ad proximum. Et secundum hoc est duplex justitia : una, qua ordinamur ad Deum; et alia, qua ordinamur ad proximum. Et secundum hoc fuerunt duæ tabulæ datæ Moysi, prima et secunda. In prima continentur mandata ordinantia nos ad Deum; in secunda continentur mandata ordinantia nos ad proximum. In prima, dico tabula, continentur mandata ordinantia nos ad Deum : Deus autem est Trinitas, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Patri attribuitur majestas, Filio veritas, et Spiritui sancto bonitas. In Patre est summa majestas humiliter adoranda; in Filio est summa veritas fideliter asserenda; in Spiritu sancto est

[1] *Rom.*, VII, 12. — [2] I *Tim.*, VI, 14. — [3] *Matth.*, XXII, 37-40. — [4] August., *Enarr. in Psal.* LXXII, 28, n. 34; *De Morib. Eccl. cath.*, c. XVI, n. 26; *De divers.*, serm. VIII, al. CCXVI, n. 5. — [5] Id., *Conf.*, lib. I, n. 5. — [6] *Exod.*, XX, 3, 7, 8, 12-17; *Deut.*, V, 7, 11, 12, 16, 21.

(*a*) *Cæt. edit.* minaris.

summa bonitas sincere amanda. Sed si ista tria ex æterna ordinatione debemus facere, necesse est in prima tabula esse tria mandata, secundum tria appropriata tribus personis divinis. In primo mandato præcipitur humilis adoratio divinæ majestatis, cum dicitur : *Non habebis Deos alienos.* In secundo mandato præcipitur fidelis assertio divinæ veritatis, cum dicitur : *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* In tertio præcipitur divinæ bonitatis sincera dilectio, cum dicitur : *Memento ut diem sabbati sanctifices.* In secunda tabula continentur septem mandata ordinantia nos ad proximum, quæ significantur per duo præcepta legis naturæ : Hoc facias alii, quod tibi vis fieri ; non facias alii, quod tibi non vis fieri. Et secundum hoc est duplex pars justitiæ ordinantis ad proximum, scilicet innocentia, et beneficentia. Mandatum beneficentiæ est: *Honora patrem tuum et matrem tuam.* Hoc nomen mandatum non est solum reverentiæ, sed etiam beneficii et obsequii ; et non est in patre solum, sed in omnibus quæ a patre procedunt. Mandatum innocentiæ necesse est multiplicari, quia hoc mandatum consistit in hoc, ut caveas ab offensa proximi tui. Est autem triplex offensa, in animo, in verbo, et in facto. Offensa in facto est tribus modis, secundo quod homo tribus modis potest offendere proximum, scilicet in persona propria, in persona conjuncta, et in possessione terrenorum. Et secundum hoc sunt tria mandata : *Non occides*; *non mœchaberis*; *non furtum facies.* Dehinc sequitur offensa in verbo, contra quam est unum mandatum : *Non falsum testimonium dices.* Per falsum autem testimonium significantur omnia, quæ homo potest dicere contra suum proximum. Offensa autem in animo duas habet radices, secundum duplicem concupiscentiam : quia est concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum. Contra concupiscentiam carnis est unum mandatum : *Non concupisces uxorem proximi tui.* Contra concupiscentiam oculorum est aliud mandatum : Non agrum, nec aliquam aliam rem. Patet modo in generali, quæ sunt decem præcepta, et penes quid accipiantur.

Quomodo ex lege Moysis probare Trinitatem possumus.

SERMO II.

De præambulis ad mandata Dei, deque primo mandato.

[1] *Ascende ad me in montem, et dabo tibi duas tabulas lapideas, et legem et mandata, quæ scripsi, ut doceas filias Israel.* Et Psalmus [2] : *Declinate a me, maligni, et scrutabor mandata Dei mei.* Legitur, quod beatus Gregorius, qui fuit papa et doctor Ecclesiæ, habuit consuetudinem, quod quando ibat ad studium legis divinæ, semper dixit ista verba : *Declinate*, etc. Et quæsitum fuit ab eo, quare hoc faceret. Respondit Petro, cui consuevit dicere secreta sua, quod experimento didicit, quod quando cogitare voluit in lege Dei, sentiebat dæmones semper sibi adversantes. In aliis subtilitatibus instigant dæmones, quia in ipsis non vident damnum suum, imo expectant suum emolumentum; sed quando fit mentio de documentis veritatis, per quæ fugantur dæmones, tunc princeps tenebrarum occurrit armatus, modo per occupationes, modo per phantasticas illusiones, et nititur revocare animos hominum a studio veritatis. Sed verum est, quod verba ista, *Declinate a me*, etc., dixit Gregorius sicut vir sanctus, qui tunc habuit virtutem compescendi dæmones. Sed ego non sum ex illis : ideo in principio rogemus Dominum, ut imperet dæmonibus, ne nos impediant, et ut det nobis mentes serenas ad intelligendum verba de mandatis.

Ascende ad me, etc. Dominus dixit Moysi verbum istud ; et Moyses, audito verbo, ascendit in montem, et accepit duas tabulas lapideas, et legem, et mandata. In quo significatur, quod si volumus pervenire ad intelligentiam mandatorum Dei, debemus ascendere in montem, id est, in eminentiam mentis; quia secundum impressionem lucis

[1] *Exod.*, XXIV, 12. — [2] *Psal.* CXVIII, 115.

æternæ lex naturæ est nobis data, et secundum illam lucem documenta legis divinæ suscepimus. Tangebam vobis alias, quod certum est, quod ens per se primo cadit in animam. Ens autem aut est creatum, aut increatum; et secundum hoc est duplex justitia : una, per quam ordinamur ad ens increatum, alia, per quam ordinamur ad ens creatum. Et secundum hanc duplicem justitiam est duplex tabula Moysi data, scilicet prima et secunda. In prima dantur mandata, per quæ ordinamur ad ens increatum. In secunda dantur mandata, per quæ ordinamur ad ens creatum. Ens autem increatum est causa omnium rerum efficiens, formalis, exemplaris et finalis. Ens etiam increatum habet potentiam, sapientiam et benevolentiam, et producit omnia in esse, et ista tria appropriantur tribus personis divinis in Trinitate. Majestas appropriatur Patri; veritas, Filio; et bonitas, Spiritui sancto. Summa majestas in Patre humiliter est adoranda; summa veritas in Filio fideliter est asserenda; et divina bonitas in Spiritu sancto sincere est amanda. Ista dicta fuerunt in generali : sed quia sermones de mandatis in universali sunt inutiles, nisi dicantur in speciali; ideo oportet explicare de mandatis in speciali. In generali dictum est, quod sunt decem mandata, quorum tria sunt in prima tabula.

Dicam vobis generale documentum, quod æterna Dei sapientia, quæ scripsit tabulas istas, brevissimo modo, et clarissimo modo, et facillimo modo tradidit. Tradidit autem brevissimo modo, ne oneraretur nostra memoria, clarissimo modo, ne offuscaretur nostra intelligentia; facillimo modo, ne revocaretur nostra voluntas. Hæc est ratio, quare per verba quanto breviora, et quanto clariora et faciliora, et per actus synecdochicos data sunt mandata.

Primo videamus de primo mandato : sicut videmus in aliis rebus, quod primum opus est fundamentum omnium subsequentium, sic primum mandatum est fundamentum omnium aliorum mandatorum. Prima verba de mandatis sunt illa [1] : *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis. Non habebis deos alienos coram me. Non facies sculptile, nec similitudinem eorum, quæ in cœlis sunt, neque quæ in terris, neque eorum quæ in aquis sunt. Non adorabis, neque coles ea. Ego Dominus Deus tuus, fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios usque in tertiam et quartam generationem, et faciens misericordiam in millia his qui diligunt me.* Ad plenam mandatorum explanationem concurrunt tria, quædam quæ pertinent ad mandati cognitionem, et ista debent præmitti; quædam quæ pertinent ad mandati observantiam, et ista debent subjungi; quædam quæ pertinent ad mandati integritatem, et ista debent interponi. Primo dico, quod sunt quædam quæ pertinent ad mandati cognitionem, et ista debent præmitti, et sunt duo fundamenta fidei. Primum est notitia Creatoris; secundum est notitia Reparatoris. Isti duo sunt radii, sive duo oculi, dirigentes nos semper in viam mandatorum Dei. Homo prius aperit oculos, quam ambulet; sic debet homo prius cognoscere mandata per fidem, quam exequatur mandata. Ad cognoscendum autem Creatorem dicit : *Ego Dominus Deus tuus. Ego Dominus :* hic insinuat potentiam Dei Patris. *Deus :* hic insinuat sapientiam Filii. *Tuus :* hic insinuat bonitatem Spiritus sancti. In hoc autem, quod dicit : *Ego*, notat identitatem essentiæ; et in hoc notat Deum trinum et unum Crearem universorum. *Qui eduxi te de terra Ægypti :* hic notat donum reparationis per Verbum incarnatum. Omnibus loquitur Dominus, quibus dedit præceptum; et omnibus præcepta dedit, licet primo daret ipsa Filiis Israel. Unde quod dicitur : *Qui eduxi te*, etc., dictum est non solum Hebræis pro ipsis, quoad corporalem eductionem de Ægypto; sed generaliter pro toto genere humano, quoad eductionem de Ægypto æternæ damnationis : de peccato primi hominis, ex quo

Nota tria concurrentia ad plenam mandatorum explanationem.

[1] *Exod.*, XX, 3-6.

educimur per Verbum incarnatum, quia sicut illi educti sunt de Ægypto post comestionem agni paschalis, et per aspersionem sanguinis ejus liberati ab angelo exterminatore; sic nos educimur de servitute diabolica per esum carnis Verbi incarnati in sacramento altaris, et per sanguinem ejus in baptismo : quia, secundum Apostolum [1] : *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Hæc verba dicit tota Trinitas. Dicit igitur : *Ego sum*, cui debes obedire, et quem debes adorare. Et dicit : *Ego*, scilicet, qui te feci in esse naturæ, et in esse gratiæ. Debemus ergo dicere : Domine, tu es quem debemus adorare, cui debemus servire : tu es qui nos creasti; tu es qui nos redemisti. Unde dicit Psalmus [2] : *Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud.* Sequitur : *Venite, adoremus, et ploremus ante Dominum, qui fecit nos*, etc.; *nos populus pascuæ ejus,* etc. Sine istis duobus fundamentis fidei, scilicet sine notitia Creatoris et Reparatoris, nil intelligere possumus.

Ut autem intelligamus ista, oportet scire adminiculantia quædam. Scitis, ubi est prima cognitio nobis data de mandatis? Certe Moyses scripsit per Spiritum sanctum. Sed qualiter habuit istam cognitionem? Certe, quando Dominus apparuit ei. Et quomodo apparuit ei? Certe in igne flammæ rubi ardentis; et tunc dixit Moyses [3] : *Quis es tu, Domine?* Et respondit Dominus : *Ego sum qui sum.* Et tunc dedit ei Dominus duo, scilicet lumen essentiæ æternitatis, et lumen veritatis æternæ. *Rubus ardebat.* In hoc ostendit nobis mysterium incarnationis humanæ. Ista duo sunt lumina et principalia fundamenta fidei; scilicet lumen essentiæ æternitatis, et mysterium incarnationis. Et quando facimus crucem in fronte *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Amen*, recognoscimus Trinitatem et Redemptorem. Cum dicit homo : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, recognoscit Trinitatem; cum facit crucem in fronte, recognoscit Redemptorem. Patet modo, quomodo quædam valent ad mandati cognitionem, quæ debent præmitti : et ista sunt duo fundamenta fidei, scilicet notitia Creatoris et Redemptoris.

Secundo sunt quædam, quæ valent ad mandatorum observantiam; et ista debent subjungi. Omnia mandata aut sunt affirmativa, aut negativa. Affirmativa sunt, ut homo faciat bonum; negativa, ut homo vitet malum. Sed impossibile est, ut homo vitet malum, nisi per timorem; et quod faciat bonum, nisi per amorem. Propter hoc, ad observantiam mandatorum duo sunt necessaria, scilicet timor et amor. Avis non potest volare sine duabus alis, nec homo potest ambulare sine duobus pedibus. Similiter non est perfectus observator mandatorum Dei, nisi sit repletus timore et amore. Sed non replebitur homo timore, nisi ex consideratione severitatis divinæ; nec replebitur amore, nisi ex consideratione bonitatis divinæ. Ista igitur duplex consideratio homini est necessaria. Sequitur : *Ego Dominus Deus tuus, fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios usque in tertiam et quartam generationem. Fortis zelotes,* id est, fortissimum habens zelum, scilicet eorum qui oderunt me. *Visitans iniquitatem patrum in filios,* non quod propter peccata actualia patrum æternaliter puniat filios; sed cum filii fuerint imitatores paternorum scelerum, punit peccata patrum cum peccatis ipsorum, usque ad tertiam et quartam generationem, scilicet temporaliter. Hoc autem dicit, ut timeamus, et per timorem a malo declinemus. Unde dicitur in Ecclesiaste [4] : *Deum time, et mandata ejus observa : hoc est omnis homo*, id est, ad hoc est omnis homo. Vis mereri ut ad summum complementum pervenias? Certe time Deum. Sed quomodo timebo? Certe quia Dominus est fortissimus zelator. Item cum hoc etiam oportet amare ipsum, quia ipse dicit de se : *Et faciens misericordiam in millia his, qui*

[1] *Rom.*, VI, 3. — [2] *Psal.* XCIV, 5, 6, 7. — [3] *Exod.*, III, 13, 14. — [4] *Eccle.*, XII, 13.

diligunt me. Dicit, quod visitat iniquitatem patrum in filios usque in tertiam et quartam generationem, et facit misericordiam in millia his, qui diligunt eum : in hoc ostendit nobis, quod Dei misericordia et benignitas transcendit ultionem iniquitatum. Quando cor hominis dilatatur per amorem, tunc homo faciliter servat mandata. Unde dicit Psalmista[1] : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Omnis consummationis vide finem : latum mandatum tuum nimis.* Dicit quod lata est via mandatorum ; sed quibusdam videtur arcta. Certe amantibus est lata ; sed non amantibus est arcta. Patet modo, quomodo scilicet timor et amor valent ad observantiam mandatorum.

Tertio, quædam valent ad integritatem mandatorum, et ista debent interponi, id est, in medio poni ; et hoc tangit, cum dicit : *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies sculptile, neque similitudinem eorum, qui in cœlis sunt, neque quæ in terris, neque eorum quæ in aquis sunt.* Ibi præcipitur latria, quæ est soli Deo cultus debitus, et ex hoc nulli alii est debitus. Cultum aliorum Deus prohibuit in negativa, et implicuit cultum Dei in affirmativa. Sed in novo testamento explicuit in affirmativa cultum Dei Christus, quando dixit[2] : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.*

Quare is de- pri- ium anda- n ne- ivom non oran- Diis enis, non it af- nati- m de o Deo oran- o.

Sed quare prohibuit Deus cultum aliorum in negativa, et non explicuit cultum Dei in affirmativa? Certe, quia facillimo modo dare voluit mandata, et revocare in negativa ab idololatria, ut implicaret cultum Dei in affirmativa. Et nota, quod ipse revocabat ab omni idololatria, quia omne quod adoratur aliud a Deo, aut est creatura intellectualis, ut angeli et dæmones ; aut natura corporalis, ut cœlum, et terra, et aqua, et hujusmodi ; aut est figmentum humanæ mentis. Numquid ens sufficienter non dividitur per corporeum et incorporeum? quare ergo posuit figmentum, quod nihil est? Dico quod idolum nihil est, imo fertur (*a*) ad illud, quod est in æstimatione. Et videte quomodo Scriptura sacra procedit : creaturam intellectualem ponit in supremo, figmentum in medio, et naturam rei corporalis in imo. Unde primo prohibet idololatriam respectu creaturæ intellectualis, cum dicit : *Non habebis deos alienos.* Secundo prohibet idololatriam respectu naturæ figmenti humanæ mentis, cum dicit : *Non facies sculptile.* Tertio prohibet idololatriam naturæ corporalis, et hoc respectu cœlestium, terrestrium et infernorum, cum dicit : *Neque facies similitudinem eorum, quæ in cœlis sunt, neque quæ in terris, neque eorum, quæ in aquis sunt.* Primo prohibet hic idololatriam respectu cœlestium, ut habetur in Psalmo[3] : *Quoniam omnes dii gentium, dæmonia; Dominus autem cœlos fecit.* Secundo prohibet idololatriam respectu terrestrium. Unde dicitur in eodem Psalmo (*b*)[4] : *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris suis.* Quod homo incurvetur ad adorandum figmentum suum, hoc est perversio summa. Tertio prohibet idololatriam respectu inferiorum. Unde dicit Apostolus[5] : *Qui commutaverunt gloriam incommutabilis Dei*; sequitur : *Et servierunt creaturæ potius quam Creatori.* Ecce quomodo vera adoratio Dei implicatur, et omnis idololatria prohibetur. Habemus modo præambula ad mandata, quæ sunt notitia Creatoris et Reparatoris, timor et amor, et prohibitio idololatriæ respectu superiorum, mediorum et inferiorum.

Dico ultra, quod nos Christiani ulterius debemus videre, quam nobis patefacta est veritas, et secundum tria quæ prohibentur, magna lux et vera nobis apparuit. Prohibentur autem tria, per quæ avertitur mens humana a reverentia Creatoris sui, et per tria quæ prohibentur nobis, prohibentur nobis omnes profanæ pactiones dæmonum, ibi : *Non habebis deos alienos.* Prohibentur etiam omnes falsæ superstitiones, et

[1] *Psal.* CXVIII, 32, 96. — [2] *Matth.*, IV, 10. — [3] *Psal.* XCV, 5. — [4] *Psal.* XCVI, 7. — [5] *Rom.*, I, 25.

(*a*) *Leg.* refertur. — (*b*) Libro Psalmorum.

adinventiones errorum, ibi : *Non facies sculptile.* Prohibentur etiam omnes perversæ appretiationes mundialium naturarum, ibi : *Neque similitudinem eorum, quæ in cœlis sunt,* etc. Dico ergo, quod in primo verbo : *Non habebis deos alienos coram me*, prohibentur omnes profanæ pactiones dæmonum, sive sint per incantationes verborum, sive per inscriptiones characterum et imaginum, sive per immolationes sacrificiorum. In istis tribus consistunt omnes artes magicæ. Prohibentur igitur omnia, ex quibus oriuntur profanæ pactiones dæmonum, sive sint ad transmutationem naturarum, sicut fecerunt magi Pharaonis; sive sint ad ludificationem sensuum, sicut faciunt incantatores et histriones; sive sint ad investigationem futurorum contingentium. Omnia talia vocat Augustinus [1] pactiones dæmonum. In talibus attribuitur creaturæ, quod deberet attribui Creatori; et tales peccant contra primum verbum mandati, quod est : *Non habebis deos alienos coram me.* De talibus dicitur in cantico Deuteronomii [2] : *Provocaverunt eum in diis alienis, et in eo, qui non erat Deus, ad iracundiam concitaverunt.* Et ideo dicit Apostolus [3] : *Tradidit eos Deus in passiones ignominiæ.* Et Deus tradidit eos in manus dæmonum.

Exemplum. Habemus exemplum hujus. Quidam litteratus diu studuerat qualiter posset effici dives, et fecit linguam suam venalem longo tempore, et tamen semper egebat. Cogitavit : Ex quo non possum ditari per Deum, ditabor per diabolum. Quæsivit magum inter Judæos et Christianos, et non invenit. Cogitavit : Ego ipse experiar, si potero per diabolum effici dives. Ivit in viam quamdam umbrosam et saxosam juxta torrentem, et dixit : Ubi es, dæmon, qui semper quæris decipere homines? Ego sum hic, ut dem me tibi. Prima vice non venit, quia forte Deus adhuc noluit permittere; nec secunda vice venit. Tertia vice venit, et dixit : Quid petis a me? Respondit ille : Ut facias me divitem. Cui diabolus : Prius adorabis me. Et tunc ille incurvavit se, et adoravit illum. Et ludificavit eum diabolus, quia tunc habuit potestatem in eum : fecit quod omnes illi lapides videbantur ei esse aurum. Et dixit ei diabolus : Accipe satis de auro. Et tunc ille gaudens oneravit se de lapidibus, et cum venit domum, posuit lapides in quemdam locum illius domus, et incœperunt ardere lapides, et combusta est domus, et quidquid in ea fuit, ita quod ipsemet vix evasit. Et cogitavit : Non curo, quia ibo ad locum, ubi plurimum aurum dimisi. Accedens invenit quod essent ibi lapides, qui prius videbantur ei aurum purissimum, et sic ludificatus est. Patet modo, quomodo in primo verbo prohibentur omnes profanæ pactiones dæmonum.

In secundo verbo : *Non facies sculptile*, prohibentur omnes falsæ superstitiones adinventionis errorum : omnis enim error est fictio mentis. Errorem autem facit phantasia obnubilans rationem, quæ facit, quod illud quod non est, videatur esse. Prohibentur autem omnes superstitiosæ adinventiones errorum, sive procedant ex improbo ausu investigationis philosophicæ, sive ex perverso intellectu sacræ Scripturæ, sive ex inordinato affectu carnalitatis humanæ. Ex improbo ausu investigationis philosophicæ procedunt errores in philosophis [4], sicut ponere mundum æternum, hoc est, pervertere totam sacram Scripturam; et dicere, quod Filius Dei non fuerit incarnatus, et ponere, quod unus sit intellectus in omnibus, hoc est dicere, quod non sit veritas fidei, nec salus animarum, nec observantia mandatorum : et hoc est dicere, quod bonus homo damnatur, et malus salvatur. Ponere igitur, quod sit unus intellectus in omnibus, provenit ex improbo ausu investigationis philosophicæ. Et tales ponunt, quod impossibile est mortale devenire ad immortalita-

Error ex quibus causis provenit.

[1] Aug., *de Doctr. Christ.*, lib. II, c. XX, XIII, n. 30, 36. — [2] *Deut.*, XXXII, 16. — [3] *Rom.*, I, 26. — [4] Arist., *Phys.*, lib. VIII, in princ.; *De Cœlo*, lib. I, text. 101 et seq.; Averr., *de Anim.*, lib. III, comm. 5 et 36.

tem. Et qui hæc confingit, tuetur et imitatur, incedit contra secundum verbum mandati : *Non facies sculptile.* Et secundum hoc et fictor, et defensor, et imitator, omnes prohibentur.

Item proveniunt in aliquibus errores ex perverso intellectu sacrarum Scripturarum. sicut hæreses hæreticorum, qui male sentiunt de Trinitate et Spiritu sancto. Tales sunt Ariani, Sabelliani, Donatistæ et Pelagiani, et cæteri. Tertio adinventiones errorum proveniunt ex inordinato affectu carnalitatis humanæ. De numero talium est secta Epicureorum, quæ dicit, nullam aliam vitam esse, nisi istam ; et secta Nicolaitarum, quæ dicit quod licet quemlibet facere turpiter cum qualibet. Sarraceni etiam, quod dicunt, non habent ex sacra Scriptura, nec ex altitudine sapientiæ divinæ. Omnes igitur errores, undecumque proveniant, tanquam sculptilia debent abominari, quia peccant contra hoc mandatum : *Non facies sculptile.* Unde Hieremias [1] : *Stultus factus est omnis homo a scientia sua*, id est, ab investigatione propria et nimia philosophia (*a*) : *confusus est artifex omnis in sculptili : vana sunt eorum opera, et risu digna, et in tempore visitationis suæ peribunt.* Standum igitur est super hoc, quod limina (*b*) fidei dictant ; et quidquid huic adversatur, totum debet abominari. Quando audivi de Aristotele, dum fui scholaris, quod ipse posuit mundum æternum, et audivi rationes et argumenta quæ fiebant ad hoc, incœpit concuti cor meum, et incœpit cogitare : quomodo potest hoc esse? Sed modo sunt ista ita manifesta, quod nullus possit dubitare. Patet modo, quomodo in secundo verbo : *Non facies sculptile*, prohibentur omnes falsæ superstitiones adinventionis errorum.

In tertio verbo : *Neque facies similitudinem eorum, quæ in cœlis sunt*, etc., prohibentur omnes perversæ appretiationes creaturarum. Omnis autem superflua appretiatio creaturarum procedit aut ratione sublimitatis, aut ratione sufficientiæ, aut ratione delectationis. Primo modo est idololatria superborum ; secundo modo est idololatria avarorum ; tertio modo est idololatria lascivorum. Contra primos dicitur in Psalmo [2] : *Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.* Contra secundos dicit Apostolus [3] : *Avaritia est idolorum servitus.* Contra tertios dicit Apostolus [4] : *Quorum venter est.* Alias plenius prosequemur.

Dixi, quod decem sunt mandata Decalogi, quæ sunt fundamenta omnium legum, quorum tria continentur in prima tabula, quæ sunt ordinantia nos ad Deum trinum et unum, et hæc sunt tria secundum appropriata tribus personis divinis. In divinis enim est paternitas, filiatio et processio ; et secundum hæc, sunt tria appropriata tribus personis divinis. Patri appropriatur majestas ; Filio, veritas ; Spiritui sancto, bonitas. Ista tria respiciunt triplex genus causæ, scilicet causam efficientem, exemplarem et finalem. Patri attribuitur causa efficiens ; Filio, causa exemplaris, quia est imago Patris ; et Spiritui sancto, causa finalis. In Patre est summa majestas humiliter adoranda ; in Filio, summa veritas fideliter asserenda ; in Spiritu sancto, summa bonitas sincere amanda. Et secundum hæc tria, necesse est in prima tabula esse tria mandata. Primum est : *Non habebis Deos alienos coram me.* Secundum est : *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Tertium est : *Memento, ut diem sabbati sanctifices.* De primo mandato dictum est, quod quædam præmittuntur ad mandati cognitionem, quædam subjunguntur ad mandati observantiam, et quædam interponuntur ad mandati integritatem. Dictum etiam fuit, quod in verbo isto : *Non habebis deos alienos coram me*, prohibetur omnis idololatria respectu creaturæ intellectualis ; secundo prohibetur idololatria respectu figmenti humanæ mentis, cum subdit : *Non*

[1] *Jerem.*, x, 14, 15. — [2] *Psal.* LXXX, 10. — [3] *Ephes.*, v, 5. — [4] *Philip.*, III, 19.

(*a*) *Cœt. edit.* nimiæ philosophiæ. — (*b*) *Forte legendum* lumina *vel* oracula.

facies sculptile; tertio prohibetur idololatria respectu naturæ corporalis, et hoc respectu cœlestium, terrestrium et infernorum, cum dicit : *Neque similitudinem eorum quæ in cœlis sunt*, etc. Dictum etiam fuit, quod in hoc verbo : *Non habebis deos alienos coram me*, omnes pactiones dæmonum prohibentur, sive sint per incantationem verborum, sive per inscriptiones characterum vel imaginum, sive per immolationem sacrificiorum. In istis tribus consistunt omnes artes magicæ. Dictum etiam fuit, quod in secundo verbo : *Non facies sculptile*, prohibentur omnes falsæ superstitiones adinventionis errorum. Et circa hoc dictum fuit, quod omnis error provenit aut ex improbo ausu investigationis philosophicæ, aut ex perverso intellectu sacræ Scripturæ, aut ex inordinato affectu carnalitatis humanæ. Propter primum proveniunt errores in philosophis, sicut ponere mundum æternum, et hujusmodi. Propter secundum proveniunt errores in hæreticis, qui male sentiunt de Trinitate et Spiritu sancto. Propter tertium proveniunt errores in Epicureis, qui dicunt, non aliam vitam esse, nisi istam. In tertio verbo : *Neque facies similitudinem eorum, quæ in cœlis sunt*, etc., prohibentur omnes perversæ appretiationes creaturarum. Et circa hoc dictum fuit, quod omnis perversa appretiatio creaturarum aut est ratione sublimitatis, aut ratione sufficientiæ, aut ratione delectationis. Primo modo est idololatria superborum; secundo modo, avarorum; tertio modo, lascivorum. Ista dicta fuerunt de primo mandato. Modo dicebam, quod est triplex idololatria : pactiones dæmonum, superstitiosæ adinventiones errorum, et perversæ appretiationes creaturarum. In pactionibus dæmonum est summa omnium vitiorum malitia, et radix omnium malorum. Ex his tribus idololatriis procedunt omnes falsitates et peccati deordinationes, quibus misera anima subjicitur dæmonibus. Unde dicitur in Apocalypsi[1] : *Vidi de ore draconis, et de ore bestiæ, et de ore pseudoprophetæ exire spiritus tres immundos in modum ranarum*. Per draconem significantur pactiones dæmonum; per pseudoprophetam, superstitiosæ adinventiones errorum; per bestiam, perversæ appretiationes creaturarum. Et omnia ista prohibentur in primo mandato. Et sicut Deus in prima creatione quodammodo omnia produxit, sic in primo mandato omnia mala prohibet, licet ad majorem explanationem plura ponat mandata.

Omisi dicere, quod Judæi aliquando insultant nobis, quod non servemus mandatum illud; et imponunt nobis, quod illud transgredimur. In isto mandato continentur tria verba : *Non habebis deos alienos coram me; non facies sculptile; neque similitudinem eorum, quæ in cœlis sunt*, etc.

De primo verbo dicunt : Quod dicit Dominus : *Audi, Israel, Dominus Deus tuus unus* : et vos dicitis Trinitatem, Patrem, et Filium et Spiritum sanctum. Item dicunt, quod facimus sculptile, quia ecclesiæ plenæ sunt imaginibus. De tertio, quod (*a*) prohibet Deus adorare corporalem naturam, dicunt, quod adoramus frustum panis, et hoc maxime videtur eis absurdum. De primo, quod dicunt, quod adoramus tres deos, dico, quod si adoraremus tres personas, ita quod diceremus, quod ibi essent tres dii, et triplex essentia, oporteret quod adoraremus deos alienos. Sed nos adoramus Patrem et Filium et Spiritum sanctum, sicut unum Deum et unam essentiam. Unde sicut videmus, quod in homine est pluralitas naturarum, scilicet intellectualis et humana, et tamen est ibi una persona; e contra in divinis est unitas essentiæ, et pluralitas personarum. Dixit quidam Judæus : Vos dicitis, quod Deus filium habet; quare non habet uxorem? Isti Judæi vilissime intelligunt. Deus Pater habet Verbum et Spiritum sanctum : Verbum habet, per quod omnia fecit; Spiritus sanctus (*b*) habet, per quem omnia conservat. Verbum manat a dicente, et est Deus de Deo. Similiter Spiritus sanctus spi-

[1] *Apoc.*, XVI, 13. — (*a*) *Leg.* quo. — (*b*) Spiritum sanctum.

ratur, et est Deus in Deo. Solus Spiritus sanctus est qui profunda cordium scrutatur, et ille est Deus. Unde homo qui ista vult intelligere et de istis loqui, oportet (*a*) quod habeat elevatissimas cogitationes, non pedestres, quia aliter non potest intelligere altissima de Deo, quando ponimus Trinitatem, (*b*) non ponimus Christum purum, sed Deum cum homine. De secundo, quod dicunt : *Non facies sculptile*, et nos ponimus plures imagines iu ecclesiis, dico quod impossibile est divinitatem sculpi; sed facimus Christi effigiem, Christi dico humanitatis. Unde est in natura propria Deus absque figura. Cur ideo pictus? quia carne probatur amictus. Et dico, quod est duplex adoratio, scilicet duliæ, et latriæ : adoratione duliæ possumus adorare illos in quibus est potestas, sapientia et sanctitas. Et sic adoramus principes, prælatos, sicut in quibus est potestas. Adoramus etiam illos qui excellentiam habent philosophiæ, sicut illos in quibus est sapientia, et sic quinquagenarius adoravit Heliam [1]. Item adoramus sanctos in patria, sicut illos in quibus est sanctitas. Imaginibus eorum exhibenda est adoratio duliæ, non in quantum imago vel pictura, sed ratione illius quod per ipsam signatur. Soli autem Deo exhibenda est adoratio latriæ. Et in hoc prohibentur omnes profanæ pactiones dæmonum, et omnes falsæ adinventiones superstitionis errorum, et omnes perversæ appretiationes creaturarum. De tertio, quod maxime abhorrent, scilicet de corpore Christi, hoc secretissimum fuit; sed modo est promulgatum. Aliquando dixerunt aliqui, quod non esset Deus ibi, nisi in signo. Sed intelligendum est, quod ad prolationem verbi sacerdotis, et intentionem dicentis, substantia panis statim convertitur in corpus Christi, quod habet unitam animam cum deitate : et hoc est planum. Dicit Judæus : Quomodo potest hoc esse? Dico, quod ille, qui potest separare substantiam ab accidente, potest facere, quod non appareat substantia sensibus nostris, quæ est sub accidentibus alienis. Et adoramus verum corpus Christi, et Deum trinum et unum. Et in hoc virtus Dei, potentia, sapientia et bonitas manifestantur. Sed Judæus errat, qui pedestri modo credit sentire. De hoc audivi, quod fuit quidam incantator dæmonum : quadam die, cum quidam vellent aliquid impetrare a dæmone, fecit ille, quod venit in medio illorum. Et venit quidam sacerdos portans corpus Christi, et cum appropinquavit, inclinavit se ei dæmon; similiter cum rediit, inclinavit se. Et dixit incantator : Unde hoc? prohibuisti mihi ne adorem Christum, et tu adoras? Respondit dæmon : Invitus feci. Nonne scriptum est [2] : *In nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum?* Ista dicta sunt de primo mandato.

Adoratio duplex.

Exemplum.

SERMO III.

De secundo mandato.

Non assumes nomen Dei tui in vanum : neque insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Dei frustra. Unde dicit Psalmista [3] : *Servus tuus sum ego : da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua. Ideo dilexi mandata tua super aurum et topazion. Propterea ad omnia mandata tua dirigebar : omnem viam iniquam odio habui.* David propheta dicit in verbis istis, qua de causa loqui debemus de mandatis Dei; et ostendit rationem triplicem. Prima est, ut inflammemur ad dilectionem mandati : nihil enim ita est necessarium, sicut diligere Dei legem, et mandata ejus. Ideo dicit : *Ideo dilexi mandata tua*, etc. Secundo debemus loqui de mandatis Dei, ut melius cognoscamus ea : quanto enim homo frequentius vadit per viam aliquam, tanto melius cognoscit eam. Unde Gregorius : « Homo cognoscit viam frequentius vadendo. » Sed via eundi in patriam est in servando mandata Dei :

[1] IV *Reg.*, I, 13. — [2] *Philip.*, II, 10. — [3] *Psal.* CXVIII, 125, 127, 128.

(*a*) *Cæt. edit.* oporteret. — (*b*) *Suppl.* et.

sed non cognoscit homo mandata Dei, nisi audiendo loqui de mandatis. Ideo dicit : *Da mihi intellectum*, etc. Tertio debemus audire mandata, ut odio habeamus iniquitates. Quando homo incipit cognoscere peccatum, et iniquitatem, et peccati deordinationes, quæ sunt contra Deum, tunc incipit detestari peccatum. Debemus igitur loqui de mandatis, ut ipsa diligamus, et per ea in viam ad cœlestem patriam dirigamur, et iniquitatem odio habeamus. Et ut hæc tria possimus consequi, ideo in principio [1], etc.

Non assumes nomen Dei tui in vanum, etc. Sicut in primo mandato præcipitur humilis adoratio summæ majestatis, sic in isto mandato secundo præcipitur fidelis confessio summæ veritatis, et prohibetur abnegatio veritatis. In Veteri Testamento dicitur [2] : *Qui jurat, in nomine Dei juret, et non perjuret.* Perjurare, idem est quod pejerare, et hoc est nomen Dei in vanum assumere. Unde Hieremias [3] : *Jurabis in nomine Domini in veritate, judicio et justitia.* Et dicit ibi Glossa, quod juramentum debet habere tres comites, veritatem, judicium et justitiam [4]. Primo dico, quod debet fieri juramentum in veritate. Unde dicit : *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, hoc est sine veritate.

Juramentum duplex, assertorium et promissorium.

Intelligendum autem est, quod est duplex juramentum, scilicet assertorium, et promissorium, ita quod est in testimonium, et in promissum. Fac juramentum assertorium sic : Hoc tibi juro, assero, et testificor per testimonium divinæ veritatis. Illud autem juramentum primo debet habere veritatem. Veritas autem est in juramento, ut homo non neget verum, non affirmet falsum, et non asserat scienter dubium, quia sermo est indicativus eorum quæ sunt in corde. Sed scitis quid est, quando homo aliquod falsum testificatur per testimonium falsitatis? Hoc est dicere, quod mentitur, et divina veritas mentitur secum. Et hic est primus modus assumendi nomen Dei in vanum, quando negamus veritatem. Secundo debet fieri juramentum assertorium cum justitia. Fit autem cum justitia, quando non fit contra mandatum divinæ legis, neque contra præceptum sanctæ matris Ecclesiæ, nec in dispendium salutis propriæ, vel alienæ. Et qui contra ista tria jurat, dupliciter peccat, et quia jurat, et quia servat. Tertio oportet in juramento assertorio, ut concomitetur judicium, quod sit in mente discretio veritatis et justitiæ, scilicet utrum juramentum sit verum vel falsum, justum vel injustum, fructuosum vel infructuosum : et si juro absque judicio, non discernens inter ista tria, temerarie juro. Isti tres comites debent esse in juramento assertorio. Sed Manichæi insultant nobis, et dicunt, quod non debemus jurare omnino, quia dicitur in Novo Testamento [5] : *Ego autem dico vobis, non jurare omnino. Sit autem sermo vester : Est, est; Non, non.* Certe dico, quod ex certis causis bene licet jurare. Hæretici non bene attendunt vim vocabulorum. Differt dicere *non jurare omnino*, et *omnino non jurare ;* sicut differt dicere : « Quidam homo non currit, » et : « Non quidam homo currit. » Omnino non jurare, est nullo modo jurare; et non omnino jurare, est non omnibus modis jurare, sed ex certis causis.

Ma chæ rum resis

Jura mentt promi soriu fit trib modis.

Secundo debet nomen Dei assumi non in vanum in juramento promissorio. Fit autem juramentum promissorium tribus modis, scilicet ad promovendum bonum, ad conservandam fidelitatem, et ad ineundam mutuam pacem. Primo modo jurant inferiores superioribus; secundo modo, pares paribus; tertio modo, superiores inferioribus. De primo dicit Apostolus [6] : *Testis mihi Deus est.* Secundo modo juravit Laban fidelitatem Jacob [7]. Tertio modo jurant superiores populo. Ex primo juramento relinquitur triplex utilitas, fides in intellectu, amor in affectu, et pax in effectu. Istis tribus modis fit juramentum ad promovendum

[1] Ut sup., serm. II, pag. 232, col. 2. — [2] *Levit.*, XIX, 12.— [3] *Jerem.*, IV, 2. — [4] Similia habet Auctor in *Centiloq.*, part. I, sect. XII, sup., tom. VII, pag. 357.— [5] *Matth.*, V, 34, 37.— [6] *Rom.*, I, 9.— [7] *Gen.*, XXXI, 33.

bonum. Secundo modo fit juramentum ad conservandam fidelitatem, et hoc fit ad compescendum malitiam, ad sedandum controversiam, et ad expurgandum infamiam. Primo dico : fit ad compescendum malitiam, ut homo non neget veritatem, nec affirmet falsitatem : et hæc est ratio utilitatis juramenti. Secundo modo fit ad sedandum controversiam. Unde Apostolus [1] : *Omnis controversiæ finis est juramentum.* Tertio modo fit ad expurgandum infamiam. Unde in Deuteronomio dicitur [2], quod majores debebant se expurgare per juramentum, quando inveniebatur cadaver mortuum. Istis tribus de causis fit juramentum ad conservandam fidelitatem. Tertio modo fit juramentum ad ineundum mutuam pacem ; et in hoc intelligitur cohibitio peccatorum mortalium, quia omnis juratio vera est periculosa, falsa est perniciosa, nulla autem est secura. Et propter hoc dicitur in Ecclesiastico [3] : *Jurationi non assuescat os tuum.* Iste est intellectus litteralis.

Spiritualis vero intellectus hic est : *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, etc. Notandum est, quod assumimus nomen Dei non in vanum tribus modis, scilicet ad efficiendum, ad promittendum, et ad exprimendum. Primo dico, quod assumitur nomen Dei non in vanum ad efficiendum, ut in sacramentis, sicut dicitur in baptismo : *Ego baptizo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Secundo modo fit juramentum ad promittendum, sicut promitto ire ad sanctum Jacobum, vel intrare religionem per juramentum. Tertio assuminus nomen Dei non in vanum ad exprimendum, sicut quando loquimur cum juramento. E contra accipimus nomen Dei in vanum per frustrationem sacramenti suscepti, per fractionem voti, et per prolationem sermonis blasphemi. Primo dico : assuminus nomen Dei in vanum per frustrationem sacramenti suscepti. Et secundum hoc est triplex modus assumendi nomen Dei in vanum : primo modo, quando quis non credit, sicut hæreticus; secundo modo, quando credit, et se non disponit, sicut usurarius; tertio modo, quando gratiam in sacramento susceptam non custodit, sicut ille qui postea peccat. Audi : quando tu es insignitus in nomine Dei, tunc character tibi imprimitur per virtutem nominis Dei; et quando homo postea peccat, evacuat virtutem sacramenti. De talibus dicit Apostolus ad Titum [4] : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Et sic conculcas et pollutum ducis sanguinem Christi.

Secundus modus assumendi nomen Dei in vanum est per fractionem voti emissi; et hoc fit tribus modis. Primo, per dilationem irrationabilem, sicut promitto ire ad Sanctum Jacobum, et non assigno mihi certum tempus, et sic semper procrastino. Secundo fit voti fractio per voluntatem contrariam, sicut quando quis promittit aliquid Deo, et postea pœnitet. Contra tales dicitur in Deuteronomio [5] : *Si quid processerit de labiis tuis, non facies irritum.* Tertio fit fractio voti per apostaticam rebellionem, sicut quando homo apostatat a religione. Primus modus est malus ; secundus, pejor; tertius, pessimus : quia dicitur [6] : *Homo apostata vir inutilis.* Unde dicit Ecclesiastes [7] : *Si quid vovisti Deo, non moreris reddere : displicet enim Deo stulta et infidelis promissio.* Tempus, dies et hora interpellabit. Patet modo quomodo tribus modis in fractione voti assumimus nomen Dei in vanum.

Tertio assumimus nomen Dei in vanum per prolationem sermonis blasphemi; et hoc fit tribus modis. Primo, quando aliquis, loquens de Deo, utitur locutione maledica, sicut quando maledicit Deo. Secundus modus est per locutionem mendacem, sicut quando quis negat verum, vel affirmat falsum; quia dicit Anselmus, quod omnis contradictionis nobilior pars Deo est attribuenda. Tertius modus est per locutionem

[1] *Hebr.*, VI, 16. — [2] *Deut.*, XXI, 8. — [3] *Eccli.*, XXIII, 9. — [4] *Tit.*, I, 16. — [5] *Deut.*, XXIII, 23. — [6] *Prov.*, VI, 12. — [7] *Eccle.*, V, 3.

probrosam : sicut, quando quis loquitur de membris Christi interioribus, blasphemat pessime, etiamsi verum dicat, et Christum despicit in eo, quod humilis fuit. Et tales divino judicio sunt exterminandi. Narrat enim Gregorius [1], quod quidam puer sex annorum consuetus fuit blasphemare; quadam die cum blasphemaret, et esset in sinu patris sui, raptus est a dæmonibus, et portatus in infernum. Propter quod dicitur in Levitico [2] : *Quicumque blasphemaverit, morte morietur.* Patet modo quibus modis assumimus nomen Dei in vanum.

SERMO IV.

De tertio præcepto.

Memento, ut diem sabbati sanctifices. Psalmista [3] : *Misericordia Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes eum, et justitia illius in filios filiorum his, qui servant testamentum ejus.* Indigemus divina misericordia condonante offensas nostras, et divina justitia recompensante merita nostra. Sed timor Dei facit invenire misericordiam, et observantia mandatorum, justitiam. Consideratio autem magnificentiæ Dei inducit ad timendum; consideratio divinæ legis inducit ad observantiam mandatorum. Et propter hæc innuitur nobis, ut semper cogitemus divinam legem. Unde Judæi die sabbati consueverunt semper disputare de lege Dei, quia hoc est opus Dei. Et ut perfecte possimus loqui de lege Dei, ideo rogemus Deum in principio [4], etc.

Memento, etc. Dicebam vobis, quod in tabula prima continentur tria mandata nos ordinantia ad Deum, secundum tria appropriata tribus personis divinis. In primo mandato præcipitur humilis adoratio divinæ majestatis; in secundo, fidelis confessio summæ veritatis; in tertio sincera dilectio summæ bonitatis : et hoc tertium præceptum est. Et est summa verborum [5] : *Memento ut diem sabbati sanctifices.* Sequitur : *Sex diebus operaberis, et facies omne opus tuum; septima vero die non facies omne opus tuum, tu, et filius tuus, et filia, servus et ancilla, jumentum et advena qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Deus cœlum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt, et septima die requievit. Ideo benedixit, et sanctificavit illum.* Videte quod in his verbis Spiritus sanctus scripsit tabulas; quia Spiritus sanctus per digitum Dei intelligitur, qui omnia præcepta scripsit cum summa diligentia; hæc scripsit insinuans mandati integritatem et consummationem. In hoc autem mandato aliquid præcipit, aliquid concedit, et aliquid interdicit. Præcipit sanctificare diem sabbati, ibi : *Memento ut diem sabbati sanctifices.* Sanctificatio enim est convertens animam ad Deum sanctum, ad Deum verum, et ad Deum summe diligendum. Aliquid concedit in isto mandato, ibi : *Sex diebus operaberis, et facies omne opus tuum.* Aliquid vero interdicit, scilicet opus servile, ibi : *Nullum opus facies in eo.* Hæc est perfecta vacatio, quæ habet adjunctam bonam operationem, et prohibitam servilem. Ratio præcepti subjungitur, ibi : *Sex diebus fecit Deus cœlum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt, et septimo die requievit. Ideo benedixit, et sanctificavit illum.* Sed quare præcepit vacare? Certe, quia benedixit, et sanctificavit illum. Ideo et tu, creatura, quæ es Christi imitatrix, debes hoc facere. Modo Judæi insultant nobis, et dicunt : Vos tenetis Decalogum; et Decalogus non habuit nisi præcepta moralia : morale autem necessitatem habuit pro omni tempore. Septima autem dies, in qua non licet operari, a prima die, in qua licet operari, est dies sabbati, quæ dicitur dies Saturni : et vos vacatis die Dominico pro die Saturni. Item dicitur : *Omne opus non facies in die illa :* et vos facitis multa opera, et ita totum dissipatis. Videte, charissimi : intelligendum est ita, quod præceptum illud

Obj- ciunt dæi quo sabb tum r sanct cemu:

[1] Greg., *Dialog.*, lib. IV, c. XVIII. — [2] *Levit.*, IV, 16. — [3] *Psal.* CII, 17-18. — [4] Ut sup., serm. II, pag. 232, col. 2. — [5] *Exod.*, XX, 8-11.

habet aliquid quod est mere morale, et habet aliquid quod est mere cæremoniale, et habet aliquid mixtum ex morali et cæremoniali. Quod præcipit Dominus sanctificationem, id est, vacationem ad amandum (*a*), hoc est vere præceptum. Unde dicit beatus Petrus [1], quod quilibet tenetur Dominum sanctificare in corde suo, id est, amare. Ille sanctificat, sive sabbatismum facit, qui Deum supra omnia diligit propter se, et non propter aliud. Item est in præcepto aliquid figurale, sicut diei septimæ feriatio. Dies septima significat quietem animarum, et quietem Domini in sepulcro, et cessationem ab opere servili cum vacatione et deprecatione [2]. Deus enim sex diebus operatus est omnia, non quia non potuisset fecisse una die; sed intelligendum est hoc, quod mundus aliquid habet in arte æterna, scilicet esse æternum, quod est æternitas vitæ et possessio una, in quo nihil est prius, nec posterius; et hoc impressit Deus mentibus angelicis. Item habet mundus aliquid in intelligentia creata, scilicet prius et posterius natura, simul secundum durationem : non secundum naturam, secundum quod est in materia; non propter defectum operantis, sed propter condescensionem ipsius, ut coaptaret omnia, et omnia in primis operibus designaret. Et sicut omnium operationum in primis operibus produxit; sic et seminaria omnium operum, et quietationem plene produxit. Et quia septimo die requievit, et intellectualem ad esse (*b*) creaturam revocavit [3], et septimo die animas in sepulcro reduxit ad quietem paradisi. Significatio igitur diei septimæ est figuralis quietis animarum. Sic igitur in mandato illo continetur aliquid quod est morale, scilicet, ut Deus super omnia diligatur; et aliquid quod est cæremoniale, ut figuratio die septimæ. Item continetur aliquid quod est partim morale, et partim cæremoniale, ut cessatio ab operibus : et hoc in quibusdam generaliter est intelligendum, in quibusdam specialiter. Si intelligamus sicut Judæi, qui dicunt quod debet fieri universalis cessatio ab opere servili, sic insinuatur Christiano, quod debet abstinere ab omni peccato, et sic est figurale. Si intelligamus, quod ab aliquibus debemus abstinere, sic est morale, non sicut in præcepto, et (*c*) sicut in bene esse, et remansit sicut in ecclesiastica institutione est præceptum. Dico opera servilia opera mechanica, quæ sunt septem [4], scilicet agricultura, quæ comprehendit omnem modum colendi terram; lanificium, quod consistit in omni genere vestimentorum; fabricatio, sive sit in materia ferrea, sive lapidea, sive metallica, sive lignea; venatio, quæ comprehendit equorum et venatorum opus, et omnem modum pistorum, coquorum, et omnem modum præparandi cibos; medicina, quæ consistit in arte conficiendi pigmenta vel syrupos, et hujusmodi; navigatio, quæ comprehendit omne opus nautarum in mari, sive omne opus mercationis; et theatrica, quæ comprehendit omnem modum ludi, vel jucunditatis. Modo dico, quod in omnibus istis sunt quædam meræ servilitatis, quædam continuæ necessitatis, quædam meræ jucunditatis. Illa quæ sunt meræ servilitatis prohibentur ab Ecclesia. Illa autem, quæ sunt continuæ necessitatis, sicut illa quæ sunt ad conservationem vitæ, vel sanitatis, conceduntur in quantum sunt necessitatis, et prohibentur in quantum sunt servilitatis. Illa vero, quæ sunt meræ jucunditatis, sunt permissa, non prohibita, quia propter parvitatem nostram permittuntur ab Ecclesia. Et sic poterimus respondere.

Sed dices : Quare confudit et miscuit moralia et cæremonialia simul? Dico, quod hoc præceptum : *Memento, ut diem sabbati sanctifices*, etc., est de charitate, et quid-

[1] I *Petr.*, III, 15. — [2] Vid. *Breviloq.*, part. II, c. II, tom. VII, pag. 260, et *Centil.*, part. III, sect. XXXIII, ibid., pag. 402. — [3] Locus corruptus. — [4] Vid. *De Reduct. artium ad Theolog.*, sup., tom. VII, pag. 499; Hug. de S. Vict., *Exc. prior.*, lib. I, c. XIV, et *Didascal.*, lib. III, c. XXI.

(*a*) *Suppl.* Deum. — (*b*) *Forte legendum* ad se. — (*c*) *Item* sed.

quid patet et latet in aliis, in isto mandato consummatur. Et ideo miscuit simul moralia et cæremonialia, ut melius ad memoriam reduceremus, ne si specialiter poneret, gravaretur memoria nostra. Sunt autem tria, quæ requiruntur ad perfectam dilectionem : primum est divina vacatio, convertens animam in Deum; secundum, imitatio Christi in bonis operibus; tertium est cessatio ab omni opere servili, quæ cor reddit purum et mundum. Conversio autem in Deum est secundum septem opera, quibus anima convertitur ad perfectam vacationem in Deum, quorum tria sunt intrinseca, quæ fiunt meditando, orando et exultando. Ex istis tribus fit contemplatio. Alia sunt extrinseca, quæ fiunt legendo, psallendo, sacrificium offerendo, divinam legem adimplendo. Et hoc fit sive audiendo, sive docendo, sive cum aliis conferendo. Hoc est quod dicit : *Memento, ut diem sabbati sanctifices*, etc. Mandat igitur Dominus primo vacationem convertentem animam in ipsum. Secundo mandat sui imitationem, cum dicit : *Sex diebus operaberis*. De ista imitatione dicit Apostolus[1] : *Imitatores Dei estote, sicut filii charissimi*. Et in Luca[2] : *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est*.

Opera misericordiæ.

Sex autem sunt opera misericordiæ, scilicet pascere esurientes, potare sitientes, vestire nudos, colligere hospites, visitare infirmos, et redimere captivos. Aliter enim impossibile est esse opus virtutis, nisi creatura in istis conformetur Christo. Ad opus autem virtutis requiruntur sex correspondentia sex operibus virtutis, quæ sunt circumspectio provida, intentio recta, affectio pura, electio recta sive justa, prosecutio vigorosa, et informatio charitativa. Primum intelligitur in opere primæ diei, quando dixit Deus[3] : *Fiat lux. Et facta est lux*. Hoc est circumspectio provida. Secundo oportet, quod homo ponat sibi rectum finem in Deum; et hoc notatur, cum dicitur[4] : *Fiat firmamentum in medio aquarum. Et vocavit Deus firmamentum cœlum*. Oportet, quod homo agatur sursum, et habeat rectam intentionem ad Deum. Tertio requiritur affectio pura, et hoc intelligitur in tertio opere[5] : *Divisit Deus terram ab aquis*, id est, affectiones sæculares a divinis. Quarto requiritur electio justa, sive recta, ut ordinate faciat quæ debet facere, et hoc notatur in quarto opere, cum dicit[6] : *Fiant luminaria in firmamento cœli*, id est, sint opera nostra ordinata. Quinto requiritur prosecutio vigorosa, quod notatur in quinto opere, quando Deus produxit animam vivam, in aquis natatilia, in aere volatilia. Sexto fecit Deus integra opera supervestita omnibus circumstantiis, secundum quod exigit lex divinæ charitatis. Charitas autem est forma perfectiva omnium, et ille qui habet charitatem, habet omnia ista sex. Sextum igitur opus virtutis est informatio charitativa; quod notatur, cum dicitur[7] : *Fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam*. Quando hominis opus integratur ex istis sex, tunc dicitur recte vivere. Sed non sufficit facere virtutis opus, nisi homo caveat ab opere vitioso; et hoc tangitur cum dicit[8] : *Nullum opus facies in eo*.

Peccatum quinque modis homini commititur potest.

Quinque modis potest homo facere peccatum : primo, quando peccatum perpetrat; secundo, quando ad peccandum alium incitat; tertio, quando peccantem defensat; quarto, quando peccantem acceptat; quinto, quando peccantem dissimulat, nec arguit, nec punit : et hoc est maximum periculum, quando quis alium castigare negligit. Primum peccatum tangitur, cum dicitur : *Nullum opus facies in eo*, id est, tu nullum perpetrabis peccatum. Secundum peccatum tangitur, cum dicitur : *Nec filius, nec filia*, id est, non eris pater peccati, instigando alium ad peccatum verbo, vel opere, vel exemplo. Tertium peccatum tangitur, cum dicitur : *Nec servus tuus, nec ancilla tua*. Ille qui facit peccatum, servus est peccati; sed ille

[1] *Ephes.*, v, 1. — [2] *Luc.*, vi, 36. — [3] *Gen.*, i, 3. — [4] Ibid., 6. — [5] Ibid., 7. — [6] Ibid., 14. — [7] Ibid., 26. — [8] *Exod.*, xx, 10.

qui defensat peccatum, dominus est peccati, illi præbendo patrocinium, qui facit peccatum. Quartum peccatum est, quando aliquis peccantem acceptat, quod notatur ibi : *Nec jumentum tuum*. Jumentum, cum fuit ligatum, non ducebatur ad opus, nisi acceptante domino, et ista acceptatio est religatio. Quintum peccatum est quando aliquis alium castigare negligit, quod tangitur cum dicit : *Non advena, qui est intra portas tuas*. Advenam quis reputat hominem, quando dicit ad alium : Quid ad me de peccato suo? Et sic quando homo non punit peccatum alterius, efficitur particeps peccati illius. Aliis etiam multis modis efficitur homo particeps peccati alterius. Et propter hoc dicit Psalmista [1] : *Ab occultis meis, munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo.*

SERMO V.

De quarto præcepto.

[2] *Honora patrem tuum, et matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus daturus est tibi.* In Ecclesiastico dicitur [3] : *Quæ præcepit tibi Deus, cogita illa semper, et in plurimis operibus ejus ne fueris curiosus.* Verba ultima specialiter dicuntur litteratis, in quibus docet Ecclesiasticus cogitare utilia, et visitare curiosa. Utilia autem dirigunt nos in viam salutis; sed curiosa distrahunt nos a via salutis, et dissipant intelligentiam nostram. Magna pars intelligentiæ perditur propter curiositatem; et tamen nihil est pretiosius intelligentia in nobis. Dolemus, cum perdimus aurum : multo plus dolere debemus, si amittamus intelligentiam, quia nihil est ita charum sicut actus intelligentiæ. Sumus dicturi de præceptis, et indigemus quod Dominus illustret intelligentiam nostram : ideo rogemus Deum in principio [4], etc.

Honora patrem tuum, etc. Dicebam quod sicut anima rationalis ordinari habet ad Creatorem et ad creaturam, secundum hoc est duplex tabula, in qua lex Dei est scripta. In prima tabula continentur tria mandata, secundum tria appropriata tribus personis divinis, et secundum triplicem operationem animæ. In primo mandato præcipitur humilis adoratio summæ majestatis; in secundo, fidelis confessio summæ veritatis; in tertio, sincera dilectio divinæ bonitatis. Ista tria mandata sunt fundamenta omnium præceptorum legis. Et propter hæc tria omnis timoratus, verax et Deo devotus tenetur ista principaliter custodire. Modo dico, quod in secunda tabula continentur septem præcepta : unum est affirmativum, et sex sunt negativa. Ratio distinctionis est hæc : quia omnia mandata reducuntur ad duo : Hoc facias alii, quod tibi vis fieri; Non facias alii, quod tibi non vis fieri. Et juxta hoc accipiuntur duo præcepta : primum est innocentiæ; secundum est beneficentiæ : quæ sunt duæ partes justitiæ. Modo dico ulterius, quod præcepta ordinantur secundum ipsorum nobilitatem, et beneficentia melior est, quam innocentia : ideo mandato innocentiæ præponitur mandatum beneficentiæ, et est synecdochice traditum Judæis, sicut : *Honora patrem tuum et matrem tuam*, etc. Et ponitur hic primo forma mandati, cum dicitur (*a*) : *Honora*, etc. Secundo subditur promissio, cum dicitur : *Ut sis longævus*, etc. Intellige secundum litteralem intelligentiam. Pater nominat personam generantis, personam instruentis, et personam educantis : quia pater habens filium, generat ipsum, instruit ipsum, et nutrit, et ipsius est filio legare bona sua. Et sic pater tenet rationem originis, rationem regiminis, et rationem benefactoris. Et secundum hoc debetur ei triplex honor : honor reverentiæ, honor obedientiæ, et honor beneficentiæ.

Primo dico : patri, in quantum tenet rationem originis, debetur honor reverentiæ. Unde in Ecclsiastico [5] : *Qui timet Deum, honorabit patrem suum et matrem suam, et*

Patri triplex honor debetur.

[1] *Psal.* XVIII, 14. — [2] *Exod.*, XX, 12. — [3] *Eccli.*, III, 22.— [4] Sup., serm. I, p. 232, col. 2.— [5] *Eccli.*, III, 3.

(*a*) *Cæt. edit.* dicit.

quasi dominis serviet eis, qui se genuerunt. Secundo, patri ratione regiminis debetur honor obedientiæ; unde Paulus [1] : *Filii, obedite parentibus vestris; hoc enim justum est. Honora patrem tuum, et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, ut bene sit tibi, et sis longævus super terram.* Tertio, honor debetur patri, quia rationem tenet benefactoris, honor scilicet beneficentiæ. Unde dicitur in Ecclesiastico [2] : *Fili, suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vita illius.* Præcipitur igitur, quod triplex honor impendatur parentibus, scilicet honor reverentiæ, obedientiæ et beneficentiæ. Et hoc est primum mandatum, quod debes custodire propter promissionem, scilicet, *ut bene sit tibi, et sis longævus super terram.* Et tangitur primo mandatum ibi : *Honora patrem tuum et matrem tuam;* secundo additur promissum ibi : *Ut sis longævus super terram*, etc.

Longævitas honoranti patrem quomodo promissa.

Sed numquid verum est semper, quod diutius vivant? Videmus hoc falli quandoque : ergo Deus fallax erit in suo promisso. Dico quod longævitas non solum attenditur secundum longitudinem dierum currentium, sed secundum valorem. Et secundum quod est triplex honor qui exhibetur parentibus, sic respondet huic triplici honori triplex præmium. Honoranti patrem honore reverentiæ, debetur vita gloriosa, sive honorifica. Honoranti patrem honore obedientiæ, debetur vita jucunda. Honoranti patrem honore benificentiæ, conceditur vita opulenta. Primo dico : Honoranti patrem honore reverentiæ, conceditur vita gloriosa, sive honorifica; unde Ecclesiasticus [3] : *Gloria hominis ex honore patris sui.* Item ibidem [4] : *Ne glorieris in contumelia patris tui : non enim est tibi honor, sed confusio.* Naturale enim est, quod filius vehementissime diligit patrem, et indignatur quando aliquis injuriatur patri. Secundo, honoranti patrem honore obedientiæ, conceditur vita jucunda; unde Ecclesiasticus [5] : *Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis, et in diebus orationis suæ exaudietur. Qui honorat patrem suum, vita vivet longiore; et qui obedit patri suo, refrigerat manum suam.* Summa jucunditas est, quod homo non sit rebellis superiori suo : quia qui rebellis est superiori, inveniet rebellem inferiorem; et contemptor superiorum potestatum, contemnetur ab inferioribus : sicut Adam, quando fuit inobediens superiori suo, omnia inferiora sua, quæ sibi fuerant subjecta, habuit contraria. Tertio, honoranti patrem honore beneficentiæ, conceditur vita opulenta; unde Ecclesiasticus [6] : *Honora patrem tuum et matrem tuam, et superveniet tibi benedictio, et benedictio tua in novissimo manebit.* Benedictio ista vocatur multiplicatio bonorum. Ecce præceptum, et ecce promissio. Obligamur ad obediendum parentibus, quamdiu utimur ipsorum bonis; et debemus eis obtemperare in exercitatione actuum virtuosorum, sive salubrium, in dispensationibus temporalium et in subministratione obsequiorum. Debemus etiam vivere secundum eorum consilium, et expendere secundum eorum imperium, et quando exegerit necessitas, subministrare eis obsequium. Si tamen parentes aliquid velint, vel dicant, vel imperent nobis, quod sit contra profectum salutis nostræ, non est ipsis in illis pietas exhibenda. Et hoc est, quod dicit Dominus in Evangelio [7] : *Qui non odit patrem suum aut filios propter me, non potest meus esse discipulus.* Vult Dominus, quod ex affectu paterno non dimittat homo facere quod pertinet ad salutem suam. Et hoc est, quod dicit Dominus [8] : *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos; tu autem vade, et annuntia regnum Dei.* Et Hieronymus dicit [9] : « Si pater in limine jaceat, si mater ubera, quibus te lactavit, ostendat, per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, et ad vexillum crucis evola. Solum enim genus

[1] *Ephes.*, VI, 1-3. — [2] *Eccli.*, III, 14. — [3] Ibid., 13. — [4] Ibid., 12. — [5] Ibid., 6, 7. — [6] Ibid., 10. — [7] *Luc.*, XIV, 26. — [8] *Matth.*, VIII, 22. — [9] Hieron., *ad Heliod.*, epist. I.

pietatis est, in hoc esse crudelem. » Ecce intellectus verborum secundum sensum litteralem. Videte latiorem intellectum.

Præcipitur beneficentia ad omne genus hominum. Pater nominat personam in qua est præcipua ratio auctoritatis, antiquitatis et amicabilitatis. Primo dico : in patre est auctoritas : et in isto mandato datur præceptum, quod obediatur patri, qui habeat auctoritatem. Auctoritatem autem habet omnis, qui præest reipublicæ, vel rei politicæ, vel rei monasticæ. Primo dico, quod ille, qui præest reipublicæ, est pater ratione auctoritatis, ut princeps, baro, comes, vel dux; et dicitur pater tutela, vel defensione : et eum debemus honorare. Unde beatus Petrus [1] : *Deum timete, principes* (*a*) *honorificate.* Secundo habet auctoritatem ille, qui præest rei politicæ sive ecclesiasticæ. Et ipsum debemus honorare, secundum quod exigit dispositio ecclesiastica, et debet ei obedire vulgus. Unde Apostolus ad Hebræos [2] : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim vigilant* (*b*), *quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Tertio auctoritatem habet ille qui præest rei monasticæ, et illum debemus honorare et ei obedire, secundum quod regula et promissio facta est. Unde Hieronymus [3] : « Præpositum monasterii diligite ut patrem, timete ut dominum, audite ut magistrum; credite, ut salubre, quidquid ipse vobis dixerit. » Modo dico, quod istis debemus obedire, secundum quod exigit ordo vel auctoritas. Secundo, in patre intelligitur antiquitas; et ex hoc intelligitur debilitas : senes enim debilitantur. Et qui patrem honorat ratione antiquitatis et debilitatis, honorat omnem hominem qui indiget adjutorio, vel qui caret sensu, vel fortitudine, vel infestatur ab alio. Propter hoc debemus alium juvare per documenta, vel sustentamenta, et per patrocinia : et ad hoc specialiter sunt prælati. Si homo caret sensu, debent ipsum juvare per documenta; si caret fortitudine, debent ipsum juvare per sustentamenta; si infestatur ab alio, debent ipsum adjuvare per patrocinia. Tertio, in patre intelligitur ratio amicabilitatis, et in hoc intelligimus, quod ratione originis, amabilis et amandus est omnis homo, et tenetur quilibet homo alium honorare. Unde Apostolus [4] : *Honore invicem prævenientes.* Et iterum [5] : *Reddite omnibus debita : cui honorem, honorem. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.*

Homo quomodo est diligendus, et ordo in dilectione.

Debet homo alium diligere bene volendo cuilibet quantum ad effectum, et quantum ad signum. Habet autem ista dilectio ordinem, quia debemus diligere secundum rationem proximitatis, secundum rationem similitudinis, et secundum rationem obligationis. Primo dico : debemus diligere secundum rationem proximitatis ; et secundum hoc majorem amorem debemus domesticis, quam extraneis, et amicis plus, quam inimicis. Secundo habet dilectio ordinem secundum rationem similitudinis, quia aliquibus debemus ratione similitudinis majorem dilectionem, quam aliis : sic tenemur, ratione similitudinis in forma specifica, diligere hominem; secundum similitudinem ratione convenientiæ in fide, debemus plus diligere Christianum, quam Judæum vel gentilem ; et secundum rationem similitudinis in professione, maxime debemus diligere, sicut religiosus fratrem suum, et unus canonicus concanonicum suum. Tertio, ratione obligationis ,debemus diligere et tenemur obedire : et sic aliquibus plus tenemur, quam aliis. Teneor enim alium diligere et eum honorare, ratione præcepti tantum; teneor plus ratione præcepti et beneficii; et teneor maxime ratione præcepti, beneficii et promissi, id est, illum de quo est mihi præceptum, et recepi beneficium, et feci promissum, debeo plus diligere et honorare. Patet modo quod in verbis istis : *Honora*, etc., tangitur præceptum ; et quomodo secundo

[1] I *Petr.*, II,17. — [2] *Hebr.*, XIII, 17. — [3] Hieron., *ad Rustic.*, epist. III. — [4] *Rom.*, XII, 10. — [5] *Rom.*, XIII, 7, 8.

(*a*) Vulg. *regem.* — (*b*) *pervigilant.*

redditur promissum ibi : *Ut sis longævus*, etc. Deinde dictum est, quomodo intelliguntur secundum intelligentiam litteralem, et quomodo secundum spiritualem. Et ut melius teneatis in mente, dicam vobis duo exempla : unum bonum de illo, qui matrem honoravit, et aliud malum et crudele de illo, qui patrem non honoravit. Dicam primum de bono.

Exemplum de filio matrem honorante.

Fuit quidam magister magnus et famosus Parisiis, et a multis notus et dilectus. Hoc audiens mater sua paupercula, cogitavit ire ad filium suum, accepit baculum et in tunicella de burello venit Parisios, et quæsivit a quibusdam dominabus pro tali magistro. Dixerunt illi matronæ : « Quid vultis ab eo ? « Respondit : « Ego sum mater sua. » Tunc illæ matronæ duxerunt eam in domum suam, et refocillaverunt eam. Postea cogitaverunt, quod ille bonus homo verecundaretur, si videret eam in tali statu ; et induerunt ipsam bene, et dederunt ei mantellum, et iverunt secum ad magistrum. Tunc illa dixit : « Ego sum mater tua. » Respondit magister : « Vere ego non credo, quia mater mea est paupercula, et consuevit habere solum tunicellam de burello. » Et cum nullo modo vellet acquiescere verbis ejus, reduxerunt eam in domum suam, et reddiderunt ei tunicellam ejus, et baculum. Tunc illa accessit ad filium suum in congregatione multorum, et cum videret matrem suam in tali habitu venientem, deposuit caputium suum, et amplexatus est eam, et dixit : « Modo scio, quod es tu mater mea. » Hoc fuit divulgatum per villam, et reputatum est ei pro magno bono. Et postea factus est episcopus Parisiensis.

Exemplum cujusdam qui patrem non honoravit.

Aliud exemplum dicam malum de eo qui non honoravit patrem suum ; et vidi illum qui novit illum, cui hoc accidit. Fuit quidam homo pauper, qui per industriam suam multa acquisierat, et habebat unicum filium. Et videntes quidam nobiles, fecerunt quod contraxit filius cum filia cujusdam nobilis. Et tunc illa, quæ fuit pulchra et nobilis, incœpit abominari patrem, et fecit tantum cum marito suo, quod odio habuit patrem suum, et quod pater non habebat quid comederet nisi fabas malas, et semper in convivio expellebatur a domo. Quadam die fuit famelicus, et venit ad domum filii, et petiit cibum, et datæ sunt ei fabæ malæ, et expulsus est a domo. Tunc illa dixit marito suo : « Modo possumus comedere in pace. Vade ad arcam, et accipe caponem coctum. » Et cum aperuit arcam, mutatus est capo in bufonem, qui subito saliens ad faciem ejus, ponebat duos pedes ad mentum et duos ad frontem, et operuit totam faciem ejus, et non fuit medicus qui sciret eum amovere. Tandem venit quidam, qui fecit tenellas quasdam, et dixit, quod eum amoveret. Tunc bufo aspexit eum tam horribili vultu, quod ille cecidit in terram, et amplius non audebat aliquid facere : et nullus fuit qui sciret apponere consilium, sed mala morte mortuus est. Patet modo præceptum, et promissum quod promittitur.

SERMO VI.

De quinto, sexto et septimo præcepto.

[1] *Non occides. Non mœchaberis. Non furtum facies.* Psalmista ait [2] : *Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.* Jacobus dicit [3] : *Qui totam legem servaverit, offendit* (a) *autem in uno, factus est omnium reus.* Non quia pro una transgressione tantum punietur pœna sensus, sicut pro transgressione omnium ; sed punietur tantum [4] pœna damni, non tamen ita acriter pro uno, sicut pro omnibus. Ideo, si quis vult pertingere ad vitam æternam, oportet quod perspiciat in omnibus mandatis Dei corde et opere. Et ideo dixit Psalmista : *Cum perspexero*, id est, perfecte inspexero et consideravero, et juxta hoc ego non timebo confundi. Non est magnum con-

[1] *Exod.*, XX, 13-15. — [2] *Psal.* CXVIII, 6. — [3] *Jac.*, II, 10. — [4] Id est tantumdem.

(a) Vulg. *Si quis... offendat.*

fundi in præsenti; sed confundi æternaliter, hoc debemus abhorrere. Sed tamen non possumus evadere istam confusionem, nisi perspiciamus in omnibus mandatis Dei. Ideo Deum rogemus in principio[1], etc.

Præcep- n V. *Non occides*, etc. Præceptum v. Dicebam vobis, quod mandata Dei distinguebantur in duas tabulas. In prima continentur mandata secundum legem justitiæ ordinantia nos ad Trinitatem; qua continentur tria mandata, secundum tria appropriata tribus personis. In secunda tabula continentur mandata ordinantia nos ad proximum, et hoc secundum duplicem partem justitiæ, scilicet innocentiæ et beneficentiæ. Reducitur autem tota justitia ad tria : quia Deo debemus exhibere debitam reverentiam per orationem, confessionem et satisfactionem, patri debemus exhibere beneficentiam, et omnibus aliis innocentiam. Dictum est de tribus mandatis, quæ nos ordinant ad Deum; dictum est etiam de quarto mandato, quod accipitur penes partem justitiæ, quæ est beneficentia, in quo præcipitur, quod debemus exhibere honorem patri et matri. Sequitur de sex aliis mandatis, quæ pertinent ad innocentiam.

xximo tri- citer s no- Nocet autem quis proximo suo tripliciter, perversitate operis, falsitate sermonis, et improbitate voluntatis : et propter hoc Legislator primo prohibet nocumentum, quod provenit ex perversione operis. Perversitas autem operis, qua quis injuriatur alii, est triplex : aut enim quis injuriatur alii in propria persona, aut in conjuncta persona, aut in temporali substantia : et secundum hæc sunt tria mandata, quæ pertinent ad innocentiam. In primo prohibetur nocumentum in propria persona, ibi : *Non occides;* in secundo prohibetur nocumentum in persona conjuncta, ibi : *non mœchaberis;* in tertio prohibetur nocumentum in substantia temporali, ibi : *Non furtum facies.*

Primo dico : cum dicitur, *Non occides*, prohibetur ira prorumpens in injurias peremptivas vitæ naturalis sive substantialis, et vitæ incolumis, et vitæ honorabilis : natura enim appetit quod melius est, et ideo non sufficit sibi quod habeat vitam subsistentem, imo cum hoc vult vitam salubrem et incolumem. Ergo in isto mandato, *Non occides*, Legislator prohibet primo iras prorumpentes in injurias peremptivas vitæ naturalis; secundo prohibet iras prorumpentes in injurias vitæ incolumis, scilicet quando fit injuria per verbera, vel vulnera; tertio prohibet iras prorumpentes in injurias vitæ honorabilis, sicut est injuria quæ est in contumeliam apertam vel occultam, sicut illa quæ fit per signum. Unde dictum est in Evangelio[2] : *Audistis quia dictum est antiquis :* Non occides. *Ego autem dico, quod omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, Racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Ergo planum est, quod tribus modis facit homo contra illud mandatum, scilicet quando quis irascitur fratri suo, vel quando dicit, *Racha,* vel quando dicit, *Fatue.* Et quando hoc facit ex deliberatione animi, tunc dicitur (*a*), quod reus est gehennæ ignis. Et quia vita naturalis fundamentum est respectu aliarum, ideo sub isto modo, *Non occides*, Legislator expressit mandatum.

Manichæi autem objiciunt nobis, et dicunt, quod contradicit sibi Legislator; dicit enim: *Non occides;* et alibi dicit[3] : *Maleficos non patieris vivere.* Et hoc est contra principes in Christiana lege, qui per sententiam judiciariam alios occidunt. Item objiciunt, quod Dominus dicit[4] : *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt :* ergo non licet gladium accipere. Et similiter dicunt, quod non licet sacerdotem esse occisorem. Et hoc est contra Ecclesiam et ecclesiasticas personas, qui, exequendo judicium et imperando, accipiunt gladium. Item objiciunt, quod dicitur[5] : *Ego autem dico vobis non resis-*

[1] Ut sup., serm. II, pag. 232, col. 2.— [2] *Matth.*, v, 21-22. — [3] *Exod.*, XXII, 18. — [4] *Matth.*, XXVI, 52. — [5] Ibid. v, 39.

(*a*) *Cæt. edit.* dicit.

tere malo; et hoc est contra Legislatorem.

Intelligere debemus, quod prohibetur hic occisio hominis, non bestiarum, vel virgultorum, sicut dicebant antiqui Manichæi, qui nolebant comedere de fructibus arborum. Occisio autem hominis potest esse a lege, aut ab homine; in veritate, aut interpretative. Occisio autem hominis ab homine, sicut ab homine, non ut a lege, prohibetur : sed Deus, qui conditor est naturæ et conservator naturæ et legis, potest hominem privare vita, quando vult; lex autem occidit hominem, quando minister legis occidit, et hoc, servato justo ordine, justa causa et justo animo. Oportet quod adsit justus ordo et justa causa, id est, quod ex justa causa occidatur, quia lex dicit [1] : *Juste quod justum est exequeris* (*b*). Item oportet habere animum justum, ut homo, qui est minister legis, ex lege hominem occidat, non libidine vindictæ, sed amore justitiæ. Unde Apostolus ad Romanos, loquens ad principes, dicit [2], quod *princeps non sine causa gladium portat. Dei minister est, vindex in iram ei, qui male agit.* Quod igitur Dominus dicit Petro [3] : *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*, non refertur nisi ad hoc, quod ille qui non est minister legis, non debet occidere. Et quod dicitur : « Non licet sacerdotem esse occisorem, » hoc non refertur ad principes. Tertium quod dicit Dominus : *Ego autem dico vobis non resistere malo,* verum est ultionis libidine; sed amore justitiæ bene licet resistere malo. Patet modo, quod lex occidit hominem.

Tripliciter homo occiditur, et quando sit peccatum, et quando non.

Item occiditur homo ab homine tripliciter, aut casu, aut necessitate, aut voluntate. Si homo occidit hominem casu, aut adhibet operam rei licitæ, et adhibet debitam diligentiam, excusatur a tanto et a toto. Si autem sit homicidium casuale, et homo adhibet operam rei illicitæ, nec adhibet debitam diligentiam, nec excusatur a tanto, nec a toto. Si autem fuerit homicida ex necessitate, hoc est dupliciter, aut ex necessitate inevitabili, aut evitabili. Necessitas evitabilis est, si possum effugere, sed dimitto propter verecundiam vel aliam causam, et in isto casu excusatur a tanto, et non a toto, quia melius esset, quod fugeret. Si autem sit necessitas inevitabilis, ut homo occidat alium hominem non amore vindictæ, sed amore conservationis vitæ et animæ, ut non interficiat ipsum ex crudelitate, sed ut impediat ipsum, ne perdat suam vitam et animam, et fiat hoc cum moderamine inculpatæ tutelæ, hoc concessum est personis etiam perfectis, non solum imperfectis; et hoc dicit Augustinus [4], *De Libero Arbitrio;* et excusatur a tanto, et a toto. Tertio modo fit homicidium ab homine voluntate, et hoc dupliciter : aut libidine vindictæ, sicut quando aliquis interficit patrem alterius; aut animi crudelitate, sicut latrones vel iracundi interficiunt aliquos : et utrumque istorum est prohibitum; et est primum gravius quam secundum. Item fit homicidium interpretative in animo, et hoc tripliciter. Primo fit homicidium interpretative omittendo in facto. Unde dicit Ambrosius [5] : « Pasce fame morientem; si non paveris, occidisti. » Secundo modo fit, quando aliquis occidit alium consulendo, vel accusando, vel detrahendo, quando hoc facit ex malignitate animi. Tertio modo fit homicidium interpretative in animo, odiendo. Unde canonica Joannis [6] : *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Dico ergo, quod secundum principalem intellectum prohibetur hic occisio, non quæ est secundum legem, sed quæ est secundum hominem; et illa quæ fit voluntate, aut interpretative. Et hoc est quod dicit : *Non occides.*

Sequitur : *Non mœchaberis.* Hic prohibetur, quod uxorem proximi tui non violes. Et dicit Augustinus [7], quod hic prohibetur « omnis illicitus usus membrorum genera- Præ- tum

[1] *Deut.*, XVI, 20. — [2] *Rom.*, XIII, 4. — [3] *Matth.*, XXVI, 52. — [4] Aug., *De Lib. Arb.*, lib. I, n. 10. — [5] Refertur ex Ambros., dist. LXVI, c. *Pasce.* — [6] I *Joan.*, III, 15. — [7] Aug., *in Exod.*, q. LXXI, prope fin.

(*a*) *Vulg.* persequeris.

tionis, » qui fit ad procurationem libidinis et impugnationem castitatis. Et hoc fit septem modis : per adulterium, fornicationem, meretricium, stuprum, sacrilegium, incestum et peccatum contra naturam. Notandum, quod est pudicitia conjugalis, communis et privilegiata. Secundum hoc dico, quod (*a*) aliquis est impugnator pudicitiæ conjugalis, secundum hoc fit adulterium, et hoc fit cum peccat cum conjugata. Aut est impugnator castitatis communis : et hoc fit cum peccat cum soluta simpliciter, et vocatur simplex fornicatio; vel cum peccat cum vagabunda et prostituta, licet sit soluta, tunc vocatur meretricium. Si autem sit impugnator pudicitiæ privilegiatæ, id est virginitatis, hoc est dupliciter : aut fit cum conditione adjuncta, quæ est defloratio, et sic vocatur stuprum; aut fit cum Domino Deo consecrata, et sic dicitur sacrilegium, hoc est quando aliquis Domino consecratam violat. Si autem fit contra fundamentum omnium istorum, sic dicitur peccatum contra naturam. Et hoc est dupliciter : aut fit contra dictamen naturalis rationis, scilicet contra hoc, quod omnia animalia natura docuit, sic dicitur peccatum contra naturam proprie; aut fit contra instinctum naturæ, et hoc modo est incestus, quando quis peccat cum persona sibi conjuncta. Peccatum contra naturam scelestissimum est, et super omnia fugiendum : et de hoc crimine accusavit Joseph fratres suos apud patrem suum *crimine pessimo* [1]. Dicit igitur : *Non mœchaberis.* Hic prohibetur omnis mœchia cum uxore proximi, et secundum Augustinum [2], « omnis illicitus usus membrorum generationis, » qui fit ad procurationem libidinis cum impugnatione castitatis. Patet modo secundum quod accipiuntur transgressiones hujus peccati : et peccatum contra naturam super omnia est fugiendum. Sed de peccato contra naturam narrat Petrus Damianus, quod erant duo in deserto qui asperrimam faciebant pœnitentiam : et unus fuit idiota, et suis peccatis exigentibus illusus est a diabolo, qui dixit ei, quod peccatum pollutionis contra naturam non majus esset peccatum, quam si homo mucilagines projiceret a naso suo. Tunc ille pestifer exercuit se ad illam impudicitiam. In morte autem portavit animam suam diabolus. Miratus est alius, quod ille qui fuit tantarum vigiliarum et laborum, fuit perditus. Et astitit Angelus Domini, qui dixit illi, quod totum se fœdaverat per illud peccatum. Omnis igitur actus qui est in experientia libidinis, qualicumque modo fiat, est prohibitus, nisi fiat in forma matris Ecclesiæ. In somnis patitur homo quandoque pollutiones absque causa et absque culpa. Sed quidam stultus presbyter cuidam confitenti de pollutione nocturna dixit : Non potes habere denarium ad explendam libidinem tuam? Patet modo quomodo prohibetur hic illicitus usus corporis et membrorum, procuratus extra formam matrimonii; et hoc tangitur, cum dicit : *Non mœchaberis.*

Præceptum VII.

Sequitur : *Non furtum facies.* Furtum est attrectatio rei alienæ invito Domino, si fiat ex cupiditate; sed si non fiat ex cupiditate, non est furtum, sicut filii Israel, ex Domini præcepto [3], portaverunt secum ex Ægypto vasa argentea et aurea. Vel qui alii aufert gladium, ne faciat malum, tunc non dicitur furtum.

Furtum triplici-ter fit.

Furtum autem dividitur per partes, quia furtum est contrectatio alienæ rei invito Domino, etc., et hoc fit aut per meram fraudem, aut per violentiam, aut per circumventionem. Primo modo, cum fit per meram fraudem et furtive, sic dicitur furtum. Si fiat per violentiam, hoc est dupliciter : aut est apertum, et sic dicitur rapina; aut est occultum, et sic dicitur latrocinium. Si vero fiat attrectatio rei alienæ per circumventionem, hoc potest fieri cum pactione adjuncta, et hoc tripliciter : aut cum pactione fraudulenta, aut iniqua, aut profana. Si fit cum pactione fraudulenta, sic fit in negotiationibus, hoc

[1] *Gen.*, XXXVII, 2. — [2] Aug., ubi sup. prox. — [3] *Exod.*, XI, 35.

(*a*) *Suppl.* si, *vel forte* aut.

autem fit tripliciter : aut in pondere, aut in numero, aut in mensura : et de hoc rarissime evadunt mercatores. Si autem fiat cum pactione iniqua, sic est usura, in qua id, quod venditur, est commune, scilicet tempus. Si autem fiat cum pactione profana, in qua illud, quod venditur, est proprium, sic dicitur simonia.

Nota de usura.

Sed quæritur : Si accommodo tibi vestem, vel equum, vel domum, et accipio denarios, non est usura, sicut de pecunia. Dico, quod in veste, vel equo, vel domo, trahitur usus ex re, non ex pecunia, et ideo non dicitur usura. Aliqui credunt, quod usura sit mala, quia prohibita ; sed certe est prohibita, quia mala. Item in mutuo meum fit tuum ; et si tu aliquid acquiris per industriam tuam ex illo mutuo, et ego aliquid de illo repeto, vendo tempus quod est commune, quod non est licitum vendere ; sed in accommodato non transit mea res in tuam. In mutuo pecunia mea fit tua, et non minoratur pecunia, nec pejoratur ; sed in accommodato domus mea, vestis mea non fit tua, et minoratur, et pejoratur domus vel vestis, et tu elicis ex ea utilitatem tuam non sicut ex tuo, sed sicut ex re mea, et diminuitur, et pejoratur. Pecuniam autem mutuatam totam et integram oportet quod mihi reddas : et ideo non excusor, cum peto aliquid de mutuo : et est ibi perversio ordinis et appropriatio communitatis. Et debet quilibet sibi cavere de hoc : et sic, si sit circumventio cum pactione iniqua, dicitur usura. Si autem fiat circumventio cum pactione profana, sic dicitur simonia, in qua qui vendit, nihil acquirit, et ille qui emit, nihil habet, sed solum rem alienam contrectant : et hoc est cum res spiritualis venditur tanquam res vilis. Contra istos dicit Dominus [1] : *Nolite domum Patris mei facere domum negotiationis.* Sed quidam faciunt eam speluncam latronum. Unde Dominus dicit per prophetam [2] : *Principes ejus in muneribus judicabant, et sacerdotes ejus in mercede docebant, et prophetæ ejus in pecunia divinabant.* Rogemus ergo Dominum Jesum Christum, etc.

[1] *Joan.*, II, 16. — [2] *Mich.*, III, 11. — [3] *Deut.*, XXX, 15-16. — [4] Ut sup., serm. II, pag. 232, col. 2.

SERMO VII.

De octavo, nono et decimo præcepto.

Non loqueris (a) *contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces rem proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus.* Unde dicitur in Deuteronomio [3] : *Considera, quod proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et e contrario mortem et malum, ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et custodias mandata illius.* In principio rogemus Deum [4], etc. Præceptum VI.

In Deuteronomio loquitur Moyses de decem mandatis, quæ Deus æternus per ipsius os proposuit, ut non despicerent ea Judæi : et ostendit, quod in observantia mandatorum est vita et bonum, et oportet quod omnia serventur ad hoc, quod illorum observantia sit vita et bonum. Ostendit etiam, quod in ipsorum transgressione est mors et malum, et quod in transgressione unius necesse est intelligere transgressionem omnium, quoad damnum, non quoad pœnam. Dicebam alias, quod prima distinctio mandatorum est secundum duplicem partem justitiæ, quæ nos ordinat ad Deum et proximum, et secundum hoc duæ tabulæ datæ sunt Moysi. In prima continentur mandata quibus ordinamur ad Deum, et sunt tria ; in secunda continentur mandata quibus ordinamur ad proximum, et sunt septem. Dicebam etiam, quod in secunda tabula est unum mandatum affirmativum, et sex negativa. De affirmativo et tribus aliis negativis habitum est.

Sequitur modo de aliis, quorum primum est : *Non loqueris* (a) *contra proximum tuum falsum testimonium.* In isto mandato negativo prohibetur mendacium quod nocivum est proximo ; et secundum generalem intellectum prohibetur hic omne mendacium perniciosum, et datur intelligi quod omne

(a) Cæt. edit. *loquaris.*

Mendacium triplex.

mendacium est malum. Augustinus autem[1] distinguit mendacium, et dicit, quod est mendacium officiosum, jocosum et perniciosum. Mendacium officiosum est, quod nulli obest, et alicui prodest. Mendacium jocosum est, quod non fit causa nocendi, sed mentiendi libidine : et hoc nulli prodest, et nulli obest. Mendacium perniciosum est, quod fit intentione mentiendi, et ut noceat : et hoc semper obest, et nulli prodest. Et dicit Augustinus : « In primo mendacio est minima culpa; in secundo, mediocris ; in tertio est culpa gravis. »

Mendacium officiosum fit tripliciter, aut pro defendenda re alicujus temporali, aut pro tuenda vita, aut pro servanda castitate. Mendacium jocosum fit duobus modis, aut sola mentiendi libidine, aut causa placendi : et hoc est mediocris culpæ. Mendacium autem perniciosum tripliciter fit : aliquando in doctrina religionis contra sacram Scripturam ; aliquando in impositione falsi criminis : et istis duobus modis nulli prodest, sed omnibus obest. Aliquando fit mendacium perniciosum in causa alicujus : et sic alicui prodest, et alicui obest. Sic igitur sunt octo genera mendacii. Et dicit Augustinus, quod Deus potest facere quod furtum non sit peccatum ; sed non potest facere quod mentiri non sit peccatum. Et hoc est propter nobilitatem veritatis : quia mendacium est falsa vocis prolatio cum intentione fallendi : et Deus non potest recedere a veritate, quia est ipsa veritas ; sed potest dispensare, quod furtum non sit peccatum. Inter omnia quæ disponunt hominem, necessarium est quod servet fidem, et habeat veritatem in sermone. Unde Seneca : « Qui perdit fidem, non habet amplius quod perdat. » Patet modo de isto mandato : *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.*

Mendacium quid.

Præcepta I et X.

Postea subjungit duo præcepta : *Non concupisces rem proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus.* In quibus duplicem concupiscentiam, scilicet oculorum et carnis prohibet, quæ sunt fomenta omnium malorum, quia vis concupiscibilis infecta et corrupta corrumpit omnes alias animæ vires. Superius prohibetur actus illicitus exterior contra proximum, cum dicitur : *Non occides ; non mœchaberis ; non furtum facies ; non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Hic autem prohibetur actus illicitus interior, cum dicitur : *Non concupisces rem proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus.* Concupiscentia oculorum, sive cupiditas, radix est omnium malorum ; concupiscentia carnis est fomes omnium peccatorum. Et per istam duplicem concupiscentiam fit transfusio omnium malorum et peccatorum. Et ideo lex divina ipsam prohibet, et in hoc omnia mala et omnia peccata prohibet. Hæc est febris, qua omnes filii Adam febricitant, et generat omnia mala. In hoc igitur : *Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non loqueris* (a) *contra proximum tuum falsum testimonium*, præcipitur innocentia in actu exteriori ; in aliis : *Non concupisces rem proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus*, præcipitur innocentia in animo. Et sic patet, quæ sunt decem præcepta. In tribus primis præcipitur recta ordinatio ad Deum ; in quarto, recta ordinatio ad parentes ; in sex aliis præcipitur recta ordinatio ad proximum.

Resumamus in summa ista decem præcepta, quæ sunt : *Non habebis deos alienos coram me. Non assumes nomen Dei tui in vanum. Memento ut diem sabbati sanctifices. Honora patrem tuum et matrem*, etc. Intelligere debemus, quod quanquam quædam dicantur præcepta affirmativa, et quædam negativa, omnia tamen affirmationem et negationem in se continent. Quando Deus prohibet aliquid in uno mandato, præcipit contrarium ; et e converso, quando aliquid præcipit, prohibet contrarium ejus. In primo enim mandato præcipitur humilis adoratio divinæ majestatis, et prohibetur ido-

[1] Aug., *de Mendac.*, *ad Consent.*, c. XI-XV, et *in Levit.*, q. LXVIII.

(a) Cæt. edit. *loquaris.*

lolatria. In secundo præcipitur fidelis assertio divinæ veritatis, et prohibetur perjurium. In tertio præcipitur devota vel sincera dilectio divinæ bonitatis, et prohibetur indevotio. In quarto præcipitur pietas ad parentes, et prohibetur inhonoratio. In quinto præcipitur mansuetudo, et prohibetur iracundia. In sexto præcipitur pudicitia, et prohibetur mœchia. In septimo præcipitur largitas, et prohibetur furtum. In octavo præcipitur veritas, et prohibetur mendacium. In nono præcipitur liberalitas cordis, et prohibetur concupiscentia rei temporalis. In decimo præcipitur castitas mentis, et prohibetur concupiscentia carnis. Vide, quod omnia mandata continent affirmationem et negationem, et in omni præcepto est vita et bonum, mors et malum. Si facitis quæ præcipit Deus, et vitatis quæ prohibet, consequemini vitam et bonum. Sed si non facitis quæ præcipit Deus, et non vitatis quæ prohibet, incurretis mortem et malum. Ex legis observantia sequitur benedictio; ex transgressione sequitur maledictio. Ex observantia legis, efficitur homo reverens, fidelis, devotus, pius, mansuetus, pudicus, largus, veridicus, propriis contentus, sive liberalis, et corde impollutus; e contra ex transgressione legis efficitur homo idololatra, blasphemus, indevotus, impius, homicida, mœchus sive adulter, fur, falsidicus, cupidus, et carnalis. Igitur observator legis et transgressor plus distant a se, quam infernus et paradisus, quia unus est in centro, alius in circumferentia. Nec Deus cœli aliud facere potest, quia justus est, et se negare non potest.

Videte modo, quoniam omnes homines non addiscunt sapientiam nisi per flagella: et propter hoc Deus decem flagella, id est plagas, misit super terram Ægypti.

Prima fuit sanguinis; secunda, ranarum; tertia, multitudo cinifum; quarta, multitudo muscarum mordentium, scilicet caninarum; quinta, mortis pecorum et jumentorum; sexta, ulcerum sive vesicarum turgentium; septima, destructio bonorum temporalium per grandinem; octava, locustarum; nona, tenebrarum palpabilium; decima, mortis primogenitorum. Modo videte, quomodo Spiritus sanctus flagellavit Ægyptios, et manuducebat ad observantiam mandatorum: sic et nos propriissime manuducit. Decem sunt legis transgressores, et secundum hoc fuerunt decem plagæ.

Prima plaga sanguinis, qua percussi sunt idololatræ, quia (*a*) de ipsis dicit Psalmus[1]: *Effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaam.* Plaga qua p cussa Ægyptus.

Secunda plaga fuit ranarum, qua percussi sunt blasphemi et perjuri, qui comparantur ranis. Rana est animal clamosum, et seipsam clamando consumit. Similiter facit homo, quando stabilitatem veritatis perdit. Plaga

Tertia plaga dicitur cinifum, qua percussi sunt indevoti, qui non custodierunt diem sabbati, quæ est dies devotionis. Cinifes sunt muscæ parvæ, quæ valde inquietant, et vexant homines per omnia loca, et maxime per os et nares: et tantam faciebant vexationem, quod homines nullo modo poterant habere quietem. Similiter inquietantur indevoti. In isto signo defecerunt magi Pharaonis, in signum quod inquietudinem cogitationum non possumus effugere nisi per devotionem. Gregorius vix unam cogitationem tota die de terrenis habuit. Plaga III.

Quarta plaga est muscarum caninarum, qua percussi sunt impii, qui habent apud se muscas caninas, id est, carnales et crudeles affectiones. Plaga IV.

Quinta plaga fuit mortis jumentorum, qua percutiuntur homicidæ: quia omnis qui gladio occidit, reus est mortis: et tales moriuntur sicut jumenta, nec sunt digni divina protectione, nec humana: quia qui alium occidit, seipsum interimit, et brutalitatem suam non sentit. Plaga

Sexta plaga fuit vesicarum turgentium, qua percutiuntur adulteri, qui habent vesi- Plaga VI.

[1] *Psal.* cv, 39. — (*a*) *Suppl.*, ut.

cas turgentes, id est carnem infectam. Vesicæ nascuntur ex nimio humore faciente pruritum; et cum sentit homo pruritum, scalpit se, sed postea dolet. Similiter qui luxuriatur, primo delectatur, postea dolet.

Plaga VII. Septima plaga fuit destructio bonorum temporalium, qua percutiuntur fures : quia dignus est perdere sua, qui aufert aliena. Ista fuit plaga grandinis, quæ omnia destruxit. Mirabile est, quod qui peccant peccato carnis, reconciliantur Deo per confessionem sine illa persona, cum qua peccant; sed qui aliena rapiunt, non reconciliantur Deo sine restitutione ablatorum, si reddere possunt.

Plaga VIII. Octava plaga fuit locustarum, quæ comederunt omnem herbam virentem. Ista percutitur mendax, qui dentibus et labiis veritatem conculcat, sicut dicit Psalmista [1] : *Cor eorum vanum est, sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant.*

Plaga IX. Nona plaga fuit tenebrarum, qua percutiuntur cupidi et avari, quia nihil adeo excæcat hominem sicut cupiditas. Unde [2] : *Xenia et dona excæcant oculos sapientum, et mutant verba justorum.* Cupiditas est sicut fumus fœtidus, qui totum excæcat : Judas cupidus Filium Dei vendidit. Salomon [3] : *Avaro nihil est scelestius : animam suam venalem habet, quoniam projecit intima sua in vita sua.*

Plaga X. Decima plaga fuit mors primogenitorum, qua percutiuntur carnales. Ista percussus est Esau. Ait enim Apostolus [4] : *Ne quis inter vos fornicator, sicut Esau, perdat* (a) *primogenita sua.* Carnalis concupiscentia abstulit nobis nobilem generationem, qua omnes nasceremur innocentes et hæredes paradisi. Concupiscentia carnalis facit nos nasci in mortem et culpam, et facit nos perdere jus primogenituræ. Quod figuratum est in Genesi, ubi dicitur [5], quod Ruben primogenitus Jacob perdidit jus primogenituræ, quia concubuit cum concubina patris sui, et maculavit stratum ejus. Et Joseph, qui castissime vixit in Ægypto, meruit esse princeps fratrum suorum. Patet modo, quod omnes transgressores legis percutiuntur plagis istis.

Decem condescensiones Filii Dei, ut nos liberaret a decem plagis.

Sed quis liberabit nos a plagis istis? Certe unus solus qui venit propter istas plagas amovendas, scilicet Christus, qui decem condescensiones fecit nobis contra decem plagas. Quod figuratur in libro Isaiæ, ubi dicitur [6], quod sol retrocessit decem gradibus : per quos signantur decem condescensiones Filii Dei ad hominem.

Prima condescensio, qua Dominus condescendit homini, est usque ad carnem, hic est primus gradus quo retrocessit sol.

Secunda condescensio ad mortalitatem nostram.

Tertia ad necessitatem nostram, quia famem, sitim et frigus passus est.

Quarta ad pauperiem nostram, quia egenus factus est, non habens locum ad quem declinaret.

Quinta usque ad tentationem, quando permisit se tentari; in hoc portavit infirmitatem nostram, nam (b) ait Apostolus : *Non habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia*, etc.

Sexta ad corporis lassitudinem et laborem.

Septima usque ad mentis anxietatem. Unde scriptum est : *Cœpit Jesus pavere et tædere*, et dixit : *Tristis est anima mea usque ad mortem.*

Octava condescensio fuit usque ad crucem, et hoc fuit mirabile.

Nona fuit usque ad mortem.

Decima fuit ad carcerem infernalem.

Istæ sunt decem condescensiones, quibus Deus condescendit hominibus. Sed quare condescendit ad carcerem infernalem? Certe ut in sanguine testamenti educeret vinctos de carcere, et de tenebris, et de umbra mortis. Christus enim per sanguinem testa-

[1] *Psal.* v, 10. — [2] *Eccli.*, xx, 31; *Exod.*, xxiii, 8. — [3] *Eccli.*, x, 9. — [4] *Hebr.*, xii, 16. — [5] *Gen.*, xlix, 4. — [6] *Isa.*, xxxviii, 8; IV *Reg.*, xx, 11.

(a) Vulg. *qui perdidit.* — (b) *Suppl.*, ut.

menti nos liberavit, et eduxit de morte ad vitam, et de tenebris ad lucem. Debemus igitur modo resurgere ad novam vitam. Sicut Christus resurrexit a mortuis, sic et nos in novitate vitæ ambulemus. Christus liberavit nos de manu Pharaonis, et introduxit nos in terram repromissionis, et in signum hujus manducatur modo Pascha, quia modo liberati sumus. Et ideo debemus celebrare Pascha, debemus facere transitum et inchoare novam vitam, et non redire in Ægyptum. Nullus sit falsus proditor. Ista tria sunt necessaria cuilibet pœnitenti, scilicet quod displiceat sibi peccatum suum, et paratus sit cavere de peccato cum adjutorio Spiritus sancti, et quod paratus sit satisfacere pro modulo possibilitatis suæ, et proponat numquam peccatum iterare. Ideo dicit Psalmista[1] : *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* Et hæc est consummatio verborum, per quæ semper conformari debemus cum Christo, et refici, ut cum Christo perveniamus ad æternam refectionem. Quam nobis, et vobis præstare dignetur Christus filius Dei.

Amen.

[1] *Psal.* xv, 4.

EXPOSITIO MISSÆ[1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Brevis hæc est Missæ expositio, sed plena ac referta doctrina mirabili, et eruditione non vulgari. Nam sanctus hic Doctor vel hoc solo Opusculo testatum facit, quantum sacrorum rituum cognitione, solemniumque Ecclesiæ cæremoniarum observatione excelluerit. Igitur sacræ Missæ mysteria dum breviter exponit, et dilucide explicat, ad hujus aurei Opusculi frequentem lectionem præcipue sacerdotes invitat, qui in ejus, quod offerunt, tam sancti sacrificii meditatione jugi et assidua potissimum versari debent. Pro commoditate vero legentium, capitibus quatuor distinctus est denuo tractatus iste, ut mox infra patebit.

CAPUT PRIMUM.

De sacerdotalibus indumentis, et eorum significatione.

Christus assistens Pontifex[2], Apostolus *ad Hebræos* dicit illa verba de Domino Jesu et vero Pontifice. Iste namque Pontifex tantæ dignitatis est, quod etiam pontifices et sacerdotes nostri in omnibus, quæ in Missa faciunt, ipsum repræsentant. Unde cum majori reverentia et devotione sacrosancta Missarum solemnia audire velitis, quid Missa significet, et quomodo Christum tam Missa quam sacerdos repræsentet, compendiose dicere volo.

Sciendum igitur, quod sacerdos, primo, capiti amictum superponit, quod humerale dicitur, quod usque ad humeros descendit, et inter consecratas vestes computatur; postea albam induit, et cingulo se cingit, postea manipulum in læva manu sumit; postea stolam longam collo superponit, et eam cancellatam in pectore ad modum crucis juxta utrumque latus cingulo tenus ligamentis applicat; postea casulam induit, et sic ad altare procedit. Si quis ex his indumentis per oblivionem aliquid omitteret, graviter peccaret.

Quocumque indumento ex his omisso per oblivionem, celebrans graviter peccaret.

Quid autem hæc significent, breviter videamus.

Humerale caput cooperiens signat, quod Christus, qui est caput Ecclesiæ, divinitatem in humanitate abscondit.

Singulorum sacerdotalium indumentorum significatio.

Alba munda et longa magnam Christi munditiam significat, quia Petrus dicit[3], quod *Christus peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Hanc munditiam Christus in baptismo nobis tribuit. Linea enim alba per aquam dealbatur, et Ecclesia per baptismum Christi candidatur.

Cingulus designat virginitatem Christi et suæ castissimæ matris, quam nos habere docuit, dicens[4] : *Sint lumbi vestri præcincti*, etc.

Manipulus in læva est humilitas Christi

[1] *Cf.* Edit. Argentin. an. 1495, 16; edit. Rom. an. 1596, tom. VII, part. III, 78; edit. Venet. an. 1611, tom. II, 22; edit. Lugd. an. 1647, tom. II, 76; edit. Ven. an. 1754, tom. IX, 128. — [2] *Hebr.*, IX, 1. — [3] I *Petr.*, II, 22. — [4] *Luc.*, XII, 35.

in hac vita, vel manipulus in læva designat pugnam Christi pro justitia; ipse enim pro justitia pugnavit, mundum superavit, et diaboli potestatem dejecit; et idcirco manipulus in læva clypeum, vel pugnam pro justitia designat. Ad hanc nos hortatur Christus, dicens [1] : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*, etc.

Stola longa, supra collum ante cor et usque ad pedes dependens, signat obedientiam Christi et voluntariam servitutem pro nobis. Ipse enim pro salute nostra [2] *factus est Patri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*; et hoc designat cancellata stola in pectore ad modum crucis. Designat etiam crux in pectore passionem Christi, quam circumferre pervigili meditatione debemus una cum sacerdote in corde et corpore per mortificationem terrenæ delectationis. Designat etiam crux, ante pectus sacerdotis cancellata, populum judaicum in sinistram partem transire, qui Christum occidit et in ipsum credere noluit. Populus autem gentilis in Christum credidit, et se in dexteram partem per fidem collocavit. Quod expressum est in *Genesi*, quando Jacob nepotibus suis, videlicet Manasse et Ephraim benedicens, cancellatis manibus, dexteram supra juniorem, scilicet Ephraim, lævam vero supra seniorem, scilicet Manassen, posuit et ait [3] : *Benedicat Deus pueris illis.*

Casula, id est, parva casa vel domus, signat cœlum et terram, quæ Christus sua majestate implet, sicut ipse dicit per Prophetam [4] : *Cœlum et terram ego impleo.* Casula etiam designat charitatem, qua diligere debemus amicos in Deo, et inimicos propter Deum, sicut Christus nos docuit verbo et exemplo. Per anteriorem partem casulæ designantur amici, per posteriorem inimici. Unde Christus dixit in S. Matthæo [5] : *Diligite inimicos vestros*, etc.

[1] *Matth.*, v, 10. — [2] *Philip.*, ii, 8. — [3] *Gen.*, xlviii, 16. — [4] *Jerem.*, xxiii, 24. — [5] *Matth.*, v, 44. — [6] *Prov.*, xviii, 17. — [7] *I Petr.*, iii, 18. — [8] *Psal.* xxi, 2. — [9] *Isa.*, lxiv, 1.

(*a*) Vulg. prior. — (*b*) *Cæt. edit. deest* ad.

CAPUT II.

Missa unde dicta, et de ingressu sacerdotis ad altare, usque ad offertorium.

Dicitur autem *Missa* a mittendo, et repræsentat legationem inter homines et Deum; Deus enim mittit Filium suum Christum in altari, et iterum mittit Ecclesia fidelis eumdem Christum ad Patrem, ut pro peccatoribus intercedat.

Item ante inceptionem Missæ sacerdos dicit confessionem, quia licet sit nuntius et legatus fidelium, tamen se scire debet peccatorem esse, accusans se de peccatis suis, sicut scriptum est [6] : *Justus in principio* (*a*) *accusator est sui.* Signat etiam confessio ante Missam, quod [7] *Christus pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo Patri*, et ipse Christus in persona peccatorum dicit in Psalmo [8] : *Longe a salute mea verba delictorum meorum;* quasi dicat: Peccata populi mei non permittunt me vivere; sed oportet ut pro peccatoribus moriar, et sic eos Patri meo reconciliando offeram.

Item post confessionem sacerdos accedens ad (*b*) altare illud osculatur, signans per incarnationem et passionem Christi salutem et pacem Judæis et gentibus ad fidem Christi conversis esse nunciatam. In dextro enim cornu altaris Judæi, in sinistro vero gentiles designati sunt. Unde et Missa in dextro cornu inchoatur, quia ex stirpe Judæorum Christus humanitatem assumpsit. Beata enim virgo Maria de regia stirpe David originem duxit, quæ de Spiritu sancto Christum Dominum nostrum concepit.

Tandem chorus vel sacerdos introitum Missæ incipit, quem omnes astantes clerici concorditer cantare debent; *chorus* namque græce, *concordia* dicitur latine. Quod autem introitus bis cantatur, per hoc desiderium antiquorum patrum designatur, in quorum persona Isaias dixit de incarnatione Christi, quam prophetæ et patriarchæ desiderabant [9] :

Introitus Missæ.

Utinam disrumperes (a) *cœlos, et descenderes*, quorum tandem audiens clamorem Dominus venit in mundum, sicut ipse per Psalmistam dicit [1] : *Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.* Item quod introitus bis cantatur, designat quod qui venturus erat, Deus et homo in una persona existeret. Item quod introitus bis cantatur, et in medio sancta Trinitas per *Gloria Patri* collaudatur, signat quod Christus de Virgine natus introivit in hunc mundum, et fidem Trinitatis nobis insinuans iterum ascendendo introivit in cœlum : quem multi sanctorum imitati sunt, qui licet hunc mundum per nativitatem et per propagationem carnis introierunt, et carnaliter de parentibus nati sunt, tamen per fidem sanctæ Trinitatis in baptismo, vel effusionem sanguinis pro Christo, sunt renati, et sic angelicis choris associati.

Unde et *Kyrie eleison* novies decantatur, quia drachma decima, scilicet humana natura, quæ perdita erat, inter novem choros angelorum per incarnationem Christi instauratur.

Et quia sancti Angeli de hac instauratione gratulantur, hymnus angelorum, scilicet, *Gloria in excelsis Deo*, quem ipsi in nativitate Christi cantaverunt, per sacerdotem lætanter inchoatur, hoc signans, quod Christus propter humani generis restaurationem incarnari dignatus est. Quæ autem in hoc hymno sequuntur, scilicet *Laudamus te*, usque ad finem, B. Telesphorus Papa post sanctum apostolum Petrum numero octavus, apposuisse dicitur, licet quidam sanctum Hilarium episcopum Pictaviensem et doctorem præcipuum, hæc apposuisse contendant.

Hymnus angelicus a quo auctus.

Unde sciendum, quod cum *Kyrie eleison* cantamus, Domini Dei nostri misericordiam provocamus, et ut nostri misereatur, invocamus. *Kyrie eleison* interpretatur : Domine Deus Pater, miserere. *Christe eleison :* Domine Jesu Christe fili David, miserere. *Kyrie eleison :* Domine Spiritus sancte, miserere; *imas* enim latine signat nobis, quasi dicat Ecclesia catholica : Sancte Pater, qui Filium tuum misisti, ut ex virgine Maria nasceretur, miserere nobis, ut novem choris angelorum associemur : Christe, fili Dei vivi, qui de virgine Maria nasci dignatus es, miserere nobis; Sancte Spiritus, qui Mariam virginem tua gratia implesti, quando Christum concepit, miserere nobis. Sic autem Trinitatem per *Kyrie eleison* et *Christe eleison* invocamus.

Et *Gloria in excelsis* subjungimus, ut ostendamus nos eumdem Deum colere in terris, quem angeli venerantur in cœlis.

Oratio cur collecta nuncupatur.

Post hoc sequitur oratio, quæ *Collecta* dicitur, eo quod omnes astantes Missæ se debeant devote colligere, et cum sacerdote fideliter orare. Et huic orationi præmittitur salutatio, scilicet *Dominus vobiscum*, et hæc salutatio pertinet ad simplicem sacerdotem. Episcopi autem, qui sunt vicarii Christi, salutare solent populum ea salutatione, qua Christus salutavit suos discipulos, id est [2], *Pax vobis*, quasi dicat : Si digne sacris mysteriis interesse velitis, sitis filii pacis. De salutatione minorum sacerdotum, scilicet *Dominus vobiscum*, et responsione populi, *Et cum spiritu tuo*, sicut dicit beatus Hieronymus, cum spiritu hominis optat spiritus Dei esse, quia in spiritu rationali creatus est homo ad imaginem et similitudinem Dei. Hortatur autem omnes circumstantes ut secum orent, dicens : *Oremus :* jam omnes vanitatem postponamus ; detractiones et susurrationes malas in Ecclesia abjiciamus, et devotioni diligentissime intendamus, et orationi sacerdotis in Missa, eo quod ipse sacerdos suam et omnium circumstantium orationem et devotionem sua supplicatione colligat, et ad Deum preces fundat, quam cum concluserit, petit ut exaudiri mereamur a Patre, *Per Dominum nostrum Jesum Christum.*

Episcopi ad populum salutatio

Unde si exaudiri volumus, Dominum ad nos clamantem audiamus in Epistola, et ejus

Epistola.

[1] *Psal.* XI, 6. — [2] *Joan.*, XX, 21, 26.

(a) Vulg. *dirumperes.*

præcepta impleamus, in quantum possumus. Epistola enim interdum ex Veteri, interdum ex Novo Testamento sumitur, quia Vetus Testamentum et Novum de Domino et ejus præceptis loquuntur. Dicitur autem *epistola* ab *epi*, quod est supra, et *stola*, missio, quasi de supremis missa : *Spiritu* enim [1] *sancto inspirati prophetæ* et apostoli *locuti sunt* omnes. Sciendum, quod in quartis feriis quatuor temporum leguntur duæ lectiones, scilicet Prophetia et Epistola, in quibus designatur quod omnes clerici qui ordinandi sunt et investiendi sacris ordinibus, in sequenti sabbato eruditi debent esse in Veteri et in Novo Testamento; vel in duobus lectionibus designatur, quod in corpore et anima mundi debent esse. Ab hac enim quarta feria usque ad sabbatum, clerici antiquitus examinabantur, et in sabbato ordinandi episcopo præsentabantur. In quo sabbato quinque lectiones leguntur, ad designandum quod omnes, qui illo die ordines consequuntur, illuminatos debent habere sensus, ut populum sibi commissum eo melius regere valeant : nam [2] *si cæcus cæcum ducit*, etc.

Duæ lectiones, quæ leguntur in quatuor temporibus, quid significent

Debent ergo in mandatis Domini perseverare fideliter, quæ eis in lectionibus et epistolis frequentius reiterantur, et ire de virtute in virtutem, quod Graduale designat : dicitur enim a *gradiendo*. Unde Dominus cuidam dixit [3] : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Graduale autem in duobus versibus terminatur, quia in duobus præceptis charitatis, scilicet in dilectione Dei et proximi [4], *universa lex pendet et prophetæ*.

Grāduale.

Alleluia quid significet.

Per charitatem autem merebimur gaudia regni cœlestis, quod in *Alleluia* designatur. In cœlo enim sancti Deum laudant, et *Alleluia* interpretatur *Laudate Deum*. Gaudium autem sanctorum interminabile et ineffabile dicitur : quod pneuma post *Alleluia* dulce et longum satis proprie declaratur. Solemus enim longam notam tonando post *Alleluia*, super hanc litteram A, prolixius decantare, quasi dicat : Gaudium sanctorum in cœlis interminabile et ineffabile est.

Quod autem tempore mœroris Tractum pro *Alleluia* cantamus, in hoc mœrorem et tristitiam hujus sæculi designamus.

Tract mœro rem d notat

Sequitur de sequentiis. *Sequentiæ* dicuntur a sequendo, quia antiquum cantum secutæ sunt. Fecit autem sequentias Natherus abbas sancti Galli. Quidam autem monachi grisei sequentias non cantant, quia ipsi antiquum usum non sequuntur in cantando. Multi etiam post abbatem Natherum sequentias novas fecerunt, sicut Hermanus Contractus, qui fecit *Ave præclara* et *Sancti spiritus*, et multi alii, quorum nomina longum esset dicere.

Seque tiæ et e rum au tores. Notg rus di tur is apud Trith mium qui e Abba S. Ga factu est ep copu Leodie sis.

Quod autem dicitur ante Evangelium, *Sequentia sancti Evangelii*, id est, Sequentia quæ legi debent, sunt secundum Matthæum vel Joannem dicta.

Sequitur videre, quare Evangelium in aquilonari parte legatur, et quid per hoc insinuatur. *Evangelium* græce dicitur, *bonum nuncians*, sive *bonum nuncium* latine. Et quid melius nuncians, quam quod Filius missus a Patre dicit [5] : *Venite, benedicti Patris mei?* Quod autem Evangelium contra aquilonem legitur, hoc designat, quod Dominus Jesus, qui pro nobis incarnari dignatus est, Luciferum et omnes aereas potestates debellare venit. Ipse enim Lucifer dixit [6] : *Ponam sedem meam ad aquilonem* (a), *et similis ero Altissimo*. Cui dictum est : *Quomodo cecidisti*, etc. Igitur Evangelium legendum est, ut aquilo surgat, et auster veniat [7], quod est dicere, ut diabolus fugiat et Spiritus sanctus adveniat.

Evan gelium quid

Solet autem legens Evangelium populum salutare, et eis salutem Domini optare, quatenus corda circumstantium aperiantur ad audienda et implenda verba sancti Evangelii. Et respondet populus : *Gloria tibi, Domine*, qui nos ad tuam doctrinam vo-

[1] II *Petr.*, I, 21. — [2] *Matth.*, XV, 14. — [3] *Matth.*, XIX, 17. — [4] *Matth.*, XXI, 40. — [5] *Matth.*, XXV, 34. — [6] *Isa.*, XIV, 13, 12. — [7] *Cant.*, IV, 16.

(a) Vulg. *a lateribus aquilonis.*

care, et tuo sanguine redimere dignatus es.

Signant autem se fideles signo sanctæ crucis in initio Evangelii, sicut et legens Evangelium, ut ad intelligenda verba sancti Evangelii ab inanibus cogitationibus mundentur, et a Domino audire mereantur, quod discipuli a Domino meruerunt audire [1] : *Jam vos mundi estis, propter sermonem quem locutus sum vobis.* Debent etiam verba sancti Evangelii stando, et denudato capite ab omnibus, et sine baculo vel reclinatorio cum reverentia et tremore audiri (*a*), quia Dominus nudam et apertam veritatem in Evangelio prædicavit. Unde male faciunt, qui eo tempore genua flectunt, vel in oratione procumbunt. Dominus enim Jesus Christus dulcissima verba et melliflua prædicavit, quæ etiam ab extraneis commendata sunt. Unde legitur in Evangelio Joannis, quod quidam ejus verba audientes dixerunt [2] : *Nunquam locutus est homo, sicut hic homo loquitur*; et [3] : *Mirabantur de his, quæ procedebant de ore Dei.* De mirabilibus autem et de signis, quæ in Evangeliis leguntur, statim lecto Evangelio laicis aliquid esset dicendum.

Ad Evangelium standum est.

Post hoc sequitur : *Credo in unum Deum,* quia omnia quæ Christus prædicavit, et evangelistæ scripserunt, firmiter credere debemus. Hanc fidem catholicam Græci *Symbolum* vocant. Est autem triplex symbolum a sanctis patribus editum. Primum videlicet, *Credo in Deum*, quod ad horas solet dici. Hoc symbolum sanctissimi Christi apostoli per singulas particulas composuerunt, et hanc fidem apostoli per totum orbem divulgaverunt [4]. Sed sciendum, quod huic fidei catholicæ hæretici fortissime restiterunt impugnantes eam. Sanctissimi autem episcopi 318, inter quos B. Nicolaus dicitur fuisse, concilio Nicæno habito post tempora apostolorum anno 320, hanc fidem catholicam ab apostolis editam diligentissime elucidare curaverunt, et symbolum hoc, scilicet *Credo in unum Deum*, quod in Missa canitur, ediderunt, et in Missa cantari statuerunt. Quod statutum in concilio Constantinopolitano a multis sanctis episcopis, inter quos dicitur fuisse B. Augustinus [5], valde approbatum et firmatum est. Tertium symbolum, quod ad horam primam dicitur, scilicet *Quicumque vult*, B. Athanasius Alexandrinus episcopus dignoscitur edidisse [6]. Et hæc dicta de symbolis sufficiant.

Symbolum triplex.

CAPUT III.

De Offertorio, et aliis, usque ad Canonem Missæ.

Sequitur videre de Offertorio. Dicitur autem offertorium ab offerendo, eo quod populus oblationes ad altare deferens, devotum et fidelem se esse Deo ostendat. Nam sicut sacerdotes solent gaudere, si multi ad offerendum veniant; sic apostoli gaudebant, quando multi populi se Deo offerebant, et fidei catholicæ obediebant, sicut in *Actibus Apostolorum* legitur. Solet autem sacerdos ante offertorium populum per *Dominus vobiscum* salutare, et ad orandum per *Oremus* invitare, quia ordo conveniens est, ut post prædicationem Evangelii jam lecti, sequatur in ore laus, in opere fructus, in corde fides (*b*). Præterea et *offerenda* dicitur, quia Domino sacrificium laudis offertur. Sacerdos enim, acceptis oblationibus a populis, calicem cum vino et aqua præparat, et hostiam a ministris accipit; post hoc liber canonis et præfationis ad sinistram partem defertur, juxta quam partem et Evangelium legi solet, sicut superius dictum est, quia gentes doctrinam Christi et apostolorum, quæ in sinistro cornu altaris figuratæ sunt, a Judæis, et devotius quam Judæi, susceperunt. Judæi enim, exceptis paucis, doctrinam Christi repulerunt, et apostolos de Judæa

Offertorium unde dicatur.

[1] *Joan.*, XV, 3. — [2] *Joan.*, VII, 46. — [3] *Luc.*, IV, 22. — [4] Legendus est auctor de hac re, serm. VIII, in *Hexaem.* (huj. edit. tom. IX), et *Centil.* part. III, sect. XXXVIII (tom. VII), et *Diætæ salut.*, tit. V (tom. VIII.) — [5] Error est manifestus, cum id temporis Augustinus e cœno vitiorum nondum esset emersus. — [6] Imo Vigilius Tapsensis episcopus.

(*a*) *Cæt. edit.* audire. — (*b*) *Cæt. edit.* in corde laus, in ore fructus, in opere fides.

ejecerunt, ita ut ipsi dicerent Judæis [1] : *Vobis quidem verbum salutis missum est; sed quoniam repulistis illud, et indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.* Unde si unum lumen tantum ad Missam habeatur ante Evangelium, ad sinistram partem altaris ponendum est, quia cereus fidem signat quia in Christum credimus nos, qui ex gentibus venimus.

His itaque peractis, calix cum patena adaptatur, in quo vinum cum aqua lymphatur, et cum oblata adhibita super altare elevatur.

Altare, calix, patena, corporale, rotunditas hostiæ, quid significent

Sciendum quod altare quadrangulum designat crucem Christi quadratam; calix sepulcrum Domini; patena lapidem superpositum; corporale sindonem mundam, in qua involutum est corpus Domini; rotunditas hostiæ trinitatem et æternitatem Dei. Rotunditas enim fine caret et initio. Æternitas etiam caret initio, et fine non clauditur; quod in fine collectarum, quando *Per omnia sæcula* dicitur, declaratur.

Altaris consecratio.

Altare, quando ab episcopo consecratur, in quatuor cornibus ad modum crucis oleo perungitur; et Ecclesia sanguine Christi similiter est peruncta. Unde cantatur [2] : *De crucis stipite, quem sacer cruor perunxit*, etc. Item altare pannis albis et mundis cooperitur, et crux Christi humanitate ejus in ea pendente decoratur. Item in altari sanctorum reliquiæ absconduntur, et in cruce Domini maxima mysteria reperiuntur, videlicet longitudo, latitudo, sublimitas, et profundum.

Mixtio aquæ cum vino in calice.

Quod autem in calice aqua admiscetur vino, nunc dicendum est : debet enim in modica quantitate vino admisceri, videlicet ut aqua omnino absorbeatur a vino. Si enim, quod absit, multitudo aquæ in calice misceretur, ita ut aqua vinum vinceret, et ejus saporem tolleret, sacerdos sanguinem Christi non consecraret, et negligentiam magnam committeret. Aqua enim designat populum; vinum, Christi deitatem. Quando autem aqua admiscetur, populus Christo adunatur. Unde valde timendum est, ne aqua omittatur, et cavendum ne populus a Christo separetur.

Hostia autem juxta calicem locatur, quia Christus pro Ecclesia immolatur. Hostia etiam de multis granis conficitur, et cum aqua adunatur; similiter et vinum ex multis racemis liquatur; per quæ datur intelligi, quod Christus cum multis membris per aquæ baptismum sibi conjunctis, unum corpus efficitur. Unde dicit Apostolus super hoc verbo [3] : *Et erunt duo in carne una; Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo et in Ecclesia.* In festis autem præcipuis, calix et hostia, simul et altare, cum thuribulo incensantur : per quod signatur, quod fidelis populus una cum sacerdote orationes singulas vel speciales ad sanctos facere debent, quorum solemnitatem specialiter peragunt. Sacerdotes enim in solemnitatibus, collectas, præfationes, *Communicantes* in canone, mutare solent : sic et pupuli circumstantes speciales orationes Deo et sanctis mittere debent. De his dicitur in persona Ecclesiæ : *Dirigatur oratio mea*, etc.

Deinde, præparato calice et thurificato, sacerdos se humiliare solet in oratione, et inclinare; postea ad populum se vertens, ut pro se oret, silenter petit. Quid autem hoc significet, breviter videamus. In Evangelio legitur quod ad prædicationem Christi multi convertebantur, ita ut pharisæi dicerent [4] : *Ecce mundus totus post eum abiit,* et propter resuscitationem Lazari *collegerunt pharisæi concilium,* ut non solum Dominum Jesum Christum, sed etiam Lazarum interficerent resuscitatum; propter quod quia Christi nondum advenerat hora, scilicet usque ad diem Palmarum se occultabat, et secreto orabat et docebat, quod silentium et inclinatio post offertorium significat. Item post diem Palmarum discipulos orare hor-

[1] *Act.*, XIII, 46. — [2] Hymn. *Pange lingua,* tempore Passionis. — [3] *Ephes.*, V, 31, 32. — [4] *Joan.*, XII, 19; XI, 47.

tatur, scilicet ante Parasceve, ne intrent in tentationem; quod orare ante secretam sacerdotis ad populum se vertentis indicat.

Secreta autem occultam orationem significat, in qua sudor sanguineus de corpore ejus distillabat. Item Dominus noster Judæis objecit, quod occiderunt prophetas et ad se missos, cum monita sua spernerent, dixit ad eos [1] : *Dico vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis : Benedictus qui venit in nomine Domini,* etc.; et sic ab eis recedens, usque ad præfinitum tempus a patre se occultabat. In die autem Palmarum, ut dictum est, se eis humiliter offerebat in asino sedens. Tunc adimpletum est, quod dixerat : nam [2] *pueri Hebræorum cum multa turba, quæ convenerat ad diem festum Paschæ, clamabant dicentes : Benedictus qui venit*, et *Hosanna*, etc.; quæ omnia sacerdos in Missa repræsentat, quando, post secretam, *Per omnia sæcula* alta voce decantat, et præfationem, et *Sanctus*, usque ad *Hosanna in excelsis*, in Ecclesia pronuntiat.

Præfatio

Sciendum, quod in Præfatione tangitur prærogativa non parvipendenda. Ecclesia enim militans in terris, petit admitti voces suas cum spiritibus et virtutibus angelicis in cœlis. Quod utique fit, si juxta admonitionem sacerdotis corda sursum habemus ad Dominum, non ad terrenum desiderium : quia sine dubio ima summis conjunguntur; scriptum est enim [3] : *Ubi fuerit corpus, illic congregabuntur aquilæ*, id est, angeli. Cum quibus nostras voces cum spiritibus et virtutibus angelicis, in cœlis admitti petimus sine fine dicentes ter : *Sanctus*, quia trinus et unus est Deus. Et ideo tribus vicibus (*a*) *Sanctus* cantamus, quia Deum potentem in cœlo, in inferno et in terra pronuntiamus, ita ut in nomine Domini omne genu flectatur, etc.; vel ideo ter *Sanctus* cantamus, quasi dicatur (*b*) : Omnipotens Deus, sanctus es, fideles tuos in terra protegens; sanctus es, angelos in cœlis et omnes sanctos inenarrabili gaudio replens; et hi exercitus tanguntur in hoc verbo *Sabaoth*, quod interpretatur *exercitus*. *Benedictus* ergo *qui venit in nomine* Dei Patris, et pro salute nostra carnem assumere, et crucem subire dignatus est. *Hosanna in excelsis*. *Hosanna* interpretatur *salva* et *salvifica;* quasi dicat Ecclesia : Qui potens es in excelsis, salva nos, Christe, existentes in terris. Quod autem Hosanna bis cantatur, duplex stola vel gloria sanctorum, scilicet corporis et animæ per hoc insinuatur. Hic est notandum, quod in tribus linguis nominatissimis Missa cantatur, scilicet hebræa, græca et latina : per hoc intelligi datur, quod [4] *omnis lingua confitetur, quia Dominus Jesus est in gloria Dei Patris*. Hebræa sunt *Sabaoth, Hosanna, Amen, Alleluia*, et his similia : græca sunt, *Kyrie eleison*; latina, Evangelia et Epistolæ, etc. Titulus etiam crucis hoc repræsentat, scilicet *Jesus Nazarenus Rex Judæorum*, qui [5] græce, hebraice et latine scriptus fuit.

Sanctus quare ter replicetur.

Hosanna vox hebræa quid.

Item ante canonem sacerdos digitos lavat; per quod intelligi datur, quod solummodo baptizati interesse debent consecrationi corporis Christi. Caveat autem sacerdos ne digitos lotos, postquam eos lavit et extersit, de cætero disjungat, excepto, quando facit signum crucis super sacrificium salutare, vel quando hostiam tangit. Non enim debet eisdem digitis quidquam nisi hostiam tangere, quousque eos in calice post sumptionem sacramenti lavet.

Quomodo servandi mundi digiti, quibus Christi corpus contingimus.

CAPUT IV.

De totius Canonis Missæ explicatione.

Sequitur videre de canone Missæ, quem diversi sancti composuerunt. Sed quidam scholasticus [6] Romanæ Ecclesiæ, ad petitionem Apostolici, regulariter eum ordinavit. Nam fortissimam et sanctissimam distinctio-

[1] *Matth.*, XXIII, 39. — [2] *Ibid.*, XXI, 9. — [3] *Ibid.*, XXIV, 28. — [4] *Philip.*, II, 9. — [5] *Joan.*, XIX, 20. —

[6] S. Gregorius Magnus, *Regist.*, lib. VII, epist. LXIII, Scholasticum auctorem canonis Missæ scribit.

(*a*) *Cæt. edit.* vocibus. — (*b*) *Item* dicat.

nem, quam Christus edidit in medio canonis, sicut cor hominis in medio posuit. Cor enim hominis dicitur in medio corporis positum : sic et sacratissima verba, cum quibus sacerdos corpus Christi et sanguinem conficit, in medio canonis reperiuntur, quasi Rege divino in medio existente, et sancto exercitio circumstante. Multi enim sancti, scilicet Gelasius, Damasus, Gregorius, Leo, Sergius Papa, et cæteri multi diversas clausulas apposuerunt. Sed Apostoli solummodo hanc clausulam : *Qui pridie*, cum *Pater noster* dixerunt, et sic Missam cantaverunt. Canon enim discrete et sub silentio legendus est : discrete, ut verba canonis, nec nimis velociter syncopando, vel nimis protrahendo, circumstantibus generent (*a*) tædium. Unde Ecclesia statuit, ut canon devote et sub silentio legatur : quod silentium humilitatem Christi in sua passione indicat, quia coram præside stans, dijudicatus nihil dicebat, et [1] *sicut agnus coram tondente*, sic *non aperuit os suum*.

Sacri canonis Missæ auctores

Silentium Missæ, Christi humilitatem refert.

Est autem initium canonis : *Te igitur, clementissime Pater*. Ubi notandum est, quod hæc conjunctio *Igitur* ad Præfationem et ad *Sanctus* refertur, quæ ante canonem cantata sunt; quasi dicat sacerdos in persona Ecclesiæ : Quia admisisti, omnipotens Deus, ut te cum sanctis angelis laudaremus, et idem clamaremus; ideo, *clementissime Pater, te supplices rogamus ac petimus* per Jesum, *uti*, id est, ut *accepta habeas hæc dona*, id est, benedicas. Sciendum autem, quod divina Providentia factum est, ut canon ab hac littera T inciperet, quæ sui forma signum crucis ostendit in figura. In plerisque sacramentariis, id est, canonum libris, imago crucifixi depingitur, ut non solum intellectus litteræ, verum et aspectus figuræ memoriam dominicæ passionis inspiret. Littera namque T mysterium crucis insinuat, dicente Domino per Prophetam [2] : *Signa Thau in frontibus virorum dolentium et gementium, ne ab Angelo percutiantur*; et quod in frontibus per confirmationem et unctionem dominicæ passionis devotissime teneamus. Unde statutum est a sanctis Patribus, ne quisquam sacerdotum in aliquo altari Missam celebraret, nisi ibi imago posita fuerit Crucifixi : quam sacerdos intuens, et brachia extensa in ea cernens, pro populi delictis exorando, brachia sua ad eum extendere ad modum crucis nullatenus erubescat. Paulus namque dicit [3] : *Mihi absit gloriari nisi in cruce*, etc.

Missæ canon cur a littera T. exorditur.

Cor Cruci imag sacri cium ragati

Unde quia de sancta cruce, vel de signis crucis hic mentio habita est, pauca de mysterio crucis hic inserantur. Ipsa namque crux est [4] *imperium* (*b*) *super humerum* Salvatoris. O signum inæstimabile, et sacramentorum ubertate refertum! Crux est lignum vitæ in medio paradisi, quod quatuor evangeliorum flumina rigant. Crux est charitas, id est, cubitus in quo consummata est arca, id est, Ecclesia. Crux est ara, super quam Abraham immolavit Isaac filium, id est, Pater cœlestis Dominum Jesum Christum. Crux est lignum, quod missum est in Marath, id est, in mundum, et dulcoratæ sunt aquæ legis, quia per crucem discimus inimicos diligere; quod utique legi Veteris Testamenti contrarium est. Ipsa enim dicit [5] : *Odio habebis inimicum tuum*, et [6] : *Oculum pro oculo, dentem pro dente*. Crux est virga cum qua petra percussa est, id est, Christus, et egressa sunt flumina largissima sanguinis et aquæ, quibus animæ nostræ sanantur et lavantur. Crux est palus, in quo erecto serpente æneo, id est Christo, omnes, qui eum fideliter aspiciunt, liberantur a morsibus serpentum ignitorum, id est, diabolorum. Crux est cithara, in qua noster David, id est, Christus psallebat, quando in ea pendebat, et malignorum spirituum impetus a Saule, id est, ab humano genere refrenabat. Crux est duo ligna, quæ colligebat vidua Sareptana, id est Ecclesia, ut sibi et filio panem faceret,

Sacr cruci exco mium que fig ræ.

[1] *Isa.*, LIII, 7. — [2] *Ezech.*, IX, 4. — [3] *Gal.*, VI, 14. — [4] *Isa.*, IX, 6. — [5] *Matth.*, V, 43. — [6] *Levit.*, XXIV, 30.

(*a*) *Cæt. edit* generet. — (*b*) Vulg. *principatus*.

quia in cruce panis, id est, Christus Dominus decoctus est. Crux est lignum Elisæi, ad quod ferrum de profundo natavit, quia per lignum crucis de abysso mortis sumus extracti; et hoc ab Elisæo calvo habemus, id est, Christo in cruce denudato, vel in monte Calvariæ crucifixo. Crux est lignum, de quo dicunt Judæi per Hieremiam prophetam [1] : *Venite, mittamus lignum in panem ejus*, id est, Christum in cruce interficiamus. Crux est palma [2] quam Christus ascendit, et fructus ejus apprehendit, id est, redemptionem nostram. Crux est clavis David [3], quæ januam cœli aperuit, et nos intromisit.

Trina crucis signatio, quid mysterii habeat.

Quod autem tres cruces supra calicem et hostiam per manus sacerdotis signantur, quid significent, videamus. Signant enim tres traditiones, quibus Filius Dei traditus est in mortem. Traditus enim est Filius a Deo Patre, sicut dicit Apostolus [4] : *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum:* hoc primum signum signat, ubi dicit, *Hæc dona*. Item tradidit Filius seipsum, de qua traditione dicit Isaias [5] : *Tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est;* et hæc traditio signatur, cum dicitur : *Hæc munera:* Deus enim hoc munus valde libenter acceptat. Item Christus traditus est a Juda discipulo, et hoc in malo, de qua traditione dicit Matthæus in Evangelio [6] : *Qui autem tradidit eum, dedit eis signum, dicens : Quemcumque osculatus*, etc. Et hæc traditio significatur in hoc verbo, *Hæc sancta sacrificia illibata*. Quia enim Christus sine peccato natus est, et sine peccato vixit, et innocenter occisus est, ideo ejus mors sancta est, licet eum Judas mala intentione tradiderit. Quod additur, *Sacrificia illibata*, id est, prius non immolata, ad hoc respicit, quia sacerdos novum sacrificium altari posuit, quod adhuc consecrari debet, scilicet panem et vinum; vel *illibata*, id est, intacta vel immaculata : et sic refertur ad ipsum Christum, quem peccatum non tetigit, nec fœdavit, sicut dicit Apostolus [7] : *Qui peccatum non fecit*, etc.

Sequitur : *In primis, quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica*. Utile est valde pro sacrosancta matre Ecclesia orare : nam qui libenter pro ea orat, omnibus bonis ejus particeps fit. Orat autem sacerdos cum circumstantibus, et se petit exaudiri a Patre per Jesum, id est, propter Jesum Christum Filium suum, ut dictum est; quasi dicat : Si nos propter peccata nostra exaudiri non meremur, saltem propter Filium tuum nos exaudire digneris, ut Ecclesiæ tuæ pacem tribuas, et eam custodias; quia [8] *nisi* eam custodieris, *frustra vigilat*, etc., et pacem non habebit. Digneris etiam eam adunare, quia [9] *omne regnum in se divisum desolabitur*, et si tu eam non rexeris, per multa schismata turbabitur.

Sequitur : *Una cum famulo tuo Papa nostro*. Hic est notandum, quod in omni missa Apostolici memoria habenda est, quia hoc est in conciliis [10] statutum. Debet autem sacerdos non nominare nomen Apostolici, sed per memoriam nominare.

Sequitur : *Et antistite nostro*, id est, Episcopo.

Sequitur : *Et rege nostro*, scilicet Romanorum, similiter corde tenus cogitabit. Ecce quam fideliter sacerdos conjunctus Deo in Missa pro Ecclesia catholica, pro judicio spirituali et sæculari orat.

Sequitur : *Et omnibus orthodoxis, atque catholicæ, et apostolicæ fidei cultoribus*. Ista clausula intelligitur de omnibus cardinalibus, primatibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, prælatis, et cæteris Ecclesiæ præpositis, vel sacerdotibus, et eorum subditis, pro quibus in missa orandum est.

Sequitur : *Memento, Domine*, etc. Hic attendendum est, quod in hoc loco sacerdos tenetur orare pro omnibus, qui ei aliqua beneficia impenderunt.

[1] *Jerem.*, XI, 19. — [2] *Cant.*, VII, 8. — [3] *Apoc.*, III, 7. — [4] *Rom.*, VIII, 32. — [5] *Isa.*, LIII, 12. — [6] *Matth.*, XXVI, 42. — [7] I *Petr.*, II, 22. — [8] *Psal.* CXXVI, 1. — [9] *Luc.*, XI, 17. — [10] *Conc. Vasens.*, c. 4 et 5, ex Burch. *Decret.*, lib. II, c. CXXX.

Sequitur : *Et omnium circumstantium.* Ecce hic sacerdos orat pro circumstantibus, et eos Deo recommendat, quasi dicat : O Deus, tu eorum fidem et devotionem melius nosti, quam ego : ergo corrige in eis, quidquid corrigendum in eis inveneris.

Sequitur : *Qui tibi offerunt,* usque *Deo vivo,* quasi dicat sacerdos : Omnipotens Deus, hoc sacrificium laudis offerunt tibi circumstantes, et pro quibus oravimus, *pro se suisque omnibus,* usque *Deo vivo et vero, et reddunt vota sua.* Nota, quod Patrem Domini nostri Jesu Christi una cum Spiritu sancto, Deum vivum et verum appellamus, ad differentiam deorum non vivorum nec verorum, sed idolorum, quibus gentes sacrificabant. Unde Psalmista [1] : *Simulachra gentium argentum,* etc. Et iterum : *Os habent et non loquentur;* et ideo qui *non* vident, nec audiunt, quomodo alios exaudire possunt ? minime.

Sequitur : *Communicantes*, usque *Jesu Christi.* Hic extra unitatem Ecclesiæ non est locus offerendi sacrificium, et ideo memoriæ sanctorum communicamus, quatenus in communione sanctorum sacrificia offeramus ; quasi dicat Ecclesia militans in terris : Etsi nos propter peccata nostra non meremur exaudiri, communione, id est, cœtu sanctorum, scilicet beatæ Virginis, et Apostolorum, martyrum, et sanctorum omniuum exaudiri mereamur. Invocamus enim illos ; repellere eos non potes ; et quia exauditione digni sunt, et nos una cum ipsis exaudire digneris. Quare autem commemoratio confessorum non fit in canone, sicut martyrum, duplex est ratio. Primo, quia *martyr* græce dicitur, testis latine : martyres autem solummodo in canone positi sunt, quia testes passionis existunt, et pro Christo martyrium pertulerunt. Secunda ratio est, quia canon a beato Gelasio Papa, vel a quodam scholastico, sicut dictum est, editus fuit antequam festa confessorum celebrarentur. Potest enim sacerdos missam cantare de confessore ; sed ore tenus non nominet eum in canone. Tandem subjungat : *Et omnium sanctorum tuorum,* etc. : quod ubique sacerdos in canone facere potest. Et quoniam *multæ filiæ* [2], id est, animæ sanctorum, *congregaverunt divitias* sanctitatis, beata virgo Maria *supergressa* est *universas,* ideo prima in canone ponitur.

Cur non fiat in canone Missæ confessorum commemoratio.

Sequitur : *Quorum meritis*, etc. Sicut et Moyses oravit dicens [3] : *Memento, Domine, Abraham, Isaac, et Jacob, quibus jurasti,* etc. : ac si dicat : Facilius me exaudies, quia sanctorum memoriam me facere jubes. Ecce quomodo in Missa ima summis conjunguntur, et terrestres quodammodo efficiuntur cœlestes, quia militantes in terris, triumphantibus sanctis in cœlis per orationem canonis uniuntur. Unde sequitur : *Hanc igitur oblationem,* usque ibi : *Diesque nostros in tua pace disponas,* quæ beatus Gregorius dicitur apposuisse ; et vere verba satis plana sunt : ideo dimittantur.

Sequitur : *Quam oblationem*, etc. Hic videndum est, quare quinque signa crucis fiant super calicem et hostiam. Sed sciendum est, quod per diversa et multiplicata signa, quæ in canone sunt, diversa genera tormentorum, quæ pro nobis sustinuit Christus, designantur. Hæc igitur signa significant, quod Christus in sensibus secundum carnem passus est, ut sensus nostros illuminaret. Passus est enim in visu per velationem, in auditu per derisionem, in gustu per fellis et aceti potationem, in odoratu per fœtentium corporum, quando passus est in loco Calvariæ, corruptionem, in tactu per clavorum confixionem. Item in tribus signis, quæ in hoc loco communiter super calicem et hostiam fiunt, possunt designari tria genera hominum, quibus Christus venditus est a Juda, scilicet sacerdotes, scribæ et pharisæi. Isti enim Christum emerunt, et eum quasi maledictum et proscriptum tractaverunt. Sed sacerdos e contrario dicit, Christum esse oblationem *benedictam*, quia benedictus fructus

Cur sig cur q que per c cem hosti fiant.

[1] *Psal.* CXIII, 4, 5. — [2] *Prov.*, XXXI, 29. — [3] *Exod.*, XXXII, 13.

ventris Mariæ; *adscriptam*, quia Jesus in Scripturis vocibus prophetarum præsignatus, assistit pro nobis faciei divinæ; *ratam*, quia regnum ejus durat sine fine. Quod autem duæ cruces specialiter super calicem et hostiam fiunt, signat quod Judas venditor, et quidam emptores, qui ad fidem per pœnitentiam non redierunt, propter hoc corpus et animam perdiderunt.

In hac autem clausula subsequitur: *Rationabilem, acceptabilem facere digneris;* quasi sacerdos dicat: Judæi in Veteri Testamento obtulerunt oblationem irrationabilem, id est, jumenta muta et ratione carentia: sed tu, sanctissime et clementissime Pater, facere digneris oblationem nostram *rationabilem*, ut apud te pro nobis rationem reddat; *acceptabilem*, quatenus tibi placeat, et nos tibi acceptabiles efficiat: Ita ut panis in altari positus fiat nobis *corpus* quod corpora nostra vivificet, ne æternaliter moriamur; et vinum *sanguis* qui animas nostras sanctificet, ne perpetue damnemur; et hoc dilecti filii tui Domini nostri Jesu Christi, qui scilicet Christus, corpus et animam salvare potest.

Sequitur: *Qui pridie, quam pateretur,* hoc est, quinta feria ante Parascevem, *accepit panem in sanctas,* etc., usque *Benedixit.* Nota quod in hoc loco signum crucis cum verbo sonat. Sciendum autem quod sancta Trinitas in hoc loco cum sacerdote panem et vinum, mirabili et occulta et ineffabili benedictione, his verbis prolatis, *Hoc est corpus,* etc., *Hic est calix,* etc., veraciter benedicit panem et vinum in verum corpus et sanguinem Christi mutando.

Sequitur: *Simili modo,* etc. Postquam autem sacerdos hæc omnia peregit, manus ad modum crucis ad utraque cornua altaris extendit, passionem Domini repræsentans, et nihilominus per hoc insinuans quod Christus Dominus pro Judæis et Gentibus passus est, qui in utrisque cornibus altaris designati sunt, ut dictum est, ita ut ipsi ad viam veritatis redeant, et fidem catholicam imitentur.

[1] *Psal.* CV, 29. — [2] *Matth.*, XII, 17; XVII, 5. —

Multis de causis corpus Christi in Missa elevatur.

Nunc autem videndum est, quare in missa sacerdos corpus Dominicum in altum levat, et fidelibus adstantibus ostendit. Corpus Domini nostri Jesu Christi multis de causis elevatur a sacerdote in missa. Quarum prima et præcipua est ad gratiam Dei Patris, quam peccatis nostris perdimus, obtinendum. Solo enim peccato offenditur et irritatur, sicut dicit Psalmista[1]: *Irritaverunt Deum in adinventionibus suis.* Sacerdos igitur elevat in altari corpus Christi, quasi dicat: O pater cœlestis, peccavimus, et te ad iracundiam provocavimus. Sed nunc respice in faciem Christi filii tui, quem tibi præsentamus, et te ab ira ad misericordiam provocamus. Ne ergo avertas faciem tuam a puero tuo, scilicet a Filio tuo, sed memento quod dixeris de eodem Filio tuo[2]: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Corrige ergo in nobis misericorditer propter eum quidquid inveneris corrigendum, et *converte nos ad te,* [3] *et averte iram tuam a nobis.*

Secunda causa quare elevatur, est ad impetrandum et obtinendum omne bonum, quo in præsenti vita et futura necessarii sumus. Bonum igitur, quo in hac vita indigemus, est pax peccatoris, quam nemo, nisi a peccato mortali solutus, habere potest. Hæc est pax, de qua Christus dixit discipulis[4]: *Pacem meam do vobis.* Secundum bonum est charitas, et hæc virtus valet ad præsentem et ad futuram vitam. Charitas namque in hac vita hominem dirigit, et ad vitam æternam perducit. Unde Joannes dicit[5]: *Qui manet in charitate, in Deo manet.* Elevat ergo sacerdos corpus Christi, quasi dicat circumstantibus: Si obtinere vultis quod cupitis, pacem inter vos habete, et charitate mutua diligite, quia Christus per mortem suam nos Deo et angelis pacificavit, et per charitatem nobis æterna gaudia comparavit.

Tertio elevatur corpus Christi, ad rememorandum jus nostrum, quod habemus in cœlo jam in spe, sed tandem habituri sumus

[3] *Psal.* LXXXIV, 5. — [4] *Joan.*, XIV, 27. — [5] I *Joan.*, IV, 16.

in re. Jus nostrum, quod in cœlo habemus, est vita æterna; unde Joannes in suo Evangelio ponit verba Christi, sic dicentis [1] : *Ego veni in mundum, ut* omnes imitatores mei scilicet, *vitam habeant* in præsenti, *et habeant abundantius* in futuro. Unde hoc jus nostrum scriptum est in privilegio nostro, id est, in Christo, et hoc stylo ferreo, quia lancea latus ejus apertum est, et pedes et manus clavis confixæ. Unde elevat sacerdos corpus Christi in altari, quasi dicat : O vos, angelici spiritus, qui hic præsentes assistitis, testes sitis, quod vita æterna nostri juris est; et ad hoc confirmandum elevamus privilegium nostrum, id est, Christum pro nobis passum.

Quarta ratio est, quia elevatur corpus Christi ad ostendendam potentiam Dei. Magna enim est potentia Dei, qui ad prolationem istorum verborum : *Hoc est corpus meum,* panis in corpus Christi transubstantiatur. *Hæc* est [2] *mutatio dexteræ Excelsi,* et transcendit omnem sensum. Elevat ergo sacerdos corpus Christi, quasi dicat : Prius vidistis panem in altari; sed modo consecratione peracta, videte verum corpus Christi. Si ergo Deus tam potenter potuit talem mutationem facere, potens est et nos mutare de culpa ad gratiam, et postmodum ad gloriam.

Quinta ratio, quia elevatur corpus ad declarandam sapientiam Dei. Mira enim et inenarrabili sapientia se ostendit Christus nobis involutum, de qua involutione dicit nobis Isaias [3] : *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.*

Ut quid Dominus in sacramento sub speciebus lateat.

Sciendum in hoc loco, quod Deus et Dominus noster Jesus Christus multis de causis in forma panis se abscondit. Nam si in altari sic appareret sicut est, vel sicut in cruce corpus ejus distensum est, multi sumere terrerentur, et irent retrorsum, juxta quod in Evangelio dictum est: *Multi* enim discipulorum, novorum christianorum, *cum audissent: Nisi manducaveritis carnem filii hominis,* ex hoc territi *abierunt* retrorsum, *et jam cum illo non ambulabant.* Putabant enim, quod deberent eum per membra secando discerpere, et sic manducare, quod utique humanæ fragilitati fuisset horribile. Sed ipse in cœna corpus et sanguinem suum sub visibili specie velavit, et populis manducandum tradidit. Aliæ adhuc sunt rationes quare velatur, quas prætermitto.

Sexto elevatur corpus Christi in altari, ad ostendendam ejus largitatem. Quæ enim major largitas, quam ut homo manducet panem angelorum? Elevat ergo sacerdos corpus Christi in altari, quasi dicat : O fideles Christi, gaudete et aspicite; hæc est enim cœlestis præbenda angelorum, quam nobis transmisit largissimus Rex cœlorum, ut omni gratia et benedictione repleamini. Et hoc tangitur ibi : *Ut quotquot ex hac altaris participatione,* usque ibi : *Omni benedictione cœlesti et gratia repleamur.* Sed væ illi, qui corpus Domini, hanc scilicet sacratissimam præbendam, sumere non curat, et se ab eo alienat! De quo dicit Elisæus propheta in libro *Regum* [5] : *Videbis, et non gustabis.* Multi namque vident corpus Christi, sed, heu! non gustant, et se per peccata gravia ab eo alienant.

Septimo elevatur corpus Christi, ad ostendendam bonitatem Christi. Quæ enim major bonitas, quam quod Christus dignatur captivus esse in altari? Unde de ipso dicit in persona Hieremiæ prophetæ [6] : *Ecce ego in manibus vestris sum; quod bonum et rectum est in oculis vestris facite mihi.* Nota quod, dum aliquis dux propter suos captivus tenetur, non dimittitur, nisi det magnam pecuniam : sic nec nos Christum captivum dimittere debemus, nisi remissionem peccatorum nobis tribuat, et regnum cœleste ab eo accipiamus. Elevat ergo sacerdos corpus Christi in altari, quasi dicat : Ecce quem totus mundus capere non potest, captivus noster est; ergo eum non dimittamus, nisi quod petimus, prius obtineamus.

Octavo elevatur corpus Christi ad lætifi-

[1] *Joan.*, IX, 39. — [2] *Psal.* LXXVI, 11. — [3] *Isa.*, XLV, 15. — [4] *Joan.*, VI, 54, 61. — [5] IV *Reg.*, VII, 2. — [6] *Jerem.*, XXVI, 14.

candum Ecclesiam sanctam per vexillum exercitus. Unde omnes qui sub vexillo illo militant, gaudium et fortitudinem accipiant. In pugna enim et militia omnes sumus; unde Job [1] : *Militia est vita hominis.* Elevat ergo sacerdos corpus Christi in altari, quasi electis dicat : Nolite timere, secure pugnate : ecce vexillum nostrum, quod propter nos in cruce rubricatum est et depictum : ecce Dominus Jesus in medio nostri est.

Nono elevatur ad Christum imitandum et sequendum. Unde ut peccatores eum sequi velint, et non desperent de spe veniæ, Christus Filius Dei, Patri latus præsentat, ut vulnerum cicatrices ostendat. Unde Bernardus : « Securum habemus ad Deum accessum, filius ostendit vulnera, mater ubera, » etc. Elevat ergo sacerdos corpus Christi, ac si peccatoribus et cæteris Christianis dicat : Ecce Filius Dei, qui pro nobis extensus et elevatus est in patibulo crucis; sequimini eum, ut saltem aliquid pro eo patiamini, quia tanta pro nobis passus est. Unde Petrus in epistola [2] : *Christus pro nobis passus est.* Ergo a nobis compatiendum est ei, ita ut passionis ejus beneficium nunquam obliviscamur.

Propter quod in canone subditur : *Unde et memores*, usque *beatæ passionis.* In hoc loco recolitur memoria dominicæ passionis, resurrectionis et ascensionis : nam per quinque signa, quæ hic fiunt, designantur quinque vulnera Christi, scilicet duo in manibus, duo in pedibus, et unum in latere. Quod autem tria signa super calicem et hostiam communiter fiunt, in hoc intelligi datur quia passio Christi vulnerat charitatem, resurrectio roborat fidem, ascensio lætificat spem. Hæc in littera tanguntur, quando dicitur : *Passionis, resurrectionis et ascensionis.* Duo autem signa sequentia, quæ super corpus Christi et sanguinem fiunt, designant justorum corporis et animæ immortalitatem. Sancti namque et justi, qui in vulneribus Christi nidificant, efficiuntur puri, sive immaculati, et vitam æternam possidentes, et salutem perpetuam corporis et animæ consequentes. Nam et hæc in verbis canonis tanguntur, quæ de Christo sic pronunciantur : *Hostiam puram,* quoad primum; *Hostiam sanctam,* quoad secundum ; *Hostiam immaculatam,* quoad tertium ; *Panem sanctum vitæ æternæ*, quoad quartum ; *Et calicem salutis perpetuæ*, quoad quintum. Est enim Christus hostia pura, electos suos purificans ; hostia sancta, dilectos suos sanctificans ; hostia immaculata, maculas nostras purgans ; panis vitæ æternæ, angelos et homines reficiens, et calice sui præclari sanguinis inebrians et perfundens.

Trium Patriarcharum cur hic mentio fiat.

Sequitur, *Supra quæ propitio,* usque *Immaculatam hostiam.* Nota, quod in hoc loco tres sancti Veteris Testamenti nominantur, Abel, Abraham, Melchisedech, qui figuram passionis Christi, imo et cœnæ ejus sanctissimæ proprie repræsentant. Abel enim obtulit munera de primogenitis gregum, et Christus primogenitum obtulit in multis fratribus, agnum immaculatum Deo Patri, de quo agno dixit Joannes Baptista [3] : *Ecce agnus Dei*, etc. Item Abel a fratre suo Cain innocenter occiditur ; et Christus a fratribus suis Judæis, scilicet malis, perimitur et necatur. Abraham obedivit Deo ad immolandum filium ; Christus factus est obediens Patri usque ad mortem, et in manus Patris tradidit spiritum. Melchisedech obtulit panem et vinum [4] : *Erat enim sacerdos Dei altissimi ;* et Christus in altari, sub specie panis et vini, corpus et sanguinem suum offert Deo Patri pro nobis, ipsum nobis pacificans. Nam Melchisedech fuit rex Salem, id est, pacis : Christus autem dicitur in hoc loco Abel, ratione innocentiæ ; Abraham, ratione obedientiæ ; Melchisedech, ratione clementiæ et sanctitatis eximiæ. Unde sequitur : *Sanctum sacrificium*, *immaculatam hostiam.*

Hæc verba Leo Papa canoni addidisse legitur : *Supplices te rogamus.* In hoc loco inclinatio sacerdotis signat inclinationem

[1] *Job*, VII, 1. — [2] I *Petr.*, II, 21. — [3] *Joan.*, I, 29, 36. — [4] *Gen.*, XIV, 18.

Christi, quando inclinato capite tradidit spiritum. Deberent ergo fideles in hoc loco cum sacerdote fidelissime se humiliare, et Deo animas suas per intima suspiria commendare. Nam in hac clausula, quam Leo Papa magnus composuit, usque ad *Memento*, tam profunda et inscrutabilia posita sunt verba, ut de eis beatus Gregorius quasi de re ineffabili penitus locutus sit. Dicit enim sic [1] : « *Jube hæc perferri*, etc. Quis fidelium dubium habere possit in ipsa immolationis hora, ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, angelorum choros interesse, imo summis sociari, terrena cœlestibus jungi, unumque ex visibilibus et invisibilibus fieri ? » Item alibi : « Uno eodemque tempore ac momento, et in cœlum rapitur ministerio angelorum ad associandum corpus Christi, et ante oculos sacerdotis in altari videtur. » Hucusque Gregorius Magnus. Salvo tamen occulto cœlestis oraculi Ecclesiæ sacramento, possunt hæc verba simplicius intelligi : *Jube hæc*, id est vota fidelium, supplicationes et preces *perferri per manum sancti angeli tui*, etc. Si enim, Tobia orante, angelus preces ejus obtulit Deo, quanto magis, quando Christus cum sacerdote orat, et preces et oblationes populi offerunt in cœlum, imo ipse Christus magni consilii angelus preces Ecclesiæ in Missa Deo Patri offert et gratiam refert ! Unde Ambrosius [2] : « Non dubites, inquit, assistere angelos, quando Christus assistit immolatus. »

Sequitur : *In sublime altare tuum*. Hoc intelligitur esse sancta Trinitas, de quo legitur [3] : *Non ascendes per gradus ad altare meum*, quod est dicere : Æqualitatem Trinitatis crede, non descensionem, vel ascensionem, sicut fit in gradu. Quidam hæretici putant Patrem majorem Filio, et hi conantur ascendere ad altare ; sed repelluntur a Filio, qui dicit [4] : *Ego et Pater unum sumus*. Quidam etiam hæretici de hoc altari conantur descendere, putantes Spiritum sanctum minorem esse Filio et Patre ; et hi reverberantur a Patre et Filio in sacra Scriptura, quæ dicit [5] : *Spiritus ubi vult spirat*. Et in *Joanne* (*a*) dicit [6] : *Spiritus est Deus* ; et idem dicitur in Symbolo Athanasii : *Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus*.

In conspectu divinæ majestatis tuæ. Altare sanctæ Trinitatis dicitur *sublime*, id est inaccessibile puro homini, vel incomprehensibile. Sed sacrificium altaris, scilicet hostia salutaris Dominus noster Jesus Christus per mortem ad hoc altare, coæternus Patri, *introivit semel æterna redemptione inventa*, sicut dicit Apostolus [7], *et apparuit vultui Dei pro nobis* in conspectu divinæ majestatis ipsius Patris. *Ut quotquot* (*b*), id est quatenus, vel ut qui, *ex hac altaris participatione*, o sancte Pater, *sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem sumpserimus*, digni sicut decet (*c*) communicando, *omni benedictione cœlesti, et gratia repleamur per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum*. In his tribus signis intelligi datur, quod necesse habemus, ut Dominus Deus distribuat corporibus castitatem, quod in primo signo intelligitur, ubi dicitur, *et sanguinem sumpserimus*. *Justus* enim, ut Habacuc ait [8], *ex fide vivit*, et *anima hominis in sanguine est*, sicut dicit [9] Moyses. Item necesse habemus, ut Deus tribuat nobis cognitionem puram ; quod in tertio signo intelligitur, quia facie tenus super caput et pectus imprimitur, ubi cogitationum sedes est. Ergo si servaverimus et amaverimus corporis castitatem, animarum puritatem, benedictione et gratia in cœlis merebimur repleri. Item inclinatio sacerdotis in hoc loco inclinationem capitis Christi in morte signat, ut dictum est : *Inclinato* enim [10] *capite tradidit spiritum* ; et tale fecit testamentum secundum Ambrosium qui dicit, quod auctor pietatis in cruce pendens, in singularibus negotiis pietatis officia divi-

[1] Greg., lib. IV, *Dial.*, c. LVIII. Habentur hoc, paucis mutatis, *de Cons.*, dist. II, c. Quid sit sang., quæ verba Alcuin., lib. *de Divin. Offic.*, citat ex Greg. — [2] Ambros., *in Luc.*, lib. I. — [3] *Exod.*, XX, 26. — [4] *Joan.*, X, 30. — [5] *Joan.*, III, 8. — [6] *Joan.*, IV, 8. — [7] *Hebr.*, IX, 12. — [8] *Habac.*, I, 4. — [9] *Levit.*, XVII, 11. — [10] *Joan.*, XIX, 30. — (*a*) *Cæt. edit.* Et Joannes. — (*b*) *Uti.* — (*c*) *Leg.* digne scilicet.

debat, persecutionem apostolis, pacem discipulis, corpus Judæis, Patri spiritum, Virgini paranymphum, latroni Paradisum, Christianis pœnitentibus crucem commendat. Ergo tollamus crucem ejus; quod in duobus signis, quæ super corpus et sanguinem fiunt, intelligitur, quia per mortem ejus a duplici morte, scilicet corporis et animæ liberamur, si tamen confessionem ejus in mente servamus, quod in tertio signo exprimitur. Nam *si compatimur, et conregnabimus,* sicut dicit [1] Paulus. Item in tribus signis, quæ in hoc loco fiunt, quidam diversas passiones Christi intelligi volunt corporis, et per flagella dissecationem quoad primum, sanguinis effusionem quoad secundum, faciei velationem quoad tertium. Unde sicut Christus, per passionem suam de hoc mundo transiturus, Patri spiritum commendavit, sic et nos spiritus fidelium defunctorum de hoc mundo per mortem migrantium, et in fide catholica decedentium, omnipotenti Deo commendamus.

Propter quod subditur : *Memento, Domine*, etc. Attendendum est, quod pia mater Ecclesia non solum pro vivis, sed etiam pro defunctis in persona sacerdotis fideliter intercedit, certissime credens, quod pretiosus sanguis Christi non solum pro vivis, sed etiam pro mortuis ad redemptionem prosit et liberationem a pœnis, illis duntaxat *qui nos præcesserunt cum signo fidei*, id est, charitate : in quo fideles ab infidelibus discernuntur. De hac liberatione dicit Propheta ad Christum [2] : *Et tu in sanguine testamenti tui, extraxisti* (*a*) *vinctos tuos de lacu inferiori, in quo non erat aqua*, scilicet de inferno superiori. Non est autem orandum pro eis qui sunt in inferno inferiori, quia ibi [3] *nulla est redemptio*, et quos pro certo damnatos scimus, quia, ut dicit Augustinus [4], « Si scirem patrem meum esse in inferno, ubi nulla est redemptio, non plus orarem pro eo quam pro diabolo. » Orandum est ergo pro fidelibus defunctis, *qui dormiunt in somno pacis*, id est, nulla hæresi vel discordia, vel impœnitentia, ab unitate Ecclesiæ segregati, licet forte aliqua cremabilia, vel correctione digna, detulerint de hoc mundo. Et sacerdos debet primo orare pro patre et matre, postea pro sibi commissis, non tamen nomine tenus, sicut supra dictum est, sed memoriter, etc.

Pro parentibus primo orandum est.

Sequitur : *Omnibus in Christo quiescentibus*, etc. Illi enim mortui in Christo requiescunt, qui *in Christo* (*b*) *moriuntur*, sicut in Apocalypsi [5] legitur.

Sequitur : *Locum refrigerii*, in quo Lazarus Evangelicus habitabat; *lucis*, scilicet Christi, qui est lux mundi. Ipse enim est lumen viventium. Unde Psalmista [6] : *Ut placeam coram Deo in lumine viventium. Et pacis*, de qua pace dixit Simeon [7] : *Nunc dimittis*, usque *in pace. Ut indulgeas per Christum Dominum nostrum :* qui enim indulgentiam et misericordiam quærit, judicem placat et vincit.

Sequitur : *Nobis quoque peccatoribus*, quasi dicat : sicut dixit Joannes Apostolus [8] : *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est.* Et [9] : *Non est homo, qui non peccet, licet infans unius diei super terram* (*c*). Multi namque ex misericordia Dei sine peccatis mortalibus vivere possunt; sed sine venialibus, raro.

Sine mortalibus vivere potest homo; sine venialibus, minime.

Sequitur : *De multitudine miserationum tuarum sperantibus.* Si enim latro in cruce pendens, contritus et confitens, veniam meruit, quare non merebitur Christianus misericordiam et veniam peccatorum, contritus et confessus? Unde et vocis expressio, et cordis tunsio manu dextera, contritionem et confessionem latronis in cruce pendentis ad dextrum latus Christi designat. Ipse enim contrito corde confessus est, et socio suo in

[1] *Rom.*, VIII, 17 ; II *Tim.*, II, 12. — [2] *Zach.*, IX, 11. — [3] Verba Liturgiæ. — [4] Aug. simile quid habet lib. XI, *de Civit. Dei*, c. XXIV, ante med. — [5] *Apoc.*, XIV, 13. — [6] *Psal.* LV, 13. — [7] *Luc.*, II, 29. — [8] I *Joan.*, I, 8. — [9] *Job*, XIV, 4.

(*a*) Vulg. *emisisti.* — (*b*) Vulg. *Domino.* — (*c*) Ita juxta LXX ; Vulg. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?*

sinistro latere pendenti dixit [1] : *Nos quidem digna factis recipimus*. Et respondit Dominus : *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso*.

Unde sequitur : *Partem aliquam et societatem*, etc. Joannes Chrysostomus dicit [2], quod latro qui in cruce Deum confessus est, omnes sanctos in regno prævenit. Nec mirum, ipse enim Dominum in cœlo regnare confitebatur, qui ab apostolo Petro in terra negabatur; per quod intelligi datur, quod ferventer pœnitentes interdum tepidos sanctos in regno præveniunt. Beata Virgo et apostoli adhuc in terra fuerunt; sanctus Joannes Baptista et alii patriarchæ et prophetæ adhuc in limbo detinebantur, quando dictum est latroni : *Hodie mecum eris in Paradiso*, id est, eris in gaudio, quia ubi Christus est, ibi gaudium est, et Paradisus, et lux, et pax, et jucunditas. Ipse enim Christus est [3] *lux vera*, etc. Christus etiam cœlum illuminat, sicut de superna Hierusalem dicitur in Apocalypsi [4] : *Ipse enim Agnus* (*a*), id est Christus, *illuminat eam*, et sanctis gaudium infundit. Unde [5] : *Gaudent in cœlis animæ sanctorum, qui Christi vestigia sunt secuti*, quia [6] *sequuntur Agnum quocumque ierit*. De hac societate in hoc loco dicitur : *Societatem donare digneris cum tuis sanctis apostolis et martyribus*, cum Joanne (*b*), etc. Quidam dicunt hic intelligi Joannem Baptistam; expositores autem, Joannem Evangelistam : licet enim in principio canonis sit cum ceteris apostolis nominatus, nominatur tamen hic, quia duplici privilegio gaudet, scilicet, apostolatus vestigio et virginitatis. Amoris Christi privilegio, merito secundum locum sortitur in canone, et cum Stephano qui etiam virgo et martyr fuit. In Veteri enim Testamento Jacob patriarcha dilexit Joseph plus cæteris filiis, eique duplicem hæreditatem tribuit, quam tulit [7] *in actu et gladio* de Amorrhæorum populo; et Christus huic discipulo et charissimo filio duplicem hæreditatem et honorem tribuit, ut supra. Notandum, quod sancta Felicitas vidua martyr, in hoc loco canonis, sanctis virginibus anteponitur et præfertur. Et licet hoc forte ratione antiquitatis sit factum, ita ut privilegio virginitatis non derogetur : tamen, secundum Augustinum [8] in hoc loco datur intelligi quod ferventes et vere pœnitentes, virgines tædiosas et acediosas exercitiis divinis præire conantur. Unde sequitur : *Intra quorum consortium*, etc., *per Christum Dominum nostrum*. Qui enim veniam desiderat, iram judicis placat, et misericordiam provocat : propter quod quidam pœnitens dixit [9] : *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam*. Virginitas autem, si humilitatem custodiat, et fervorem devotionis habeat, magna meretur privilegia et prærogativas gratiarum. Virginibus namque, et martyribus, et prædicatoribus fidei christianæ aureola in cœlesti patria reservatur : hæc enim tria genera sanctorum in hoc loco canonis inveniuntur. *Intra quorum*, usque ad *Christum Dominum nostrum, per quem*, scilicet Christum, *hæc omnia*, scilicet Pater cœli, *bona creas* : licet enim Deus Pater *in principio* [10], id est, in Filio *creavit cœlum et terram*, et omnem ornatum eorum, et cuncta quæ fecerat, erant [11] *valde bona*; tamen semper eadem bona creat renovando, quoad vinum et panem, et quæ in altari offerri debent. Unde non solum a sacerdote, sed etiam a sancta Trinitate benedicuntur et consecrantur, et in corpus Christi et sanguinem transubstantiando vivificantur, sicut patet in verbis quæ sequuntur : *Sanctificas, vivificas, benedicis*. In his tribus signis notantur tres dies, quibus Dominus erat in sepulchro, et requievit ab omni opere suo quod patrarat. *Nisi* enim [12] *granum frumenti*, id est, Christus Dominus noster,

Stephanus virgo fuit.

[1] *Luc.*, XXIII, 41, 43. — [2] Chrysost., *de Cruce et Latrone*, hom. II, n. 2.— [3] *Joan.*, I, 9.— [4] *Apoc.*, XXI, 23.— [5] Verba Liturgiæ, antiph. ad *Magnif.*, sec. Vesp. officii plur. mart.— [6] *Apoc.*, XIV, 4. — [7] *Gen.*, XLVIII, 22.— [8] Aug., *de Virginit. sancta*, c. XLV. — [9] *Psal.* L, 1.— [10] *Gen.*, I, 1. — [11] Ibid., 32. — [12] *Joan.*, XII, 24.

(*a*) Vulg. *claritas Dei*. — (*b*) Cæt. edit. non habent *cum Joanne*, etc.

cadens in terram, etc. Sed quia granum mortuum est, et in terra sepultum denuo revixit et pullulavit, et fructum multum attulit in electis (nam sepultura terram sanctificavit, a morte resurgens mortuos vivificavit, et benedicendo panem cœlestem vivis multiplicavit) ; hæc in tribus verbis prædictis tanguntur, scilicet, *Sanctificas*, quoad primum, *Vivificas*, quoad secundum, *Benedicis*, quoad tertium. Unde sequitur : *Et præstas nobis*, subintelligitur, hanc (*a*) sanctificationem, ut scilicet per corpus Filii tui sanctificemur ; hanc vivificationem, ut per sanguinem ipsius vivificemur ; hanc benedictionem, ut ea digne sumendo a te benedicamur. Et ex hoc *est tibi Deo Patri omnipotenti, omnis honor et gloria in unitate Spiritus sancti*. Sciendum, quod in hoc loco in tribus signis notantur tria, propter quæ Christus voluit tres esse dies suæ sepulturæ, scilicet, quæ sunt in cœlo restauraturus, et quæ in terra reparaturus, et quæ apud inferos redempturus. Vel in tribus signis hujus loci intelligitur sancta Trinitas, sicut patet in littera. In Patre quidem notatur auctoritas ; in Filio, æqualitas ; in Spiritu sancto communitas.

Quod autem corpus Christi supra calicem in ipsa hora levatur, et cum ipso calix signatur, per hoc intelligi datur, quod mors a Christo superatur, vita reparatur, et gloria datur. De hoc patet in verbis canonis : *Per ipsum, et cum ipso, et in ipso*. Nota, quod in hoc loco Missa correspondet omnibus horis canonicis, quia omnia quæ Christus passus est, in ea repræsentantur et memorantur. Christus namque in matutinis passus est traditionem, conspuitionem, alaparum cæsiones, tandem a mortuis resurrexit : hora prima, coram Pilato derisiones, insultationes ; hora tertia, etc., sicut in Patris sapientia plenius continetur. De istis septem horis dicit Psalmista [1] : *Septies in die laudem dixi tibi*, etc. Iste septenarius numerus signari potest in septem signis crucis quæ in hoc loco fiunt (*b*), cum dicitur : *Sanctificas, vivificas, benedicis, per ipsum, et cum ipso, et in ipso*, etc. Nam qui Deum devote laudant, septem donis Spiritus sancti replentur, et per Patrem et Filium sanctificantur, vivificantur et benedicuntur. Quod autem ultimum signum juxta labium calicis fit, cum dicitur : *In unitate Spiritus sancti*, designat quod [2] *qui adhæret Deo unus spiritus cum eo efficitur*, sicut dicit Apostolus.

Sequitur : *Per omnia sæcula sæculorum*, quod alta voce pronuntiatur, et corpus Domini super calicem et cum calice levatur ; per quod intelligi datur, quod tristitia apostolorum de passione Domini ab eorum cordibus ipso reviviscente fugabatur, et gaudium resurrectionis annuntiabatur.

Sequitur : *Oremus*, ut sic adjuvante Domino a morte peccati resurgamus, in eamdem (*c*) iterum non cadamus, quia [3] *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur*, etc., et idcirco peccatum non dominetur nobis. Nam qui *facit peccatum*, teste Apostolo [4], *servus est peccati*. Fugiamus ergo tam horribilem dominum, et ad misericordem Dominum et pietatis et dulcedinis revertamur. Nam et *pater omnium* non dedignatur [5] appellari, quia *pater misericordiarum*, *et Deus totius consolationis* est. Revera enim, ut Deum patrem nostrum nominare valeamus, *divina informati* sumus *institutione*. Filius enim, qui dicitur coæqualis Patri, hoc nos docuit, et sic frater noster instituit. Ipse namque est Filius Dei per naturam ; nos filii ipsius per gratiam. Ergo, *Pater noster qui es in cœlis*, etc. Petimus ergo panem nostrum, et respondent clerici circumstantes : *Amen*, quod, secundum Hieronymum [6], hebræum est, et sonat, *ut vere et fideliter fiat*, quasi dicat Ecclesia astans sacerdoti in Missa : O reverende sa-

[1] *Psal.* CXVIII, 164. — [2] I *Cor.*, VI, 17. — [3] *Rom.*, VI, 9. — [4] *Joan.*, VIII, 34. — [5] II *Cor.*, I, 4. — [6] Hieron., *ad Marcellam*, epist. CXXXVII.

(*a*) *Cæt. edit. deest* hanc. — (*b*) *Cæt. edit.* sunt. — (*c*) *Item* eadem.

cerdos, quidquid in hac oratione petisti et optasti, in te et in nobis veraciter et fideliter fiat et compleatur.

Sequitur : *Libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis præteritis, præsentibus et futuris,* ut tui auxilio et te miserante, præterita mala deleantur, præsentia vincantur, futura præcaveantur.

Et intercedente beata et gloriosa virgine semper Dei genitrice Maria, usque, *Per eumdem Dominum nostrum,* etc. In hoc loco canonis tertio fit commemoratio Sanctorum. In hac oratione omnes sancti comprehenduntur, et includuntur, quando beatæ Dei genitricis, et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et Andreæ nomina recitantur. Omnes enim sancti, aut per castitatem, aut virtutum firmitatem, aut per humilitatem, aut per virilitatem pugnæ pro justitia regna cœlorum adepti sunt. Unde in beata Maria virgine designatur castitas ; in beato Petro, virtutum firmitas; in sancto Paulo, humilitas; in Andrea virilitas pugnæ pro justitia usque ad mortem.

Sequitur : *Da propitius pacem,* etc. Orat sacerdos cum collecta pro pace, et hoc ipsum beatus Paulus instituit fieri, sic dicendo [1] : *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus et his qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate.* Orat ergo Ecclesia pro pace temporali, ne impediatur, vel retrahatur a pace spirituali.

Sequitur : *Ut ope misericordiæ tuæ adjuti*, quantum ad interiorem et exteriorem religionem pertinet, *a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi.* Perturbamur enim, si peccatis mortalibus gravamur, et obcæcatur cor humanum; perturbamur, quando nostro arbitrio relinquimur, et a nobis divina gratia subtrahitur et elongatur; quod ne fiat, sacerdos *per eumdem*, id est, propter eumdem *Dominum nostrum Jesum Christum* Patris Filium, orat.

Sed antequam sacerdos in hoc loco *per eumdem Dominum* incipiat, calicem discooperit, et corpus Domini super calicem levans, dividit in tres partes, unam partem in calicem mittens, duas extra reservans, et antequam unam partem in calicem mittat, alta voce *Pax Domini* pronuntiat; tria quoque signa crucis, cum corpore Christi in calice signat. Et quid hoc significet, breviter videamus. Et primo, quare hostia dividitur in tres partes : quam causam Sergius Papa determinat sic [2] : « Triforme est corpus Christi. Pars hostiæ in calicem missa, corpus Christi, quod a mortuis resurrexit et animæ unitum est, monstrat; pars comesta, ambulans adhuc super terram. Pars in altari usque ad finem remanens, membra Christi esse corpora Sanctorum, usque ad finem mundi in sepulchris quiescentia designat (*a*). Dividitur autem sub forma panis in altari corporis Christi species, non essentia, deitate in sua unione permanente, quæ dividi non potest. Sed in qua re fiat corporis Christi divisio, vel fractio, ostendit Augustinus, dicens [3] : « Quando Christus manducatur, reficit, non deficit. » Nam et Christus carnalem sensum discipulorum redarguit, qui putabant ejus carnem, sicut aliam, dividendam in partes, et in morsus lacerandam. Dividitur autem forma, vel species. Consecratione namque peracta, corpus Christi sub accidentibus panis velatur, quæ accidentia sunt color, sapor, qualitas, quantitas et forma. Substantia namque panis et vini in consecratione per verba Christi resecatur; sed accidentia remanent. Nam si accidentia auferrentur, sacerdos Missam non perficeret, sed terreretur. Unde in hoc fragilitati humanæ con-

[1] I *Tim.*, II, 1, 2. — [2] *De Consecrat.*, dist. II, c. *Triforme.* — [3] Referuntur hæc ex Aug., in serm. quodam *de verb. Ev.*, *de Cons.*, dist. II, c. *Invitat.*

(*a*) *Al. in Decreti tertia parte, loc. cit.* Pars in altari usque ad missæ finem remanens, corpus jacens in sepulchro : quia usque ad finem sæculi corpora sanctorum in sepulchris erunt.

sulitur. Possunt ergo in tribus partibus Eucharistiæ tres substantiæ in Christo signari, scilicet deitas, corpus, et anima. Quod autem una particula in calicem mittitur, per hoc intelligi datur, quod caro Christi in passione mortua est, et anima immortalis, et deitas impassibilis : et hoc duæ particulæ extra calicem reservatæ repræsentant.

Item in tribus partibus Eucharistiæ potest sancta Trinitas designari. Quod igitur particula in calicem mittitur, duabus extra remanentibus, figurat, quod licet indivisibilia sint opera Trinitatis, tamen secundum Augustinum ad solum Christum pertinet caro ; ergo pars in calicem missa incarnatum et passum solum Christum Dei filium designat. Duæ vero partes extra calicem servatæ, immunitatem carnis, Patris et Spiritus sancti figurant. Non enim Pater vel Spiritus sanctus est incarnatus vel passus, ut dicit [1] Augustinus ; sed incarnatio ad solum Christum pertinet. Quod autem indivisibilia sanctæ Trinitatis sint opera, sacerdos innuit, cum hostiam dividit ; dicens namque ad Patrem : *Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum*, usque *Qui tecum vivit et regnat,* unam fractionem facit, ac si diceret : Dividere videor indivisibilem, et si Christus mortuus est ex humilitate, vivit tamen ex virtute divinitatis, in qua semper cum Patre existens nunquam recessit a Patre. Cum vero dicit : *In unitate Spiritus sancti*, hanc Eucharistiæ facit fractionem, ac si diceret : Licet Spiritus sanctus obumbrasse Virgini legatur in conceptione Filii, tamen a Patre æternaliter procedens Spiritus sanctus, Patrem et Filium nunquam deseruit, sed sancta Trinitas indivisa permanet *per omnia sæcula sæculorum.*

Item Eucharistia in tres partes dividitur : in hoc tres partes corporis Christi, quod est Ecclesia, figurantur, scilicet caput cum membris. Una pars est ipsum caput, scilicet Christus, primitiæ dormientium ; altera pars, animæ sanctorum in cœlo triumphantium ; tertia pars, in terra militantium. Quod autem duæ partes seorsum extra calicem servantur, per hoc intelligi datur, quod [2] *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra*, etc., nec his qui cum ipso sunt sanctis. Unde in Apocalypsi legitur [3] : *Non esurient neque sitient amplius*, etc. Tertia vero pars in calicem ponitur, et signat eos qui adhuc in pugna vel militia passionis hujus mundi (*a*) existunt.

Item Eucharistia in tres partes divisa, tres ordines Ecclesiæ significat, scilicet virginum, viduarum et conjugatorum. Duæ ergo partes extra calicem servatæ, cælibatum et sanctimoniam virginum et viduarum repræsentant. Nam, secundum Apostolum [4], *Virgo et innupta cogitat quæ Domini sunt.* Tertia vero pars in calicem missa statum conjugatorum et passionem designat. Unde ipse Apostolus dicit [5] : *Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi*, id est, de passionibus diversis conjugatorum, tam in rebus quam in aliis. Dicit enim [6] : *Tribulationem autem carnis habebunt hujusmodi*, id est, conjugati. Offertur autem hostia Christi in altari, ut virgines et viduæ in sanctimonia perseverent ; et pro adjutorio conjugatorum, ne in tribulationibus hujus mundi positi desperent.

Item Eucharistia in tres partes dividitur et offertur, ad tria designata in his versibus :

Corporis in partes Christi divisio fit tres.
Tincta datur vivis, sed pars non tincta supernis.
Est donanda reis pars tertia (*b*) justificandis.

Isti versus sic intelliguntur : prima pars missa in calicem offertur pro vivis Christianis, qui in miseriis et pressuris hujus mundi affliguntur et patiuntur, quatenus Deus mitigare dignetur afflictiones eorum. Altera pars extra calicem reservata, offertur ad laudem et ad gloriam sanctorum, qui jam triumphant in cœlo in regno cœlorum. Tertia pars offertur pro his qui sunt in purgatorio, ut a pœnis citius liberentur et absol-

[1] Imo Gennad., *de Ecclesiast. Dogmat.*, c. II. — [2] *Rom.*, VI, 9. — [3] *Apoc.*, VII, 16. — [4] I *Cor.*, VII, 34. — [5] Ibid. — [6] Ibid., 28.

(*a*) *Cæt. edit.* hujusmodi. — (*b*) *Item* tertia pars.

vantur, quatenus et ipsæ animæ in sinu Abrahæ, hoc est, in gaudio et refrigerio assumantur, et gloria sicut cæteri sancti perfruantur.

Sequitur, antequam tertiam particulam in calicem mittat, *Pax Domini* alta voce pronunciatum; per quod datur intelligi, quod Christus a mortuis resurgens triplicem pacem discipulis annuntiavit, scilicet pacem temporis, pectoris et æternitatis. Hæc pacis tria genera designata sunt in tribus signis crucis, quæ sacerdos facit cum corpore Christi inter calicem, dicens: *Pax Domini sit semper*, etc.; et respondet chorus: *Et cum spiritu tuo*, quasi dicat: Tu nobis pacem optas, et eadem pax cum spiritu tuo maneat, quatenus totus in spiritu mysteriis divinis insistas, et spirituali gaudio plenus fias. Hæc triplex pax in tribus osculis designatur, quia sacerdos altare tribus vicibus osculatur, scilicet in principio Missæ, in medio, et in fine. Nam cum Christus nasceretur, in principio temporis pacem secum attulit, ut ad edictum unius hominis describeretur universus orbis. Hæc pax designatur in primo osculo, quod in initio Missæ sacerdos altari imprimit. Secunda pax est pectoris, et signatur in secundo osculo, quod sacerdos facit in canone, quando dicit: *Supplices te rogamus*. Christus namque cum mortem pro nobis pertulit, nos Deo et angelis pacificavit, et pacem pectoris nobis donavit. Et ad hanc pacem confirmandam, pectus et latus cum lancea aperiri voluit, et ad pacem sui cordis intromisit. Tertia pax æternitatis figurata est in ultimo osculo altaris. Christus namque, consummatis omnibus quæ de eo scripta fuerunt in lege et prophetis, post in cœlum ascendens, Patri nos reconciliavit; sic et Missa peracta pacem æternitatis nobis paravit.

Pax Domini, etc., triplicem pacem, quam Christus discipulis annunciavit, significat.

Sed notandum, quod a dominica oratione usque ad finem Missæ interdum silentium celebratur, et interdum a sacerdote cantus, vel a clero alta voce inchoatur. Per hoc intelligi datur, quod Christus resurgens ex mortuis, interdum silentium mœroris a cordibus discipulorum per suam dulcissimam apparitionem et salutationem fugavit; aliquando vero corporalem præsentiam ab eis auferens, se et quando voluit occultavit. Legitur etiam, Christum infra quadraginta dies apparuisse decies post resurrectionem, et interim, quoties voluit, se occultasse. Nam in ipsa die Resurrectionis quinquies; in Ascensione bis: ut Christus suam resurrectionem cordibus discipulorum, et ascensionis gloriam eorum mentibus imprimeret, et ut ipsi discipuli quæ sursum sunt saperent, non quæ super terram. Cæteræ autem apparitiones intra quadraginta dies factæ sunt. Hanc autem vicissitudinem sacerdos in Missa ab oratione dominica usque ad finem Missæ, ut dictum est, subtilius jam cantando, pulcherrime repræsentat.

Quædam alta voce, quædam in silentio a sacerdote cur dicuntur.

Christus decies post resurrectionem apparuisse legitur.

Sequitur *Agnus Dei*, quod Sergius Papa instituit, ut cum fractione corporis Domini devotissime cantetur. Dicitur autem agnus ab *agnoscendo*, quia matrem suam in magno grege per balatum agnoscit. Sic Christus in cruce positus, Patrem agnovit per obedientiam, quia [1] *factus est ei obediens usque ad mortem*, etc. Item agnovit matrem per debitam reverentiam, quia eam dulcissimo discipulo suo Joanni commendavit in morte. Christus est agnus propter innocentiam, quia innocenter occisus est; ideo plangendus est. Ideo canit Ecclesia [2]: *Plangent eum quasi unigenitum*, quia innocens Deus occisus est.

Serg. Papa Agnus Dei cantari instituit.

Cantamus ergo ter *Agnus Dei*, quasi dicamus: *Agnus Dei*, qui agnovisti patrem per obedientiam, matrem per reverentiam, *miserere nobis*: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi* per innocentiam, *dona nobis pacem*. Item *Agnus Dei* ter cantamus, ut liberemur a malis præteritis, præsentibus et futuris. Post hoc, osculum amicis porrigimus antequam communicemus, quod Innocentius Papa instituit. In hoc signatur, quod omnis amaritudo cordis (*a*) a nobis separanda

[1] *Philip.*, II, 8. — [2] *Zach.*, XII, 10.

(*a*) *Cæt. edit.* corporis.

est, quia si ab invicem discordamus, in Christi corpore non manemus, sicut dicit Apostolus et Evangelista Joannes [1] : « Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est, et scimus, quod omnis, qui odit fratrem, non habet partem in regno Dei. » Teneamus ergo pacem temporis cum proximis, pacem pectoris cum nobismetipsis, scilicet omnes homines in Christo sinceriter diligendo, ut pacem æternitatis consequamur in cœlis adjuvante Domino nostro Jesu, etc.

Postea mittit sacerdos partem hostiæ in calicem, dicens : *Fiat hæc commixtio*. Quid autem hoc significet, superius pertractatum est, nisi quod sacerdos in hac clausula, salutem mentis et corporis sibi, et omnibus sumentibus corpus Domini exoptat, et ad vitam æternam promerendam, et capescendam præparatio salutaris fiat. Hæc enim valde necessaria sunt corpus Christi sumere volentibus, ut salutem mentis, et puritatem cordis habeant, et mundam conscientiam ad vitam promerendam.

Deinde sequitur oratio : *Domine Jesu Christe*. In qua oratione petuntur tria, a peccatis liberatio, præceptorum Dei obeditio, et a Deo nunquam separatio, sicut patet in littera.

Post hanc orationem, memoria Dominicæ passionis breviter, et memoriter cum omni devotione habenda est, contrito corde et conscientia non ficta. Hic attendendum est, quod a sacerdote post hanc orationem, dicendum est sub silentio, *Amen*, quod alibi non fit in canone, nisi post *Pater noster* et in hoc loco. Sacerdos enim canonem tacite legit, et ideo nemo ei respondet, *Amen*, nec ipse sacerdos in quocumque loco canens, subjungere debet, *Amen*, excepto quando canonem finit post hanc orationem, *Domine Jesu Christe*, etc. *Amen*.

Finito canone sacerdos se applicat ad susceptionem sacrosanctæ hostiæ. Quidam enim sacerdotes de manu, quidam de patena sumunt. Hi qui de patena, corpus Christi sumunt in latitudine charitatis, quæ in patena figurata est. Interim cantatur *communio*, hoc est, quod discipuli gaudium resurrectionis mutuo sibi nuntiaverunt.

Post hoc sequitur oratio, et signatur quod undecim discipuli in Galilæa videntes Dominum, adoraverunt. Item signatur, quod in cœlis pro nobis orat, repræsentatione suæ passionis et vulnerum, et quod postea iterum se ostendet.

Christus in cœlis pro nobis orat sua vulnera Patri repræsentando.

Et post hoc dicit : *Ite, missa est*, et populum benedicit. Quod signat quod veniet in judicio, et se nobis ostendet, et fidelibus suis dabit benedictionem suam, et tunc læti vadent ad mansiones suas, de quibus dicitur in *Joanne* [2] : « In domo Patris mei mansiones multæ sunt. » Ad quas mansiones nos perducat ipse Pontifex, et Sacerdos, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat. Amen.

[1] I *Joan.*, III, 15. — [2] *Joan.*, XIV, 2.

DE PRÆPARATIONE AD MISSAM [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Opusculum hoc, et proxime sequens, in eodem argumenti genere versantur, ut inscriptiones quoque eorum manifestum faciunt. Nam alterum, *De præparatione ad Missam*, alterum, *De instructione sacerdotis ad se præparandum ad celebrandum Missam*, inscribitur. Utrumque dignum sane est, ut a sacerdotibus et teratur manibus, et animo volutetur. Hi quippe quam singulari pietate ac religione ad Missæ sacrificium, in quo illa Deo Patri placens hostia Jesus Christus in odorem suavitatis offertur, accedere debeant, ex documentis hic a S. Bonaventura traditis plane intelligent. Documenta vero hæc innituntur auctoritati Apostoli I *Cor.* XI, dicentis : *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat;* quam probationem et examinationem juxta quatuor fieri debere in hoc opusculo docet : nempe, si cum qua fide, quali proposito, quanta charitate, propter quid ad sacrificium altaris accedat (*a*), omni affectu sacerdos perpendat (*b*). In sequenti vero juxta sex considerationes, quæ sunt : rationis discretio, mentis devotio, animi reverentia, amor et desiderium cordis, pro se et aliis affectuosa deprecatio, totius hominis diligentia. Hæc omnia fusius prosequitur in his Opusculis Auctor, devotis quoque et piis adhibitis orationibus et meditationibus. Id tamen observandum est circa locum Auctoris, cap. IV hujus Opusculi, ubi loquens de pravis sacerdotibus, qui polluti peccatis Sacrificium altaris offerunt, ait : « Verum si horum Sacrificium suscipit Deus, » etc., intelligendum videlicet esse quantum est ex parte similium sacerdotum, juxta dictum Hieronymi ad cap. I *Malac.*, ut refertur Decreti parte I, dist. XLIX, c. fin. « Sacerdotes, inquit, nomen Domini despiciunt, et quantum ad se panem pollutum offerunt, qui ad altare indigne accedunt [2]. »

CAPUT PRIMUM [3].

Quomodo se probare debeat sacerdos Missam celebraturus.

Ad honorem gloriosæ et individuæ Trinitatis, et ad honorem excellentissimi Sacramenti, scilicet pretiosi corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, describam tibi formam, per quam potes leviter manuduci ad contemplationem tanti mysterii, ac congrue disponi ad ejus perceptionem : quam

[1] *Cf.* Edit. Argent., an. 1495, part. II; edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, pag. 70; edit. Ven., an. 1611, tom. II, pag. 22; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, pag. 69; edit. Ven., an. 1754, tom. VI, part. I, pag. 49. — [2] De hoc consule Bonaventuram ipsum, n. IV *Sent.*, dist. XIII, art. 1, q. IV, huj. edit. tom. V, pag. 548. — [3] Capitum summa, quæ hoc loco in ceteris editionibus legitur, nobis potius videtur, uniformitatis gratia, ad calcem voluminis, videlicet ad Indicem rejicienda.

(*a*) *Edit. Vat.* accedit. — (*b*) perpendit.

non raptim strepitu verborum legere, sed ejus sensum efficaciter cordi imprimere debes, et ex intimo affectu singula quæque in toto, vel in parte, prout sonant, sollicite ruminare.

Primo igitur accessurus ad mensam cœlestis convivii, juxta Apostolum, proba te ipsum, et diligenter examina, cum qua fide, quali proposito, quanta charitate, propter quid aut propter quam causam accedis, ut sic accedendo ad mensam cœlestis convivii, juxta Apostolum, probes teipsum diligenter examinando.

Qua fide ad Eucharistiam accedendum.

Attende igitur ista quatuor singula per se, et vide primo, quam fidem habere debes circa veritatem et essentiam hujus sacramenti. Credere enim firmiter debes, et nullatenus dubitare, secundum quod docet Ecclesia catholica et prædicat, quod in hora expressionis verborum Christi, panis materialis atque visibilis advenienti vivifico et cœlesti pani, velut vero creatori honorem deferens, locum suum, scilicet visibilem speciem accidentium, pro ministerio et sacramentali servitio relinquit; quo desinente esse, miro et ineffabili modo, in eodem instanti ista sequentia sub illis accidentibus veraciter existunt.

Realis existentia Christi in sacramento Eucharistiæ.

Primo illa purissima Christi caro, et sacrum corpus, quod, fabricante Spiritu sancto, tractum fuit de utero gloriosæ Virginis Mariæ, appensum in cruce, positum in sepulchro, glorificatum in cœlo.

Secundo, quia caro non vivit sine sanguine, ideo necessario est ibi sanguis ille pretiosus, qui feliciter manavit pro mundi salute in cruce.

Tertio, cum non sit verus homo absque anima rationali, propterea est ibi anima gloriosa Christi excedens in gratia omnem virtutem et gloriam, et potestatem, in qua repositi sunt thesauri sapientiæ et scientiæ Dei.

Quarto, quia Christus est verus Deus et verus homo, ideo consequenter est ibi Deus gloriosus in majestate sua. Hæc omnia quatuor simul, et singula tota simul, sub speciebus panis et vini perfecte continentur, non minus in calice, quam in hostia, nec minus in hostia, quam in calice; nec in uno defectus suppletur alterius, cum nullus sit; sed in ambobus integrum continetur, propter mysterium, de quo grandis est sermo. Sufficit enim credere Deum verum et hominem sub utraque contineri specie, cui assistunt angelorum frequentia et sanctorum præsentia.

CAPUT II.

Quare Christus tantum continetur sub istis duabus speciebus.

Sed vide, quam pulchre Christus sub his tantum duabus speciebus continetur. Primo, quia panis et vinum optimum sunt nutrimentum totius hominis : nam panis nutrit carnem, et vinum transit in sanguinem, qui est sedes animæ. Secundo, quia eorum usus est homini principalior, et communior est, et mundior, et minus fastidiosus habetur; ideo puritas spiritualis refectionis opportune per ista significatur. Tertio, quia optime figurant passionem Christi, quæ quotidie per hoc sacramentum memoratur: nam panis significat corpus illud trituratum, molitum, pistum in passione, decoctum et assum igne divini amoris, in camino, id est ara crucis. Vinum vero significat sanguinem, qui de uva, scilicet Christi corpore, in torculari crucis a calcantibus Judæis expressus est. Quarto pulchre significat corpus Christi mysticum, scilicet Ecclesiam collectam ex multis fidelibus prædestinatis ad vitam, tanquam panis et vinum ex multis granis et racemis.

Accedens ad ad Eucharistiam captivet intellectum sub jugo fidei.

Cum ergo accedis, cave ne dubitando vacilles, et tanquam cæcus manu tentans innitaris baculo arundineo, scilicet argumentis naturalibus et rationibus humanis, quærendo quomodo ista fieri possunt, sicut quondam Judæi litigabant, et quidam discipuli scandalizati abierunt retrorsum. Sed sub-

jice teipsum Deo, et captiva mentem tuam sub jugo fidei, quam tantis testibus roboratam vides. Quid enim dubitationis de hoc sacramento remanet, quod a Christo tam expresse traditum, ab apostolis prædicatum, a sanctis patribus orthodoxis tot centenariis annorum præfiguratum, tantisque cæremoniis, tot miraculis, et prodigiis, et observantiis, quasi testimoniis palpabilibus, vides confirmatum? Tolle hoc sacramentum de Ecclesia, et quid erit in mundo, nisi error et infidelitas? et populus christianus erit quasi grex porcorum dispersus, et idololatriæ deditus, sicut expresse patet in cæteris infidelibus. Sed per hoc stat Ecclesia, roboratur fides, viret vel viget christiana religio, et divinus cultus. Unde inquit Christus [1] : *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.*

CAPUT III.

Quare Christus corpus suum dare voluerit velatum.

Post etiam notare debes, quod sic decuit Christum corpus suum velatum nobis dare. Quid enim valeret fides tua, si Christus in propria forma visibilis tibi appareret? certe et coacte eum adorares. Aut quomodo carnales oculi tantam gloriam ferre possent? Quis vero, nisi insipiens, dicat, ut carnem crudam et hominis cruorem in propria forma sua comedere et bibere debeas? Recedat ergo omnis dubitatio, quia sicut olim divinitas in utero virginali latuit, et Filius Dei sub humanæ carnis velamine visibilis mundo apparuit; sic et glorificata humanitas divinitati conjuncta sub forma panis et vini latet, ut nobis mortalibus competere possit (*a*).

CAPUT IV.

De discussione conscientiæ ante communionem sacram, et cum quali proposito, seu dispositione accedendum sit.

Secundo proba teipsum, cum quali proposito et dispositione accedis. Ideo discute et revolve conscientiæ domum, et vide ne forte sit intus aliqua turpitudo in mente, vel macula extra in carne, qua offendi possunt oculi illius, qui est sanctus sanctorum. Primo ergo rediens introrsus ad iniquitatem tuæ mentis, quanta mala ab ineunte ætate commisisti, quanta bona neglexisti, quam brevis vita, quam incerta mors, quam lubrica et periculosa via hujus temporis rumina: ne forte, quod absit, post præcedentem confessionem et pœnitentiam aliquod in te sit mortale peccatum, vel peccandi propositum, unde mortua sit tua misera anima, ac per hoc a radice Christi et Ecclesiæ abscissa, quia ille vivificus panis et divinus non præstat influxum vitæ nec nutrimentum membris abscissis et mortuis, teste Scriptura, quæ dicit [2]: *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Unde a talibus sumitur sacramentum, et non res sacramenti, id est Christi gratia, et unitas charitatis ejus: comeditur gustu, sed non reficit spiritum: vadit ad ventrem, sed non reficit mentem: deglutitur sicut abrotanum sine sui læsione, et non vivificat animam, nec incorporat eam sibi, neque unit; sed potius, nausea compellente, talem Christus evomit, velut cadaver putridum, bestiis devorandum et avibus, cum scilicet infelicem animam tradit Satanæ cruciandam, sicut de Juda scriptum est, quoniam [3] *post buccellam introivit in eum Satanas.* Quapropter si talibus laqueatus es, cave ne pro aliqua causa, vel necessitate, absque debita contritione, ac proposito pœnitendi, ac confessione præmissa, accedere ad altare præsumas: quia [4] *horrendum est incidere in manus Dei viventis.*

Mur tia a mæ comm nion requi tur.

Indig sump sacra ment nociv est.

Sed, heu! quot sunt hodie sacerdotes miseri, et suæ salutis improvidi, qui corpus Christi in altari velut carnes pecudum manducant, et involuti et contaminati abominationibus, de quibus fas non est dicere, sce-

[1] *Matth.*, XXVIII, 20. — [2] *Sap.*, I, 4. — [3] *Joan.*, XIII, 27. — [4] *Hebr.*, X, 31.— (*a*) *Cæt. edit.* posset.

leratis manibus et pollutis labiis contingere non verentur et osculari Filium Dei, et Mariæ Virginis unigenitum! Verum si horum sacrificium suscipit Deus, audeo dicere, mendax est et socius peccatorum. Insuper, quod deterius est, ad tantam quidem pervenerunt istis diebus perversitatem et stultitiam, ut putent infelicissimi sua scelera et immunditias peccatorum, quæ quotidie reiterare proponunt, absque pœnitentia et confessione, per sacram communionem quotidie celebrantes expiare. Tales non sunt sacerdotes, sed sacrilegi; non christiani, sed hæretici. Profecto si fidem rectam haberent, aut peccare timerent, aut celebrare cessarent.

Mundiria corporis quomodo ad Eucharistiam suscipiendam requiratur.

Secundo non tantum cordis, sed et corporis attendenda est munditia : ideo cave ne immundus accedas, non tantum dico de immunditia voluntaria, quæ mortalis, sed etiam nocturnali, sive casuali macula, quæ impedit celebrationem, ubi non est magna necessitas, vel jussio præceptorum. Ubi ergo dicta interveniunt, et dictæ maculæ non dederis occasionem vel causam per præcedentem concupiscentiam, vel inordinatam crapulam, nec secuta est notabilis mentis inquinatio per reminiscentiam, vel illusionem phantasticam carnalium, credo quod accedere posses, salvo meliori judicio, maxime si singularis devotio ratione solemnitatis vel alterius similis causæ te traheret ad celebrandum. Custodire etiam debes pudicitiam manuum quantum potes, et omnium membrorum tuorum puritatem. Unde tibi consulo, ut præ cæteris hominibus omni tempore, maxime dum Missam celebraturus es, caveas ab omni tactu non solum turpi et immundo qui fit cum peccato, sed etiam a quolibet indecenti et coinquinato, et totum te recolligas, ut nec actus, nec cogitatio ad aliquod aliud dispergatur. Et insuper curam habeas diligenter de munditia et nitore paramentorum altaris, et sacrorum vasorum, ut cum honore et omni diligentia tractetur ille, qui est angelis et archangelis tremebundus.

CAPUT V.

Ex quanta charitate, quantoque fervore accedendum sit communicaturo.

Tertio proba teipsum ex quanta charitate, et quali fervore accedis : non solum enim mortalia vitanda sunt, sed etiam venialia peccata, per negligentiam et otium multiplicata, et etiam per inconsiderationem ac per distractionem dissolutæ vitæ, et malæ consuetudinis, licet non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, gravem, et obnubilatum, et indispositum, et ineptum ad celebrandum, nisi dicti pulveres et stipulæ venialium, per afflatum spiritus et flammam charitatis ventilentur, et consumantur ex ardescente igne cordis et ex consideratione propriæ vilitatis. Ideo cave ne nimis tepidus, et inordinatus accedas, et inconsideratus : quia indigne sumis, si non accedis reverenter, circumspecte, et considerate. Unde Apostolus [1] : *Judicium sibi manducat et bibit,* quod apertius insinuat cum subdit, dicens : *Ideo inter vos multi imbecilles,* scilicet per fidei inconstantiam, *et infirmi,* id est gravi peccato sauciati *et dormiunt multi,* scilicet per torporem et desidiam. « O quam graves angustiæ, o quantæ angustiæ me undique affligentes! Accedere indigne horrendum est judicium; non accedere ex notabili negligentia vel contemptu, damnabilis est culpa. » Beda [2]. Nam cum sacerdos est absque peccato mortali, et in proposito bono, non habens legitimum impedimentum, et non ex reverentia, sed ex negligentia celebrare omittit, tunc, quantum in ipso est, privat Trinitatem laude et gloria, angelos lætitia, peccatores venia, justos subsidio et gratia, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali beneficio, et seipsum medicina et remedio contra quotidiana peccata et infirmitates; quia sicut ait Ambrosius [3] : « Si

Peccata etiam venialia celebranti vitanda.

[1] I *Cor.*, XI, 29, 30.— [2] Bed., scilicet quoad sensum, *in* I *Cor.*, XI. — [3] Ambros., *de Sacram.*, lib. IV, cap. ult., et refertur, *de Consecr.*, dist. II, c. *Si quotiescumque.*

quotiescumque effunditur sanguis Christi, toties in remissionem effunditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur : qui semper pecco, semper debeo accipere medicinam. » Item privat se omnibus talibus provenientibus ex sacra communione, quæ sunt peccatorum remissio, fomitis mitigatio, mentis illuminatio, interior refectio, Christi et corporis ejus mystici incorporatio, virtutum roboratio, contra diabolum armatio, fidei certitudo, spei elevatio, charitatis excitatio, devotionis augmentatio, et angelorum convivatio. Item non complet sibi injunctum magnæ divinitatis obsequium, nec officium exercet debitæ servitutis Dei; et tamen scriptum est[1] : *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter* (*a*). Item contemnit Christi præceptum de observantia hujus sacramenti; ideo Christus comminatur[2] : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, etc. Item abjicit viaticum suæ peregrinationis, exponens se periculo mortis, quia nisi recipiat alimentum corporis Christi, et vitæ vegetationem, efficitur sicut aridum membrum, ad quod non transmittitur corporalis cibi nutrimentum. Ultimo, quantum in se est, evacuat divinum cultum et latriam Creatori debitam, ingratus de beneficiis. Unde dicitur in *Numeris*[3] : *Si quis mundus est*, scilicet a peccato mortali, *et in itinere non fuerit*, scilicet aliter impeditus, *et non fecerit phase*, *anima illa de populo suo exterminabitur*, *quia sacrificium non obtulit Deo Domino tempore suo.* Ergo, quantum potes, toto conatu, per exercitium boni operis lacrymarum contritionem et devotionis flammam, expelle a te omnem teporem et negligentiam, ne inveniaris respuere tantorum charismatum dona.

CAPUT VI.

Qualiter et per quæ homo ad celebrandum accenditur.

Si vis accendi ad amorem, considera tota mente ista duo : primo illius summæ charitatis incendium, quo summa bonitas et benignitas pro te vermiculo fœtido tam pœnose sustinuit crucis opprobrium; secundo illius nobilissimi corporis cibationem dulcissimamque sanguinis potionem. Primo attendas illam beatissimam mortem, discutiens causam. Causa autem alia non fuit, nisi necessitas nostræ redemptionis. Omnis autem lex pro læsæ majestatis offensione, offendentem judicat reum mortis. Hujus rei causa, cum peccatis exigentibus essemus rei mortis, pro recompenstione tanti debiti, miserans Deus humanæ miseriæ, et parcens nostræ morti, providit et concessit prioribus, pro morte hominum, cædem fieri animalium, et offerri sibi hostias et sacrificia placationis; ut quoties quis peccaret, toties esset pro eo necessarium hostias immolari. Quæ omnia figuræ erant et umbræ, donec Christus caput humani generis mitteretur, viva et rationabilis hostia absque peccato, qui pro omnibus hominibus seipsum ex amore offerret ad mortem pro nostræ mortis redemptione. Sed quia non debuit pluries mori, eo quod illa una mors satisfecit pro peccatis omnibus factis et fiendis; ideo sufficit, quod illam unam hostiam corporis sui, quondam pro nobis semel immolatam, moriens relinqueret quotidie a nobis pro residuis delictorum mystice offerendam Deo Patri, pro commutatione nostræ mortis, cui quotidie sumus obnoxii per peccatum. Unde Augustinus[4] : « Iteratur quotidie hæc oblatio, licet semel Christus passus sit, quia quotidie peccamus peccatis, sine quibus mortalis infirmitas vivere non potest. Et quia quotidie labimur, quotidie pro nobis Christus mystice immolatur. » Hæc ille. Propter hoc quidquid agitur in Missa, et omnis ornatus et cærimonia, nihil aliud repræsentat, nisi Christi passionem. Ob hoc super omnia est necessaria Christi mortis memoria in Missa. Unde ipse Christus

[1] *Jerem.*, XLVIII, 10. — [2] *Joan.*, VI, 53. — [3] *Num.*, IX, 13. — [4] Imo Paschas., *de corp. et sang. Christ.*, c. IX, et refertur, de consecr., dist. II, c. LXXI.

(*a*) *Vulg.* fraudulenter.

ait[1] : *Hoc facite in meam commemorationem.* Et ejus Apostolus : *Quotiescumque manducabitis,* etc., *mortem Domini annunciabitis, donec veniat;* scilicet ad judicium. Dum ergo accedis, dic ex toto corde :

Ad sacrum fandum prævia latio.

Ecce, cœlestis Pater, recolens mortem illam unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, offero tibi hanc hostiam, quam ipse olim obtulit pro mea et totius mundi salute. Ecce ad altare tuæ majestatis transmitto oblationem vivam, quam tu in miseratione multa misisti ad altare crucis immolandam pro nobis. Recordare ergo illius sacrosancti sudoris, quasi guttæ sanguinis decurrentis in terram. Respice illam virgineam carnem, verberibus crudeliter flagellatam, colaphis et alapis cæsam, livoribus tumidam, sputis maculatam, sanguine cruentatam, spinis perforatam, clavis confixam, lancea vulneratam. Illa ergo pietas, quæ Filium tuum traxit et vicit, ut in statera crucis totius mundi peccata librares, ipsa te cogat, Pater, misereri nobis miseris. Respice, obsecro, non nostra peccata, sed in faciem Christi tui. Non enim in justificationibus nostris preces nostras prosternimus, sed in multitudine miserationum tuarum.

Secundo, si vis ad amorem accendi, et inflammari, considera illius sacri corporis cibationem dulcissimam, et vide quam bonus et suavis est spiritus ejus in nobis, quamque congrua et utilia providit nobis Pater noster cœlestis vivificantia alimenta.

CAPUT VII.

Quare necesse sit animæ nostræ recipere sacramentum.

Ratio-nalis atura quid ata.

Quia enim rationalis creatura ad hoc facta est, ut sit capax et particeps bonitatis Dei, ex qua participatione vivere, et ad beatum esse pervenire debet, sine qua ex se ad nihilum tendit et ad mortem sempiternam, nisi per cibum vivificantem jugiter vegetetur, ex participatione divinæ virtutis, et gloriæ. Quam participationem ideo comestionem voco, quia sicut corpus animale per cibum vivificatur, calefit, et impinguatur; sic anima rationalis per spiritum Christi, quo frui debet, pleno affectu, et intellectu nutritur et inflammatur. Et sicut angeli in patria pleno haustu bibunt de spiritu perenni, et vivo fonte luminis, ac satiantur ab ubertate domus ejus; sic sapientia ante prævidit, ut rationales animas hominum, quas tam care redemit, et per gratiam magnificavit, ac effecit similes angelis Dei, cibaret illo pane, quo angeli nutriuntur, sine quo nec illi nec isti vivere possunt, et hoc per aliquem modum convenientem nobis parvulis : quia impossibile est nobis comedere cum isto mortali corpore illum panem vitæ in soliditate propriæ formæ, scilicet divinitatis. Ideo ut nobis comestibilem cibum præberet sub forma convenientiori, scilicet panis et vini corporalis dandum, propter convenientem similitudinem panis ad panem, et refectionis ad refectionem; ut sicut angelos viventes spiritus cibat Verbo increato, sic mortales homines cibaret (*a*) Verbo incarnato, in sacramento suscepto. Unde dictum est[2] : *Panem Angelorum manducavit* (*b*) *homo*, etc. Et[3] : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi,* etc. Item nota, quod sicut cura est Deo de corpore animalis cujuscumque providere illi cibum convenientem ; sic cura est eidem de nutrimento nobilissimi sui corporis mystici, quod est Ecclesia, cujus Christus Filius Dei est caput, nec aliunde debet vegetari et vivere, quam a capite suo, ut omnia membra, scilicet viri justi, unita et sibi invicem cohærentia in Christo capite, ipsius spiritu et amore nutriantur per hoc sacramentum unitatis et pacis; ac per hoc sicut non est vita corpori absque incorporatione cibi convenientis ei, sic animæ rationali non est vita spiritualis sine incorporatione et invisceratione hujus cibi spiritualis sibi convenientis. Unde inquit Christus[4] : *Qui manducat me, vivit propter me.* Hæc autem est differentia inter comes-

Eucharistia angelis et hominibus communis.

[1] *Luc.*, XXII, 19; I *Cor.*, XI, 24, 26. — [2] *Psal.* LXXVII, 25. — [3] *Joan.*, VI, 52. — [4] Ibid., 58.

(*a*) *Cat. edit.* cibat. — (*b*) Item *manducabit.*

tionem corporalem, et spiritualem, quia ibi cibus comestus transit in substantiam et nutrimentum comedentis; hic vero comedens incorporatur Christo, et transit in amorem et unitatem spiritus Christi. Ideo dictum fuit beato Augustino[1]: « Non ego mutabor in te, sed tu mutaberis in me: » id est in mei similitudinem, scilicet bonitatem, sanctitatem, etc., sicut ignis ferrum sibi in similitudinem convertit.

CAPUT VIII.

Propter quod, et propter quam causam communicandum.

Quarto et ultimo proba te ipsum, propter quid aut propter quam causam accedis. Et hic dirige aciem mentis ad duo præcipue, scilicet ad purum affectum et desiderium sanctum, secundo ad debitam intentionem et propositum necessarium.

Primo vide quid desideres, ne propter avaritiam, aut tumorem, aut vanam gloriam, aut consuetudinem, aut alicujus mundanæ complacentiæ, aut temporalis favoris causa accedas : sicut multi diebus istis abutuntur ad sui perditionem, quod est datum ad salutem. Væ, væ, væ, Domine Deus, quanti hodie infelices ad sacros ordines accedunt, et divina mysteria accipiunt, non cœlestem panem, sed terrenum quærentes; non spiritum, sed lucrum; non Dei honorem, sed suam ambitionem; non salutem animarum, sed quæstum pecuniarum; non Christo servire mundo corde et corpore in sacris mysteriis, sed deliciari, ditari, superbire et luxuriari de patrimonio Christi et de eleemosynis pauperum, ac ecclesiasticas dignitates ambiendo multis litigiis et simoniis, potius rapiunt, quam assequantur, non vocati a Deo, sed impulsi a diabolo tanquam Datan (*a*) et Abiron. Tu autem, homo Dei, dirige vota tua et desideria ad Deum, et vide quibus affectionibus et desideriis trahi debeas ad sacra mysteria celebranda.

Contra eos qui pravo intuitu ad sacros ordines accedunt.

Quo animo ad sacra altaris mysteria accedendum.

[1] Aug., *Conf.*, lib. VII, c. x.

Primo te trahet conscientia et remorsus delictorum, sperans per eum quasi per hostiam oblationis ab omni peccato purgari.

Secundo, tuæ infirmitatis intuitus et consideratio, ut eum quasi medicinam ad te voces, per quam ab omni infirmitate tuearis.

Tertio, pressura alicujus tribulationis, ut per eum, qui omnia potest, ab omni adversitate citius libereris et protegaris.

Quarto, desiderium alicujus gratiæ vel spiritualis beneficii impetrandi, ut per eum, cui Pater nihil negare potest, obtineas.

Quinto, gratiarum actio pro omnibus beneficiis temporalibus et spiritualibus tibi et aliis impensis, cum nihil habeamus Deo retribuere, pro omnibus quæ retribuit nobis, aliud, quam calicem salutaris accipere, et sacrificare hostiam laudis, id est, Jesum Christum.

Sexto, charitas et compassio proximorum, cum pro salute vivorum, et requie defunctorum, nihil efficacius interpellet, quam Christi sanguis effusus in remissionem peccatorum.

Septimo, laus Dei et sanctorum, cum nihil habeamus, quo possimus Deum et Sanctos pro sua dignitate laudare, quam Christum sacramentaliter Deo Patri offerre et immolare.

Octavo, Dei amor et dilectio, ut eum invites ad te, ac per inviscerationem spiritualis refectionis, in te ipso eum delectabiliter amplexeris.

Nono, sitis et desiderium augendæ gratiæ, quia hoc sacramentum fontem continet gratiarum et sanctificationum, et auctorem continet salutis, Dominum nostrum Jesum Christum. Ideo dicitur Eucharistia, id est bona gratia. Cætera vero sacramenta fluenta sunt et rivuli gratiarum, quibus sanctificamur.

Decimo, ardor et suspirium, quo totis visceribus, virtute hujus excessivæ charitatis et dulcissimæ refectionis, cupias sanctificari ab omni inquinamento carnis et spiritus, et eripi ab omnibus periculis et tentationibus,

(*a*) *Vulg.* Dathan.

ac inseparabiliter uniri Christo Salvatori, et conservari in suo amore. Unde inquit Christus[1] : *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ibi ego sum, illi sint mecum, ut sint unum, sicut nos unum sumus, ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum.*

CAPUT IX.

De latria quæ soli Deo debetur.

Secundo dirige mentem tuam ad debitam intentionem et propositum circa ea quæ agere debes. Tria autem sunt, quæ celebraturus intendere debes, scilicet Deum per latriam colere, Christi mortem memorari, et totam Ecclesiam juvare. Primo intendas Deum per latriam colere. Cultus autem latriæ est honor soli Deo impensus summo Creatori ex debito servitutis, quo obligamur non solum nostra, sed nosipsos impendere pro suo honore, et pro eo mori, si expedierit, ad recognitionem beneficiorum suorum, et suæ immensæ bonitatis nobis ostensæ; et hoc contrito corde et spiritu humiliato, et (*a*) toto affectu, actu et habitu, gestibus et signis prosternentes nos ante oculos suæ majestatis, et sacrificiis, ac muneribus eum venerantes, referamus ad ipsum omnem spem nostram, et desiderium nostrum tanquam in finem ultimum, et in eum a quo omnia sperantes, propter quæ omnia expectantes ab eo, meritum et retributionem bonorum nostrorum et malorum, secundum retributionem justitiæ suæ, suique beneplaciti.

CAPUT X.

De dulia.

Aliis quoque sanctis exhibetur honor et devotio, quæ dicitur dulia, quæ non est cultus nec adoratio, sed subrogatio et invocatio, ut sint apud Deum advocati pro nobis, et omnis reverentia, quæ eis impenditur, propter Deum, cui sunt conjuncti, exhibetur. Deus autem debet a nobis in immensum timeri, et honorari, et amari : primo ex consideratione suæ omnipotentiæ et justitiæ, qui nos plenissimo jure damnare potest et salvare. Est etiam summe timendus : ex hoc enim timore oritur dolor de peccatis, pudor, suspiria, lacrymæ, tunsiones pectorum, supplicationes, jejunia, disciplinæ, peregrinationes, et hujusmodi. Secundo, ex consideratione suæ sapientiæ et majestatis summe est honorandus : ex hoc namque oritur veneratio et reverentia, genuflexiones et incurvationes, prostrationes, orationes, purificationes, consecrationes, munditia sacrorum vasorum, paramentorum ornatus, et decor, festivitates, celebritates et solemnitates luminarium, cantus, psalmodiæ hymnorum, lectionum, et hujusmodi. Tertio, ex consideratione bonitatis et clementiæ est infinite amandus : ex hoc autem amore oriuntur gratiarum actiones, laudes, hymni, benedictiones, vota sancta, et incensationes, et hujusmodi.

CAPUT XI.

De intentione celebrantis Missarum solemnia.

Intendere debes ut ex frequentatione divini cultus nomen Dei in nobis sanctificetur, ut a nobis per sanctitatem vitæ glorificetur in mundo, ut crescat in orbe cultus et honor Dei, ut cognoscat totus mundus nos esse clericos unius veri Dei et Salvatoris Jesu Christi. Intendere debes et memorari Christi mortem : et de hoc dictum est supra. Intendere debes totam Ecclesiam juvare, ut scilicet proponas Deum orare pro Papa, cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, doctoribus, rectoribus, sacerdotibus, clericis, monachis, religiosis, monasteriis, et omnibus Christo famulantibus, pro regibus, ducibus, principibus et cæteris nobilibus, pro virginibus, viduis, orphanis, peregrinis, afflictis, captivis, debilibus, infirmis, et pro omni populo Dei; etiam pro paganis, schismaticis et hæreticis, ut convertantur ad Deum verum et sanctæ Ecclesiæ unitatem.

[1] *Joan.*, XVII, 23. — (*a*) *Leg.* ut.

Item in speciali orare debes pro aliquibus causis, charis scilicet parentibus, consanguineis, et amicis devotis, et tibi recommendatis, ac in tua oratione sperantibus. Item singularissime pro te ipso; et si aliquem prædictorum fidelium, præcipue propter odium vel rancorem, excludis, ut non sit particeps tanti beneficii, mortaliter peccas, agens cum odio divina mysteria.

CAPUT XII.

De confessione celebrantis facienda.

His præmissis, postquam ex ruminatione prædictorum in meditatione tua exardescit ignis in corde tuo, evome et purga fæces peccatorum tuorum spiritu contrito et humiliato, memorans quanta commisisti cogitatione, verbo et opere, quanta bona omisisti, quæ facere debuisti et potuisti, et veniens ad spiritualem medicum et patrem, dic peccata non communi et generali confessione, ut quidam duri corde faciunt, palliantes foliis verborum in generali confessione sua enormia peccata, et absque verecundia et dolore taliter proferentes, ut etiam in plateis possent totaliter absque rubore confiteri. Hæc non est confessio, sed deceptio et derisio. Sed si vis sanari, aperi vulnera tua, et de profundo corde enarra clare et aperte quæ post præcedentem confessionem egisti, non solum opera, sed et cogitationes perversas, quarum delectatio mentem maculat : non solum mortalia, sed etiam venialia graviora, quæ conscientiam lædunt et mordent. Cætera per modum generalem breviter et clare exprime. Deinde peracta pœnitentia tibi injuncta, decanta illos quinque psalmos : *Quam dilecta*; *Benedixisti*; *Inclina*; *Credidi*, et *De profundis*, cum suis versiculis et orationibus. Dic etiam, si tempus suppetit, illam orationem : *Summe Sacerdos*; quæ valde efficax est et devota. Postea procedens ad altare, recordare Christum euntem ad crucem, et fige cor ad ea quæ in passione gesta sunt, legas clare et distincte ea quæ legenda sunt, non multiplicando collectas nimias, nec alia legendo ex devotione vel arbitrio proprio, quam quod a sanctis Patribus institutum est.

Venialia graviora confitenda.

CAPUT XIII.

Quomodo sacerdos celebrans habere se debeat infra sacrum canonem.

Cum autem perveneris ad sacrum canonem, recollige mentem, ne per diversa vagetur, appone diligentiam magnam in signis et actibus, majorem in verbis, maximam in intentione. Primo, propter continentiam divinitatis immensæ, in *Memento*, tam pro vivis, quam pro defunctis, non fiat cum voce et verbis commendatio, sed tantum mente discurre per quasdam personas magis intimas, cæterasque recollige sub compendio, referens intentionem ad omnes pro quibus antea orasti, sive orare promisisti. Dum autem perveneris ad *Qui pridie*, dirige mentem et intentionem tuam ad faciendum id, quod intellexit Christus in sua cœna, et quod intendit sancta mater Ecclesia. In communione autem pausa paulisper, et dic non lingua vel labiis, sed corde :

In secre ne c mod tenti riger De comi nic tium tic

Domine mi, quis es tu, et quis sum ego, ut præsumam te mittere in latrinam fœtidam corporis mei et animæ meæ? Utquid me fecisti, ut tibi injuriam hanc execrandam facerem? Mille enim lacrymarum anni non sufficerent ad tam nobile sacramentum semel digne accipiendum : quanto magis ego miser indignus sum, qui quotidie pecco, et incorrigibilis persevero, et in peccatis accedo! Sed in infinitum major est misericordia tua, quam miseria mea : unde confisus de tua pietate, præsumo te sumere.

Hæc enim duo maxime requiruntur ad congruam perceptionem sacramenti, scilicet profunda humilitas cum annihilatione sui, et compassio mortis Christi.

CAPUT XIV.

Quomodo se habeat sacerdos post communionem sacram.

Post communionem, si non sentis aliquam spiritualem refectionem, signum est spiritualis infirmitatis, vel mortis. Ignem posuisti in sinum, et non sentis calorem; mel in ore, et non sentis dulcedinem. Si vero consolationem sentis aliquam, non tibi tribuas, sed suæ bonitati immensæ, quæ etiam et malos et indignos consolatur, et dicas in corde tuo :

Ad meam miseriam detestandam me convicit beneficiis suis. Si mihi peccatori talia fecit, quid faceret si vitam meam correxero? Ideo totis viribus volo me mutare, et sibi semper adhærere.

Hoc autem non reputes te posse tuis viribus, sed auxilio gratiæ ejus. Quod ipse omnibus nobis præstare dignetur.

Amen.

DE INSTRUCTIONE SACERDOTIS

AD SE PRÆPARANDUM AD CELEBRANDAM MISSAM[1]

Ad sacrum faciendum sex in celebrante requiruntur.

Ad Missam celebrandam sex consideranda sunt. Primum est rationis discretio respectu veritatis, ut scilicet sciat quis quid recipere debeat. Quid, quia verum Deum, qui fecit cœlum et terram, et verum hominem, qui pro nobis pependit in ligno. Quis, quia homo, non bestia propter peccatum : unde præ cæteris repellat a se sacerdos bestialitatem peccati.

Secundum, mentis devotio ratione ejus sanctitatis. Debet enim considerare, quod quem recipimus, Sanctus sanctorum est, et omnis sanctitatis origo : et ideo, quantum potest sancte et devote accedat ad ipsum, a se expellens omnem peccati rubiginem per lacrymarum compunctionem, et omnem mentis amaritudinem per orationis dulcedinem devotionemque.

Tertium est animi reverentia respectu majestatis, ut scilicet ad tam excellentem Dominum vereatur accedere tam vilissima creatura. Si enim ante imperatorem non esset dignus stare homo infectus putredine, quanto magis Dominum recipere in sacramento altaris indignus et miser homo, cujus[2] *omnes justitiæ sunt sicut pannus menstruatæ?* et si justitiæ sunt tales, qualia sunt peccata? Equidem indignissimus est ad hoc omnis homo. Consideret tamen, quod major dignatio sua, quam indignitas (*a*) nostra ; sua benignitas, quam miseria nostra.

Quartum est amor et desiderium cordis ratione suæ bonitatis. Unde multum cavere debet homo, ne cum tædio aut corporis torpore ad illud sacramentum accedat, in quo continetur summa bonitas et infinita jucunditas. Unde mirum videtur, quomodo in ista receptor homo non liquescat amore caloreque, et quomodo non absorbeatur suavitatis dulcore. Consideret ibi corpus Domini sui, si vult ad amorem accendi ; et illius nobilissimi corporis et sanguinis cibationem, si vult desiderium provocare, et tandem refici provocatus.

Quintum est pro se et aliis affectuosa deprecatio, et humilis in sermone, ratione suæ clementiæ. Ab ipso enim secure potest petere, qui dixit[3] : *Petite, et accipietis ; quærite, et invenietis.* Et ad hoc credo maxime istud sacramentum esse, ut postuletur venia, et gratia impetretur in oblatione istius excellentissimi holocausti.

Sextum est totius hominis diligentia, respectu suæ immensæ nobilitatis, sive nobilissimæ immensitatis. Si enim cum diligentia magna quis servit alicui principi singulari, tanto majori diligentia debet sacerdos Domino suo ministrare, et omni vigilantia pertractare illud dignissimum sacramentum, ac si nihil faciendum esset, aut nunquam aliud facere deberet. Ecce ibi debet esse attentio tota, probatio sufficiens et distincta, ut nil confusum aut diminutum fiat. Debet etiam nihilominus contractatio fieri provida et discreta, ac omni honestate ornata, ut sic ibi omnia cum summa diligentia operetur sacerdos.

Ad hoc consulo cuilibet sacerdoti, ut præ cæteris hominibus se omni tempore ab omnibus, quæ aliquo modo cor suum, habitaculum Regis sui, polluere possunt, sive parum sive multum, tam occasionaliter quam actualiter, elonget se quantum potest.

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an 1495, part. II ; edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, pag. 75; edit. Ven., an. 1611, 16 ; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, p. 74; edit. Ven., an. 1754, tom. VI, part. I, pag. 60. — [2] *Isa.* LXIV, 6. — [3] *Luc.*, XI, 9.

Conscientia discutienda, et cor a creaturis omnibus ad creatorem convertendum.

Tunc autem præcipue, cum ad Missam vadit celebrandam, a cunctis se abstineat, quantum potest, et se totum recolligat in seipso : ut nec sensus, nec cogitatio ad illud diffundatur : suam conscientiam discutiat diligenter, et quod invenerit lavandum, lavet abundantia lacrymarum, vadat ad confessorem suum, et extra evomat omnia venenata : et immediate peracta pœnitentia, si tunc facere poterit, iterum recolligat semetipsum, et ad divinam majestatem elevet mentem suam, et consideret divinam magnificentiam, et ad propriam miseriam vergat, ut sic videat, quam magnus est Dominus, et quam parvus est servus, imo vanus et inutilis. Intret, quantum potest, in Deum ; et in se ipso, in quantum potest, ad nihilum redigatur; et cum fuerit abstractus et divinus effectus, quasi nihil aliud videat, nihil aliud sentiat, nisi Deum, et propter Deum omnia reputet vanitatem; tunc cogitet qualis fuit erga nos dilectio Dei nostri, qui sic pro vili re, imo pro tam detestabili voluit sic unire sibi vilem, et in ea vilissima et abominabilissima tam turpia voluit sustinere. Tunc ruminet illam magnificentiam charitatis, et illo inæstimabili ardore inflammetur : et cum ignitus fuerit charitate circa dilectum, adaperiat viscera pietatis : pro se vilificato, afflicto, et lætaliter vulnerato compatiatur; intra se omnia ista vulnera transformet, ac si ipsemet esset lethaliter vulneratus, et magna Christi vulnera, et nunc quantum in isto vulnere, quantum in illo passus sit, meditetur, nunc quanta fuerint illa flagella æstimet (*a*) diligenter. Et cum sic in ista meditatione cum Christo fuerit crucifixus, quia in isto exigitur maxime sacramento : tunc cogitet, quod illam nobilem carnem in crucis ara immolatam pro nobis dignatus est dare in cibum et sanguinem ejus effusum pro redemptione humani generis de latere suo in potum. Nunquam credas quod sanguis ille, quem recipimus in altari, sit extra corpus ejus; sed tamen et (*b*) effusum pro nobis in passione recipere debemus sub illa intentione. Tunc ejus dilectionem circa nos consideret, et ruminet illius magnificentiam sacramenti ; et hoc quantum potest, quia vix potest aliquam investigare scintillam tam immensi amoris Domini in hoc magnifico sacramento. Et cum bene ruminabit istud magnificum sacramentum Salvatoris, jam quadam dulcedine cœlesti inductus, humiliter et reverenter accedat ad hoc sacramentum, et cum omni diligentia prosequatur, adhibitis et aliis circumstantiis, quas in principio hujus tractatus tractavi. Cum autem recipere debuerit, aliqua poterit præmeditari, si placet, utpote dicat in corde suo.

Passio Christi meditanda, et ex passione charitas.

Alia communicantis meditatio.

Ad illud tam nobile sacramentum recipiendum, non sufficerent mille anni ad præparationem condignam : quanto magis ego miser et indignus sum, qui quotidie pecco, incorrigibilis persevero, et impræparatus accedo? Quare, Domine, me fecisti, ut tibi execrandam injuriam facerem, quod te pono in latrina peccatorum animæ meæ? quoniam non est cloaca magis fœtida, quam peccatrix anima mea. Utinam hanc immundam animam aliquis fluvius compunctionis discurrisset, ut ibi non fuisset tanta peccatorum sanies congregata. Domine, quid est hoc? numquid ibi te ponere debeo? Sed in infinitum major est misericordia tua, quam nostra miseria : et ideo de tua benignitate confidens, te præsumo sumere, ut sic infirmus accedam ad medicum dulcissimum, ut tua liberer medicina. Quanto enim plus infirmus sum, tanto plus indigeo, Deus meus, et in liberatione mea magis apparebit tuæ immensitas pietatis. Accedam ad Deum meum confidenter, quia infinitæ sunt misericordiæ ejus, et secum fruar bonorum deliciis. Ingrediar ergo sponsa ad sponsum, secumque volo inseparabiliter commorari. Nolo amplius alteri adhærere, ut cum ipso solo gaudium habeam sine fine.

Hæc et alia quæ dicere voluerit, corde dicat, non ore, quia non credo expedire ib

(*a*) *Cæt. edit.* extimet. — (*b*) *Leg.* ut.

proferre alia, quam illa, quæ in canone continentur.

Ad efficacem Eucharistiæ sumptionem, compassio Christi, et sui humilitatio requiritur.

Et nota quod secundum meum videre, ad efficaciter recipiendum valet compassio Christi, et vilificatio et annihilatio sui; quantum potest vilis fiat et indignus in oculis suis, qui recipere debet. Cum autem sacramentum expletum fuerit, cogitet in corde suo; post tam nobilem cibum nolo stercora degustare, et cum ipse sit summa jucunditas, nolo de cætero affici circa aliquam creaturam. Si autem affectionem ibi nullam habuit, recogitet signum esse infirmitatis vel mortis. Ignem enim posuit in sinu, et calorem non sentit; mel posuit in ore, et dulcedinem non percipit. Et ideo talis miseriam suam recognoscat, et mutet in melius vitam suam. Si vero refectionem ibi recipit, non sibi attribuat, sed infinitæ divinæ majestatis bonitati, quæ se ad bonos et malos extendit, et dicat in corde : In me Dominus operatur mirabilia, ad detestationem miseriæ meæ, et ad convincendum beneficiis iniquitatem meam magnam. Nam me mortuum fecit sentire, et vermem vilissimum cœlestia degustare. Si mihi peccatori talia fecit Dominus, quid faciet si correxero vitam meam, et continue voluero in melius promovere, et cœlestibus dedicare meditationibus, et sibi soli de cætero adhærere? Quod tamen facere potuit auxilio Domini, non propria virtute; et sicut cogitat, sic opere adimpleat.

Meditatio post communionem.

ORATIO.

Alia devota oratio post communionem dicenda.

Domine Deus meus, quomodo ausus sum te alloqui vilissima creatura? Nam fœtidissimus sum, horribilis sum, stercus vermisque nequissimus, et vanissimus homo; tu autem, Deus deorum, Dominus dominantium, omne bonum, honestum et pulchrum, omnis utilitas, omnis amœnitas, omnis suavitas, fons splendoris, fons melodiæ, fons odoris, fons dulcoris, fons amoris et intimus dilectionis amplexus, et tu rogas me, et ego fugio : de me es sollicitus, de te non curo : mihi semper servis, et ego te semper offendo : te mihi tribuis, et ego te contemno. Me ergo vanitatem et nihil diligis; et te infinitum et inenarrabile bonum sperno, fœtorem, horrorem, mortalem dolorem tibi, o beatissime, benignissime, amantissime sponse, præpono. Plus me allicit creatura, quam Creator; vanitas, quam æternitas; detestabilissima miseria, quam summa felicitas. Plus me inclinant sordes, quam elevet pulchritudo; servitus, quam magnitudo; amaritudo, quam dulcedo. Nam [1] *meliora sunt vulnera diligentis quam fraudulenta oscula inimici;* et tamen plus approbo hoc affectu fraudulenta oscula, quam vulnera diligentis. Sed [2] *ne reminiscaris, Domine, delicta mea, vel parentum meorum;* sed pietatis tuæ viscera, et dolorem tuorum vulnerum; non quod ego, sed quod tu pro me sustinuisti, considera. Si me, ut ostendis, diligis, cur me relinquis? cur fatigari permittis? Me ergo, amantissime, tene timore, restringe amore, quieta dulcore. Dulcissime sponse, nequeo, nescio; tibi volo servire, tibi adhærere toto corde, imo vix pericula amare; hoc operari in me tu potes, tu scis, tu vis, et a me exigis. Quid ergo deficiam in beneplacito meo, vel tu in tuo? Obsecro, ut non prævaleat homo, sed Deus; nolo in hac contrarietate deficere, nolo succumbere, sed succurre festinanter. Vivendo luxuriose, et me nimis et tuas creaturas lascive amando, totam meam substantiam dissipavi; nunc recognoscentem miseriam et penuriam meam, famelico appetitu ad paternæ misericordiæ viscera redeuntem me oculis tuæ pietatis agnosce, et dignare me radiis tuæ gratiæ lætabundis occurrere, et cum amplexibus pacis et quietis largiaris oscula.

En recognosco quod in cœlum et in totam curiam cœlestem, et Ecclesiam Romanam, imo in omnem creaturam tuam et coram te, te contempto, peccavi, et malum coram te feci; et certe non sum dignus vocari filius tuus, nec mercenarius, etiam servus, aut aliqua vilissima creatura; sed miserere mei,

[1] *Prov.*, XXVII, 6. — [2] *Tob.*, III, 3.

et[1] *dele iniquitatem meam, ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris:* quia[2] *dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo ejus.*

Obsecro, jube, ut detur mihi charitatis stola, fidei ferventis annulus, in calceamentis et elevantis et confirmantis spei protegantur pedes, ut sic ebrius tuo sanguine, totus in te resolvar amore.

Intret dolor tuus intima mea, et omnem amorem expiet alienum; sim tecum crucifixus mundo, ut sic mortuus, vita mea sit tecum abscondita in Deo. O vita mea, vita felix, quæ abscondita est ipsi mundo, et sociata ipsi Christo, in Deo centro suo quietatur! Unum est mihi necessarium, et solum unum quæro. Abscedat ergo phantasmatum multitudo: unus est dilectus meus, unus est amor meus Jesus Christus, Deus meus, sponsus meus. Nihil ergo sapiat, nihil delectet, nihil alliciat, nisi Jesus Christus; totus sit meus, totus sim suus, et fiat cor meum unum cum ipso, nihil me judicans scire vel amare, vel affectare, nisi Dominum Jesum Christum, et hunc crucifixum.

Fervens amantis anima a Christum renuntiatio.

Ergo, bone Jesu, recollige me visceribus, refice uberibus, et inebria me vulneribus. Evigila ergo, anima mea, ad viscera compassionum, quibus ploravit in infantia super Hierusalem, super Lazarum, et in cruce, imo in illis super te, et egrediatur fluvius de loco voluptatis ad rigandum Paradisum, qui est in quatuor capita divisus. Si enim egrediebatur fluvius lacrymarum de loco voluptatis et omnium deliciarum, quanto magis debet egredi de loco omnium spurcitiarum? Ergo, bone Jesu, summis deliciis plenus plorasti. Evigila etiam, anima mea, ad verba instructionum, et exhortationum, et promissionum, quia de verbo vitæ æternæ habes. Evigila ad exprobationes, vulnera, illusiones et occisiones, ad dolores passionis et compassionis. *Attendite*, inquit[3], *et videte, si est dolor sicut dolor meus.* Imo, Domine, accedam, et videbo, si est amor sicut amor tuus. Et ideo nihil nisi te propter te volo amare. Tu, Domine, me iniquum, pessimum, et contemptorem tuum, vilissimum fœtorem stercorum, et horrorem vermium amasti tantum, ut tanta pro me dignareris pati et sustinere; et ego te infinitum bonum, patrem piissimum, sponsum dulcissimum, omnis pulchritudinis et suavitatis fontale principium, non tantum diligam ut saltem moriar per te, pro te mundo, imo moriar et mihi, ut totus tecum affixus ligno, nihil sentiam nisi te, ut vivam jam non ego, vivat autem in me Christus? *Quid* ergo[4] *retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.* Sic ergo calix continuus in corpore saltem superabundantis gratiæ radicetur in corde, melos divinæ laudis diffundatur. Quare continue ac indesinenter in ore[5] *laudabo Deum meum in vita mea; psallam Deo meo, quamdiu fuero.*[6] *Jucundum sit ei eloquium meum, ego vero delectabor in Domino.* Levabo, et ostendam ei faciem mentis, et in auribus ab ore meo resonabit immensa gratiarum actio, et magnificentia suæ laudis. Recedant ergo de cætero omnia vetera de ore meo, et de anima mea: *quia*[7] *Deus scientiarum Dominus est, et ipsi præparantur cogitationes*, et voces. Arcum fortium superabo, et induar virtute ex alto. Gaudens gaudebo in Domino solum, et implebitur cor meum jubilo, et omnia ossa mea exultabunt in Deo meo, quia totum me offeram Salvatori meo. Quiescet cor meum in dulcedine bonitatis immensæ. Laudabo excellentiam gloriæ summæ, et sequar vestigia passionis acerbæ. Corpus conculcetur, cor elevetur, laude vero repleatur os meum, ut die ac nocte Dei magnitudine tantæ vitæ irremissibiliter quiescant. Abscedat vanitas, accedat divinitas, transformet charitas, et fiam totus divinus, aperiatur cor meum, aperiantur vulnera, jungantur intima, et fiant unum cum Christo. Amen.

[1] *Psal.* L, 2, 6. — [2] *Psal.* III, 3. — [3] *Thren.*, I, 12. — [4] *Psal.* CXV, 13. — [5] *Psal.* CXLV, 2. — [6] *Psal.* CIII, 34. — [7] I *Reg.*, II, 5.

DE INSTITUTIONE NOVITIORUM [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Hoc Opusculum Trithemius *de institutione Novitiorum* inscribit, et inter Opuscula S. Bonaventuræ connumerat. In antiquis impressis non reperitur, sed in recentioribus Venetiis editis prodiit sub hoc titulo; quamvis etiam *de triplici statu religiosorum,* incipientium videlicet, proficientium, et perfectorum, prænotari in eadem editione Veneta scribatur. Instituit in eo Auctor Novitios, sicut fecerat in *Speculo disciplinæ*, sed paulo brevius.

PARS PRIMA

SEU DE COMPOSITIONE HOMINIS EXTERIORIS (*a*)

CAPUT PRIMUM.

Quid semper Novitiis considerandum (*b*).

Primo semper debes considerare, ad quid veneris, quare veneris, et propter quid veneris. Propter quid enim venisti? nonne solummodo propter Deum, ut ipse fieret merces laboris tui in vita æterna? Sicut ergo propter nullum alium, nec propter alicujus exempla te perverte, quin studeas ad illud, quod venisti. Venisti enim ad servitutem Dei, cui servire debet omnis creatura, quia nihil habet nisi (*c*) ab ipso. Et ideo debet ei dare totum quod est, et quod scit et potest. Et si serviunt Creatori pro omni posse suo, multo magis homo tenetur, quem non solum creavit, sicut et cætera, sed insuper intellectu decoravit, libero arbitrio nobilitavit, mundi dominum constituit, sibi similem fecit, naturam ejus assumpsit, verbo et exemplo proprio instruxit, proprio sanguine suo de æterna damnatione redemit, Spiritum sanctum ei infudit, carnem suam in cibum tradidit, curam ejus habet sicut mater parvuli sui, et æternam hæreditatem ei dare instituit. Ecce quantum tenemur nos Deum præ cæteris et super omnia diligere, qui nos præ omnibus mundi creaturis sic amavit.

CAPUT II.

De obedientia.

Et quia non confidis tibi ipsi, ut præsumas te scire quid velit Deus, ideo commisisti te superiori tuo, ut ipse te regat, et dedisti ei

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, 4, part. II; edit. Vat., an. 1596, tom. VII, part. IV, pag. 652; edit. Ven., an. 1611, 3; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, pag. 635; edit. Ven., an. 1756, tom. XIII, pag. 183; *Bibl. PP.*, Lugd., 1677, tom. XXV, pag. 869, ubi pro titulo habet : *Formula Novitiorum de exterioris hominis reformatione,* nec habet partem secundam.

(*a*) *Hæc*, seu de compositione, etc., *quæ addimus titulo priorum editionum, desumpta sunt e variis codicibus MSS.* — (*b*) *Bibl. PP. Lugd., an.* 1677. Quod considerare debet novitius quare venerit ad religionem, *et in sequentibus multa alia.*— (*c*) *Cæt. edit. deest* nisi.

manum tuam in professione, ut ipse te in viam Dei inducat. Unde non licet tibi vivere de cætero pro velle tuo, sed quo ductor tuus ire jubet; et quod ipse prohibet, cavere debes : quia qui artem aliquam addiscere cupit, sui doctoris regulas debet tenere, et proprias adinventiones relinquere; et infirmus, qui adhuc accessiones vitiorum patitur, debet servare diætam, quam ei medicus suus indicit, si cito et plene vult curari. Ita et tu mihi facias, sive dicas, quod magistrum tuum velle præsumas. Tu enim dedisti te ei propter Dominum, et proprer regnum cœlorum, et jam non es tuus, sed ejus cui te vendidisti : et ideo nihil tibi licet agere de te sine ejus voluntate. Ipse enim est dominus voluntatis tuæ. Et contrectatio rei alienæ invito domino, furtum est. *Fur* autem [1] cœlo *non appropiat*. Ipsi rectores nostri sunt vicarii Dei super nos : et ideo debemus eis sicut Domino obedire, et non sicut hominibus, quia non propter ipsos, sed propter Deum eis subjacemus. Talem enim te exhibeas ei, ut libere jubeat te facere, vel omittere, quidquid viderit expedire, quia si ipse timet te, jam servus major est domino suo, et discipulus est super magistrum.

CAPUT III.

De pace cum Prælatis.

Habe semper pacem cum Prælatis; non eis detrahas, nec libenter audias eis detrahentes : quia Deus specialiter hoc vitium odit in subditis et in præsenti, ut in Cham patet [2], qui verenda patris sui nudata fratribus nunciavit, et sibi maledictionem in hoc irremediabilem acquisivit. Non ponderes excessus eorum ; sed ignosce eis, quasi hominibus, quia in multis curis non potest aliquando negligentia vitari. Et sæpe quod in eis reprehendimus, ex nostro vitio magis est, quam ex eorum culpa, quia sæpe aliquid, quod pro bono faciunt, quia eorum intentionem non intelligimus, pro malo judicamus. Quod ad nos non pertinet, nobis non usurpemus; nec reprehendamus ea quæ, quo animo fiant, nescimus. Honora eos in corde tuo, non spernas, ne forte et Deum spernas, cujus vicem gerunt. Crede etiam quod Deus inspiravit eis, quidquid jubent te facere, propter animæ tuæ utilitatem. Ordinationes eorum et constitutiones ne fastidias, quia non sine causa faciunt, licet tu nescias omnes causas. Qui autem simpliciter ambulat in via Dei, ei non nocet, sed ad meritum majus sibi prodest. Nam [3] *qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter*. Servus Dei sic debet incedere via recta in mandatis, quod statuta humana eum non arctent in aliquo, quia semetipsum debet arctare, ita quod etiamsi non esset illud statutum, tamen sibi caveret ab omni quod sibi expediens non esset. Per talia enim statuta tantum reprimitur eorum excessus, qui metas disciplinæ transgrediuntur.

His de obedientia præmissis, quæ est initium boni in religione, ad aliud transeo, et primo ad corporalia exercitia, et ad spiritualia consequenter : quia [4] *non prius quod spirituale est, sed quod animale; deinde quod spirituale.*

CAPUT IV.

De surgendo a somno.

Assuesce, cum opportune potes, parum ante matutinas vigilare, ut spiritus tuus dirigatur ad Deum in oratione, et ut orationi et Dei laudibus magis sis sobrius et devotus. Cum evigilas, statim omnes cogitationes tuas abjice de corde tuo, somnia quæ somniasti in nocte, quibus te diabolus vellet occupare; et primitias cogitatiorum tuarum offer (*a*) Deo in cogitatione, vel aliqua bona meditatione, cum corporis exercitatione, vel genuflexione, donec aliquem affectum devotionis concipias, et cogitationes vanas, quæ tunc maxime infestant mentem, a te abji-

[1] *Luc.*, XII, 33. — [2] *Gen.*, IX, 22, 25. — [3] *Prov.*, X, 9. — [4] I *Cor.*, XV, 46.

(*a*) *Cæt. edit.* offerre.

cias : et ex hoc eris ad omne opus devotior et expeditior tota die.

CAPUT V.

Qualiter in choro te gubernare debeas.

In divino officio non sis piger et fastidiosus; sed coge corpus spiritui servire, et sta reverenter, et psalle alacriter in ecclesia, et devote coram angelis, qui ibi juxta te sunt præsentes. Non circumspicias hinc inde, nisi necessitas adsit. Risus et verba inutilia penitus detestare, ubi coram Domino majestatis cum metu et reverentia debes assistere. Verba psalmodiæ distincte et integre pronuntia. Non discurras per chorum, nec ante finem horarum exeas, nisi oporteat. Prius quam incipiatur officium, prævenire studeas, si potes, ut cor ad aliquam devotionem sit adaptatum, quando officium inchoatur. Ideo enim tam desides et tepidi sumus in divino officio, quia ante non sumus in aliqua devotione excitati : et ita, sicut intravimus frigidi, eximus corde dissoluti. Stude in ipso initio cogitationes vagas abjicere; et intende his quæ psalluntur : alioquin tumultus earum vix poteris evitare. Post officium etiam stude te servare in devotione quam concepisti, nec statim te ad inania effundas. Si autem non habes devotionem interius, saltem conserva disciplinam et morum gravitatem humiliter exterius, propter reverentiam Dei et aliorum exemplum.

CAPUT VI.

Qualiter in capitulo te habeas.

In Capitulo non multum loquaris, et multo minus in Ecclesia, nisi valde utile sit : et hoc humiliter, et mansuete et submisse. Culpam humiliter dic, et correctus humiliter responde, nec te excuses quando corriperis. Si de consilio interrogatus fueris, libere et humiliter dic quod tibi videtur expedire. Si autem tuum consilium non requiritur, non sit tibi curæ, nec velis pertinaciter defendere sententiam tuam : sufficiat tibi acquietasse conscientiam tuam. In accusationibus non sis annexus : dic tantum quod scis factum contra rationem et ordinis instituta, sine odio alicujus, et cum verbis mansuetis et placido vultu. Et quod nescis, non teneris dicere. Noli opinando aliquem accusare, quia opinio sæpe fallit. Ille qui dixit tibi quod nesciebas, dicet ipse, si verum est, et si præsens erit. Si autem præsens non fuerit, tunc non potes (*a*) probare, cum eum testem non habeas. Non graveris pro accusationibus tuis; sed tantum dic humiliter culpam tuam, licet magnæ sint, vel parvæ, quia major tibi surget confusio, si procaciter te excuses, quam si humiliter confundaris. Si vero graves essent, et non veræ, maxime quæ possent alios scandalizare, tunc humiliter audientia petita, indica eis paucis verbis et modestis, quod non sis tibi conscius, de quibus accusaris. Servus Dei non timet confusionem coram hominibus, ubi eum coram Deo conscientia non accusat; sed sustinet patienter quicquid Deus voluerit eum sustinere.

CAPUT VII.

De correctione.

Consuesce ubique, dum a superiore corriperis, sive in choro, sive extra, quod statim genibus flexis dicas tuam culpam. Hæc est lex antiqua religionis, a S. Francisco et aliis sanctis tradita. Unde et tu debes studere, ut sicut tibi ordo a majoribus tuis traditus est, ita et tu tradas eum posteris tuis, quantum in te est, verbo et exemplo. Nec aliquam non bonam consuetudinem inducas, vel discas; nec aliquam bonam consuetudinem neglectam per incuriam diaboli permittas in te et in aliis, quibus cum modestia persuadere poteris. Quicumque enim aliquod exemplum aliis relinquit sive bonum, sive malum, particeps est imitatorum suorum, sive in supplicio, sive in præmio sempiterno.

(*a*) *Cæt. edit.* potest.

CAPUT VIII.

Qualiter in mensa te habeas.

In mensa non sint oculi tui gyrovagi; nec hinc inde conspicias : ita quod nescias quis sedeat (*a*) in latere tuo, vel quid faciat, vel quid coram se habeat. Tibi soli intentus sis, vel Deo, vel lectioni. Cum disciplina, timore et silentio comede, non cum impetu gulæ, quasi famelicus, nec vagis oculis et inquieto corde circumspicias, quid sit in mensa delicatius, nec ante quæras satiare oculum quam palatum; sed cum gratiarum actione sufficiat habere quod potes. Et semper velis penuriam aliquam potius sustinere, quam plus abundare. Nihil spernas quod tibi apponitur; nec indigneris, si aliquis defectus sit in condimento, vel salis, vel cocturæ : sed cogita quod multo meliores te vilioribus et paucioribus cibis sunt contenti, qui illud, quod abjicis, pro magnis deliciis reputarent.

Paupertas, Christi familiaris amica, placeat tibi in omnibus, et ipsam cum summo conatu amplectere in mensis, cibis et potu, in vestibus, in utensilibus, in libris, in ædificiis et in omnibus. Videmus quam humiles gestus pauperes habent, quam simplex responsum, quam pavidum animum. Nunquam audiatur aliqua querimonia de te pro aliquo defectu in cibo, vel potu, vel vestitu. Reputa te indignum esse de his quæ habes, quia inopia exterior crescit in augmentum gratiæ interioris et in divitias conscientiæ bonæ : e contra exterior abundantia inopiam generat interiorum. De mensura vero comedendi difficile est dare certam regulam, nisi quod inter duo semper medium teneas : ne ita parum sumas, ut in viribus deficias, et vel (*b*) communi labore frangaris; similiter nec ita multum sumas, ut propter multum cibum sumptum non possis orare, vel legere, vel agilis esse ad ea quæ præcipiuntur. Et inter ista propria experientia est melior magistra, cum bona voluntate.

[1] *Eccli.*, XLIII, 14.

CAPUT IX.

De dormitione.

In dormitorio esto quietus, ne aliquis pro te aliquo modo inquietetur, sive orans, sive dormire volens. Quoties autem evigilaveris, statim occurrat tibi memoria Dei et ejus passionis, cum gratiarum actione, quia ipse vigilat super nos, quando dormimus, ut ipse custodiat nos. Quando vis ire dormitum, prius attende orationi, vel devotæ meditationi, et si ita hac occupatione dormies, tunc somnus erit tibi dulcior, pulchra somnia somniabis, et evigilabis devotior, sic surges alacrior, et facilius redibis ad eamdem devotionem, in qua ante somnia tu fuisti. Et licet dormientibus non imputandum esse videatur, quod dormientes faciunt vel patiuntur, indecens tamen est religioso obrutum esse somno sicut pecus, et jacere membris dissolutis (*c*), aut incompositis (*d*) et manibus in sinu retractis (*e*), cum ob hoc maxime vestiti dormiamus et cincti, ut non habeamus potestatem circumducendi manus hinc inde in nudo corpore, et ut magis simus parati ad surgendum ad orationem. De quantitate somni, tene te sicut supra dictum est de cibi mensura, ut membra et sensus ex quiete somni reficiantur, et ne nimio torpore somni corpus reddatur pigrius, animus tepidior, et sensus obtusior. Nam diuturna quies vitiis alimenta ministrat. Non potest tamen medium semper in talibus custodiri; sed virtuti vicinius est, si ex bonæ voluntatis fervore necessitati corporis aliquid interdum subtrahitur, quam si, ex tepiditate cordis, carnis vitia, quasi sub discretionis pallio impinguato corpore, nutriantur, juxta illud [1] : *Melior est iniquitas viri, quam mulier bene faciens;* hoc est : Melior est qui, per cœleste desiderium accensus, carnem ei necessaria subtrahendo affligit, quam qui, per delectationem resolutus, circa omnia quæ necessa-

(*a*) *Cæt. edit.* sedet. — (*b*) Nec. — (*c*) Dissolutus. — (*d*) Incompositus. — (*e*) Retractus.

ria sunt ei satisfacere contendit. Et licet hoc bonum et aptum sit ad profectum spiritualem, tamen caute faciendum est, ne corpus deficiat in via, antequam ad metam perveniat, ut possit sequi conventum sine murmure destructi corporis, et communem ordinis rigorem cum cæteris tenere. Quia qui post te ad ordinem veniunt, non attendunt quid ante eos laboraveris; sed solum aspiciunt quale eis exemplum præferas in præsenti, in laboribus, vigiliis, in cibis, et aliis observantiis ordinis, in quibus vellent sibi seniores suos præire. Alioquin aut scandalizantur de ipsis, aut imitari eos incipiunt, parcendo corpori plusquam expediat. Non enim attendunt quid boni intus meruerint, sed quid exterius rigoris ostendant. Devotionem Deo debemus intrinsecus, sed proximis bonum exemplum extrinsecus. Ut ita congrue possimus nos utique exhibere, discretio necessaria est, per quam corpus castigetur prudenter, ne adversus spiritum rebellet; et rursum discrete foveatur (*a*), ne sub sarcina corruat, et spiritualis vitæ profectum præ nimia debilitate impediat.

CAPUT X.

De obsequiis.

Ad labores communes et ad humilitatis officia esto paratus. In coquina, in ecclesia et in aliis officiis, et maxime in illis officiis, quæ alii pro sua vilitate abhorrent, ut ligna portare, domum scopare, ollas et alia utensilia purgare, pedes lavare, et fratrum tunicam excutere et mundare.

CAPUT XI.

De obsequio ad Missam.

Ad Missas libenter ministra, quia hoc est fficium angelorum : ipsi enim Deo suo ubique ministrant devotissime. In hoc enim ministerio multiplex fructus est. Primo, boni operis exercitium est. Secundo, opus charitatis est, et promovens proximum in bono. Tertio, opus devotionis est, quia Deo appropinquat in oratione. Quarto, opus angelicum est, cum quibus Deo ibi præsenti ministras, sicut et illi. Et ex hoc non solum sacerdos, cui ministras, tunc orare pro te specialiter, sed et omnes circumstantes, quorum vices geris, debent; imo tota Ecclesia ubique terrarum, quia tu geris vicem omnium fidelium, qui Deo suo, de cœlo venienti, cum gratissima gratiarum actione deberent ministrare, si possent adesse. Et vix potest esse quin Dominus speciali gratia remuneret, etiam in præsenti, qui libenter et devote ministrat ad illud sacramentum, quo nihil sanctius et devotius potest esse in cœlo et in terra, et quod est admodum præcipuum indicium divinæ dignationis, et dilectionis ad hominem.

Non enim minus videtur facere Deus in hoc, quod quotidie dignatur descendere de cœlo super altare, quam cum, de cœlo descendens, naturam humani generis assumpsit factus homo. Et ideo hoc est memoriale totius dilectionis suæ, et quasi compendium quoddam omnium beneficiorum suorum, quod nobis reliquit : incarnationis, redemptionis, glorificationis et justificationis figuram in hoc inclusit, sicut patet his, qui considerant hujus sacramenti institutionem, celebrationem, et fructus participationem. Unde salubre est sæpe communicare, eis (*b*) qui cum devotione, et studio virtutum, et custodia sui, non solum a magnis peccatis, sed etiam a levitatibus verborum, operum et cogitationum se abstinent, et student ad hoc se aptare. Licet enim omni tempore debeamus esse solliciti de omnibus quæ bona sunt, tamen tunc maxime conveniens est, cum ad sumptionem Christi nos præparamus, vel susceptum nobiscum habemus.

CAPUT XII.

De confessione.

Sæpe confitere, ad minus ter in septimana,

(*a*) *Cæt. edit.* Foveat. — (*b*) Ei.

et simpliciter, sicut angelo qui sciret secreta cordis tui. Non adducas velamen excusationis, vel alleviationis; nec implices te, ita quod confessor non intelligat quid dicas. Specifica ei quid feceris; historias autem et facta aliorum noli recitare. Singulos articulos, quos recolis te fecisse a tempore quo nuper confessus es, dic breviter et pure, et noli longum tractatum texere cujusdam generalis et affirmatæ (*a*) confessionis, quia generatur tædium confessori. Ista enim omnia potes Deo in oratione quotidie confiteri, et defectus tuos ei exponere, quos feceris in singulis virtutibus. De his, quæ confiteris, studeas te emendare.

CAPUT XIII.

De cella et obedientia.

In cella libenter esto, et aliquid semper age quod ædificet te, vel a majore tibi injungitur. Nam tam voluntarius debes esse ad obedientiam, quod si in omni hora tibi præciperetur quid facere deberes, libenter acciperes : et in tantum, quod tui juris non esses, quod non posses loqui verbum, nec ad alias necessitates proprias eundi sine licentia liberum habere arbitrium, sicut olim sanctos in Ægypto et alibi legimus vixisse, quorum gloriam si cupimus adipisci, imitemur eorum virtutem.

CAPUT XIV.

De lectione.

Lege sanctorum vitam et doctrinam, ut in comparatione eorum semper humilieris, et instruaris, et accendaris ad devotionem, et provoceris ad studium, ut informeris in intellectu Scripturarum, et illumineris ad fidem; et scias discernere verum a falso, bonum a malo, vitium a virtute, et remedia vitiorum ac tentationum (*b*) possis intelligere. Legas, non ut doctior sis, nec causa curiositatis. Nec legas quæ non ædificant, quia vana lectio vanas generat cogitationes et extinguit mentis devotionem.

CAPUT XV.

De non desiderando officium prædicationis, vel confessionis.

Non affectes fieri prædicator et confessor: quia si dignus fueris, Dominus ad hoc te vocabit; si autem indignus et non idoneus, erit tibi confusio major, ideo quia te ingesseris (*c*). Inde est, quod aliquando parvum consequimur fructum de prædicationibus nostris, vel confessionibus, quia non vocati a Deo veniunt, et non missi currunt, prius volentes facere fructum in aliis, quam in se fixerint radices virtutis. Et ideo fructus eorum non est durabilis, quia immaturus producitur. Hinc est, quod in Levitico legimus[1]: *Quando ingressi fueritis terram, et plantaveritis in ea pomifera ligna, auferetis præputia eorum : poma quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis* (*d*) *ex eis. Quarto autem anno, omnis fructus eorum sanctificabitur Domino. Quinto anno, comedetis, congregantes poma quæ proferunt.* Arbor in terra plantata est homo de sæculo sumptus, et in religione plantatus, qui fructum salutis debet proferre in se et in aliis tempore opportuno. Si autem intempestivos fructus protulerit, immundi erunt et inutiles ad profectum spiritualem, propter præsumptionem. Primus annus est vera pœnitentia de peccatis præteritis. Secundus est vera conversatio in statu emendationis. Tertius est jam usus bonæ consuetudinis. Quartus est pro bono opere laudes et humanos honores contemnere et fastidire, et quærere solius Dei gloriam et salutem animarum.

Quicumque autem ante hunc annum se ingerit, nec salutem animarum profert, nec Deo est acceptus, nec sibi meritorius, propter vanitatem et levitatem, nec aliis est profi-

[1] *Levit.*, XIX, 23-25.

(*a*) *Fortasse legendum* affectatæ. — (*b*) *Cæt. edit. add.* ut. — (*c*) *Item* injeceris. — (*d*) Cæt. edit. *ederitis.*

cuus. Post vero hunc annum, id est, quinto anno, puræ charitatis comedat fructus, et congreget poma, quia tunc ejus prædicatio erit fructuosa in illis et in aliis, et sibi meritoria, ut congreget fructus in vitam æternam. Hoc dixi, ut videas, quibus sacra Scriptura consulat subire officium prædicationis. Stude ergo teipsum componere prius exterius in bonis moribus, interius sanctis affectionibus et cogitationibus ordinare. Tunc demum utiliter procedes ad alios in sana doctrina, quia nemo præsumit docere artem aliquam, quam non prius habuerit addiscendo.

CAPUT XVI.

De disciplina ubique servanda.

Nunquam ita securus sis et absconsus, quin ita disciplinate et caste te habeas in visu, gestu, tactu, et in omnibus aliis, ac si ab aliquo videreris : quia sancti angeli, qui nobiscum sunt, semper vident omnia opera quæ facimus : quorum aspectus debemus ubique vereri, et præsentiam revereri. Videt nos etiam ipse Deus et judex noster. Videt etiam nos ipsa conscientia nostra, testis eorum quæ facimus, et accusatrix. Qui autem magis veretur hominum aspectus quam Dei, et conscientiæ propriæ, et sanctorum angelorum, non est castus amator boni. Et qui non declinat ex amore veri boni, sed ex timore detrimenti temporalis honoris, talis non est verus Christi servus, qui adhuc magis placere cupit hominibus quam Deo. Unde Apostolus [1] : *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Cui enim plus doles displicere, ei plus appetis placere. *Nemo* enim [2] *potest duobus dominis servire.*

CAPUT XVII.

De conversatione inter fratres habenda.

Inter fratres habe te verecunde, gratiose et modeste, affabiliter et dulciter; servitiosus, non onerosus aliis. Jocos dissolutos nequaquam exerceas, nec verba scurrilia alicui proferas, nec libenter audias : quæ enim te delectat audire, si auderes, libenter ipse proferres. Servus autem Dei ita castus debet esse in omnibus factis et verbis suis, ut non tantum horreat quæ indecenter sonant, sed etiam quæ nocent, ut turpia, licet sint palliata aliqua honestate.

CAPUT XVIII.

De verecundia habenda.

Omnes gestus tui, mores, sermo, aspectus, et incessus, quadam humili verecundia debent esse colorata, ut in te nihil appareat elatum, vel audaciæ præsumptione notabile. Verecundia enim est maximus decor in religioso, maxime in juvenibus : ita ut qui eam postponit, vix aliqua spes haberi possit de eo, quod fiat unquam bonus religiosus, vel virtuosus. Sicut enim timor Dei hominem componit, et ordinat intrinsecus ad bonitatem, ita verecundia componit eum exterius ad disciplinam. Gregorius [3] : « Verecundia est omnium virtutum ornatus, innocentiæ testis, pudicitiæ mentis indicium, disciplinæ specialis gloria, famæ custos, castitatis socia, et totius sanctitatis insigne. » Nemo sit ita familiaris tibi, coram quo penitus obliviscaris verecundiæ. Tamen quando ipsa impediret in his quæ expediunt, vel necessaria sunt, tunc est premenda : non tamen abjicienda, nec extinguenda quasi vitium ; sed regenda et ordinanda in virtutem, sicut et aliæ affectiones naturales.

CAPUT XIX.

De incessu.

Incessus tuus sit maturus. Non leviter curras, et sine necessitate : nec corpus multum erectum geras, sed mediocriter depressum : nec vagus sis oculis, nec brachiis ven-

[1] *Gal.*, I, 10. — [2] *Matth.*, VI, 24; *Luc.*, XVI, 13. —

[3] Est hæc sententia Bernardi, *in Cant.*, serm. LXXXVI, n. 1, paucis mutatis.

tiles, nec aliter more sæcularium incomposito ingressu incedas, sed plano et humili modo, quasi a devota oratione decedas.

CAPUT XX.

De sessione.

Sedens non pigre in latus reclines te, nec crura longa extendas, maxime præsentibus aliis. Exterior enim incompositio corporis est indicium indevotæ mentis.

CAPUT XXI.

De risu.

Risus tuus sit rarus, et sine cachinno, et benignitatem magis ostendens, quam dissolutionem. Stude multum esse serenus, non turbulentus, nec indignabundus.

CAPUT XXII.

De lenitate verborum.

Verba tua lenia sint, et responsio humilis, sine compunctione amaritudinis, vel obliquæ redargutionis, aut irrisionis. Sic verba tua forma ad alterum, sicut tu non haberes pro malo ab altero.

CAPUT XXIII.

De detractione.

Sic loquere de absente, ac si scires eum prope assistere et auscultare. Non timeat te quisquam, quod in absentia sua famam ejus denigres. Magnum vitium est religioso, dicere de absente, quod erubesceret loqui, si audiret. Non libenter audias detrahere; sed aut fuge detractionem, aut opportune compesce, si potes. Nihil enim prodest tibi, nisi quod aggravaberis super illum, de quo est sermo, aut super eum qui refert. Quære potius, si potes, aliquid invenire laudabile in aliquo, quod ædificet te, et auditiones tuas.

[1] *Job*, IV, 2.

CAPUT XXIV.

De rumoribus rescindendis.

Rumores nescias, quia inquietant cor, et mentem distrahunt, et devotionem exhauriunt, et tempus sine utilitate consumunt. Etiam quæ scias, non omnia effundas, quasi vas sine operculo, quod statim cum inclinatur, effundit quidquid continet in se, et omni pulveri et immunditiæ patet. Non sis libenter in turba, nisi tractetur de Deo, et devotione, et animæ ædificatione. Non sis clamosus in loquendo, nec impetuosus ad evaporandum quod intus tenes inclusum, sicut de amicis Job evenisse legitur[1]. Cave etiam ut, sicut nulli detrahis, ita ne prodas detractionem apud illum cui detrahitur, ne magis gravetur contra detrahentem sibi, quam ex relatione tua minuatur.

Potest namque esse, quod ille qui dixit de altero verbum, non ita intendit derogare ei, sicut ille suspicatur, de quo dicit : et incitatur ad odium contra eum, vel ad vindictam provocatur, cum tamen ille, aut simpliciter non animo detrahendi dixerit, aut forte statim pœnituerit (*a*), proponens de cætero a simili cavere. Si autem talia dicerentur de aliquo, quæ omnino expediret eum scire de quo dicuntur, potes ei referre, si vis, non exprimendo quis dixerit, ut sciat quid cavere debeat, et tamen contra nullum in odio exardescat.

CAPUT XXV.

De jactantia.

Jactantiam quam diligentissime cave, et nunquam des alicui intelligere, quod aliquid sit in te commendabile : vix enim potest in te aliquid laudabile esse, quin etiam alii intelligant. Et si tu taces, et abscondis, plus placebis; si autem prodis et commendes, irrideberis et vilesces; et unde prius ædificabantur, inde postea despicient te.

(*a*) *Cæt. edit.* pœnituit.

CAPUT XXVI.

De multiloquio.

Maledicta, convitia, mendacia etiam levia, frivola juramenta, et turpia verba, licet jocosa, ab ore religiosi perpetuo anathemate sunt arcenda. Unde Jacobus[1] : *Qui se putat religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.*

CAPUT XXVII.

De levitate verborum.

Verba otiosa, undecumque sint, semper fuge : licet enim grande peccatum non putetur esse, tamen eorum consuetudo grave generat detrimentum circa spiritualium profectum ; et sæpe, dum quasi licenter relaxamus linguam in verba otiosa, dum non advertimus, paulatim dilabimur ad nociva, ex quibus oriuntur quandoque turbationes, dissolutiones, et graves conscientiæ corrosiones.

CAPUT XXVIII.

De collocutione Dei.

De Deo libenter loquere, et libentius audi, quia incitat cor ad studium virtutis, et affectum devotionis.

CAPUT XXIX.

De pacifico auditu.

Audi humiliter et pacifice bona, quæ ab aliis dicuntur ; nec disputes e contra, sicut quidam faciunt : quando audiunt aliquid boni, ne ipsi videantur ignorare quod alter proposuit, statim de hoc volunt disputare, ut videantur etiam ipsi aliquid scire. Non enim quærunt sui ædificationem, sed ostentationem apud alios ; et ideo multæ bonæ collationes inter religiosos negliguntur. Noli esse contentiosus in aliquo. Cito cede : quia, si bonum est et verum quod alter proponit, tuum non est resistere propter aliquam ostentationem ; si autem bonum non esset, melius eum corrigis pacifice advertendo, et humiliter ei veritatem ostendendo, quam acriter astruendo.

[1] *Jac.*, I, 26.

CAPUT XXX.

De modo loquendi.

Cum loqueris, voce remissa, et vultu placido, moribus disciplinatus et quietus esse studeas, et quidquid tunc loqueris magis authenticum et utile erit. Non sis audax coram senioribus tuis, sed verecundus auscultator doctrinæ eorum. Seniorum docere, juvenum est humiliter addiscere.

CAPUT XXXI.

De otio.

Noli esse otiosus, et intendere rumoribus, et fabulis, quia duplex in hoc malum contrahis : perdis enim tempus inutiliter ; et verecundiæ tuæ et humilitatis patieris detrimentum ex tali consuetudine. Insuper non bonum dabis ex hoc aliis exemplum.

CAPUT XXXII.

De exemplo Christi in omnibus habendo.

In omnibus virtutibus, et bonis moribus, propone semper clarissimum speculum, et totius sanctitatis perfectissimum exemplar, scilicet vitam et mores Filii Dei Domini nostri Jesu Christi. Qui ad hoc nobis de cœlo missus est, ut aperiret nobis viam virtutum, et legem disciplinæ suo exemplo daret nobis, et erudiret nos per semetipsum : ut sicut ad imaginem ejus naturaliter creati sumus, ita ad morum ejus similitudinem per imitationem virtutis pro nostra possibilitate reformemur, qui ejus imaginem in nobis fœdavimus per peccatum. Quanto enim quisque se ei in virtutis imitatione hic conformare studuerit, tanto

ei in prima gloria et claritate appropinquabit, et similior erit. Describe tibi in corde tuo mores et actus suos : quam humiliter se habuit inter homines ; quam benignus inter discipulos; quam modestus in edendo et bibendo ; quam misericors super pauperes, quibus se similem fecerat per omnia, et qui de ejus specialiter familia videbantur ; quomodo nullum sprevit, vel horruit, etiam si erat leprosus ; quomodo divitibus non adulabatur ; quam liber fuit a curis mundi, nec anxius pro corporis necessitatibus; quam verecundus in visu, quam patiens ad contumelias, et quam mitis in responsis : non enim studuit se vindicare verbo mordaci et amaro, sed blando et humili responso alterius malitiam sanare. Item, quam compositus in omnibus gestis suis ; quam sollicitus de animarum salute, quarum amore voluit incarnari, et mori dignatus est. Quomodo seipsum præbuit exemplum omnis boni; quomodo mulierum familiaria colloquia vitavit causa exempli : unde etiam discipuli mirabantur [1], quando solus cum Samaritana loquebatur, eo quod quasi insolitum videbatur in ipso. Item, quam patiens laboris et penuriæ ; quam compatiens afflictioni; quomodo condescendit infirmorum imperfectioni; quomodo omne scandalum cavebat; quomodo peccatores non sprevit; quomodo pœnitentes clementer suscepit; quam placidus in omnibus dictis suis ; quam studiosus ad orationem; quam promptus in ministrando, sicut ipse dixit [2] : *Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* Item, quam sobrius ad vigilias; quam obediens parentibus; quomodo omnem jactantiam et singularitatis ostentationem declinavit; quomodo omnem gloriam et potestatem hujus mundi fugit. Et multa alia ipsius acta memoriæ tuæ propinqua sint, ut in omnibus factis et verbis tuis semper adhuc quasi exemplar respicias, incedens, stans, sedens, et comedens, tacens, et loquens, solus, et cum aliis. Et ex hoc magis diliges eum, et familiaritatis ejus gratiam et fiduciam assequeris, et in omni virtute perfectior eris. Et hæc sit sapientia tua, et meditatio, et studium, semper aliquid de ipso cogitare, unde vel provoceris ad imitandum eum, vel afficiaris ad eum amandum. Talia meditando et ruminando, tempus utiliter expendis, dum occuparis in bonis studiis circa ipsum Dominum Jesum Christum, et mores tuos emendas ad formam vitæ ipsius, et conversationis, semper ad eum respiciens, qualiter in his se habuit, vel se habere potuit secundum existimationem tuam, quia qui in omnibus semper est optimus, optimo et perfectissimo modo se gerebat.

[1] *Joan.*, IV, 27. — [2] *Luc.*, XXII, 27. — [3] *Psal.* CXLIV, 18.

CAPUT XXXIII.

De vana gloria, et modo cantandi.

In omnibus quæ facis, cave vitium ostentationis et janctantiæ. Esto planus in omnibus, sicut decet religiosum et pauperem. Non habeas curialem incessum, vel gestus curiales, nec vocem curialiter frangas in cantando. Quia si quæris Deo placere, quanto cantabis simplicius, tanto magis ei placebis ; si quæris auditoribus placere, inanis est gloria tua; si tibi placeas, vana levitas est. Si ædificationem auditorum in cantando quæris, quanto magis cantando vanitatem fugis, tanto magis ædificas : omnem cordis devotionem, et puritatem cordis, Deus magis attendit, quam sonoritatem vocis. Facile clamabis ad Deum : *prope* enim [3] *est omnibus invocantibus eum in veritate.* Intentio in divino officio debet magis esse ad hoc, ut ex verbis sanctæ Scripturæ elicias spiritualem intellectum, et devotionis affectum, quam ut curialitatis exprimas notas, et cantando vocem exaltes : licet quidam religiosi in hoc frustra arbitrantur se obsequium præstare Deo : quia si Deum delectaret vocis sonoritas, tunc et ipsa musica instrumentorum, vel avium cantus, Deum mulcerent, quæ satis dulcia sunt suo modo. Puritas

mentis, et cordis devotio, sunt illa in quibus delectatur Deus. Quidquid est de quo non est Deo curæ, de hoc etiam servo Dei non debet multum esse curæ. Sufficit tibi ad omnem curiositatem morum, vocis et verborum, si nil appareat in te, quod offendat vel scandalizet intuentes; si nil elatum, vel dissolutum, vel impatientia turbidum, vel laicum, vel singularitatis colore notabile in te videatur.

CAPUT XXXIV.

De egrediendo foras.

Cum exire domum (*a*) aliquando te continget, tandiu differas, ut per hoc advertant, quod tardus esse desideras ad egrediendum, nisi quando obedientiæ cogit mandatum, vel alia utilis et rationabilis causa hoc requirit. In domo enim consistere, et turbæ et hominibus absconditum latere, semper est utile religioso, qui sibi desiderat et Deo vacare. Quidquid devotionis in domo colligis, hæc foris egrediens spargis, potius quam augeas et conserves. Unde sæpe experti sumus, tam in nobis, quam in aliis, quod frequens exitus et conversatio cum sæculo, et occupatio nimia exteriorum, devotionem mentis extinguit, fervorem spiritus tepefacit, forte propositum virtutis emollit, cor dissolvit, studium proficiendi debilitat, delicias docet amare, sine fructu tempus expendere, verba otiosa multiplicare, jocis et truffis intendere, orationes negligere, horas canonicas desidiose et in cursu dicere. Tandem subintrant aquæ tentationum navem cordis per rimas dissolutionis, ex devotionis ariditate, quæ cum non exhauriuntur per discussionem proprii status, et puram confessionem, vel non fortiter obstruuntur rimæ per diligentem custodiam, paulatim augentur, donec submergant hominem in peccatum et confusionem. Hoc tamen non dico, ut difficilem te reddas ad obediendum, quando juberis exire; sed non debet tibi esse consolatio evagari extra domum : ita ut, in quantum in te est, semper magis diligas domi latere, quam, nisi obedientia vel utilitas animæ requirat, domo exire : quia [1] *melior est obedientia, quam victimæ.*

CAPUT XXXV.

De non circumspiciendo per loca.

Quando extra domum egredieris, non multum circumspicias in plateis, ne forte videas, unde tenteris postmodum, vel ab oratione impediaris, vel phantasias contrahas eorum quæ intente respexisti. David in culpam cecidit adulterii ex incauto aspectu mulieris [2], quam forte nunquam ante concupierat, nisi postquam eam incaute respexit. *Oculi* tui sint *in capite* [3] tuo, hoc est, quod cogitatio tua versetur circa Deum, scilicet Christum, qui est caput omnium membrorum Ecclesiæ. Ita etiam non consideres quæ coram te foris sunt, nisi quantum necessitas viæ, vel utilitas alia requirit : ita ut, quantum vales, talem te domum reportes, qualis existi, hoc est, ita devotum, ita mundum corde, et vacuum rumoribus, ut ames silentium colere.

CAPUT XXXVI.

Quomodo te habeas cum socio in via.

Per terram autem vadens, esto pacificus cum socio. Nunquam contendas de aliquo, etiam si tu melius vel plus sentis quam ipse, vel justius noveris; sed cito tace tranquillitate animæ, quia contentionibus raro aliquis emendatur. Cogita in teipso, quod si tu pacificus non es, vix vel nunquam poteris alium placare. Incipe prius a teipso, et tunc facilius alium corriges. Quidquid turbatus turbatum doces, magis reputat te ex impatientia dicere, ut eum pungas, quam maturo consilio, ut eum fraterne erudias (*b*). Magis autem ædificabitur exemplo patientiæ tuæ, quam a quibuscumque rationibus, quas ei

[1] I *Reg.*, XV, 22. — [2] II *Reg.*, XI, 2. — [3] *Eccle.*, II, 14.

(*a*) *Leg.* domo.— (*b*) *Ita Bibl. Lugd.; cæt. edit.* Quicumque t. t. docet, m. r. ex patientia docere, u. e. pungat, q. m. c., u. e. f. erudiat.

propones. Virtus cum vitio non docetur, sicut per impatientiam non potes alios patientiam docere, nec humilitatem per superbiam. Socialis esto in via, et non dissolutus, ne devotionis spiritum pro societate extinguas.

CAPUT XXXVII.

De oratione et meditatione facienda inter exercitia.

Capta horas ad orandum et meditandum, tam in via, quam in hospitio. Noli ex toto negligere, nec etiam cogites, quod velis usque domum differre : quia si tu nimis infrigidatus fueris a fervore devotionis, postea difficilius recuperabis. Hoc tamen non dico, quod possis ita foris in ea gravitate et devotione plene te conservare, sicut in domo; sed ut scias metam, ad quam studium dirigere debeas, quantum potes, Deo adjuvante.

CAPUT XXXVIII.

De bono exemplo dando in conversatione.

Inter homines, quantum in te est, cave omne quod potest eis esse non bonum exemplum : sicut decet fidelem servum Dei, qui debet Domini sui honorem promovere et inhonorationem cavere, ubi potest. Nos enim sumus familia ipsius. Sicut ergo paterfamilias ex disciplina familiæ suæ honoratur, vel ex indisciplina inhonoratur, ita scias quidquid nos facimus inter homines, hoc aliquo modo redundat, vel in laudem Domini nostri, vel in contemptum. Et quia specialiter positi sumus inter homines, ut ipsi ædificentur ex nobis, parum proficient verba nostra, si non etiam ædificemus bono exemplo. Et si non sumus tam perfecti, ut possimus eis magnum virtutis exemplum ostendere, saltem caveamus omnia mala exempla, quæ nos ipsi solemus reprehendere in aliis, videlicet : ne rumores sæculares recitemus apud eos, vel libenter audiamus; vel delicata fercula, vel multa, fieri pro nobis diligamus, vel nimis mollia, vel pretiosa instrumenta; nec iræ vel discordiæ scintillas emittamus, vel verba scurrilia, vel jocos dissolutos moveamus, et maxime ne avari pro muneribus possimus notari, quia ex hoc cito vilescimus apud eos, si viderint nos ea ambire, et avare quærere, ad quorum contemptum nos eos hortamur prædicando.

CAPUT XXXIX.

De vitandis mulieribus.

Cave etiam ne, cum fœminis loquens, earum (*a*) vultus studiose respicias, vel manus contrectes, vel nimis prope sedeas, vel leviter eis arrideas, nec diligenter cum eis susurres, nec angulos, ad colloquia earum requiras : quia hæc omnia, etiam si nil tentationis ingererent, tamen non effugies notam suspicionis ab aliis, et facile posses infamiæ maculam contrahere, quam (*b*) vix postmodum detergeres cum pudore. Sed habe te cum omni fœmina, ac si maritus ejus, vel prælatus, juxta vos sederet, considerans vel audiens omnia quæ facitis, vel dicitis : ut quicumque superveniat et videat te loquentem cum ea, in nullo necesse sit te erubescere, nec aliquis postea tibi possit notam suspicionis impingere. Et si meum consilium non spernis, consulo, quod nunquam cum aliqua muliere contrahas singularem familiaritatem, etiam si religiosa sit, et sancta. Quia, excepto periculo carnalis tentationis, quæ ex tali familiaritate semper incurritur, dum non timetur malum quod sub specie boni latet : excepta etiam macula infamiæ et suspicionis, quam alii ob hoc sæpe concipiunt, magnam generat inquietem cordi talis privata affectio, dum semper illi cupis ostendere dilectionem quam habes ad eam, et hoc sibi notum fieri desideras. Et cum aliquando non fit, doles, et times quod indignetur illa, et quod affectus ejus tepescat, et quod minus ores pro eo (*c*). E contra etiam ista turbatur, si videt quod aliam be-

(*a*) *Cæt. edit.* eorum. — (*b*) Quia. — (*c*) *Fortasse legendum* ea.

nigne salutes, vel si aliquo tempore differas, quod eam non videas, vel non salutes. Improperat quod aliam diligis præ se, et quod minus ores pro ea, et irascitur : quæ vere sunt truffæ ; et bonus homo non debet ista aliquatenus admittere, nec cor suum in talibus occupare. Oratio enim earum non potest tantum cuiquam prodesse, quantum potest talis occupatio in spiritualibus studiis impedire, quia etiam ipsa ejus oratio tali carnali affectioni permixta, Deo est insipida. Quod autem carnalis sit ista dilectio, ex maxima parte potest hoc perpendi in hoc, quia magis te vellet apud se minus perfectum, ut sæpe posset tui copiam habere, quam longe a se plus perfectum. Quibus autem indiciis discernatur spiritualis dilectio a carnali, modo prætermitto, quia nimis ab aliis retardaret nos. Hoc tibi sufficiat, si vis habere pacem cordis cum Deo, honorem spiritualem inter fratres : abscinde a te familiaritatem fœminarum, dilige communiter omnes bonas et devotas, et in nullo exasperes aliquam earum, et meliores in corde tuo reverere, propter abundantiorem gratiam Spiritus sancti in eis. Noli te occupare cum eis, nisi breviter. Benigne salutes eas, quando ita occurreret, quod non posses bono modo declinare ; et cum maturitate earum orationibus te recommenda. Si enim discretæ sunt, ex hoc placebo (*a*) eis ; si vero importunæ, tunc melius est tibi non occupari cum eis. Fœminam quam videris bene conversantem, mente eam dilige, non carnali dilectione.

CAPUT XL.

De cordis libertate.

Esto dominus tuiipsius, nec des alicui potestatem cordis tui, nisi Deo, et prælato tuo propter Deum. Esto ita expeditus ab omnibus alienis occupationibus, vel affectionibus, quod in nullo prælato tuo aliquando molestus sis pro licentiis aliquid agendi, vel eundi, vel dandi, vel accipiendi ; et ita libere arbitrio suo te committas, quod tibi secure dicere possit : Fac hoc, et dimitte illud ; et tu sine murmuratione cordis, et difficultate, facias vel dimittas. Alioquin parvam fiduciam potes habere de merito obedientiæ tuæ, quam vovisti Deo in manibus sui vicarii, vel tui prælati. Si tu per impatientiam, vel importunitatem, cum volueris eum tibi servire, vel te licentiare (*b*), quo tempore velles, noluerit, murmurares, tunc non intrares per ostium, quod est Christus, in ovile sanctæ Religionis, quia non venit facere voluntatem suam, sed Patris. Ita enim tu fur esses et latro : fur, quia rem alienam, hoc est voluntatem propriam, quam prælato resignaveras, eo invito usurpares ; latro, quia tali exemplo animas simplices necares.

CAPUT XLI.

Epilogus sive compendium omnium supradictorum.

Ut ergo percurram omnia quæ supra dixi : esto devotus Deo, et cor tuum semper, quantum potes, compara cum ipso. Esto prælatis humiliter obediens, nec rancores contra eos teneas, nec spernas eos, nec judices, nec murmures de eis. Esto cum fratribus pacificus, patiens ad verba pura (*c*), et ad reprehensiones. Noli facile judicare aliquem, nec sis suspiciosus. Esto obsequiosus, maxime infirmis, et in humilibus obsequiis. Sæpissime ora. Esto in choro disciplinatus, et Deo intentus ; in victu discrete modestus, et his quæ corporis necessitas requirit. Esto in cella libenter. Fuge verba otiosa. Plane loquere, et modeste. Jucundus et verax valde. Verba tua sint sicut juramentum. Nulli detrahas, nec detrahentem audias. Odium contra nullum teneas. Non sis elatus in verbis vel moribus. Pecuniam odito. Ama paupertatem. In omnibus fuge mulieres. Esto compatiens afflictis, castus in omnibus.

(*a*) *Forte legendum* placebis. — (*b*) *Suppl.* et. — (*c*) *Leg.* dura.

PARS SECUNDA[1]

SEU VIGINTI PASSUS DE VIRTUTIBUS BONORUM RELIGIOSORUM (a)

CAPUT PRIMUM.

De voluntaria novitiorum subjectione.

Si vis in spiritu proficere, et hic esse propter quod ut hic fieres, ad scholas virtutum, id est, ad Religionem venisti, ne fias similis illis, qui longo tempore in scholis manendo, multum temporis et sumptum (b) consumunt, et minime discunt. Istius formulæ compendium ante oculos habeto, et ad ejus regulam ordina vitam tuam, et mores compone, et studium impende, et tempus expende. In primis esto sub tali rectore et magistro, qui te prædicta doceat verbo et exemplo; vel si talem habere non potes, tu ipse magister esto. Sis strenuus, ut ad hujus formulæ regulam vivere compellaris, et in nullo tuæ propriæ voluntatis libertati relinquaris. Puer enim qui dimittitur voluntati suæ, id est, puerili lasciviæ, confundit matrem suam, id est, Religionem. Ideoque tot ordines confunduntur, quia pueriles mentes sibimet dimittuntur sine fræno retrahente a noxiis, et sine virga ad salubria compellente, aut ex negligentia seniorum, aut ex nociva condescensione. Sicut imprudens medicus, qui ne contristet ægrum, quem curare deberet, patitur eum nociva comedere, ex quibus gravius et diutius infirmatur, et cum in uno dissimulatur (c) excessus ejus et vitia, cito ab aliis trahitur in exemplum, ita ut etiam sibi impune talia permittantur, quæ vident in aliis sustineri. Caveant tamen tales magistri, ne teneros animos frangant severa cohibitione.

[1] Hanc partem non habet Bibl. PP. Lugd., 1677. — [2] *Isa.*, LIX, 15. — [3] Scilicet Benedictinorum.

(a) *Hæc*, Seu viginti passus, *etc.*, *quæ addimus titulo priorum editionum*, *desumpta sunt e variis codicibus MSS. Vid.* Prodromum. — (b) *Leg.* sumptuum. — (c) *Leg.* dissimulantur. — (d) *Cæt. edit.* descendant. — (e) *Leg.* dicere. — (f) *Leg.* qui.

CAPUT II.

De negligentia Prælatorum, seu mala libertate.

Tandem ad hoc ista mala libertas dilatatur et fluit, quod hoc a pluribus vident fieri, ut quasi pro lege et pro jure ordinis defendant (d). Et si quis contra docere (e) arguendo præsumpserit, singularis superstitionis improperium sustinebit, et quasi qui novum ordinem et insolitum morem inducere velit, ut delirus et vanus irridebitur, et omnibus fiet onerosus, et tanquam temerarius judex aliorum actuum, persecutiones amarissimas sustinebit. Timent enim distracti, et a via Dei exorbitantes, ne si parcerent zelantibus pro justitia et religionis disciplina, multos ad partem suam traherent, et ita paulatim ad ordinis observantiam etiam ipsi tandem cogerentur. Et præcavent ardentissime, ne ad hoc perveniant, et sub specie singularitatis extirpandæ, ejiciunt a se illos et opprimunt quam (f) desiderant religionem ad statum debitum reformari. Quod videntes alii quibus hoc displicet, aliquam bonæ voluntatis scintillam habentes, sed tamen infirmam, terrentur, et potius student se illis conformare, quos fortiorem partem habere vident in multitudine et potentia, quam cum illis tribulari, et insuper infirmari, juxta illud [2]: *Et qui recessit a malo, prædæ patuit.* Hæc omnia experti sumus in ordine nigro [3], et in aliis. Nunquam autem contingat nostram religionem ad statum similem pervenire.

CAPUT III.

De religionis fervore.

Qui tali fervore ad religionem venit, quod pro omnibus quæ ei mundus promittere vel dare potuit, noluit damnari in hoc sæculo,

nec pro divitiis, honoribus vel deliciis, nec amore amicorum, vel proprii corporis, dubitavit se tradere carceri pœnitentiæ propter Deum, non debet modo vilior esse quam tunc fuit, ut pro verbis hominum deserat modo viam Dei, a cujus ingressu, nec terroribus, nec blanditiis potuit averti. Quod si timet de singularitate notari, et ob hoc aliis fieri odiosus, sciat, quod nullus sanctorum singularis gloriæ factus est in cœlo, nisi qui inter homines positus, studuit esse in sanctitate vitæ singularis : quod tamen de singularitate virtutum dico, non tantum de cæremonialibus observantiis, parvam aut nullam habentibus utilitatem virtutis. Studia autem sanctitatis in his consistunt : in cavendo omne peccatum, omne scandalum, quantum in se est; in studendo omnibus virtutibus humiliter, et in quærendo familiaritatem Dei per affectum devotionis internæ. Adversus hujusmodi nulla est bona conformitas, per quam hæc studia destruuntur. Cum vero pro justitia, sicut et pro fide, potius debeamus pati non solum irrisiones et despectiones, sed etiam persecutiones quaslibet, et mortem, sicut passi sunt Sancti ante nos, et patienter post nos in diebus novissimis, quam fidem deserere, vel justitiam vitæ peccando relinquere : discamus in parvis verborum et despectionum tribulatiunculis, ut si graviora nobis imminerent pro Christo certamina, sciamus per patientiam superare. Nam qui a levi statu dejicitur, quomodo stabit a vento maximæ tempestatis? Hoc ad præmuniendum cor præmisi, contra retrahentes a studio proficiendi in virtutibus : quia qui tale studium non in se diligit, vix potest pro aliis secum morantibus æquanimiter sustinere. Unde sicut illi non dimittunt consuetudines suas malas propter nos, et noxias, sic non oportet nos bona et utilia studia abjicere propter illos, quia si volunt ad vitam æternam venire, oportet eos nobiscum viam Dei, non suam, ambulare.

[1] *Psal.* XV, 8.

CAPUT IV.

De otio vitando, et vanitate sensuum.

Nunquam debes otiosus vagari, nec rumoribus vacare, et verbis otiosis, nec lusui, nec scurrilitatibus deditus esse : quia hæc faciunt mentem vagam, et inanem, et licentia istorum dissolvitur cor a pondere timoris Dei, et affectum internæ devotionis exhauriunt. Non evageris tuis oculis hinc inde singula intuendo, quia levitatis est indicium, et ea quæ foris, aut per oculos, vel per aures, strepitum quemdam interius suscitant, quo puritas intelligentiæ, quæ in bonis meditationibus mentem pascit, quasi quodam pulvere obscuratur. Quidquid non est necessarium tibi, vel utile ad tuum, vel alterius profectum, pertransi; et noli immorari, nec cor tuum in eo figatur, vel in eo tempus expendatur. Semper aliquid defer tecum in memoria, quod de Deo rumines cogitando; et mentis tuæ intuitum semper in eum defigere stude, sicut docet Propheta dicens[1] : *Providebam Dominum in conspectu meo semper.* Hæc (*a*) enim continet cor apud se, ne commoveatur a se per vanam lætitiam, vel irrationabilem tristitiam. Mundus enim in quo fluctuamus, variis tempestatum ventis agitatur : et qui non vult navem cordis sui quassationibus conteri, undarum influxione demergi, vel in extremas plagas ventorum flatibus impelli, affigere eam funibus bonarum cogitationum assuescat ad petram immobilem, quæ est Christus. Funem, ne facile rumpatur, ex triplici resticulo componas, videlicet ex sacrarum Scripturarum devota lectione, ex sedulæ orationis compunctione, ex bonarum actionum humili exercitatione. Lectio dat materiam et quasi semen bonæ cogitationis. Oratio rigat, et ad perfectum roborat, et cor illuminat ad intelligentiam, et impinguat affectum ad saporem. Bona actio, maxime condita pinguedine charitatis, et obedientiæ, vel

(*a*) *Leg.* Hoc.

alterius virtutis, lætificat conscientiam, et dat fiduciam spei in Deum : et si ad horam intercipit devotionis quietem, tamen meretur postea majorem dulcedinis infusionem, et gratiam puritatis.

CAPUT V.

De evitatione pravarum cogitationum, et inutilium occupationum.

Feriatus et vacans cave tibi a vanis, et a pravis cogitationibus, ne vel modicum in te morentur, quia cito inquinant, cujuscumque vitii colorem habeant, ut luxuriæ, vanæ gloriæ, odii, vel aliorum. Item cave tibi ab inutilibus occupationibus, quæ tempus perdunt, cor inquietant, et utilia impediunt, et devotionem dissipant; item a torpore acediæ et pigritiæ, quæ mentem tepidam, et corpus delicatum reddunt, et ad bona opera desidiosum.

CAPUT VI.

De vitanda notabilitate, et curiositate.

Inter homines existens, cave tibi a duobus quoad te ipsum, et a duobus quoad alios. Quoad te, cave ne aliquid facias, ut ab eis noteris unde gloriam quæras, in gestu, in sermone, in voce vel actu, quia peccatum est, et vanum; et cum putas eis placere, forte displices, et judicant te quasi inanis gloriæ cupidus sis, vel forte non advertunt quid agis. Et sic perdis conatum tuum inutiliter et vane, sicut stulti qui puris imaginibus quasi vivis hominibus obsequuntur, sicut habetur in Psalmo[1] : *Qui hominibus placent*, id est, placere volunt, *confusi sunt*, etc. Item, ne pudore superfluo obruaris in his quæ coram hominibus agere debes, loquendo, cantando, vel aliud agendo; sed ita liber esse stude coram eis, sicut si sine eis esses : et si intus verecundia æstuas, foris reprime, quia quo magis te notabilem facis ex pudore, eo plus considerant te, et ita plus confunderis. Signum superbiæ videtur, nimis erubescere de illis defectibus, quos natura indidit, ut de deformitate corporis, vel vocis ruditate, et similibus. De vilitate autem vestis, vel de humilibus obsequiis erubescere, in paupere religioso superbia est. Vitium autem vel scandalum erubesce, unde Deus offenditur, vel aliquis scandalizatur. Apud temetipsum erubesce de peccatis tuis, de torpore in servitio Dei, de negligentia bonorum quæ posses facere et deberes : quod tempus defluit, et profectus virtutis non crescit : de hypocrisi, quod foris vis putari melior, quam intus te invenias : quod vitia tua occultas non timore nocumenti alterius, sed timore displicendi, et ne vilipendaris : quod bona quæ ostendis vis videri et placere hominibus, ut ex his suspicentur aliquem (*a*) multo plura et majora in occulto te habere, ex quo talia foras prodeunt, quasi te dolente : quod vix adeo familiarem aliquem habes unanimem, quem velles te in omnibus agnoscere, sicut teipsum agnoscis, quod etiam fit in confessione quandoque. Et si non audes peccata tua supprimere, quin ipsa accuses; tamen de illis in quibus te magis displicere times, ita ordinas verba submittendo, subjungendo, vel colorando, quod minus apparent verecunda, vel si forte plus bene profers, gloriaris, et vis inde apud confessorem sanctus reputari, quod tam humilis sis, cui te magis quam necesse sit, studeas confundere confitendo : quod cum tentationibus vitiorum maxime carnalium ita desidiose compungeris, ut solo timore periculi, vel confusionis pudore eas repellas, et quantum audes in affectu arrideas, solo consensu operis, vel morosæ delectationis excluso. In hoc apparet major perversitas, quod cum facile quandoque hujusmodi tentationes quasi muscas immundas non abigis, ex negligentia eas permittis calescere (*b*), et convalescere, donec confortatæ jam periculosiores fiunt, et difficilius vincuntur, et conscientiam sæpius confundunt (*c*).

[1] *Psal.* LII, 6.

(*a*) *Leg.* aliquando, *vel quid simile.* — (*b*) *Leg.* coalescere. — (*c*) *Leg.* fiant... vincantur... confundant.

Quod ita desidiosus es ad ea, quæ Dei sunt, et quæ ad virtutis, et devotionis studium pertinent, ut pudor humanus plura ex his a te extorqueat, quam amor divinus. Quod ita ingratus es de beneficiis Dei, ut non solum debitas non agas gratias de præceptis, sed etiam gratiam oblatam et paratam in vacuum recipias et negligas; atque cum gratiam sentis tibi arridere, occupas te vanioribus studiis, quasi qui texit aranearum telas, quæ non proderunt ad vestimentum[1] salutis. Quod illa ad quæ teneris facienda, sicut sunt horæ canonicæ, et similia, ita negligenter et desidiose persolvis, ut non tam meritum inde speres, quam supplicium expectes : quia et si verba utcumque proferas, tamen corde tam vagus es, et affectu frigidus, quod nec sensum orationis percipis, nec devotionis affectum. Et de ipsis verbis plurima defluunt accelerando, et utinam non multa transilias omittendo : dum non attendis si dixeris, vel non dixeris, nisi forte ex conjectura alicujus verbi, quasi ex caudæ apprehensione, reputes te dixisse. Deus autem, et si patienter dissimulat, et attendit nostras negligentias, tamen non minus odit eas, sed integre dinumerat, distincte dijudicat, severe puniet, nisi nos præveniamus faciem ejus in humili confessione, in forti satisfactione, et in seriosa emendatione. Quod ad omnia quæ ad corporis curam vel commodum spectant studiosissimus es ; quæ vero ad spiritus profectum, vel ad fraternæ charitatis exhibitionem, vel ad prælati obedientiam, vel ad carnis castigationem spectant, desidiosus es. Quod etiam hos et similes plurimos defectus in te advertens, nec terreris, nec compungeris, nec discutis, nec corrigis, quasi Deus tecum aliter acturus sit, quam cum omnibus aliis, ut mala tua incorrecta non puniat, et bona neglecta remuneret. Pro his et similibus erubesce apud te, et ab aliis in te dijudicari non mireris, nec indigneris, seu verecunderis. Hæc et alia plura in memetipso veraciter recognoscens, erubesco, et doleo ; sed non tantum sicut debeo, et non emendo sicut possem, et expediret. Ex meipso autem intelligo quod hæc vel aliqua istorum etiam proximo meo inesse possunt : et ideo unusquisque judicet, et discutiat semetipsum, considerans ex uno latere qualis sit, maxime quid sibi desit boni, et insit mali ex vitio proprio ; ex altera parte qualis esse debeat in virtutibus et moribus bonis, ut ex hoc humilietur ex cognitione defectus sui, et provocetur ad studium proficiendi ad illa quæ videt se debere facere vel habere, et ideo regratietur Deus, si in aliquibus forte ex ejus gratia profecerit. Quoad alios cave a duobus, id est, ut non curiose respicias, vel perquiras eorum personas, vultus dispositiones, habitum, gestus, facta, vel verba, vel officia. In quantum tibi non attinet ista perscrutari, utilitatis causa, ita pertransi, ita cogita, ac si oves essent, vel alia animalia, ut in nullo circa illos occupes visum tuum, vel cor, ut non judices, vel dijudices de aliis, quales sint, vel esse possint in mente, in merito, in moribus, vel in aliis, quia talis discussio vana est, et sæpissime falsa, imo temeraria; et insuper cor inquietatur, et aliquando inclinatur, et conscientia læditur, et alia bona negliguntur ex tali occupatione. Si aliqua videris de aliquo, vel audias, quæ non placent, pertransi et obliviscere cito, committens ea sibi et Deo, maxime ubi ad te non spectat ejus correctio ex debito magisterii, vel ex sociali familiaritate, vel denuntiandi necessitate.

[1] *Isa.*, LIX, 6, simile aliquid habet.

CAPUT VII.

De compassione peccantibus habenda.

Compatere tamen peccantibus, quasi in tempestatibus maris naufragantibus : quia longe miserabilius est in lacum inferni demergi, quam in profundum maris submergi. Ora pro eis et plora, cum potes : ex hoc enim mereberis, ut a simili naufragio libereris.

Beati enim[1] *misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Sic etiam omnium miserorum afflictiones animo et oculo intuere, et singulas eorum miserias aggravantes studiose computa, diligenter pondera, ut ex his affectus miserationis in te pinguescant. Et si quas tu miserias pateris, tibi leviores in eorum comparatione videantur. Collige etiam in his quæ vides, passiones, labores, dolores, et paupertates Jesu Christi, qui[2] *cum esset dives, pro nobis egenus factus est, ut illius inopia, divites* in cœlestibus *nos essemus*.

CAPUT VIII.

De tribus vitiis communibus.

Tria sunt vitia communia apud homines, videlicet pronitas reprehendendi quæ (*a*) in aliis vident, et non est secundum affectum eorum. Alterum est adulatio, qua solent sibi invicem blandiri, laudando, arridendo, quærendo quomodo valeant, cum non curent eos quandoque valere, honores inutiles offerendo, et in aliis multis modis, in quibus nec est utilitas, nec ex affectu faciunt, sed ex usu, ut placeant. Tertium est propria gloriatio de seipso, quia ea quæ nos facimus, dicimus, sentimus, et scimus, placent nobis, et præferimus ea aliorum factis, commendando, vel occulte cogitando : et dedignamur, si alii non mirantur ea, quasi non habeant sanum judicium, et delectamur in laude nostra. Et si aliquando nos ipsos atterendo humiliamus, non pure hoc facimus ; sed volumus per hoc astute alium provocare ad laudem nostram, quasi non debeat pati, ut nos vituperemus quod in nobis laudandum est; vel hoc sæpe facimus, ut humiles reputemur, et saltem ex hoc placeamus, si alia placentia non habemus. Qui ab istis tribus esset liber, in magna puritate viveret, et quiete, unde versus :

Esse reprehensor, adulator, laudis amator,
Noli : sic pura tibi mens erit, atque quieta.

CAPUT IX.

De non habendo res curiosas.

Nulla curiosa habere cures, ut imagines, tabulas, sudariola, pater noster, et similia. Nec recipias, nec des aliis pro munusculis, quia occupant cor, et magistris nostris non placent, et facient te notabilem inter cæteros : et sæpe sine licentia recipiuntur, vel dantur talia incaute, dum pudet eos toties pro istis recurrere ad magistros. Species aromaticas non habeas, nisi pro evidenti necessitate non possis carere. Qui omnibus rebus peculiaribus carere posset, felix esset, quia multæ distractionis materiam abscidisset. Si autem aliqua volueris habere, ut libros ratione studii, et scriptoriola, nulla superflua collige, vel curiosa : solum contentus sis solis necessariis in numero et valore. Ipse habitus, et communia instrumenta tua, simplicia sint et inculta. Corporis gestus, et omnia foris apparentia, plana sint et pura. Nihil notabiliter curiale et curiosum, vel singularitate coloris respersum affectes.

CAPUT X.

Quod religiosus non debet affectare hominibus placere.

Stude humano judicio non moveri, nec delectari favoribus, nec despectu contristari, quia judicium humanum cæcum est frequentius, et ignorat veritatem, et fallitur sæpissime : nec, si laudaris ab homine, es ideo laudabilior ; nec, si despiceris, es ideo vilior. Stultus est, qui stulto placere laborat : quia sicut cæcus non discernit inter colores, nec surdus inter sonos ; sic insipiens homo nescit pensare meritorum dignitates. Unde cum aliquid agere te contingit æstimabile, ut prædicare, vel simile, non anxieris quod ad placitum hominum hoc facias ; sed invocato auxilio Dei, prout melius ex-

[1] *Matth.*, v, 7. — [2] II *Cor.*, VIII, 9.
(*a*) *Leg.* quod.

pedire secundum Deum intelligis, stude facere. Et si bene successerit, Dei adjutorio refer gratias, et noli extolli, quia non propter te, sed magis propter aliorum orationes et merita, gratiam tibi datam debes æstimare. Si autem minus bene successerit, noli turbari, nec pudore confundi, sed gratias Deo refer, qui sic te ab elevatione defendit. Sive autem bene, sive minus bene successerit, statim habe te interius et exterius, ac si non feceris. Laudet qui vult, vel despiciat, quid ad te? Tu tace, excusationes cave, quando debes aliqua hujusmodi facere. Ad hoc sæpissime fiunt, ut despiciamur, et præsumptuosi videamur, qui talia audeamus. Unde videtur melius, purius et humilius, simpliciter facere quod est faciendum, vel obedientia jubente, vel charitate instigante. Si placet eis, bene; si non, quid est tunc perditum? Nam cum oportet te prædicare, vel simile facere, quod aliquid honoris videatur habere, si bene feceris, lucrum habes de laboris tui profectu; si minus bene, iterum lucraris meritum humiliationis tuæ, et post hoc minus ad hujusmodi cogeris ab illis quibus non placuisti. Omnes sumus alterutri expositi, ut alter alteri placeat, vel displiceat, cum in mea non sit potestate ut tibi placeam, sed in tuo arbitrio, vel affectu, quæ tibi dare non valeo. Si multum tibi placere laborabo, forsitan nihil proficiam, quia aliter consilium tuum dirigitur : et ideo nihil in hac parte melius video, quam quod soli Deo studeat homo placere, et proximum non scandalizare, vel scienter offendere, et committere Deo, si hominibus placeat, vel displiceat, humiliter et patienter, juxta illud [1] : *Mihi pro minimo est, ut a vobis judicer.* Quibus places, adscribe eorum benevolentiæ, non tuæ probitati. Quibus autem displices, attribue tuo merito, et cogita quod si tantillo eis displices, sicut exterius cognoscere valent tuam vilitatem, quid fieret, si radicitus perspicerent omnia vitia tua, et peccata, et inhonesta quæcumque? Mirum, si non ejicerent, vel lapidarent te. Pro me loquor : nunquam enim a fidelibus tantum despectus sum, sicut sum despicabilis in veritate. Unde non debeo indignari, cum aliquando despicior; sed mirari, et reputare de beneficio Dei, quod non omnibus sum odiosus.

[1] I *Cor.*, IV, 3. — [2] II *Tim.*, II, 5,

CAPUT XI.

De patiendis humiliter odio et detractione.

Et cum detrahi tibi intelligis, non movearis, quia, si verum est quod dicitur, non est inconveniens hoc loqui homines, quod facere ausus es; si autem verum non est, non nocet tibi eorum locutio. Ut si albus esses, et diceret quis te nigrum esse, quid obesset tibi illud dicere? Nihil, cum tu esses quod es, et non aliud. Et si quis æstimaret te capram esse, tamen homo es. Si autem ad primos motus hujusmodi adversitatis turbaris, et inflammaris, ex patientia reprime iram, et sustine ad modicum, sicut qui sustinet adustionem cauterii, vel secationem chirurgici, cogitans utilitatem patientiæ, et cito sanari incipias (*a*), et melius habere. Imo hoc ipsum, ex pugna intus exercitata, magnæ utilitatis est, quia est purgatio peccati, vitii lima, exercitatio virtutis, meritum gloriæ, præparatio pacis. *Non* enim [2] *coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* Rancorem erga nullum retine in corde. Ad omnes cor mite et pacificum habere stude; nec pro tua offensa, nec pro ullius vitio aliquem odito, ne fias cum illo sub specie zeli pariter vitiosus. Si non convenit tibi ejus habere familiaritatem propter vitæ ipsius deformitatem, sic displiceat tibi malum quod habet ex se, ut non sit tibi execrabile bonum quod est ex natura in præsenti, vel ex gratia forsitan in futuro. Multi enim sunt mali, qui fient boni postea : propter quod de omnibus viventibus est sperandum. Quod si aliquis te odiret et detraheret, et niteretur te confundere

(*a*) *Leg.* incipit.

et gravare; tu etiam, si ex similibus vis contendere, non vincis eum, nec placas, sed provocas, sicut qui canem latrantem minando provocat ad mordendum, qui si latratus ejus non advertendo transiret, citius eum compesceret, et abiret. Nam cum hoc intendat omnis adversarius, ut molestet, et provocet illum cui adversatur, si videt te exacerbari et contristari, ita habet quod quærit, et tanto fortius instat quomodo gravet, quanto plus videt valere conatus suos ad id quod intendit. Si autem viderit quod patienter sustines, et pertransis, ac si non sentias, confunditur in seipso, et confringens tumentes fluctus ejus, ex indignatione quiescit, videns quod nec valet efficere quod quærebat, scilicet ut te conturbaret; vel certe confusus compungitur, et corrigitur, exemplo patientiæ tuæ emendatus. Quod si forte obstinatus, nec corrigitur, nec desistit te persequi, disce aliquid pati posse pro Deo, quia ille qui tibi adversatur, gravius torquet seipsum, quam te. Qui autem seipsum morderet et laniaret in odium tui, quid te læderet? Imo de se te vindicaret : ipse, non tu, morosus vulnera sentiret. Ita sentias de illo qui (*a*) odit te, quod se laniat, non te : unde tu habeto pacem tecum, et aliena malitia non tibi nocebit. Quod et si verba contumeliæ tibi intulerit, discere debes, ut omnia verba habeas pro sono transeunte, nisi quantum valeas ex eis ædificationem accipere : sed in quantum perturbare possunt et scandalizare, sint tibi sicut avium garritus, et latratus canum. Hoc cum audis, pertransi, et non cura. Noli illi similis fieri, qui tibi detrahit; quia sicut in illo odibile est vitium detractionis, ita etiam esset in te. Nemo autem in odium adversarii sui sibimet præcidit nasum, vel eruit oculos : sic nemo sapiens deturpat seipsum ut se vindicet de inimico; quia tunc non tristitiam, sed lætitiam inimico afferret. Si patienter fers jacula adversantis, alii compatientur tibi, et impugnabunt pro te adversarium tuum, te tacente, et diligent te. Si autem vindicare volueris te resistendo, aspicient te, et respicient vos pariter mordentes, et scandalizabuntur in utroque. Doctrina Christi magistri nostri et Domini est, cujus te esse discipulum professus es in professione Regulæ : Diligere inimicos, benedicere odientes nos [1], et nostra benignitate vincere illorum malitiam : sicut ille malos mutat in bonos, patienter eos, ut convertantur, expectando, et beneficiis alliciendo.

[1] *Matth.*, v, 44.

CAPUT XII.

De sui ipsius correctione.

Corrige in te quod in alio reprehendis, e doce te quod utile cuique cognoscis : furor tuus agat in teipsum, et ita inflammatus alios calefac, sicut ignis, qui proxima prius, et postea remotiora calefacit. Tu igitur esto proximus tibi in correctione tui. Regula ingenii tui, et zelus justitiæ tuæ primo reformet te, exemplar artis tuæ aliis imitandæ. Ostende in proprio, cujus peritiæ sis in opere alieno. Quidam sciunt in aliis multa corrigere, et vitam aliorum ordinare; in seipsis autem multa incorrecta relinquunt, et minimam diligentiam adhibent, ut statum proprium ordinent ad profectum virtutis. Quandoque somniant, si essent in alio statu, in tali, vel tali officio, vel dignitate, quantum bene valerent illam bene disponere; suum autem statum, in quo jam sunt, nec sollicite discutiunt, nec emendant : sed aliquando per alium moniti, vel ex casu forte ad se reversi, cogitant ad meliora se extendere, nec provide disponunt qualiter hæc faciant, vel in eo quod provident non perseverant, consuetudine dissolutionis, et torpore eos ad solita revocante.

CAPUT XIII.

De eodem.

Esto tuimet potens, ut statim ad nutum

(*a*) *Cæt. edit.* quia.

rationis assuescas, tam cogitationes cordis, quam membra et sensus corporis a noxiis retrahere, et in bonis studiis occupare, et oculos, manus, linguam, auditum, et cogitatum, quasi in fræno manus tuæ, ne insolenter evagentur extra disciplinæ terminos. Quia sicut avis, vel bestia ex coactione domita, rursus ex relaxatione fiunt indomita, ita sensus exteriores et affectiones interiores, nisi sub discreta cautela refrænentur, ex libertatis licentia insolescunt, ita ut postea difficilius redigantur sub rationis magisterio, quam in principio conversionis, quia perversi difficilius corriguntur quam nunquam conversi, sicut animalia difficilius domantur, vel mansuescunt in senectute, quam in juventute : et sensus juvenum capacior est scientiæ, quam senum : et inveterata arbusta inflexibiliora sunt, quam recentia et tenera. Sæpissime discute teipsum, et considera statum mentis, corporis, quid desit, quid deficiat, vel quid proficiat, quid impediat profectum, et quomodo illi obvietur declinando, vel resistendo, aut regendo, aut tolerando. Peccata declinanda sunt, et fugienda. Vitiis impugnantibus est resistendum. Officium vel alia actio occasionaliter impediens, regenda et ordinanda est discrete ad profectus materiam. Adversitas est toleranda, et per usum tolerandi fit magis tolerabilis : et ideo tam odiosa est nobis adversitas, quia nolumus assuescere. Si aliquis domesticus tuus, vel vicinus, tibi fuerit in corde onerosus, illi stude magis obsequiosus esse, et affabilis : cito senties remedium illius morbi.

CAPUT XIV.

Quare non sit affectanda hominum dilectio.

Non multum affectes diligi, quia distractio cordis est, et a quo quæris diligi, illi etiam affectas placere, et tibi admiscet se adulatio, et sæpe simulatio, ne forte displicere incipias, et minus diligi. Turbaris etiam, quando suspicaris te minus diligi, ut desideraveras, vel speraveras. Pauci etiam sunt in sensu, et affectionibus, et moribus ita conformes, ut non sit dissensionis materia aliqua inter eos, quæ est dilectionis adversatrix. Item a fœminis velle diligi, etiam præter tentationis laqueum, et occupationis materiam, et turbationis occasiones continuas, nota suspicionis et observationis non carebis. Committe te Deo, et ab illo stude diligi fideliter, et aliorum certam dilectionem relinque illorum arbitrio, et divinæ voluntati. Dilectio hominum fallax est, et instabilis : facile cedit, facile lædit : ad modicum utilis, et sæpe nociva. Si dignus fueris, diligeris; sin autem, justum est non diligi indignum, nec ei ullam reverentiam exhiberi. Amen.

REGULA NOVITIORUM [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Quæ de instructione Novitiorum in superioribus opusculis docuit S. Bonaventura, videtur in hoc opusculo in compendium redigere : in quo breviter Novitios instituit ad vitæ reformationem.

PRÆFATIUNCULA

Renovamini in novitate sensus vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, et perfecta. Hoc dicit Apostolus ad Romanos [2] in persona novitiorum, his qui fuerunt per peccatum sæculo deformati, et erant tenebrosi, ut modo in religione positi, per finalem sententiam reformentur, et fiant luminosi, ut dicatur de eis [3] : *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino : ut filii lucis ambulate.* Qui ergo desiderant in spiritu et moribus reformari, studeant vitam suam subscriptis rationibus reformare. Cognoscent enim quia *voluntas Dei* erit eis *bona*, quantum ad remissionem culpæ deformantis, *beneplacens* quantum ad infusionem gratiæ reformantis, sed *perfecta* quantum ad fruitionem gloriæ præmiantis in qua recipient diadema decoris de manu Domini Jesu, qui retribuet unicuique juxta opera sua. *Justus est* [4], *et justitiam dilexit.*

CAPUT PRIMUM.

De officio.

Cum spiritualia sint semper ubique omnibus præponenda, idcirco cum fueris in ecclesia, vel alibi, ad divinum officium celebrandum, non sis ibi cum vagatione cordis, interponendo nociva, et cogitando diversa, quia dicit Bernardus : « Magna abusio est habere os in choro, et cor in foro. » Nam de talibus dicitur per Prophetam [5] : *Ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant.* Sed dicas cum profunda cordis humilitate, et reverentia, et timore. Nam, teste Scriptura [6] : *Timor Domini delectabit cor, et dabit gaudium et lætitiam.* Et stude intelligere ea quæ dicis, si potes; si vero non potes intelligere, reverere, quia, sicut dicit Sapiens [7], *per reverentiam* (*a*) *accedet tibi bona gratia.* Et semper ad totum officium sis erectus, tam in officio Beatæ Mariæ Virginis, quam in alio : hoc modo excepto, quia in nocte dicto matutino beatæ Virginis, licet tibi appodiare. Officium vero beatæ Virginis nunquam dimittas; et quamdiu stas in officio, totaliter sis honestus, ut non respicias cir-

[1] *Cf.* Edit. Vat., an. 1596, tom. VII, part. IV, pag. 662; edit. Venet., an. 1611, 4; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, p. 645; edit. Venit., an. 1756, tom. XIII, pag. 204. — [2] *Rom.*, XII, 2. — [3] *Ephes.*, V, 8. — [4] *Psal.* X, 8. — [5] *Psal.* LXI, 5. — [6] *Eccli.*, I, 12. — [7] Ibid., XXXII, 14.

(*a*) Vulg. *pro reverentia.*

cumstantes, nec cum aliquo loquaris ibidem; sed inclinato aliquantulum capite, dimissas manus habeas ante, aut in modum crucis, aut manum in manu portans, nunquam autem ante pectus, vel in sinu, vel in loco inhonesto portes, cogitans te esse non solum coram fratribus, sed etiam coram Deo et angelis ejus. Nam, teste Propheta, qui dicit [1] : *Prævenerunt principes,* id est angeli, *conjuncti psallentibus.* Et sis semper sollicitus ad horam, ne aliquando negligentia vel verecundia ductus, aliquod verbum prætermittas, et non dicas horas tuas solummodo prolatione vocis exterioris, ut Pharisæi versipelles, de quibus conqueritur Dominus per prophetam dicens [2] : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Cave tibi multum, ne aliquid facias, vel dicas ibidem, quod alios provocet ad risum, quia, sicut dicit Isidorus : « Nullus habebit accessum ad compositionem, ubi fuerit immoderatus jocus, vel risus. » Sed jucundatio tua sit semper in Jesu, et meditatio tua sit semper in Jesu, ut psallendo, et meditando possis dicere cum Propheta [3] : *Et erunt ut complaceant eloquia oris mei, et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.* Et dicta qualibet hora, dicas : *Miserere mei, Deus,* cum oratione : *Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ Virginis Mariæ matris*, etc.

CAPUT II.

De oratione.

Cum Dominus dicat in Evangelio [4], quia *oportet semper orare, et non deficere,* stude semper expendere tempus tuum, aut in oratione, aut in lectione, aut in bona meditatione, aut in servitiis : non enim cessat orare, qui non cessat benefacere. In oratione autem frequenter et morose permaneas, cum profunda cordis devotione et humilitate. *Oratio* autem *humiliantis se nubes penetrat,* juxta sententiam Sapientis [5]. Quidquid autem in oratione petieris, cum fiducia impetrandi petas. Veritas enim dicit [6] : *Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis et fiet vobis.* Sit autem oratio tua in excelsa charitate fundata. Gregorius enim dicit [7] : « Quia virtus perfectæ orationis est celsitudo charitatis. » Sit secreta, verecunda, justa, lacrymosa, et frequens : et quia oratio nihil aliud est, quam ascensus intellectus ad Deum, idcirco antequam incipias orationem, præpara te ad intimam devotionem, si vis attingere ad divinam prægustationem, nam teste Gregorio [8] : « Oratio est cordis, non labiorum. Nec, inquit, verba deprecantis tantum Deus intendit, sed cor orantis aspicit. » Et ideo dicit Sapiens [9] : *Fili, ante orationem præpara animam tuam, et noli esse tanquam ille qui tentat Deum.* Tunc enim orator dicitur tentare Deum, quando absque cordis præparatione currit ad vocalem orationem, et petit ibi divinam speculationem. Sic vix aut nunquam poterit impetrare, quia talis dicitur non devotus orator, sed verborum latrator. Si ergo vis affici in oratione, præpara cor tuum ad devotionem : nam de cordis præparatione dicit Dominus per Prophetam [10] : *Præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Unde legitur in vitis Patrum : « Quales volumus orantes inveniri, tales debemus ante tempus præparare nos. » Ad istam autem præparationem tria occurrunt. Primo, ut dicit Gregorius : Quinque sensuum revocationes, scilicet ab exterioribus, ut ad nihil intendat, nisi ad quietem mentis, ne forte anima, quæ soli Deo vacare intendit, per eos ad plura diffundatur. Nam si invisibilis anima invisibili Deo conformis est, dum Deum orat, debet omnium visibilium oblivisci, ut impermixta terrenis, ad cœlestia cito tendat. Anima enim in modum arboris cogitatur levari. Unde Gregorius dicit : « Tanto avidius gustum sapientiæ orator

[1] *Psal.* LXVII, 26. — [2] *Isa.*, XXIX, 13. — [3] *Psal.* XVIII, 15. — [4] *Luc.*, XVIII, 1. — [5] *Eccli.*, XXXV, 21. — [6] *Marc.*, XI, 24. — [7] Greg., *in Evang.*, hom. XXVII, n. 8. — [8] Est apud Isidor., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. VII, sect. IV. — [9] *Eccli.*, XVIII, 23. — [10] *Psal.* X, 17.

intus acciperet, quanto saporem carnis pro eodem sapientiæ fonte robustius repressisset. » Propter quod dicebat Dominus[1] : *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum.* Sed quia nemo ascendit ad Dei contemplationem, nisi prius descendat per sui humilitatem, ideo sequitur secundum, scilicet propriæ parvitatis consideratio. Si autem vis videre tuam parvitatem, qui oras, considera illius immensitatem, quem oras : nam nihil es respectu Dei viventis. Tu enim es vermiculus putridus; ipse vero Deus est æternus. Tu creatura mortalis et infirma; ipse vero Creator omnipotens. Tamen cum nihil sis, non ipsum Deum honorasti tanquam Creatorem tuum, et tanquam servus Dominum suum : et quod periculosius est, peccando eum ad iram provocasti, et semper eum suis stipendiis impugnasti : et ideo non es dignus exaudiri, sed potius cruciari æternaliter. Et sic mentaliter descende ad infernum, cogitando scilicet gravia peccata quæ commisisti, et quantam gloriam perdidisti, et quam dura supplicia incurristi, ut cogitando cognoscas tuam transgressionem, et quam juste damnatus es, et divinam passionem, qua redemptus es. Nunc igitur sequitur tertium, scilicet Christi Redemptoris ignita dilectio. Si autem vis diligere Christum, considera quantum fueris dilectus a Christo. Nam[2] *majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis;* sed Christus plus, quia pro nobis inimicis suis mortuus est. Cogita ergo hæc grandia beneficia Dei : qui deberes meritis tuis æternaliter cruciari, voluit tamen ipse Dei Filius, pro te redimendo, de muliere paupercula nasci, et crudelissima supplicia pati, et horribili morte mori, et mortuus ad inferna descendere, ut nos de inferni pelago liberaret, et in cœlesti collegio collocaret. Et ascende mentaliter ad illud collegium Beatorum, et tunc divina charitate ignitus incipias orare ferventer, ut possis dicere cum Propheta[3] : *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.* Et dum diu oras, speculare illam Hierusalem triumphalem, ut orando possis dicere cum Apostolo[4] : *Nostra autem conversatio in cœlis est.* Orationes autem quas facias, semper habeas sub certo numero terminatas, quas nunquam dimittas, nisi manifesta necessitate, vel infirmitate coactus : quæ sunt hæ. Primo ad laudem Dei, et B. Virginis, quotidie inter diem et noctem dicas centum Pater noster cum Gloria Patri : et totidem Ave Maria cum genuflexionibus. Item dicas quotidie Psalmos pœnitentiales cum Litania (*a*) pro benefactoribus vivis, et Vesperis defunctorum, hoc est, *Placebo,* et aliam (*b*) facias, sicut tibi Dominus ministrabit. Hic tamen attende, ut in oratione quam facis, magis studeas ad devotionem, quam ad consummationem : ut statim cum inveneris Christum, orationem ulterius non protendas; sed eo fruere quem quærebas, dicens cum sponsa[5] : *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* Et subtrahente se Jesu, orationem perficias quam incœpisti. Et consulo tibi, ut nunquam prædicta dimittas : non enim qui incipit emendatur, sed qui finaliter perseverat. Ora ergo, charissime, et te in oratione exerce, quia pauperi non oranti, æterna supplicia promittuntur. Ait enim Bernardus : « Ora, frater, instanter; ora, quia ille dicitur habere tunicam mixtam sanguine, qui carnem suam nutrit de pauperis sudore. Cantando vobis, inquit, ista bona proveniunt : graves ergo pro eis effundite gemitus; alioquin quod hic in deliciis sumitis, in tormentis evomitis. » Studeas ergo tanto ferventius et morosius eum fervore devotionis orare, quanto plus cæteris majora beneficia tibi conferuntur, quia, sicut dicit Gregorius[6] : « Tanto ergo humilior, atque ad serviendum Deo promptior quisque debet esse ex munere, quanto

[1] *Matth.*, VI, 6. — [2] *Joan.*, XV, 13. — [3] *Psal.* XXXVIII, 4. — [4] *Phil.*, III, 20. — [5] *Cant.*, III, 4. — [6] Greg., *in Evang.*, hom. IX, n. 1.

(*a*) *Cæt. edit.* Letania. — (*b*) *Suppl.* orationem.

se obligatiorem conspicit in reddenda ratione. » Et omnis oratio tua semper volvatur circa Dei beneficia collata, cum gratiarum actione, aut circa tua et proximi scelera perpetrata, cum omni dolore et lacrymarum effusione. Ista est scala per quam vidit Jacob [1] angelos ascendentes, et descendentes. Et quotidie semel a fratrum consortio separatus, stude animum tuum ab omni sollicitudine revocare, et illicitis cogitationibus permixtus, cum profunda cordis humilitate, devotione et gratiarum actione recogita circa beneficia Creatoris, et maxime quoniam pro te voluit humiliter incarnari, et acerbissima supplicia pati, et morte turpissima mori. Quæ autem de passione tunc debeas cogitare, dicit Bernardus : « O homo, respice mentali oculo, quanto remunerationis debito Domino tuo sis astrictus. Respice sanguinem, alaparum contumeliam, flagellorum duritiam, coronam spineam, verborum blasphemiam, sputi ludibria, crucis angariam, suspendium patibuli, oculos languentes, oris pallorem, felita cibaria, acetosa pocula, caput inclinatum, mortis supplicium. Et quid plura? Vita pro nobis mortua est. » Et cum hæc prolixius cogitasti, convertere protinus ad teipsum, et considera quod Christus non solum supradicta, sed etiam alias multas sustinuit passiones, ut te de servitute diaboli liberaret. Et tu ingratus beneficia Creatoris tui non cognoscis : cum sis sua morte redemptus, non solum ardentius non amasti, sed peccando potius impugnasti, sicut ipse conqueritur per Prophetam, dicens [2] : *Retribuebant mihi mala pro bonis, et* [3] *odium pro dilectione mea.* Et prolixa hora cogita cum dolore, quantum et qualiter Deum offendisti, et per consequens quantam gloriam amisisti, et quanta supplicia acquisisti : et in hoc liquefiat anima tua dolendo, et pœnitendo in amaritudine lacrymarum, ut possis dicere cum Propheta [4] : *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Ad ultimum vero surge sperando de misericordia Jesu Christi. *Patiens* enim est, *et multum misericors,* sicut dicitur in Psalmo [5]. Et ideo confidenter et humiliter roga eum, ut qui sua morte te redemit, et redemptum de mundo te vocavit in religione positum, immaculatum finaliter te conservet in sanctorum collegio. Deinde roga Deum pro Ecclesia Romana.

[1] *Gen.*, XXVIII, 12. — [2] *Psal.* XXXIV, 12. — [3] *Psal.* CVIII, 3. — [4] *Psal.* CXVIII, 136. — [5] *Psal.* CXLIV, 8.

CAPUT III.

De confessione.

Quia ad remissionem peccatorum requiritur contritio amara, confessio pura et satisfactio condigna : idcirco antequam vadas ad confessionem, omnia peccata quæ post prædictam confessionem fecisti, vel corde, vel ore, vel opere, aut omittendo bona, aut committendo contraria, cum profunda contritione ad mentem revoca diligenter, ne ea in confessione prætermittas. Cum singula ad mentem revocaveris verecunde, vade ad sacerdotem, et, deposito mantello, humiliter genuflecte, et cum extracto caputio, et junctis manibus dicas : *Confiteor*, usque *Ideo precor :* et hic incipias dicere peccata quæ cogitasti sæpius, et pro singulo peccato, dicas tuam culpam. Quibus dictis, jungas ultimo dicens : *Et de istis, et de aliis multis peccatis meis mortalibus, venialibus confessis et omissis, quibus offendi Creatorem meum, visu, auditu, gustu, odoratu et tactu, dico meam culpam.* Ista sufficiunt ad confessionem frequentem. Cum volueris prolixius confiteri, dicas de offensionibus regulæ, maxime de obedientia, paupertate et castitate, et exprimas si in aliquo istorum offendisti. Item de multa ingratitudine et irreverentia quam habes circa temporalia et spiritualia beneficia : nam spiritualia non cognoscis, juxta beneficium redemptionis et religionis, quia cum gratiarum actione frequenter ruminare debuisti ; et etiam de beneficiis corporalibus es ingratus, quia pro

eleemosynis acceptis non reddis Deo debitas gratias, sicut debes, et parum pro benefactoribus oras. Item de modica charitate quam habes circa Deum et proximum, quia Deum non diligis, sicut debes, toto corde, nec obedis consiliis et præceptis, sicut debes, sed quod periculosius est, ejus voluntati resistis frequenter; nec etiam diligis proximum sicut debes, quia non congaudes ei in prosperitate, nec in adversitate compateris, sicut debes. Item de perditione temporis, quia stas otiosus in die audiendo verba vana, et otiosa, et nociva, ad risum provocantia. Item de inhonestis et nocivis cogitationibus, luxuriosis et otiosis, quibus non resistis humiliter sicut potes, sed forte quod pejus est, negligis principia motuum carnalium qui insurgunt. Item de multa superfluitate in comedendo et bibendo, et alia non necessaria faciendo. Item de falso et temerario judicio. Item de vana lætitia et tristitia. Item quia tu es pronus ad malum et remissus ad bonum. Item de multa superbia, vana gloria, invidia, jactantia, avaritia, acedia et luxuria. Item de modico quem habes de peccatis tuis dolore, et non doles de confessis sicut debes, et de aliquibus dicas quæ conscientia reprehendit : et dum hæc omnia dicis, descende ad similia quæ fecisti, et semper accepta pœnitentia osculare terram, et sit confessio frequens, aperta et integra, verecunda, et lacrymosa, et cum contritione, et sine excusatione. Et si potes confiteri quotidie, bene quidem; sin autem, de tertio in tertium diem saltem studeas confiteri, et studeas generaliter annuatim confiteri.

CAPUT IV.

De sacramento Eucharistiæ.

Cum Apostolus dicat [1], quod qui illud incogitabile sacramentum *indigne manducat, judicium sibi manducat et bibit :* idcirco quandocumque communicare proponis, studeas per totam hebdomadam præcedentem te præparare, per peccatorum contritionem continuam, confessionem et devotam orationem. Nam de hac præparatione loquebatur Apostolus, cum dicebat [2] : *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat.* Quod si in die dominico proponis communicare, studeas te ante per triduum ad fervorem spiritus ordinare, ut sis in sexta feria præcedenti ab omni cogitatione immunda abstractus. Semper autem habeas mentales oculos ad Jesum crucifixum, spinis coronatum, aceto et felle potatum, sputis et contumeliis saturatum, a peccatoribus blasphematum, acerbissima morte consumptum, lancea perforatum, a mortalibus jam sepultum. Hæc cogita illa die, sive comedas, sive bibas, sive aliquid aliud facias, ut cogitando Creatorem crucifixum, dolorem in corde habeas, tota die ostendas tristitiam in corde et in corpore, dicens cum Apostolo [3] : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Sabbato proponas penitus fratrum consortia declinare, et quietem mentis eligere, dies enim requietionis est : et pone strictum ori tuo silentium, ut saltem illo die non solum otiosa verba succidas, sed ipsa necessaria vix loquaris. Nam, teste Hieremia [4] : *Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei nostri.* Et usque ad completorium exerceas te, aut in lectione, aut in bona meditatione. Post completorium vade in ecclesiam, et ibi revoca mentem tuam, et quidquid contra Creatorem tuum fecisti, recogita cum dolore et amaritudine cordis, dicendo cum Propheta [5] : *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Et semper quando communicare proponis, die præcedenti jejunes : et post matutinum non dormias; sed vigila in oratione, sciens quod in vigilia, post matutinum, Salvator noster potissime invenitur, ipso attestante qui ait [6] : *Qui mane vigilaverit ad me, inveniet me.* Cum communicatus fueris, statim vade ad

[1] I *Cor.*, XI, 29. — [2] Ibid., 28. — [3] *Gal.*, VI, 14. — [4] *Thren.*, III, 26. — [5] *Isa.*, XXXVIII, 15. — [6] *Prov.*, VIII, 17.

cellam tuam, et cum gaudio magno ipsius communicationis, affectes illum quem quidem ipsa veritas promittit, dicens [1] : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam :* et immediate dicas Pœnitentiales cum Litaniis, et cave illa die similiter ne egrediantur verba nociva vel otiosa de ore tuo, per quod intravit Jesu refectio gloriosa, teste Apostolo [2] : *Nemo potest digne calicem Domini, et calicem dæmoniorum sumere.* De frequentatione vero communionis non audeo suadere, nisi quod Augustinus [3] suadet; ait enim : « Quotidie Eucharistiam recipere, nec laudo, nec vitupero : omnibus tamen dominicis diebus communicandum (*a*) hortor. Si tamen mens in affectu peccandi est, magis gravatur quam purificatur (*b*). Et tamen licet quis peccato mordeatur, si tamen de cætero non habet voluntatem peccandi, et satisfaciat lacrymis et orationibus, accedat securus : sed de illo dico, quem mortalia peccata non gravant. »

CAPUT V.

De comestione.

Cum pulsatur campanella ad mensam, vel ad comedendum, stes in silentio, et examina teipsum quomodo in oratione, vel lectione, vel in servitiis laborasti, ut præparatas eleemosynas possis secura conscientia manducare : nam peccatores tibi eleemosynas largiuntur, non ut loquaris de partibus, vel de guerris, vel maneas otiosus, sed ut pro eis incessanter ad Dominum fundas preces. Quod si te inveneris otiosum stetisse, aut dixisse illicita, timeas cum dolore cordis, sciens, quod de eleemosynis acceptis oportebit te reddere rationem villicationis tuæ; et usque ad secundam pulsationem cogita supradicta, semper pro benefactoribus exorando. Cum autem intraveris ad mensam, sede circa honestiores, si fieri potest bono modo. Et antequam incipias manducare, dicas *Gloria in excelsis Deo*, vel tribus vicibus *Pater noster*, et invocando nomen sanctæ Trinitatis, dicendo *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.* Et tunc incipies manducare cum timore et dolore cordis, ut verificetur in te illud [4] : *Antequam comedo, suspiro.* Sic Bernardus dicit : « Cum comedis, non totus comedas, sed attendas lectioni, si fueris ubi legatur; si vero non legitur, ibidem cogita de Deo, ut uterque homo sit propria refectione refectus. » Sis ergo in mensa honeste, capite semper cooperto, oculis non diffusis, et nulli loquaris inde, nisi necessitate coactus ; nec cures scire, quid vel quantum, vel qualiter alii manducent. Paulatim incidas panem, et vinum moderate propina, ut, cum comedas, nec panis incisus, nec vinum in scypho sit, nec sis primus in comedendo, nec ultimus in finiendo. Et dum sanus es, nunquam panem eligas meliorem, nec deteriorem tantum dimittas, ne Deum offendas, et proximum scandalizes, sed comiter manduca illum : et non comedas rapaciter, sicut gulosi, *quorum Deus venter est*, sicut dicit Apostolus [5]; sed curialiter et honeste manduca, sicut decet religiosum, et paupertatis sanctissimæ sectatorem. Et cum biberis, dicta *Ave Maria*, cum duabus manibus bibas, ne quod datur ibi (*c*) ad nutrimentum, fiat tibi in detrimentum : habet enim ad libidinem provocare, sicut dicit Sapiens, quia [6] *luxuriosa res est vinum.* Et ideo dicit Apostolus [7] : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Et alibi [8] : *Semper* (*d*) *modico utere vino.* Appone igitur semper aquam in vino. Specialia tibi nunquam procures, nec oblata recipias, si evitare poteris bono modo. Xenia non mittas per mensam, nisi forte illis qui

[1] *Joan.*, VI, 55. — [2] I *Cor.*, X, 21. — [3] Imo Gennad., *de Eccles. Dogmat.*, c. 53, al. XXIII, inter Oper. S. Aug., Append., tom. VIII. Refertur, *de Consecr.*, dist. II, c. *Quotidie.* — [4] *Job*, III, 24. — [5] *Phil.*, III, 19. — [6] *Prov.*, XX, 1. — [7] *Ephes.*, V, 18. — [8] I *Tim.*, V, 23.

(*a*) *Suppl.* suadeo et. — (*b*) *Al.* si tamen mens in affectu peccandi non sit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico Eucharistiæ perceptione quam purificari. — (*c*) *Leg.* tibi. — (*d*) Leg. *Sed.*

juxta te sunt. In fine vero micas diligenter collige et manduca, quia dicit Dominus [1] : *Colligite fragmenta, ne pereant.*

CAPUT VI.

De abstinentia.

Cum Dominus dicat in Evangelio [2] : *Attendite ne graventur corpora vestra crapula et ebrietate*; in hujusmodi semper stude crapulam fugere et ebrietatem, et sobrietatem elige, quia dicit Sapiens [3] : *Multi per crapulam perierunt; qui abstinens est, adjiciet sibi vitam.* Si autem fueris ad comedendum, non sapor, sed fames te provocet, ut dicit Bernardus, ut nunquam voluptate, sed necessitate pascaris, quia dicit Augustinus : « Mens lassata nimietate ciborum, perdit orationis vigorem. » Toto tempore vitæ tuæ modico et communi cibo utere, quia dicit Isidorus [4] : « Ubicumque satietas et ebrietas, ibi libido, et furor dominatur. » Et ne modum excedas in comedendo et bibendo, sicut dicit Isidorus, tantum tibi jejunii impones, quantum ferre potes. Melius est enim, inquit, quotidie parum, quam multum raro sumere. Augustinus [5] : « Quid enim prodest tota die longum jejunium durare, et postea satietate, vel nimietate animam saturare? » Et cave, ne de cætero specialitatem vel singularitatem tibi procures; sed omni tempore, quando sanus es, iis cibariis esto contentus, ut pane, et vino, et coquina tantum, et si aliquid apponatur, si indiges, accipias moderate, sicut decet servum Dei et paupertatis sanctissimæ sectatorem. Cibaria vero quæ magis provocent ad gulam, quam ad sustentationem naturæ, semper devita, sicut sunt cibaria inusitata, vel delicata, scilicet speciebus composita et similia. Nam, sicut dicit Bernardus [6] : « Satis est ad omne condimentum sal cum pane et fame. » Nec tamen ea occasione permittas aliud tibi dari, quia tunc non esset abstinentia, sed simulatæ sanctitatis apparentia. Cave etiam ut non manducando manducantes judices, vel condemnes, quia, sicut ait Apostolus [7] : *Qui non manducat, manducantes non spernat*, et e contrario : *Qui enim manducat, Domino manducat; et qui non manducat, Domino non manducat.* Extra refectorium nunquam comedas, nisi necessitate vel infirmitate coactus; sed communem vitam semper in bono sequaris, et omni tempore, quando sanus es. Quadragesimam Epiphaniæ, et aliam Apostolorum, quæ incipit ab Ascensione usque ad Pentecosten, et diem Sabbati semper jejunare procures. Et quando abstinentia tibi importabilis videretur, statim cogita de Jesu, qui cum esset Dominus omnium, in anxietate patibuli est fatigatus, spinis coronatus, clavis perforatus, sitiens potatus est aceto cum felle mixto. Tunc enim talia cogitando, non solum ciborum abstinentias, sed quaslibet asperitates et passiones facile sustinere valebis. Ait enim Gregorius : « Si passio Christi ad memoriam revocetur, nihil adeo durum, quod æquo animo non toleretur. » Abstineas igitur maxime, frater, a cibis delicatis et calidis, qui sunt incitativi ad nutrimentum luxuriæ; et semper in omni cibo et potu superfluitatem et aviditatem devita, ut etiam post comestionem videare esurire, et famelicus esse, si vis in æterno convivio saturari. Ait enim Hieronymus : « Impossibile est enim, ut præsentibus et futuris quis fruatur bonis; ut hic ventrem, et illic mentem impleat, et de deliciis mundi ad delicias angelorum transeat, et in cœlo, et in terra appareat gloriosus. » *Beati* ergo [8] *qui esuriunt et sitiunt* in præsenti, *quoniam ipsi saturabuntur* in futuro.

Meditatio Passionis Christi multum juvat jejunantibus.

[1] *Joan.*, VI, 12. — [2] *Luc.*, XXI, 34. — [3] *Eccli.*, XXXVII, 34. — [4] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. VI, c. XLIII, sent. 1, quoad sensum. — [5] Imo auctor, quisquis ille sit, serm. II, in cap. jej., de Temp. LVI, al. CXLI, n. 4, inter Oper. S. Aug., Append. tom. V. — [6] Bern., *ad Robert. nepot.*, epist. I, n. 11. — [7] *Rom.*, XIV, 3, 6. — [8] *Matth.*, V, 6.

CAPUT VII.

De dormitione.

Semper, cum ad horam perveneris dormiendi, non prævento tempore, primo asperges te aqua benedicta, et tunc vadens ad lectum aliquam orationem præmittas, et facto tibi signaculo crucis in lecto, et te Domino humiliter commendato, honeste et composite jaceas in dextro vel sinistro latere, nunquam tamen supinus, vel aliter inhonestus : nunquam dormias cum manibus in sinu positis, nec cruribus elevatis vel discoopertis; sed semper teneas tunicam inter crura, ut nullus te inveniat inhoneste jacentem. In lecto autem sic positus, dicas Psalmos, vel aliud utile meditare, vel quod utilius est, imaginare Jesum in cruce pendentem. Quod si sollicite agitabis, vix aut nunquam poterit te diabolus molestare, quia per devotam meditationem Jesu, omnis dæmonum exercitus effugatur. Cum autem surrexeris de lecto, statim recurre ad memoriam Crucifixi, ut cum Apostolo [1] nihil scias inter homines, *nisi solum Jesum, et hunc crucifixum.* Ait enim Bernardus : « Totus sit tibi crucifixus in corde, qui pro te fuit fixus in cruce. » Et facto tibi signo crucis, vade ad ecclesiam festinanter, et asperge te aqua benedicta ; et ingrediens ecclesiam dicas [2] : *Introibo, Domine, in domum tuam, et adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo. Domine, deduc me in via tua, propter inimicos meos, dirige in conspectu tuo viam meam.* Cum autem perveneris ad altare, humiliter genuflecte, et Deum adora, et lacrymare, si potes, et facias ibi orationem quam Dominus monstrabit, et recommenda te sibi cum profunda cordis humilitate, et semper sis in ecclesia antequam officium inchoetur, ut congregato animo tuo coram Deo, liberius possis intendere his quæ dices. Omnia servitia quæ facis, semper radicentur in charitate; alioquin non expectes inde meritum apud Deum, quia, sicut dicit Augustinus : « Tanta est virtus charitatis, ut et prophetia, et martyrium, sine ipsa nihil esse credatur. » Celebrantibus autem Missas libentissime servias, cum profunda cordis et corporis humilitate, reverentia et devotione : quia ad illud devotissimum sacramentum nemo debet accedere indevote : nec expectes quod alius te invitet, sed potius tu sollicita sacerdotes, et sis semper sollicitus circa omnia servitia facienda, ne forte tua negligentia (quod absit) impediatur aliquando sacerdos. Alia autem servitia, quæ sunt necessitatis et utilitatis, libentius facias quam alia, sicut est lavare pannos, scutellas, tunicas et pedes infirmorum et aliorum, et capita, cum oportebit, et similia. Cum fueris cum fratribus pro aliquo servitio faciendo, cave ne loquaris ibidem, nisi forte interrogatus, et tunc submisse; sed potius audi tacens, quia, teste Psalmista [3] : *Vir linguosus non dirigetur in terra.* Infirmos vero debes frequenter et sollicite visitare, saltem bis vel ter, cum exhibitione servitii, si oportet, sicut in Regula [4] continetur, quod fratres debent eis servire, sicut vellent sibi serviri : et hoc fiat sine multiloquio, quia, teste Sapiente [5], *in multiloquio non deerit peccatum.*

[1] I *Cor.*, II, 2. — [2] *Psal.* V, 8, 9. — [3] *Psal.* CXXXIX, 12. — [4] S. *Franc. Regul.*, c. 6. — [5] *Prov.*, X, 19. —

CAPUT VIII.

De otiositate fugienda.

Cum otiositas multis sit occasio delinquendi, teste Sapiente, qui ait [6] : *Multa mala* (a) *docuit otiositas*, stude semper in divinis laudibus vel charitatis operibus occupari. Nam otium divina sapientia reprehendit, dicens [7] : *Quid hic statis tota die otiosi?* Nec mirum, quia diabolus frequenter eos præcipitat. Unde Hieronymus [8] : « Semper aliquid boni facito, ut te semper diabolus inveniat occupatum. » In his ergo maxime exerce te,

[6] *Eccli.*, XXXIII, 29. — [7] *Matth.*, XX, 6. — [8] Hieron., *ad Rustic.*, epist. IV, ante med.

(a) Vulg. *multam malitiam.*

scilicet : in frequenti et ferventi oratione, et lectione, et in servitiis : et per ista tria tota vita tua decurrat, et semper ores, aut legas, aut servias, et potissime senibus, forensibus, et infirmis : et factis servitiis non stes cum fratribus otiosus, sed statim vade ad cellam, et ibi ores vel legas, et sta in ea quotidie usque ad tertiam, et non exeas, nisi urgenti necessitate coactus, memorans illud Bernardi, quod « sancti angeli cellas habent pro cœlis, a cella enim in cœlum sæpe ascenditur. »

CAPUT IX.

De honestate.

Cum honestas sensuum exteriorum sit ornativa virtutum, ideo cum omni verbo et actu tuo semper honestatem cum discretione prætendas. Ait enim Apostolus[1] : *Omnia honeste cum ordine* (a) *fiant in vobis.* Si ergo desideras honestatem et felicitatem virtutum invenire, et inventam facile retinere, stude semper habere subscripta. Et primo habeas ferventem et frequentem orationem, de qua dicere poteris illud Sapientiæ[2] : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius.* Deinde stude semper omnia verba otiosa vitare, ut ea non proferas, nec audias proferentes, quia, teste Paulo[3] : *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* Postea inhonestorum et dissolutorum consortia cave. Adulatorum blandimenta deride ; dona contemne ; colloquia susurronum et murmuratorum, bilinguium et detractorum semper abhorre. Nam, teste Scriptura[4], *murmuratores* (b) *et detractores Deo odibiles sunt.* Nunquam loquaris cum aliquo, nisi verbum præmeditatum, ordinatum, utile, et honestum. Duplicitates et simulationes in loquendo semper devita, quia (c) dicit Augustinus : « Omnis simulatio, et omnis duplicitas mendacium est. » Et propterea dicit ipse alibi : « Omnia verba ante veniant ad limam, quam ad linguam. » Ad lavandum paropsides quotidie vade. Insuper non sis murmurator, nec judicator aliorum, nec aliquem de cætero reprehendas, nisi aperte fecerit contra Deum ; sed potius reprehensus statim dicas culpam tuam genu flectens, sive sis culpabilis, sive non. Nam, teste Gregorio[5] : « Bonarum mentium est ibi timere culpam, ubi culpa non est. » Et quandocumque aliquis te offenderit, non respondeas ei ; sed statim recurre ad patientiam, dicens : Dignum est quippe ut omnes creaturæ me offendant, quia ego superbus Creatorem omnium semper offendi, et injuste et frequenter offendo. Et semper, quando vadis in ecclesiam, coram altari, si fieri potest congrue, ingrediendo vel egrediendo, humiliter genuflecte, quia scriptum est[6] : *In nomine Jesu omne genu flectatur.* Iterum, quando vadis per domum, vel extra, semper habeas gressum mitem, manus continentes, oculos demissos, stabiles, non vagantes, quia (c) dicit Isidorus[7] : « Impudicus oculus, impudici cordis est nuncius. » Et quando vides fratres loquentes de aliquo, et non de Deo, vel etiam non de Scriptura, statim recede, maxime si murmurant de aliquo, vel loquantur de guerris. Nam, teste Scriptura[8] : *Lingua eorum gladius acutus.* Et ut melius hæc conserves, stude semper in corde et opere humilitatem habere, quia, ut dicit Gregorius[9] : « Qui cæteras virtutes sine humilitate congregat, quasi pulverem in ventum portat. »

CAPUT X.

De tentatione.

Quia humani generis adversator nititur incessanter per impulsionem tentationum fidelibus obviare latenter, testante Petro[10] : *Adversarius vester diabolus, tanquam leo*

[1] I *Cor.*, XIV, 40. — [2] *Sap.*, VII, 11. — [3] I *Cor.*, XV, 33. — [4] *Rom.*, I, 29, 30. — [5] Greg., *ad August.*, epist. lib. XII, ind. 7, ad 10 interr. — [6] *Phil.*, II, 10. — [7] Est apud Aug., *Reg. ad servos Dei*, n. 6. — [8] *Psal.* LVI, 5. — [9] Greg., *in Evang.*, hom. VII, circa fin. — [10] I *Petr.*, V, 8. — (a) Vulg. *et secundum ordinem.* — (b) Vulg. *susurrones.* — (c) *Suppl.*, ut.

rugiens, circuit, quærens quem devoret: idcirco semper *custodi animam tuam sollicite,* juxta consilium Sapientis[1]. Et semper, quando senseris te hujusmodi tentationibus impugnari, recurre ad Christum. *Fidelis est* enim[2], *ut faciat cum tentatione proventum:* et dicas immediate[3] : *Adjuva me, Domine Deus meus, ne discesseris a me; intende in adjutorium mihi, Domine Deus salutis meæ.*[4] *Libera me de inimicis meis fortissimis, et ab his qui oderunt me.*[5] *Pone, Domine, me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me.* Quia[6] *si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* Et cogita statim, quia propter peccatum privatur quis inæstimabili gloria beatorum, et condemnatur ad horribilissima et infinita supplicia damnatorum. Nam ista duo, si bene habebis in mente, expellent tentationes omnino. Quia (*a*) si tentator adhuc prævalet, cogita frequenter de acerbissima passione Jesu. Nam, teste Scriptura[7] : *Cogitare de ea sensus est consummatus, et qui vigilaverit propter eam cito erit securus.* Et hoc est quod, si bene imprimatur in mente passio Redemptoris, non habebit locum in carne tentatio detractoris : ipsa est enim armatura contra hostes, de qua dicebat Apostolus[8] : *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* Et merito, quia nulla est efficacior medicina, per quam citius inimicorum exercitus debellatur. *Christo,* inquit Petrus[9], *in carne passo, et vos eadem cogitatione armamini.* Hoc ait etiam expressius Bernardus[10] : « Quoties te senseris turpibus cogitationibus impugnari, et ad illicitas cogitationes affici, toties pone tibi ante oculos mentis tuæ, quomodo Christus crucifixus est pro te. Intuere quomodo a Juda Judæis traditus est, quam viliter pertractatus, blasphematus, et colaphizatus, judicatus et condemnatus, expoliatus et flagellatus, et ad ultimum vero contumeliis, et opprobriis affectus, inter duos latrones suspensus, clavis confixus, sputis derisus, spinis coronatus, felle potatus, lancea perforatus. Ex omnibus partibus corporis sanguis emanavit, et inclinato capite emisit spiritum. Ita Redemptor tuus mortuus est pro te in cruce, et tu nescio (*b*) cujusmodi turpi cogitatione sordidaris in mente. »

CAPUT XI.

De familiaritate mundi.

Toto tempore vitæ tuæ studeas, quantum poteris, bono modo familiaritates sæcularium devitare : *generatio enim perversa est, et infidelis,* teste Scriptura[11]. Cum autem fueris cum eis, aliqua necessitate vel utilitate cogente, cave ne unquam loquaris cum eis nisi verba utilia et honesta; et si ipsi loquantur de sæculo, vel de guerris, vel de aliis inutilibus, nunquam sequaris eos, etiam si scieris, dicens cum Propheta[12] : *Non loquatur os meum opera hominum:* et semper sis cum eis timidus, non securus; humilis, breviloquens et honestus : ut impleatur in te illud Evangelii[13] : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Mulieres vero fugias sicut serpentes : et nunquam loquaris cum aliqua, nisi urgens necessitas te compellat : nec usquam aspicias in faciem alicujus mulieris : et si mulier tecum loquatur, verba sua citissime occide; nam, teste Propheta[14] : *Molliti sunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula.* Ideo dicit Augustinus : « Asper sermo, brevis et rigidus cum mulieribus habendus est. Nec quia sanctæ sunt, ideo minus cavendum est : quo enim sanctiores sunt, eo magis alliciunt, et, sub prætexu blandi sermonis, immiscet se viscus impudicissimæ libidinis. Crede (inquit) mihi : Episcopus sum, verita-

[1] *Deut.*, IV, 9. — [2] I *Cor.*, X, 13. — [3] *Psal.* XXI, 12, 13. — [4] *Psal.* XVII, 18. — [5] *Job*, XVII, 3. — [6] *Psal.* XXVI, 3. — [7] *Sap.*, VI, 14. — [8] *Ephes.*, VI, 11. — [9] I *Petr.*, IV, 1. — [10] Imo auctor tract. *de interiori domo*, c. XXII, n. 44, inter apocryph. Bern. — [11] *Deut.*, XXXII, 20. — [12] *Psal.* XVI, 4. — [13] *Matth.*, V, 16. — [14] *Psal.* LIV, 22. — (*a*) *Leg.* Quod. — (*b*) *Ita edit.* 1690, *Oper. S. Bern.; cæt. edit.* nescis.

tem loquor in Christo, non mentior. Cedros Libani, et gregum arietes sub hac specie corruisse vidi, de quorum casu non magis præsumebam, quam Gregorii Nazianzeni et Ambrosii.» Fuge ergo laqueos mulierum, quia [1] non es David sanctior, nec Samsone fortior, nec sapientior Salomone.

CAPUT XII.

De judicio vitando.

Cum non sit commissum alicui occulta cordis judicare, sicut dicit Apostolus [2]: *Nolite judicare, quousque* (a) *adveniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium* : idcirco nunquam te transferas ad aliorum judicium vel contemptum; sed quandocumque videris aliquid fieri quod tibi displiceat, antequam judices facientem, primo respicias temetipsum, utrum in te invenias aliquid reprehensibile : quod si inveneris, tunc in illo, in quo alium judicas, temetipsum condemna, dicendo cum Propheta [3]: *Ego sum qui peccavi, ego sum qui inique egi.* Et non sis sicut hypocrita, qui nunquam respicit defectus suos, sed præsumit de se, et omnes alios judicat, detrahit et condemnat, et vult videre festucam in oculis eorum, trabem autem quæ est in oculo suo non considerat: quem veritas reprehendit, dicens [4]: *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc prospicies, et videre poteris festucam in oculo fratris tui.* Unde versus :

O qui festucam fratris concernis ocello,
Quæ tua conturbat lumina, tolle trabem.

Bernardus dicit [5] : Cave alienæ vitæ esse curiosus explorator, aut temerarius judex, etiam si perpetrat actum quod reprehendas; nec si videris, judices proximum tuum, magis autem excusa. Excusa intentionem, si opus excusari non potest : puta ignorantiam, puta casum, puta surreptionem. Quod si rei certitudo nullam omnino excusationem recepit, suade nihilominus ipse tibi, et dic apud temetipsum : O vehemens fuit prima tentatio, et quid de me illa fecisset, si accepisset in me similem potestatem?» Non sis ergo pronus ad judicandum vel ad murmurandum, sed potius judica, et respice temetipsum dicendo cum propheta [6] : *Iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo.*

CAPUT XIII.

De obedientia.

Quoniam ad viam salutis nihil est tutius, quam per humilem obedientiam negare seipsum, idcirco sequentibus se veritas dicit [7] : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum* per obedientiæ subjectionem, *et tollat crucem suam* per carnis macerationem, *et sequatur me* per finalem consummationem. Et merito invitat eos ad obedientiæ subjectionem, quia per eam habetur mira victoria contra hostes, teste Sapiente, qui ait [8] : *Vir obediens loquetur victorias.* Et quod plus est, ipse Deus per obedientiam vinci potest. Dicit enim Gregorius : « Si obedientes fuerimus prælatis nostris, Deus obediet orationibus nostris. » Et Augustinus [9] : « Citius, inquit, exauditur una oratio peccatoris obedientis, quam decem millia contemptoris. » Item, toto tempore vitæ tuæ studeas omnibus secundum Deum subjacere, et semper humiliter obedire, non solum prælatis, sed etiam subditis; et non cures dicere : Quis est qui præcipit? Ait enim Gregorius : « Non licet subditis discernere, sed statim simpliciter obedire. » Et cave ne unquam per te vel per alios obedientiam extorqueas publice vel occulte, quia talis non dicitur obedire, sed propria voluntate abuti. Ait Bernardus [10] : «Si quis aperte vel occulte satagit ut, quod

[1] Ex Hieron, *ad Nepotian.*, epist. II. — [2] I *Cor.*, IV, 5. — [3] II *Reg.*, XXIV, 17. — [4] *Matth.*, VII, 5; *Luc.*, VI, 42. — [5] Bern., *in Cant.*, serm. XL, n. 5. — [6] *Psal.* XXXVII, 19. — [7] *Luc.*, IX, 23. — [8] *Prov.*, XXI, 28. — [9] Aug., *de Oper. Monach.*, c. XVII, n. 20. — [10] Bern., *de trib. ord. in Eccl.*, serm. XXXV, n. 4.

(a) Vulg. *quoadusque.*

habet in voluntate, hoc et pater spiritualis injungat, ipse se seducit, sed forte sibi quasi de obedientia blanditur, neque enim in ea re ipse prælato, sed ei prælatus obedit.» Caveat ergo talis, quia dicit idem Bernardus[1] : «Nihil ardet in inferno, nisi propria voluntas. Tolle, inquit, propriam voluntatem, et non erit infernus.» Cave igitur in beneficiis tuis ne tuam proferas voluntatem, et maxime cum discordas a voluntate prælati. Nam Bernardus dicit[2] : «Grande malum propria voluntas, qua fit ut bona tua bona non sint.» Et quandocumque aliqua gravis obedientia te conturbat, citissime cogita de Jesu, qui cum esset Rex regum, et Dominus dominantium, *humiliavit semetipsum*, teste Paulo[3], *factus obediens usque ad mortem.* Dicebat enim[4] : *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus, qui misit me, Patris.* Ita dicas, si vis imitari Deum : Exivi de mundo, non ut faciam voluntatem meam, sed aliorum. Qualis autem debet esse perfectus, Bernardus describit dicens[5] : «Verus obediens nescit moram, mandatum non procrastinat; sed statim parat oculos visui, aures auditui , linguam voci, manus operi, pedes itineri, et totum se interius colligit, ut mperantis faciat voluntatem.»

CAPUT XIV.

De paupertate.

Cum paupertas voluntaria sit totius spiritualis ædificii primarium fundamentum, idcirco toto tempore vitæ tuæ in omnibus ransitoriis rebus strictam paupertatem observa, ut nihil sub cœlo habeas, nisi ea quæ necessitati tuæ per Regulam conceduntur. Dicitur enim ibi quod[6] « fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec aliquam rem.» Et merito, quia, teste Joanne[7] : *Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Nam ista transitoria sunt, et contraria æternis. Unde sis semper pauper in terra, si de cœlo desideras te non repelli. Ait enim Gregorius : « Tanto enim unusquisque a superno amore disjungitur, quanto inferius delectatur : e contrario, quantum quis fastidiet terrena, tanto Deo erit propinquior.» Propter quod dicebat Apostolus[8] : *Omnia reputavi ut stercora, ut Christum lucrifacerem.* Unde si vis terrena bona contemnere, semper cœlestia meditare. Ait enim Gregorius[9] : « Si consideremus quæ, et quanta sunt quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia quæ habentur in terris.» *Beati* igitur[10] *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Igitur si per paupertatem terrenorum pervenitur ad gloriam beatorum, stude semper tenere strictissimam paupertatem, maxime in libris, et soleis, et tunicis, ut eas non habeas, nisi sicut tuæ necessitati stricte videris expedire; neque superflua necessaria dicas, sed potius ipsa necessaria superflua time (*a*). Ait enim Gregorius : «Et (*b*) solis necessariis utimur, probabitur multa superflua in vestris facultatibus habuisse[11].» Unde nihil habeas, nec per te, nec per interpositam personam; et attende semper ut nihil habeas in cella, nisi necessaria : et hoc dico etiam de minimis rebus, ne forte[12] negligendo modica, paulatim cadas ad majora. Ait enim Augustinus[13] : « Vitasti grandia, cave ne obruaris arena,» quia, teste Scriptura[14] : *Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam; et qui tenuerit eam, beatus.* Unde si sanctam paupertatem finaliter retinebis, ad regnum cœlorum poteris pervenire, quia ita veritas repromisit perfectis pauperibus, dicens[15] : *Beati, pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei.* Quod quidem regnum tanto est utilius, quanto fœcundius; tanto secu-

[1] Bern., *de resurr. Dom.*, serm. III, n. 3. — [2] Id., *in Cant.*, serm. LXXI, n. 14. — [3] *Philip.*, II, 8. — [4] *Joan.*, VI, 38. — [5] Bern., *de virt. obedient. et ej. gradib.*, serm. XLI, n. 7. — [6] S. Franc. *Reg.*, c. VI. — [7] I *Joan.*, II, 16. — [8] *Philip.*, III, 8. — [9] G eg., *in Evang.*, hom. XXXVII, n. 1. — [10] *Matth.*, V, 3. — [11] Mutile citatus videtur hoc loco Gregorius. — [12] *Eccli.*, XIX, 1. — [13] Aug., *Enarr. in Psal.* XXXIX, 13, quoad sensum. — [14] *Prov.*, III, 18. — [15] *Luc.*, VI, 6.

(*a*) *Leg.* æstimes. — (*b*) *Leg.* Si.

rius, quanto sublimius; tanto jucundius, quanto lucidius; tanto nobilius, quanto a nobilioribus possidetur : ad quod nos perducat, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum.

CAPUT XV (*a*).

De silentio.

Quia divina consolatio sæpe per (*b*) multiloquium denegatur, toto tempore vitæ tuæ tene strictum silentium in locis et temporibus opportunis, et ad hoc ordinatis. Nam, teste Scriptura [1] : *In silentio, et in spe erit fortitudo nostra.* Et sileas semper, ubicumque fueris, in divino officio celebrando, in quolibet servitio faciendo, et ubicumque fuerint ultra tres fratres. A Completorio quotidie usque ad Tertiam non loquaris, nisi interrogatus, vel aliqua necessitate, vel utilitate coactus. Nam, sicut dicit Gregorius [2] : « Mens quæ non habet murum silentii, de facili penetratur jaculis inimici. » Et ideo dicit Augustinus : « Mutum, inquit, debet esse os hominis, nisi ad tria, scilicet ad laudem Dei, ad accusationem sui, et ad utilitatem proximi. » Sileas igitur, ita ut nunquam verba detractionis, vel dissolutionis, vel inhonesta loquaris, sciendo, quod non solum de verbis otiosis, nocivis, et periculosis oportebit te reddere rationem, sed [3] *de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicii*, secundum sententiam Salvatoris. Ideo dicit Propheta [4] : *Lætati sunt quia siluerunt.* Unde, si bene vis fugere verba nociva supradicta, primo reprimes otiosa. Ait enim Augustinus : « Qui otiosa verba non reprimit, ad noxia cito transit. » Ideo dicit Sapiens [5] : *Fili, loquere in tua causa vix; et cum bis interrogatus fueris, responsum habeat caput tuum.* In hoc autem potissime sileas, ut nunquam loquaris de sæculo, nec de guerris, nec audias referentem, cum id sit venenum mortiferum animarum. De talibus enim dicitur in Psalmo [6] : *Linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum.*

[1] *Isa.*, XXX, 15. — [2] Greg., *Moral.*, lib. VII, c. XVII, n. 59. — [3] *Matth.*, XII, 36. — [4] *Psal.* CVI, 30. — [5] *Eccli.*, XXXII, 11. — [6] *Psal.* V, 10.

(*a*) *Cæt. edit.* XXV. — (*b*) *Leg.* propter.

BREVIS ET UTILIS DOCTRINA JUVENUM (a)

In conventu Fratrum Minorum, Parisiis conversante bonæ memoriæ fratre Bonaventura tunc generali Ministro, et post Cardinali, frater juvenis, studens ibidem, bonæ indolis, et ei satis familiaris, accessit ad eum semel, et devote rogavit, ut sibi exponere dignaretur, quo juventus sua posset in ordine conservari sine macula et querela, et ad vitam æternam proficere. Qui magno cum quodam suspirio sic respondit :

Sex documenta assidue recolenda.

Fili mi juvenis, si vis sine macula, et sine labe infamiæ conservari in religione, sex tibi mandata recole, et incessanter repone quæ documentis, et exemplis sanctorum Patrum accepimus. Primo circa orationem, et sanctorum lectionem semper vigila : quæ duo ut perficere possis, et non perdere, ecclesiam valde frequenta, die et nocte cellam continua super omnia, ita quod extra eam, vel ecclesiam, nunquam inveniaris cum aliquo otiosus in via, vel in platea; sed semper, finito officio, vel finita comestione, vel servitio, vel alterius obedientiæ mandato, sine aliqua mora regrediaris ad cellam oculis inclinatis, et ibi redigas te. Secundo, circa honestatem cordis et omnium sensuum corporis tui super omnia stude : quæ duo ut valeas adimplere, nunquam cum aliqua persona spiritualem familiaritatem habeas, sed omnibus sis communis, ita quod nullus possit advertere te, nisi communem, et nulli specialem, modo jam dicto. Tertio, circa custodiam linguæ studiosissimus esto, ita quod quando stas cum aliis, nunquam loquaris nisi necessaria, et tunc non nisi requisitus. Nec laudes aliquem, nec vituperes absentem, vel præsentem quantocumque audias alios similia dicentes. Quarto, sis summe sollicitus, ut nunquam referas, vel loquaris cum aliquo de his quæ audis de aliis, nisi illa sint ædificatoria. Quinto, versetur ad cor tuum frequenter memoria beneficiorum Dei, et peccatorum tuorum, et desideriorum paradisi, et pœnarum inferni, etiam omnium qui sunt in tribulatione constituti, et etiam miseriarum mundi. Sexto, sis sollicitus non judicare in corde tuo, vel ore, nisi teipsum. Hæc faciens, salvaberis inter homines.

(a) Hunc titulum minime, imo nullum præ se ferunt cæt. edit.

DE PROFECTU RELIGIOSORUM [1]

LIBER PRIMUS

PROLOGUS

Collationes meas, quas pro exhortatione ad novitios nostros, vel ad alios religiosos aliquando facere solebam, simul pro aliqua parte collegi, et in unam continuam materiam, quasi profectus spiritualis formulam ordinavi tribus de causis. Una, ut eisdem novitiis nostris, quibus priorem formulam scripseram de exterioris hominis compositione, tam intra domum quam extra, etiam de interioris hominis reformatione aliqualem notitiam ostenderem ad profectum : quæ reformatio consistit in vitiorum expugnatione, et virtutum assuefactione, ut et mores et omnes affectus et sensus interiores, prout est possibile, Deo conformentur. Altera causa est, ut ea quæ religiosis prædicare solebam, simul collecta promptius, si quando indiguerim, sub compendio invenirem. Propter quod etiam per plures particulas istam divisi formulam, et per capitula singulas particulas distinxi, ut facilius invenirem quæ quærerem. Tertia, ut interim dum ista scriberem vel legerem, tempus non inutiliter expenderem, memoriam spiritualibus cogitationibus occuparem, intellectum ad videndum clarius interna spiritualis studii secreta dilatarem, affectum ad virtutis profectum et devotionis fervorem accenderem, corpus ab evagationis discursu restringerem, negligentias et peccata mea hujusmodi labore purgarem, et ut quæ meditando inveni, scripta legerem, ne oblivio aboleret. Et quia non potui in otio et quiete ista colligere, sed vagando per diversas terras, vix vel raro propter multas occupationes habui opportunitatem scribendi modicum, ideo multa non ibi posui ut volui : quia distractus animus ad plura, non valet subito se ad unum plene colligere, qui etiam cum jam aliquantulum se cœperit congregare, statim cogitur iterum ad illa foras egredi, et, se relicto, ea quæ vix videre incœperat oblivisci : sicut qui de foris veniens internam cellam ingreditur, si diutius ibi moratur, incipit clarius videre quæ prius non vidit; si autem citius exeat, iterum ad ea videnda cæcatur. Quidquid igitur ibi reprehensibile videatur, ignoscatur imperitiæ meæ, excusetur præsumptio : cum hoc non tantum pro aliis, sed etiam pro me principaliter, et pro novitiis et rudibus in via Dei, meique similibus, intenderim inchoare.

Causas explicat hujus operis.

[1] *Cf.* Edit. Vat., an. 1596, tom. VII, part. IV, pag. 595; edit. Ven., an. 1611, 5; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, pag. 578; edit. Ven., an. 1756, tom. XIII, pag. 73; Bibl. PP. Lugd., 1677, pag. 881, ubi pro titulo habet : *Formula novitiorum de interioris hominis reformatione*, nec legitur : *Liber primus.*

ALIUS PROLOGUS

In priori Formula Novitiorum, quam quibusdam novitiis nostris scripsi de exterioris hominis compositione, aliquam formam eis proposui, secundum quam se regerent tam in domo quam extra. Nunc de interioris hominis, id est, mentis reformatione, ad quam omnis vera religio ordinari debet, aliqua eisdem, sicut promisi, tradere dispono, verbis indoctis et materia inordinata. Est autem ratio quare corporalis exercitatio præcedit spiritualem : quia homo ab intimis et summis cadens per peccatum, in hæc exteriora et visibilia dilapsus est. Et quia jam non intelligit nisi corporalia, ideo ibi primo nititur resurgere ubi jacuit, et paulatim erigere se ad spiritualia et divina, ad quæ conditus fuit. Ideo quamdiu religiosus nondum incœperit intelligere et sapere quæ sunt Spiritus Dei, sed in exterioribus observantiis adhuc putat totum constare quod ad veram religionem pertinet, novitius est, etiamsi pluribus annis stetit in habitu religionis. Imo, juxta Apostolum [1], *animalis* dicitur, qui *nondum percipit ea quæ sunt Spiritus Dei : stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur*. Ex hoc perpende, duos esse novitiatus in religione. Unus terminatur, quando, completo tempore probationis, promittit obedientiam et stabilitatem in ordine per verba. Alter durat, quousque religiosus statum bene vivendi in consuetudinem convertit : quod tunc fit, cum tam verbis, quam factis promittit se stabilem in ordine permansurum. Quamdiu enim fluctuat mente, et nondum stabiliter apprehendit viam studii spiritualis, et modo vult hoc, modo illud, nesciens quid potius eligat, incipiens est, nondum proficiens. Stet tamen constanter in bona voluntate, et attendat quare venerit, et ad quid, et opus jungat voluntati : et cito incipiet videre viam qua pergat ad Deum.

Novitiatus du

CAPUT PRIMUM.

De quatuor cautelis Novitiorum.

Prima cautela, ut primus novi iorum fervor non extinguatur.

Quatuor autem sunt in quibus novi et incipientes cauti debent esse, si volunt proficere. Primum, ut ab illa voluntate, qua ad religionem venerunt, et a primo novitiatus fervore non tepescant, sicut quidam in *Apocalypsi* improperatur [2] : *Habeo adversus te pauca, quod charitatem primam reliquisti : quapropter pœnitentiam age, et prima opera fac*. Charitatem primam relinquunt, qui cum primo sint ferventes et devoti ad omnia, postea tepidi effecti et desides, tradunt se levitatibus, et vitia, quæ expugnare venerant, permittunt sibi dominari, servientes Deo pro suo libitu, non pro ejus beneplacito voluntatis. Unde Dominus filiis Israel præcepit [3] : *Mementote diei hujus, in qua egressi estis de Ægypto*. Dies qua de Ægypto egredimur, est bona voluntas qua educimur de sæculo. Hujus semper meminisse debemus, ut a fervore illius nunquam retrocedamus. Unde quidam volens religionem ingredi de sæculo, quæsivit a quodam sancto patre quomodo vivere deberet [4]. At ille dixit ei : « Vide qualis primo die fueris, et sic semper vive. » Hoc est, considera statum voluntatis tuæ in prima die qua religionem intrare disposuisti : quam humilis tunc fueris; quam paratus tunc obedire ad omnia, tam aspera, quam despecta, quam patiens ad correctiones, et penurias (*a*) et labores; quam verecundus et timoratus; quam sollicitus ut emendares vitam tuam, et etiam dies quos in sæculo perdidisti recupe-

Agathonis Abbatis consilium

[1] *I Cor.*, II, 14. — [2] *Apoc.*, II, 5. — [3] *Exod.*, XIII, 3. — [4] *Vit. Patr.*, lib. IV, part. X, c. III.

(*a*) *Al.* pœnitentiam.

rares; quam parum curans rumores sæculi quærere, vel referre; nec detractionibus intentus, nec aliquibus curiositatibus occupatus; et quomodo fugisti et abjecisti omnes carnales affectus, et effectus; et te totum obtulisti Domino holocaustum vivum, ut nihil deinceps in te vivat de vita peccati, sed tota mactetur et immoletur Domino obedientiæ ferro per sacerdotis ministerium, id est, prælati tui. Secundum hanc formam semper postmodum stude vivere, ne aliter in schola religionis dediscere et retrocedere magis, quam proficere, videaris. Sicut illi qui vadunt ad studium litterarum, et tempus vane consumentes redeunt domum, expensas solum computant consumptas, quia quid profecerint non apparet; sic et nos quando tempus in religione expensum computamus, et profectus virtutum exiguus est, cum forte in novitiatu devotiores et ferventiores fuerimus, quam post plures annos. Hoc enim est verecundum, et valde nocivum. Ad Hebræos [1] : *Cum deberetis magistri esse virtutum propter tempus, quo diu in religione fuistis, rursum indigetis, ut vos doceamini, quæ sunt elementa exordii sermonum Dei :* et necesse habetis doceri sicut rudes novitii, quomodo incipiendum esset servire Deo, et facti estis qui mollibus blandimentis puerilium consolationum et carnalium foveri indigeatis, et fortia exercitia virtutum pati non valeatis in duris reprehensionibus et contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus pro Christo. *Omnis enim* [2] *qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ : parvulus enim est* tam meritis quam virtute. Secundum est, a quo incipiens debet esse cautus, ne moveatur malis exemplis tepidorum ad imitandum ea : sicut quidam infirmi spiritu, videntes alios apud se desides in servitio Dei, otiosos et verbosos, elatos et rebelles, ambitiosos et aliis modis vitiosos, dicunt apud semetipsos : Si aliis hoc licet, quare non et mihi? Et proniores ad malum, exemplum sumunt de his quos deteriores vident, et gaudent se socios invenisse vitiorum, ne soli possint erubescere, quia si parcitur aliis, volunt et sibi in similibus parci. Contra hoc devotus Dei servus apud se respondere debet : Ego veni pure pro Deo, non pro aliquo alio : et ideo nolo aliquem sequi ad hoc, ut a Deo retrocedam : quia si tantos hic dyscolos scivissem, nunquam societatem eorum elegissem. Unde solus illos imitari debeo qui ad hoc informant me, propter quod religionem intravi, id est, ut apprehendam Deum, et satisfaciam ei de peccatis meis, ut promerear gloriam sempiternam. Pictor et artifex, notabile opus volens facere, quærit non alia, quam meliora exemplaria quæ potest habere; et viator non quærit viam ab ignorantibus, sed a scientibus eam. Ideo noli imitari malum, sed bonum. Tertium est quod cavere debet, ne judicet temere facta aliorum, maxime ubi nescit qua de causa vel intentione fiant. Sicut enim non videmus aliorum cogitationes, ita nec intentiones eorum, quare hoc, vel hoc fiat. Unde quidquid aliquo modo potest excusari, semper ad meliorem partem interpretemur, si volumus tranquillum cor nobiscum habere, et cum aliis, et alios non turbare, et Deum non offendere : quia sæpe judicamus malum esse quod in se non est malum, et peccamus per temeritatem, usurpando nobis judicia Dei de occultis cordium. Magistri nostri, vice Dei, aliquando id possunt judicare per conjecturas circumstantes: alios non expedit per nos esse judicandos, donec plene eruditi in omnibus per donum discretionis spirituum, et vere spirituales effecti [3], omnia dijudicemus, et nos a nemine judicemur : sicut clare videns cæcum videt, nec tamen a cæco videtur, cum cæcus non videat seipsum. *Ad Romanos*, XIV [4] : *Tu quis es, qui judicas alienum servum? suo domino stat aut cadit.* Sæpe enim merentur temerarii judices aliorum, ut aut in similibus, aut gravioribus excessibus cadere permittantur, ut discant, ex sua infirmitate, compati alienæ.

Simile.

Simile.

Tertia cautela, nemi-nem ju-dicare.

Secunda cautela, ne quem permo-veant mala exempla

[1] *Hebr.*, V, 12. — [2] *Ibid.*, 13. — [3] *Cor.*, II, 15. — [4] *Rom.*, XIV, 4.

Lucæ, VI [1] : *Nolite judicare, et non judicabimini*, etc. Est tamen differentia inter timorem et suspicionem, temerarium judicium et justum. Timor est secundum istam acceptionem, quando nihil mali suspicor de aliquo, timeo tamen, quod malum, quod nondum evenit, possit evenire, nisi caveatur: sicut, cum obfirmantur seris monasteria, et juvenes prohibentur ab incautis familiaritatibus, non quia malum jam velle facere præsumantur, sed timetur mali occasio, si non præcaveatur. Suspicio est, quando sine rationabili præsumptione reputo aliquod factum esse malum, vel aliquem velle male facere, et non est ita. Hoc vitium est etiam sæpe peccatum. Judicium temerarium est, quando credo aliquid factum mala intentione, quod potuit et alia fieri intentione, cum actio sit in se indifferens. Et hoc vitium est, quia cordis intentio judicatur quæ soli Deo est manifesta. *Jeremiæ*, XVII [2] : *Ego Dominus, scrutans corda et probans renes*. Justum judicium est, quando inexcusabilibus (*a*) conjecturis aliquid discernitur esse malum, vel quando ipse actus est in se malus et illicitus : ut cum video aliquem hominem occidere injuste, vel tales conatus ad peccatum, qui semper sunt illiciti et incongrui. Quartum, in quo cauti debent esse novitii, est, ut non frangantur adversitate vel tentatione; sed cogitent, quia ad hoc venerunt, ut omnia, quæ eis in hac vita possunt accidere, sustineant propter Deum, sicut qui intrat bellum, scit quod non quietem et delicias, sed laborem et vulnera oportet eum expectare. Unde et in *Ecclesiastico* [3] : *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem; deprime cor tuum, et sustine*. *Actuum* XIV [4] : *Oportet nos per multas tribulationes intrare in regnum Dei*. *Lucæ*, XXIV [5] : *Oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam*. Ergo adversitas est via ad regnum Dei; et qui recusat viam, recusat ad regnum pervenire.

Timor.

Suspicio quid.

Judicium temerarium.

Judicium justum.

Quarta cautela : non frangi aliqua adversitate.

[1] *Luc*, VI, 37. — [2] *Jerem.*, XVII, 10. — [3] *Eccli.*, II, 12. — [4] *Act.*, XIV, 21. — [5] *Luc.*, XXIV, 26.

(*a*) *Leg.* irrecusabilibus. — (*b*) *Cæt. edit.* moribus.

CAPUT II.

De quatuor tentationibus.

Tentatio autem quadruplex est, quasi quatuor venti a quatuor plagis flantes, qui movent tempestates in hoc mari hujus sæculi, et navem cordis quassant et jactant fluctibus. A carne, a mundo, a diabolo, et Deo procedunt tentationes.

Primo a carne tentamur, quando naturalibus vitiorum motibus (*b*) ad peccandum sollicitamur : ut cum luxuria vel gula nos tentat. Item a carne tentamur, quando delicata caro nostra horrendo labores retrahit nos, ne in studiis spiritualibus et virtutum conatibus, sicut expedit, exerceamur. Et sic dupliciter impugnat nos caro, dum aut appetit mala, aut retardat ad bona. Licet autem ira, et invidia, et inanis gloria non videantur esse in carne, sed in spiritu, tamen a carnis corruptione trahitur corruptio spiritualium affectionum. Et licet dicatur, quod dæmones hujusmodi vitia suggerant hominibus; tamen nos habemus tentationum materiam intra nos, ut etiam si non adessent dæmones, ipsa tamen concupiscentia nostra pareret peccatum, si ei consentiretur. In nobis est omne quo peccamus. Cogitationes enim et mentis affectiones, et voluntates, et membra corporis nostri, illa sunt quibus meremur et demeremur. Ista dedit nobis Creator quasi quædam instrumenta virtutum, quibus bona opera faceremus, et mansiones nobis in cœlo ædificaremus, et ipsi Creatori nostro militando per ea, quasi armis muniti, hostem nostrum diabolum impugnaremus. Ipse vero diabolus contra nos inermis est; et solis astutis suggestionibus nos impugnat, suadendo ut peccemus, non cogendo. Benignus enim Conditor noster non dedit hosti nostro posse nos vi ad peccatum impellere, quia nimis fortis esset contra nos fragiles, et vix possemus sine peccato

Tentat a carn

In no est o ne, q pecc mus.

Hos nost inern est, nos gere quit.

subsistere; sed tantum permittit eum nobis mala suadere. In nostro autem arbitrio est[1], si velimus ei consentire. Insuper præmunit nos ponens inimicitias implacabiles inter serpentem et hominem[2] : ut quidquid suaderet nobis, non reciperemus quasi utile, scientes quod nunquam dabit nobis fidele consilium tam crudelis inimicus noster, cui nihil sufficit de nobis citra æternam damnationem nostram. Cum ergo suadet nobis peccatum, quodammodo exigit a nobis, ut præstemus ei arma nostra, quibus nos occidat ; vel ut ipsa arma, si ei præstemus, hebetet et retundat, ut nobis minus apta fiant et utilia, et minus acuta et efficacia ad ipsum per ea impugnandum. Verbi gratia : cum immittit nobis cogitationes perversas, et suadet ut malum faciamus, vel loquamur, nonne quasi aperte videtur homini dicere : Inermis sum ego contra te, non habeo unde te lædere possum, nisi tu præstes mihi arma tua, ut te vulnerem et occidam? Præsta ergo mihi cor tuum ad pravas affectiones vel cogitationes malas, linguam ad loquendum iniqua, et manus et alia membra ad actiones et opera prava, quibus lethale vulnus in anima accipias, et gratiam Domini Dei tui perdas, et gloriæ cœlestis merito spolieris[3]. *Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato; sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma justitiæ Deo.* Stultus vero est, qui ei consentit ad hæc damna sua; et sibimet imputet potius quam inimico suadenti, qui more hostis hostiliter secum agit.

entatio mundo

Mundus etiam dupliciter tentat nos : sive offerendo nobis ea quibus ad se alliciat, scilicet honores, divitias, voluptates, curiositates, adulationes, et hujusmodi; sive quibus nos terreat, ut persecutiones, contumelias, et similia. Utroque modo multos retrahit a Deo, quos aut amore sui, aut malo timore retinet in peccato.

entatio iabolo

Diabolus vero licet in omnibus tentationibus tentator soleat esse, tamen specialiter duabus tentationibus infestat nos, et maxime magis probatos in servitio Dei, cum aut fidem veram conatur nobis auferre, et spiritu blasphemiæ subvertere, et hujusmodi cogitationibus nos infestat, quas naturaliter abhorremus, ut desperatione, vel nostri occisione et similibus, licet quandoque et aliis ex causis ista proveniant; aut cum mala sub specie boni persuadet, quo improvidos, quos aliter non potest decipere, callide supplantet, et a bono dejiciat. Et hoc est quod in Psalmo dicitur[4]: *Dæmonium meridianum*, vel juxta Apostolum[5], *Angelus Satanæ qui transformatur in angelum lucis*, quia cum sit princeps tenebrarum, et auctor malorum, ut astute noceat, simulat se bona docere, et quasi lumen ostendere, ut ad tenebras peccati perducat.

Tentatio a Deo.

Deus autem nunquam tentat in malo, quia non lætatur in perditione nostra, qui[6] omnes homines vult salvos fieri. Sed tamen dicitur quandoque tentare aliquos, cum aut flagellat eos in præsenti ad profectum eorum et aliorum exemplum, sicut Job et Tobiam; aut cum probat eos aliquibus arduis virtutum exercitiis, sicut tentavit Abraham[7], jubens eum immolare unigenitum suum, hæredem divinæ repromissionis : ut ostenderetur magna devotio obedientiæ Abraham, et fidei[8] ad Deum, quia nec hoc modo hæsitavit de ejus promissione, quin impleret etiam de occiso, sicut pollicitus erat ei.

Tentationes quomodo vincendæ.

Harum tentationum oportet nos quasdam maxime resistendo superare, ut spiritualia vitia, scilicet iram, acediam, superbiam, et invidiam; quasdam vero fugiendo melius evadimus, quam pugnando; ut luxuriam, gulam, avaritiam : licet etiam pugna contra eas sit necessaria. Sed tamen non est tutum diu cohabitare serpenti : nam multo tutior est castitas longe a mulierum frequentia semota, quam in medio earum. Facilius etiam abstinemus a delicatis cibis et potu, vel ab

[1] *Gen.*, IV, 7. — [2] *Gen.*, III, 15. — [3] *Rom.*, VI, 13. — [4] *Psal.* XC, 6. — [5] II *Cor.*, XII, 7. — [6] I *Tim.*, II, 4. — [7] *Gen.*, XXII, 1 et seq. — [8] *Rom.*, IV, 17, 19.

eorum superfluitate, quando non videmus nec habemus, quam cum eis abundamus : et qui omnia reliquit propter Christum et voluntariam paupertatem elegit, minus infestatur a curis avaritiæ, quam qui retinet divitias, semper anxius quomodo eas augeat et servet. Spiritualia autem vitia, etsi quandoque ex fuga videantur quasi remissius et rarius infestare, dum deest occasio impugnandi, tamen postea orta occasione durius ferire solent; sicut leo diu catenatus amplius fremit, cum fuerit emissus. Tentationes vero contra fidem, et de spiritu blasphemiæ, et similes, nec fugere possumus, nec repugnando vincere, quia quanto plus indignamur nobismetipsis, et disputamus cum eis, tanto magis refricatur earum rabies et accenditur. Sed nec curandæ sunt, nec timendæ : tantummodo non consentiatur eis, et patienter earum infestatio quasi quoddam diabolicum susurrium supportetur, quod aliter compesci non potest. Non solent bonis periculosæ esse tales tentationes, sed sunt sæpe præsagia futuræ amplioris gratiæ consolationis, et vitiorum purgatrices, et magni meriti operatrices. Divinæ vero castigationes humiliter et patienter tolerandæ sunt, et jussionibus ejus devote obtemperandum est, ut et fortes simus in fide, et a mandatis ejus nunquam declinemus. Possent etiam plures tentationum species inveniri a studiosis; sed ad præsens ista sufficiant. Sunt tamen quidam qui sibimet texunt laqueos tentationum, priusquam tentator accedat, et quodammodo procurant sibi unde tententur ; ut qui sponte cogitationes pravas versant in corde. Et hæ sunt in tantum validæ, quod postmodum in delectationem versæ, et roboratæ, difficulter expelluntur. Item illi qui familiaritates incautas fœminarum admittunt, quarum affectus ita imprimitur cordi, ut vix postea evellatur : et ita de similibus. Aliqui sibimet assumunt materiam, unde postea occasionaliter oritur eis turbatio et tentatio periculosa. Quidam vero, non habentes causam tentationis, ex sola suspicione vana somniant sibimet tentationis procellam, et hoc fit aliquando inter imperfecte bonos, inter quos fit turbatio et contentio; non de radice malitiæ, sed ex sola vana suspicione, dum uterque nullius odii sibi conscius est adversus alterum, nec intendit eum in aliquo lædere; sed suspicatur alterum erga se invidia stimulatum incedere, et ei insidiari, cum tamen hoc in nullo recolat se erga eum meruisse. Ille vero e contra nihil sibi conscius de his conqueritur, quod iste sibi injurietur sine causa : et incipit etiam ipse facta alterius ponderare, quasi adversarii sui : et sic uterque inflammatur odio contra alterum, cum neuter voluerit lædere, sed tantum suspicatus sit, et vane, quod alter alterum voluerit lædere sine causa. Et ita quandoque gravis turbatio oritur de modica scintilla, diabolo eam ad magnum ignem rancoris et odii conflante. Qui ideo imperfecte boni dicuntur, quia in eo sunt aliquatenus boni, quod non intendunt proximo suo malum facere; et in eo a bonitate deficiunt, quod nimis proni sunt de alio malum suspicari sine causa sufficienti; et in eo efficiuntur minime boni, quod ex quacumque causa ad odium contra fratrem et proximum provocantur.

Tentationes blasphemiæ non curandæ

Suspicio tentationes generat

CAPUT III.

De tribus generibus religiosorum.

Tria sunt autem genera religiosorum. Primi boni, secundi meliores, tertii optimi. Hi signantur per tres familias Levitarum, Gersonitas, Meraritas, Caathitas[1], qui præ cæteris filiis Israel deputati erant ad cultum sanctuarii, sicut religiosi præ cæteris fidelibus in Ecclesia specialius videntur divino cultui mancipati, differentes tamen habentes donationes, secundum gratiam quæ data est eis, et secundum quod quilibet studuerit proficere ad virtutes. Nam secundum quod quisque se humiliat, aut habilitat ad gratiam per studium virtutum, juxta hoc in-

[1] *Num.*, IV, 2, 27, 29.

funditur ei spiritus gratia in præsenti, et gloria in futuro dabitur ei. Si summos in virtutibus fueris imitatus, cum summis in gloria collocaberis; si medios, cum eisdem locaberis; si infimos, etiam cum infimis poneris. Omnes alta desideramus præmia; sed pauci perseveranter student ad alta virtutum exercitia. Gregorius [1] : « Ad magna præmia perveniri non potest, nisi per magnos labores. » Nota quod non dicit *per graves labores*, sed *per magnos*, id est, ad virtutes magnas promoventes, vel magnæ utilitatis, et si non semper magnæ austeritatis. Gustata namque utilitas et suavitas virtutis, lenit pondus laboris. Primi religiosi designati sunt per Gersonitas, qui in profectione castrorum portabant cortinas, et tectum tabernaculi, et vela, et quæque tactu mollia, et in erectione castrorum ad occidentem post tabernaculum castrametabantur. Tabernaculum est vita Jesu Christi, et morum ejus conversatio, quam nemo pene in hac vita valet imitando portare, cum ipse *non ad mensuram* [2] acceperit spiritum sanctitatis et sapientiæ; sed omnem *plenitudinem* [3], de qua *nos omnes accepimus* particulariter, secundum mensuram donationis Christi, alius quidem sic, alius vero sic, dum unus imitatur eum in hoc dono, alius in alio, donec omnes in patria *occurramus in virum perfectum et mensuram ætatis plenitudinis Christi* [4] : ubi quisque lætabitur in cœlesti mansione secundum meritum suum et studium, quo hic vitam Jesu Christi fuerit imitatus. Primi igitur religiosi fugiunt ardua et austera studia sanctitatis; sed levia exercitia assumunt, et laxam vitam servant quoad corporis commoda, quantum licet salva salute : quibus sufficit, quod tantummodo caveant a peccatis mortalibus. Et tales proclives magis sunt ad lapsum peccati, quia, sicut dicit beatus Gregorius [5] : « Illi soli in illicita non cadunt, qui se etiam a licitis restringunt. » [6] *Arcta est via quæ ducit ad vitam*, et alta : et qui incaute et minus trepide per eam incedit, cito pedem in præcipitium ponit. Solent tamen, ut religiosi videantur, aliquando sibi ipsis magnam vim facere, et diligentiam habere in exterioribus observantiis, et traditionibus humanis et honestatibus forinsecis, inclinationibus, et pulsationibus, in amplis cucullis, manicis et hujusmodi, quibus speciem religiositatis exterius repræsentant. Unde Gersonitæ, qui interpretantur advenæ [7], extrema tabernaculi portabant, scilicet tectum, cortinas, et funiculos, quia novi in religione pro magno habent prædictas observantias studiose observare, quamdiu meliora virtutum studia non cognoscunt. Hæc autem, secundum Domini sententiam loquentis ad Pharisæos [8] de minutis talibus cærimonialibus observantiis, *oportuit facere, sed illa* meliora *non omittere* (*a*). In erectione tabernaculi isti Gersonitæ ad occidentalem plagam, post tabernaculum, castrametabantur, quia qui hic extrema in exercitiis virtutum servare contenti sunt, in futuro cum postremis, et quasi in occasu solis, in humiliori gloriæ splendore locabuntur. Secundi religiosi designati sunt per Meraritas, qui interpretantur amari [9] : et portabant tabulas tabernaculi, et columnas, et vectes, et illa maxime quæ dura erant, et media inter cortinas et sanctuarium. Hi sunt, qui duram vitam in corporali exercitatione servant, affligentes corpora sua jejuniis, vigiliis, et aliis laboribus corporalibus, et putant hoc summum in religionis observantia esse : interioris dulcedinis ignari, de veris virtutum studiis, quæ in spiritu et mente sunt, parum curant. Hi, quia in se sicci sunt, et aliis in judicando severi esse solent, bene amari seu amaricantes dici possunt. Et quia medium hic inter extremum et optimum, in studio

Gersonitæ quos designent religiosos.

Meraritæ quos designent.

[1] Greg., *in Evang.*, hom. XXXVII, n. 1. — [2] *Joan.*, III, 34. — [3] *Joan.*, I, 16. — [4] *Ephes.*, IV, 13. — [5] Greg., *Moral.*, lib. V, c. VII, al. XI, n. 17. — [6] *Matth.*, VII, 14. — [7] גֵּר, Peregrinus. — [8] *Matth.*, XXIII, 23. — [9] A verbo מָרַר, Amarum esse.

(*a*) *Cæt edit.* mittere.

virtutum, statum habuerunt, in erectione sanctuarii non post ipsum, sed ex latere ad aquilonem locum mansionis sortiuntur, ubi minor calor solis, et lux, quam in australi parte sentitur : ut quantum defuit eis de perfecto virtutum studio, tantum illic desit eis in fulgore gloriæ et divinæ fruitionis ardore. Tertii religiosi, qui et optimi, designari possunt per Caathitas, qui portabant ipsum sanctuarium, id est, arcam et altare, et mensam propositionis cum vasis suis, involuta tamen et cooperta. Hi sunt, qui student *interiorem hominem* [1] suum, in quo Christus *inhabitat per fidem,* componere, et ad veras virtutes se exercere, et vitia carnis et spiritus extirpare, iram, invidiam, avaritiam, acediam, superbiam, gulam, luxuriam viriliter expugnare; et his contrarias virtutes cordi inserere, humilitatem, charitatem, mansuetudinem, devotionem, largitatem, sobrietatem, castitatem. Istæ enim virtutes sunt verum sanctuarium; et qui habet eas, sanctus est. Unde Caathitæ interpretantur patientes vel componentes [2], quia per patientiam, quæ teste Jacobo [3] *opus perfectum habet*, componunt se et ordinant ad Deum et ad proximum in virtutibus, sicuti debent. Prioribus duabus familiis jussit Dominus dari plaustra; hi vero, qui serviunt in sanctuario, onera propriis portabant humeris, quia tam in humanis ordinationibus, quam in castigatione corporis permittitur aliqua remissio, vel etiam intermissio, imo jubetur, ut in talibus sit [4] *rationabile obsequium* nostrum pro loco et tempore, ne corpus deficiat sub onere laboris; sed in virtutum studiis nulla remissio datur, quia nunquam indulgetur nobis ut simus invirtuosi, elati, immites, invidi, acediosi, avari, gulosi vel non casti. Et hæc onera propriis debemus portare humeris, id est, non confidere de alienis virtutibus, nisi et nos pro posse studeamus, ut eas in nobismetipsis habeamus : sicut quidam, qui desiderant ideo esse cum pacificis, non ut exemplo eorum laborent fieri patientes, sed ut ab eis ad impatientiam non provocentur. Quid prodest sanctorum contubernium habere, si nolumus eos in studio sanctitatis imitari? Onera Caathitarum secundum materiam dura erant, sed pretiosa, et sancta, et interiora situ, quia studia spiritualium virtutum laboriosa sunt imperfectis adhuc, sed nobilia honestatis dignitate; et sancta, quia sanctificant; et interiora, quia in spiritu mentis, id est, in interiori homine. Velata tamen portabant ea, quia dum hic per fidem ambulamus, et non per speciem, nondum videmus virtutum decorem pure, sicut est. In exteriorum operum exercitiis necesse est nos ea involvere, tam pro nostro exercitio, quam pro exemplo aliorum, qui mentem nostram non vident, nisi per vestigia exteriorum operum et morum. De hac tamen familia descenderunt sacerdotes per Amram [5], qui vigilans gratiæ interpretatur : qui sanctuarium revelatum videre et contrectare ex officio debebant, et Levitis portandum disponere singulis, prout eis congruebat. Ipsi vero sacerdotes non portabant; sed in erectione ejus ante tabernaculum ad orientem excubabant. Sicut per Caathitas virtuosi, ita per sacerdotes contemplativi figurantur. Soli virtuosi ad contemplationis gratiam proficiunt, qui pro remuneratione studii spiritualis unctionem sancti Spiritus intus percipiunt, ut illuminati cœlestia secreta videant, quæ aliis sunt velata. Tales jam non laborant in studio virtutum, quod per laborem portandi significatur, quia per suavitatem internæ sapientiæ versus est eis labor in delectationem, ex amore Conditoris. Ipsi vero disponunt onera singulorum deportantium, quia intus intelligendo cognoscunt rationes quarumlibet observantiarum in vita religiosa : quæ quia rudes et imperfecti nondum valent capere, involvunt ea corporalibus actionibus et exterioribus exercitiis, et tradunt cuique observanda quæ statui ejus viderint convenire. Vide igitur de qua familia esse velis, vel

Caathitæ quos significent.

[1] *Ephes.*, III, 16, 17 — [2] אחיט, Componere. — [3] *Jac.*, I, 4. — [4] *Rom.*, XII, 1. — [5] *Exod.*, VI, 20.

cujus spiritus sis : et secundum hoc suscipe onus tibi deputatum, id est, serva regulam et viam, qua ad perfectionem illius status valeas pervenire. Impossibile namque est quemquam aliquam artem plene addiscere, qui regulas ejus non vult attendere vel tenere; nec spiritualis fieri poterit, qui non vult spiritu ambulare.

CAPUT IV.

De triplici statu religiosorum.

Beatus Bernardus [1], in epistola ad fratres de monte Dei, describit tres status religiosorum : scilicet incipientium, proficientium, et perfectorum. Primum vocat animalem, quasi rudem, qui nondum percipit quæ sunt spiritus Dei : et circa corporis compositionem adhuc maxime occupari necessarium habet, ut illud domet et castiget, nec rebellet spiritui, sicut prius in peccato, quando caro spiritui dominabatur. Secundum vocat rationalem, ubi ratio, quæ dignior pars hominis est, et per quam discernitur a cæteris animalibus irrationabilibus, quasi nobilior omnibus creaturis mundi, et dominus omnium, subjugata carne et in servitutem spiritus redacta, seipsam studet agnoscere, purgare et reformare in pristinam dignitatem et pulchritudinem, quam per peccati fœditatem amiserat. Tertium vocat spiritualem, ubi spiritus ad imaginem Dei conditus, gratia Spiritus sancti adjutus, supra se ascendit, et intendit in eum cujus est imago, ut ei imprimatur et conformetur per cognitionem intellectus, per affectum amoris, et fruitionis jucunditatem. Per primum pervenitur ad secundum, per secundum ad tertium. Exemplum *Ezechielis* [2] : *Et platea erat in rotundum ascendens sursum per cochleam, et in cœnaculum templi deferebat per gyrum.* Idcirco latius erat templum in superioribus, et sic de inferioribus ad superiora ascendebatur per (*a*) medium. Rationalis autem spiritus est imago summæ Trinitatis : et sicut Deus est trinus et unus, ita anima, cum sit una, habet tres potentias, quibus capax est Dei, scilicet rationem, memoriam et voluntatem. Per rationem potens est capere sapientiam Dei; per memoriam potens est capere virtutem æternitatis Dei, ut in æternum nunquam possit separari ab eo; per voluntatem potens est capere bonitatem Dei. Ne igitur otiosa sit in anima tanta similitudo ad Deum, per quam capax ejus est, toto nisu studeat eum apprehendere, ut eum tenendo beatificetur, quia citra Deum nihil potest animæ sufficere. Et eo habito, non est quod ultra requirat, cum habeat omne quo ad æternam felicitatem indiget, quo nihil melius esse potest, et in quo nullus defectus est omnis boni. Cum ergo summa dignitas animæ sit, quod est capax summi boni, et summa utilitas ejus sit Deum in se habere, et cum ipso omne bonum, nec dignius aliquid quærit, nec utilius invenit; per hæc omnibus viribus suis et omni diligentia et toto desiderio debet eum quærere, et omnia facere quæ promovent eam ad invocationem ejus, et omnia vitare ac fugere quæ elongant eam a Deo, etiam si bona putentur : quia sicut ille stultus esset, qui haberet hortulum qui esset fertilis balsami, sed neglecto eo plantaret ibi mentam et cyminum, quæ licet bona sint, tamen in comparatione balsami sunt vilissima, in infinitum stultior est ille, qui cum possit summum bonum comprehendere, eo neglecto, occupat se circa caduca et vilia, sordida et amara. Hoc autem intelligo de sæcularibus, qui mundana præponunt cœlestibus, et transitoria æternis bonis. Similiter ille stultus est, qui cum habeat viam compendiosam duarum vel trium dietarum ad locum quo tendit, dimissa ea, quærit viam dispendiosam, et difficiliorem, ac periculosiorem, itinere trium annorum et amplius. Sic etiam religiosi quidam minus sapienter videntur in-

Animalis

Rationalis.

Spiritualis.

Anima, imago Dei, capere potest Deum.

Simile elegans.

Aliud simile.

[1] Imo Guill. a S. Theodor., epist. *ad frat. de monte Dei*, c. v, n. 12, inter Apocr. Oper. Bern. — [2] *Ezech.*, XLI, 7.

(*a*) *Al.* in.

cedere, qui cum possent in paucis annis ad magnam Dei notitiam et familiarem amicitiam, per compendiosum studium virtutis, et devotionis, et puritatis, pertingere, relicto eo, occupant se aliis minus fructuosis et valde dispendiosis ad id quo tendunt, scilicet ad Dei cognitionem et notitiam veritatis, et ad studium perfectionis, cum Dominus ipse promittat [1] : *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Si enim sciret aliquis plura artificia, quorum unum præ aliis esset tam nobile et quæstuosum, ut per illud in brevi posset ditari et sublimari usque ad nomen magnorum qui sunt in terra; imprudens esset nimis, si, neglecto eo, exerceret aliud vilius et ignobilius, et tanti laboris, per quod possit vix tenuem victum et potum acquirere. Ita est de homine maxime religioso magna imprudentia, si relicto directo studio virtutum, in quo est maximum meritum et maxima perfectio sanctitatis et sapientiæ, maxima etiam delectatio et securitas, occupat se circa alia minus utilia et curiosa, et *turbatur circa plurima* [2], quando *unum* solum bonum et summum est petendum et requirendum, quod valet ad omnia. Ipsa enim [3] *corporalis exercitatio ad modicum utilis est; pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est et futuræ.* Pietas hæc cultus Dei est, quo studemus agnoscere Deum, et amare, et habere, et ipsi placere. Corporalis autem exercitatio utilis est, sed ad modicum, quia non propter se, sed propter pietatem appetenda est, quæ per eam obtinetur, si ordinate exercetur. Sicut artifex per instrumentum artis suæ operatur, ita virtus per corporalia exercitia adipiscitur, et in habitum vertitur; et quanto plus appetit instrumenta aptiora, et dum ipse ea habuerit, si bene eis utitur, tanto citius et melius perficit opus quod desiderat consummare. Omnia autem quæ ad religionis observantiam exterius videmus, ad interioris hominis reformationem Spiritus sancti inspiratione ordinata sunt. Quod qui nondum intelligit, ipse instrumenta portare reputat. Interior reformatio in spiritu mentis consistit, quia interior homo et imago Dei est mens rationalis. Exterior homo est corpus, quod ex defectu corruptionis, quæ ex peccato provenit, languescit, moritur et incineratur; interior autem homo in bonis *de die in diem renovatur* [4], et proficit in similitudinem ejus, ad cujus imaginem creatus est. Ratio reformationis hæc est : anima tres habet potentias, sicut dictum est, rationem, memoriam et voluntatem. Ratio data erat ei, ut Deum agnosceret; voluntas, ut eum amaret; memoria, ut in eo quiesceret. Sed per peccatum ratio cæca facta est, voluntas curva et fœda, memoria instabilis et vaga. Ratio sæpius recipit falsum pro vero; voluntas eligit deterius pro bono; memoria occupat se illis, quibus semper inquietatur, quia unum et summum bonum deseruit, in quo omnia poterat habere. Conversa vero ad Deum incipit quærere quod perdidit : et videns se deformatam ab eo quod facta fuerat a Deo, laborat ut ad pristinum statum reparetur, et ad decorem, quem amiserat, reformetur, quia non est ei accessus ad Deum propter dissimilitudinem in se factam. Sed quia non potest repente ad summum pervenire, studet paulatim accedere de infimo ad medium, de medio ad summum.

Pietas Dei cultus.

Simile.

Externa religiosorum ad reformationem interioris hominis ordinantur.

Potentiæ animæ peccato vitiatæ.

CAPUT V.

De reformatione rationis.

Initium ergo reformationis rationis est, fidem catholicam firmiter credere. Nam quia ratio nostra lippa facta est, et intellectus obscuratus per peccatum, quod non possumus veritatem per nos invenire, Deus condescendit nobis, ne in errore essemus, deditque nobis notitiam veritatis in Scripturis, quibus voluit nos credere : ubi omnia quæ nobis ad salutem sunt necessaria sufficienter et veraciter inveniremus : ut in eis sensum nostrum non sequamur, sed regulis fidei sen-

[1] *Joan.*, XVI, 13. — [2] *Luc.*, X, 41, 42. — [3] I *Tim.*, IV, 8. — [4] II *Cor.*, IV, 16.

sum nostrum humiliter subjiciamus, si non volumus deviare. *Ecclesiastes*, ultimo capite [1] : *Quæ per magistrorum*, seu doctorum fidei, *consilium data sunt a pastore uno*, scilicet Deo, *his amplius*, *fili mi, ne requiras*. Profectus rationis est, ex illuminatione divina rationes fidei aliquatenus intelligere: quia, etsi fides supra rationem sit, ita quod eam per se non valet comprehendere, illuminata tamen divinitus ratio videt nihil rationabilius esse, quam fides est christiana, cui omnis natura attestatur, omnis mundi sapientia famulatur. Perfectio rationis in hac vita est, per mentis excessum supra se rapi, et non per ænigmata corporearum similitudinum, nec per ratiocinationum argumenta; sed purissima mentis intelligentia Deum in contemplatione videre.

CAPUT VI.

De reformatione voluntatis.

Initium reformationis voluntatis est, ex bonæ voluntatis assensu vitiis resistere, et operibus virtutum fideliter instare propter Deum. Quia enim curva et distorta fuit aversa a Deo, necesse habet ut conversa cogat se concordare cum Deo, et motus rebelles per studium boni operis ad rectitudinem reflectere divinæ voluntatis. Profectus ejus est, omnes affectiones habere ordinatas, et in virtutes formatas sine rebellione vel coactione : ut jam non libeat, nisi quod est secundum voluntatem Dei. Perfectio voluntatis est, unum cum Deo esse in spiritu per amorem : ut jam non possit velle nisi Deum, et ejus suavitatis dulcedine inebriari.

CAPUT VII.

De reformatione memoriæ.

Initium reformationis memoriæ est, mentem ab evagatione sua ad memoriam Dei cum labore reducere, orando, legendo, recolendo, vel saltem superficialiter cogitando. Profectus memoriæ est, bonis meditationibus et orationibus sine importuna evagatione posse intentum esse, et in latitudine cordis sui secum deambulare. Perfectio ejus est, ita in Deum esse absorptum per mentis excessum, ut etiam sui ipsius, et omnium quæ sunt, obliviscatur homo, et in solo Deo absque omni strepitu volubilium cogitationum et imaginationum suaviter quiescat. Isti sunt fines humanæ perfectionis, et profectus, et initia, ad quæ omne spirituale studium debet ordinari. Si quis ista via non ambulat, est sicut qui nescit quo vadit, vagus et errabundus ad incertum finem tendens. Initia cujuslibet istarum trium potentiarum sunt omnibus communia, qui sunt in statu salutis, nec sine eis est salus. Perfectio cujuslibet harum trium est solummodo perfectorum, quando sunt in summa perfectione, id est, in raptu contemplationis. Medius status earum est perfecte proficientium, et singulariter respicit statum probatorum religiosorum, qui inter statum bonorum sæcularium, et statum perfectorum sanctorum, quasi medium adhuc tenent iter : non quia semper in eodem statu permanere valeant, quod etiam sanctissimis vix est possibile; sed quia media via illorum trium statuum sic distinguitur ab inchoatione et perfectione eorum, de quorum profectibus aliquanto latius est considerandum : et primo de reformatione voluntatis, quia virtus, et vitium, et meritum dependent ab ea, et affectiones, quæ tam ad vitia quam ad virtutes inclinant; postea de memoria, ratione et intellectu. Voluntas est in anima quasi imperans; ratio vero quasi docens; memoria, quasi ministrans utrique, illi quid jubeat, isti unde doceat.

Perfectionis humanæ fines.

CAPUT VIII.

Quomodo naturales vires animæ et motus affectionum deformati sunt.

Nunc ergo breviter intelligere oportet, quomodo naturales vires animæ et motus affectionum in vitia deformati sunt, et ad

[1] *Eccle.*, XII, 11, 12.

quid dati sunt homini; postea aliqua remedia singulorum vitiorum subjungenda sunt, et virtutum ordo. Voluntas nulli debuit esse subjecta nisi Deo : nec tamen hoc coacte, sed sponte, ut possit ei ad meritum reputari : et ita poterat peccare, et non peccare : non ad hoc ut peccaret, cum posset, sed ad hoc, ut si non peccaret, cum posset, ex hoc laudabilis fieret, et digna præmio apud Deum; vel si sponte peccaret, esset digna confusione et suppliciis, cum sciret, quod non deberet peccare, et posset vitare. Item, cum facta esset anima, quod capax esset summæ beatitudinis, in qua haberet summam gloriam et summam delectationem in Deo, qui est summa et vera beatitudo, datus fuit animæ duplex appetitus naturaliter ad hoc, ut ista desideraret et studeret obtinere : et cum obtinuisset, tanto jucundius possideret, quanto ardentius concupisceret. Datus fuit ei appetitus gloriæ talis, ut nulla sufficeret ei præter summam gloriam; et appetitus delectationis talis, ut non satiaret eam aliqua nisi summa delectatio : et utraque est in solo Deo : et ita nihil sufficit animæ præter Deum, et iste appetitus vocatur concupiscibilitas. Item ex hac orta est alia vis in anima : quia cum tantum concupisceret bonum summum, docente vi rationali, per quod beatificanda erat, naturaliter horrebat, et detestabatur, et repellebat omne quod ad hanc obtinendam contrariabatur ei, et quidquid ad eam obtinendam prodesset et conservandam, fortiter apprehendebat et tenebat. Et hæc vis vocatur irascibilitas, juxta iræ similitudinem, quæ fortiter indignatur contrariis, et fortiter tenet quod cupit. Per vim rationabilem cognoscit bonum, et melius, et optimum. Per concupiscibilem, appetit bonum, et melius bonum amplius, et optimum bonum maxime. Per vim irascibilem, tenet et inhæret bono, et quæ ad hoc prodesse poterant, fervide (*a*) apprehendit : et ei quæ obesse poterant, indignanter repellit et fugit. Sed cum homo diabolo suadenti sponte ad peccatum consensit contra Dei prohibitionem, tunc omnes vires animæ et potentiæ, quæ datæ ei fuerant ad summum bonum agnoscendum, appetendum et fruendum, deordinatæ sunt, et quasi subversæ : non autem subtractæ, sed fœdatæ, et perverso modo se habentes, sicut organum musicum, quod quando integrum et ordinatum est, dulcem reddit melodiam, quando vero confractum fuerit et deordinatum, horrendum stridorem pro cantu emittit. Quia enim homo amore visibilium ab invisibilium amore cecidit, sola jam visibilia ex peccati pœna cognoscit, sola ea diligit, solis eis inhæret, et invisibilia, quasi non sint, postponit, imo et nescit : ita quod pauci induci possunt ad credendum, si sit aliquid extra ea quæ videmus et corpore sentimus. Et ita ratio cæca est in anima, quod nec cognoscit seipsam, cum ipsa sit ex iis, quæ oculis carnis videri non possunt : et sic non solum cæca est, sed etiam stulta, quia cæcus credit multa, quæ non videt : et in hoc etiam est infidelis. Inde factum est, ut non appetat nisi terrena, et vilia, et fœda, et illis per amorem inhæreat, et pro magno reputet, si ea potuerit adipisci. Appetitus honoris datus ei fuerat, ut altissimum honorem desideraret, scilicet Deo placere, et amicus Dei esse, et filius, et hæres, et Deo similari, et ei conregnare, non ex æqualitate potentiæ, sed ex imitatione bonitatis; et unus cum Deo fieri spiritus, et æqualis angelis, et nulli subesse, nisi soli summo Domino omnium : item, ut se tantæ dignitatis agnosceret, eo quod imaginem Dei in se haberet, ut nulli indigniori se dignaretur subjicere, soli omnium Domino subjectus et obediens, ei ex amore adhærens, et reliqua sub Deo pro cujuscumque dignitate æstimans, utens ministerio creaturæ pro sua utilitate et Domini voluntate. Hæc erat sancta superbia, omne indecens despicere, et solum bona appetere et diligere. E converso, modo appetit hominibus placere, gloriam ex hominibus quærere, quæ fallax est et vana : et aliquid magni

Appetitus concupiscibilis cur homini datus.

Appetitus irascibilis.

Peccata

debilitant potentias animæ.

Appetitus honoris.

(*a*) *Al.* firmiter.

existimans se homo, cum nihil sit, seipsum seducit, cum sit miser et vacuus omnis boni; et alios in comparatione sui spernit, et subjicere cupit sibi, qui forte meliores sunt : et gloriatur in divitiis, quæ sunt terra et lutum : jactat se de vanis et malis, sicut fatui qui gloriantur quando involuti sunt in luto. Et sic homines *mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum* [1], quia [2] *omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos fœni : exaruit fœnum, et flos ejus decidit*. Ita sancta superbia degenerata est in vitiosam.

CAPUT IX.

De triplici superbia.

Est autem triplex superbia. Prima, sibimetipsi nimis placere, et majorem reputare se quam sit in veritate : et hoc est initium omnis peccati. Secunda est, appetere et studere aliis placere, et major velle ab eis credi, quam sit justum : hæc est inanis gloria. Tertia est, ambire alios præire, et sub se velle eos esse. Sic decepta est superbia, et vult alios secum decipi, dum cupit se majorem putari quam sit : sicut magus decipit garsionem, ut putet se in equo sedere, et sedet tanquam stultus super fasciculum paleæ. In hoc autem contrariatur Deo, quia cum omnia subjecta sunt ei, ipsa vult esse sui juris, et spoliat eum debito honore suo, id est, universali dominio, quantum est in se; et ingrata est ei de beneficiis, quæ accepit, de quibus propriam gloriam quærit, non Dei, a quo habetur omne bonum. De ramis autem superbiæ, qui de ipsa pullulant, prætereo, quia alibi frequentius reperiuntur, si quis quærat, præcipue in summa vitiorum. Periculosior autem sæpe illa est, quæ extollitur de bonis gratiæ, quam de bonis naturæ vel fortunæ. Bona gratiæ sunt virtutes, scientia et opera de genere bonorum, ut prædicare, jejunare. Bona naturæ sunt, quæ natura contulit, ut nobilitas, pulchritudo, fortitudo, ingenium. Bona fortunæ sunt dignitates, divitiæ, honores, etc., quæ ex quadam fortuna plus quandoque dantur illis, qui natura et virtutibus inferiores sunt aliis, tamen non sine aliqua Dei providentia, licet sæpe cedit eis ad malum ex merito suo. Superbia etiam ita excæcat mentem, ut cum plus habetur, sæpe minus agnoscatur. Hoc vitium præcipue impedit nos, ne majora bona a Deo accipiamus (cum ipse sit largissimus, et desiderat multum communicare nobis de bonis suis, quia valde diligit nos), dum aut indignos nos reddit superbiæ reatus gratia Dei, aut si plus daret nobis, extolleremur, aut ingrati efficeremur, aut non digne in gratia operaremur, et sic gravioris peccati rei efficeremur. Unde sæpe magis est clementiæ parcentis Domini negare ampliora gratiæ dona, quam irascentis. [3] *Deus superbis resistit*, quasi suæ potentiæ rebellibus; *humilibus autem dat gratiam*, a quibus per tumorem elationis non defluit gratia, quam eis infundit. Superbia etiam perdit in nobis merita bonorum operum, quæ pro humano favore fecimus. Et sæpe superbia sumit pallium humilitatis æmulæ suæ, ut sub nomine ejus gloriam callide acquirat : ut quia captatio gloriæ non habet gloriam, saltem fugiendo eam assequatur, quæ sicut umbra sequitur fugientem, et fugit insequentem.

Superbia præcedit bona majora.

Gloria umbra.

CAPUT X.

Quando bona nostra, et mala ostendere debemus, vel occultare.

Nota, quod bona debemus quandoque hominibus ostendere, et aliquando occultare : similiter mala nostra aliquando aperire, aliquando celare. Bona nostra ad quæ tenemur ex præcepto Dei, vel Ecclesiæ, vel ad quæ ex manifesto voto astringimur, debemus omnibus ostendere, ut fidem, charitatem, justitiam, veritatem, castitatem, obedientiam, et contemptum mundanorum : quæ si homines in nobis non viderent, cum sciant nos ad ea teneri, scandalizarentur, et reputa-

[1] *Psal.* CV, 20. — [2] *Isa.*, XL, 6. — [3] *Jac.*, IV, 6.

rent nos prævaricatores voti nostri. De hujusmodi dicitur[1] : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Aliquando vero nostra bona occultare debemus, quæ specialiter accepimus, ut gratiam internæ devotionis, vel quæ possunt nobis singularem laudem parere, ut singularis abstinentia, et vigiliæ, et orationes, et eleemosynæ, ad quæ non tenemur : de quibus Dominus docet in sermone habito in monte[2]. Similiter mala nostra quandoque abscondere debemus, ne quis scandalizetur de nobis, vel sumat malum exemplum imitandi in similibus. Unde dupliciter peccant, qui aperte peccant : quia et Deum offendunt, et proximo fodiunt foveam in quam incidat per malum exemplum. Si autem sine culpa nostra, vel specie mala, aliquis ex sua malitia suspicatur mala de bonis, et non vult recipere excusationem nostram, tunc habeamus patientiam, sicut Christus tacuit, de multis in passione sua ex invidia accusatus. Dixit enim[3] : *Si vobis dixero, non credetis mihi.* Aliquando mala nostra aperire nude debemus, scilicet in confessione privata de privatis, et in manifesta de manifestis, ut in visitationibus et redargutionibus. Imperfectiones quoque nostras non debemus erubescere confiteri, et defectus virtutum, ne quis existimet nos supra id quod videt in nobis. Si autem in bono opere vana gloria pulsat nos, non acquiescamus ei, nec tamen bonum opus dimittamus, maxime si sit utile et necessarium. Sæpe etiam putamus nos laudari pro aliquo dicto vel facto, quod forte alii non advertunt : quia sicut nos non omnia pensamus quæ circa eos fiunt, ita nec ipsi omnia attendunt quæ nos facimus. Aliquando vero despiciunt nos potius, quam laudant, maxime si in aliquo deprehendunt nos appetere laudem pro his, quæ fecimus. Et si forte adulentur nobis in facie, sicut est consuetudo levibus hominibus ad placitum cui-

Dupliciter peccat, qui publice peccat.

Bonum propter vanam gloriam non omittendum.

[1] *Matth.*, v, 16. — [2] Ibid., per totum. — [3] *Luc.*, XXII, 67. — [4] I *Joan.*, II, 16. — [5] Ibid.

que loqui, tum contra tales sagittas vanæ gloriæ non tam indigemus fortiter pugnare, quam prudenter eas manu consilii abigere, sicut muscas leves flagello removemus. Appetitus etiam commodi vel delectationis datus fuit homini, ut desideraret summam delectationem, quæ est in Deo, et summam beatitudinem, et quietem, et impassibilitatem ; et ut delectaretur in habitis, ut felicior esset : quia onerosæ sunt deliciæ sine delectatione, et quanto delectatio avidior est, tanto deliciæ jucundiores sunt. Nunc autem appetitus ille deliciarum spiritualium ex peccato mutatus est in carnales delicias, ut appetat ea in quibus sensualitas delectatur, quæ est[4] *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* Concupiscentia carnis diffundit se in luxuriam, et mollitiem vestium, et quietem carnis, et somnolentiam : quæ omnia spectant ad sensum tactus ; item ad gulam, quæ est delectatio gustus ; item ad aliorum sensuum delectationes, ut audire carnaliter delectantia, et odorari. Concupiscentia oculorum quærit videre pulchra, et habere pretiosa : et ita generatur avaritia ex omnibus his. Ex superbia vitæ generatur avaritia, quia ad hoc quærit ditari, ut amplius honoretur. Ex concupiscentia carnis generatur avaritia, quia ad hoc vult ditari, ut voluptuosius epuletur et luxurietur, ac commodius vivat absque sollicitudine defectus. Primæ *Joannis*, secundo[5] : *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* Ex concupiscentia oculorum etiam avaritia generatur, quia ut videat pulchra, et habeat ad libitum in quibus delectetur, desiderat aurum, argentum, gemmas, vestes, agros, terras, familias, spectacula, et similia. Dederat tamen homini corpus Deus, et spiritum rationalem, et concesserat ei delectari etiam in sensibilibus, sed ordinate, moderate et honeste : ut per sensuum delectationem sursum moveretur, et promoveretur ad spiritualium cognitionum delectationem et fruitionem : ut appe-

Appetitus delectationis quæ sum homini datus.

Avaritia unde nobis nere.

teret coitum honeste et sine vitiosa libidine, congruo tempore ad generandum filios, qui æternæ beatitudinis participes essent : ut appeteret cibum et potum pro sustentatione naturæ, et alia quibus indigebat. Sed dissipato ordine conditæ naturæ a Deo, per peccatum omnia modo perversa sunt, et ad sensuales delectationes dilapsa : quas cum timet perdere, tristatur et irascitur; quas cum non habet pro libitu, tædio afficitur : et illos quos credit sibi fore impedimento, ne adipiscatur quæ cupit, vel per quos timet se amittere quæ diligit, odit; et illis quos videt habere quæ cupit, invidet : quo (*a*), quamdiu alius habet, oportet eum carere. Et sic oritur invidia, cui annexum est odium vitiosum. Ita etiam oritur ira : sic etiam oritur acedia, habens ex uno latere annexam tristitiam, ex alio torporem dissolutionis et pigritiæ. Omnia vero vitia et peccata ex uno fonte oriuntur, id est, superbia; et ex duobus rivulis derivantur, scilicet malo amore, et malo timore : et triplex fomentum accendit ea, scilicet concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. Ista sunt quasi materia et occasio homini ad tentationem, quæ mundus proponit nobis, scilicet honores, divitiæ et voluptates.

Peccati origo.

CAPUT XI.

De quadruplici defectu.

Ex peccato originali quatuor defectus.

In nobis autem quadruplex defectus est, unde ad malum proni sumus : ignorantia, concupiscentia, malitia, et infirmitas. Ignorantia excæcat, ne verum agnoscamus, et erremus in judicio boni et mali. Concupiscentia emollit ad appetendum et diligendum visibilia et delectabilia carni. Malitia exasperat et amaricat cor ad iram, tristitiam, invidiam, et odium. Infirmitas debilitat ad resistendum malo, et adhærendum bono. In hæc quatuor incidimus ex pœna primi peccati, et ea originaliter contrahimus ex peccato, ex quo nascimur filii iræ. Ex his procedunt septem vitia capitalia, de quibus quasi de majoribus ramis cætera pullulant. Hæc sunt septem capita draconis, in *Apocalypsi*[1]; et septem dæmonia, in *Marco*[2], de Maria Magdalena per Christum ejecta. Item septem gentes, quæ terram promissionis occupaverant[3], ne filii Israel in ea pacifice habitarent : quia arcent nos hæc vitia ab introitu regni cœlestis, nisi ea studeamus expugnare et subjugare. Docet autem vetus traditio apud Græcos, sicut et Clemens testatur, quod istæ gentes primo expulerant filios Sem de terra illa, de cujus stirpe descenderant Abraham et Israel. Unde cum Dominus præcepit[4] filiis Israel gentes Chananæorum expugnare, et terram eorum possidere, videntur secundum hoc non alienam terram violenter usurpasse, sed Domino universorum obedisse, ut terram suam recuperarent, expulsis his qui eam injuste detinebant. Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut per vires animæ et affectiones, quæ a Creatore factæ sunt, et ad bonum usum homini insitæ, æterna et utilia quæramus; et quæ ex peccato in vitium mutatæ sunt, studeamus reformare et in virtutes mutare, expulsis corruptionibus vitiorum.

[1] *Apoc.*, XII, 3. — [2] *Marc.*, XVI, 9. — [3] *Judic.*, III, 3, 5. — [4] *Exod.*, III, 17; *Deut.*, VII, 1.

CAPUT XII.

Descriptio septem vitiorum capitalium.

Superbia est amor propriæ excellentiæ, qua homo alta cupit, seipsum altum reputat, et ab aliis vult reputari, et alios præcellere. Superbia.

Invidia est odium alienæ prosperitatis, qua homo dolet alium sibi æquari vel præferri; et cupit ei malum, et de bonis ejus dolet. Invidia.

Ira est indignantis animi turbulenta commotio, qua quodammodo furit et æstuat, quando aliquid occurrit ei, quod est contrarium voluntati suæ. Ira.

Acedia est tædium boni ex animi torpore, dum aut irrationabiliter tristitia mentem aggravat, aut dissolutio cordis ad vana aliqua magis inclinat. Acedia.

Avaritia cu- Avaritia.

(*a*) *Leg.* quæ, *vel* quibus. *Bibl. Lugd.* quia videt quod.

piditas est, plusquam necessarium sit, habendi temporalia. Gula est inordinatus vel immoderatus alimenti appetitus. Luxuria est illicitus ardor libidinis, vel illicita expletio libidinosæ delectationis in actu, sive in morosa cogitatione. Et licet hæc omnia vitia et peccata sint, hoc tantum est ex culpa hominis et pœna peccati; in quantum tamen Deus ea dedit homini, sunt naturales affectus, et motus appetituum ad bonum, et ad motus virtutum, quia Deus nihil mali fecit, sed omnia valde bona. Expugnatio ergo omnium vitiorum non est aliud, nisi reformatio naturalium affectionum, et motuum ad statum a Conditore dispositum, ut supra [1] aliquantulum dictum est de appetitu sublimitatis, qui datus est homini, ut appetat cœlestia et divina, et spernat terrena et utilia, quasi indigniora se. Hinc modo dilapsus est ad infima, ut appetat terrenos honores et vanos et falsos.

Gula.

Luxuria.

CAPUT XIII.

De affectu invidiæ.

Invidiæ affectus naturaliter homini insitus est, non ut invideat proximo de bono quod habere potest, nec ut cupiat alicui malum, aut faciat; sed ut odiat vitia et peccata in se et in aliis. Invideat diabolo, quod tot animas aufert Deo, et aliis adjutoribus ejus, imo vicariis ejus, scilicet hæreticis et subversoribus animarum, qui spoliant animas æterna beatitudine, et, quantum in ipsis est, spoliant ipsum cœlum majori gaudio, quod ibi esset, si plures illuc venirent, cum singuli qui ibi sunt, multam lætitiam faciant omnibus civibus cœli, salva tamen æternæ prædestinationis ratione, quæ nullum ibi defectum suspicari permittit. Isti sunt hostes nostri, et odio habendi inquantum tales sunt, qui nos perdere æternaliter quærunt; non illi qui sperantur adhuc concives nostri futuri in gloria cœlesti, etiam si adhuc videantur inimici.

[1] Sup., c. VIII, pag. 338, col. 2. — [2] II *Cor.*, VII, 10.

CAPUT XIV.

De effectu iræ.

Iræ affectus datus est homini, ut irascatur vitiis et malis suggestionibus, et ex indignatione non patiatur se trahi in consensu peccati, et reprimat malos motus in se et in aliis, ubi opportune potest, et ulciscatur Dei injurias et transgressiones justitiæ. Et tunc dicitur zelus justitiæ: sic legitur Christus iratus fuisse pluries, Pharisæis et aliis non recte agentibus; et alii sancti viri. Nunc ira in vitium deformata est, et contra rationem in furorem versa est, et quasi insaniam: ut more phrenetici irrationabiliter moveatur homo contra hominem, contra amicum et proximum, contra seipsum; aliquando etiam contra sanctos, et contra Deum, et contra insensibilia et irrationabilia, quæ nec male, nec bene faciunt, nisi sicut natura impellit ea. Etiam ubi cognoscimus nos injuste moveri, non possumus quandoque impetum iracundiæ cohibere.

CAPUT XV.

De affectu tristitiæ.

Similiter affectus tristitiæ datus est homini, ut doleat de peccatis suis et alienis, et ut mœstus sit de dilatione patriæ, et timeat inferni supplicia, doleat de imperfectione sua, et compatiatur alienæ afflictioni, ut, per maturitatem utilis luctus, excludat levitatem vanæ lætitiæ, quæ est nutrix dissolutionis. Sed hæc bona et *secundum Deum tristitia* [2] perversa facta, mutata est in *tristitiam sæculi*, quæ *mortem operatur*, in desperationem, diffidentiam, et irrationabilem mœrorem.

CAPUT XVI.

De affectu gaudii.

Affectus gaudii datus est homini, ut gauderet in Deo et in spe æternorum bonorum,

et in intuitu beneficiorum Dei, et congauderet proximo in bonis ejus, et delectaretur in laude Dei, et in bonis operibus, et fastidiret omnia vana et inutilia, et jucundaretur in operibus divinis, et ex hoc efficeretur alacer et agilis ad servitutem Dei. Sed modo perversus est per dissolutionem et vanitatem, ut homo gaudeat de insaniis falsis, et de affluentia temporalium rerum, et honorum (*a*), et voluptatum, in risu et derisu, fabulis et turpibus ludis, et fastidiat omnia quæ Dei sunt, et insipida sint ei, et tædeat cum interest divinis; et ex hoc pigritetur ad studia devotionis et virtutis, et evagetur cor circa inutilia et vana et immunda, et graviores labores corporis libenter sustineret in aliis occupationibus et negotiis, quam ut insisteret spiritualibus et divinis : unde accelerat ab eis absolvi, quanto citius potest, et negligenter facit illud quod facit, nisi forte lucrum vel laudem inde speret consequi, vel aliud commodum temporale. Ex inordinata autem tristitia gignitur tædium boni, dum nil libet facere boni, vel cogitare, vel loqui. Similiter ex dissolutione tædium boni nascitur, dum tantum intenti sumus vanis levitatibus, quod tædet nos spiritualibus studiis intendere, et quasi anxiamur, cum debemus avelli ab otio et jocis sæcularibus, et seriosis exercitiis occupari. Unde quasi ligati catuli ad stipitem renitenti animo cogimur esse in divinis, et hoc est acediæ vitium et tædium boni. In hoc multi religiosi laborant, et pauci superant.

CAPUT XVII.

De affectu avaritiæ.

Affectus autem avaritiæ datus fuit homini, ut esset cupidus magni meriti apud Deum, et magnarum virtutum et multorum bonorum operum, et ut multas animas lucraretur Deo, docendo, orando, bonum exemplum dando, et juvando ad profectum salutis, et ut non esset homo contentus bono quod jam haberet, nisi laboraret ut multipliciter augerentur (*b*) ei, et gratia, et opera virtutum. Sed nunc delapsa est ad cupiditatem temporalium rerum, pecuniæ, possessionum, et quarumlibet rerum etiam vilium, quæ colligit, quasi homo semper debeat vivere, et mundus perire, ut congreget quantum valet, ne pereunte mundo non inveniat unde vivat, sicut Noe imminente diluvio comparavit [1] escas, quas haberet, quando omnia diluvio periissent. Et quanto magis homo morti appropinquat, tanto studiosius congregat et custodit, ut ex hoc ostendatur quam sit irrationabilis avaritia, eo magis colligere, quo minus indiget, sicut qui multum viatici fert pro brevi via, et qui sumptuosam domum construit pro unius noctis hospitio. Ideo autem Deus voluit nos semper incertos esse de hora mortis, ut parum de temporalibus cogitemus, sed omni hora timeremus multa perdere de æternis, ad quæ semper sine intermissione properare debemus. Simile.

CAPUT XVIII.

De appetitu victualium.

Appetitus victualium datus est nobis pro corpore, ut sustentemus naturam, et possimus durare in servitio Dei, et multum mereri. Etenim moderatus et parcus victus, uniformis, diutius conservat naturam, dum non opprimit vires ejus, sed reficit; et sanitatem conservat uniformis dieta, quia natura contemperat se ei, et non turbatur semper ex novis et ignotis escis. Unde quidam claustrales diutissime vivunt sani. Sed appetitus ille naturalis modo effusus est in voluptates et in superfluitates, ut non simus contenti unde sustentetur natura, sed unde palatum oblectetur; et cum talibus assueti fuerimus, et natura se eis contemperaverit, cum aliquando tenuiori victu deberemus esse contenti, natura remurmurat propter dissuetudinem. Unde statim putamus nos adeo debiles et infirmos, quod victu paupere non possumus vivere, et quasi sub discretionis ve-

[1] *Gen.*, VI, 21. — (*a*) *Al.* bonorum. — (*b*) *Al.* augeretur.

lamine delicata importune et inverecunde incipimus quærere, nolentes experiri quod natura, sicut per consuetudinem ad delicata dilapsa est, ita per contrariam assuefactionem possit reduci ad competens moderamen victus parcioris, sicut videmus in maxima parte mundi quam parce vivunt Gentiles, Judæi, pauperes Christiani, quorum quidam depauperati modo tam sani sunt, sicut olim in deliciis fuerant. De spiritualibus autem deliciis et gustu internæ dulcedinis, quæ sine comparatione omnes mundi delicias superant, sicut mel fimum, vix est jam mentio, vel efficax desiderium, etiam inter illos qui sibi alti videntur in religione : imo despicitur et deridetur inebriatio talis desiderii seu dulcedinis, et quasi stultitia et abominatio jam habetur, et ab aliis religiosis persecutionem ob hoc patiuntur, et dæmoniaci reputantur, et hæretici dicuntur, quamvis spirituales ipsi sunt. Quam vero despicabiles Christo sint, qui devotionis gratiam sic despiciunt et persequuntur, ab Apostolo discant, qui *animales* eos appellat[1], *qui non intelligunt ea quæ sunt Spiritus Dei, quia et stultitia est illis*. Non tamen laudo vel approbo deceptores et deceptos, qui spiritum suum vel alienum pro Spiritu Dei sequuntur et seducuntur; sed probandi sunt spiritus, et sic judicandi.

CAPUT XIX.

De affectu dilectionis.

Affectus dilectionis etiam datus fuit homini, ut diligeret Deum super omnia, et se et proximum suum propter Deum, et secundum Deum, et omnia opera Dei diligeret propter factorem, quodlibet juxta suam dignitatem; et uteretur ministerio creaturæ ad Dei voluntatem et suam æternam salutem; et horum omnium delectationem et usum referret ad Creatoris dilectionem et cognitionem, donec ad ipsum perveniret, in quo vivunt omnia secundum æternam rationem. Sed ille affectus quasi extinctus est, et dilapsus ad amorem carnis et turpis dilectionis : ut jam non diligat nisi pro sua temporali utilitate, et carnali delectatione, et turpi voluptate. Licet vero usus carnalis concubitus datus fuerit homini, et mandatus ad prolis propagationem Deo educandæ, et æternam beatitudinem cum Deo et angelis possessuræ; tamen modo non proles, sed delectatio in hoc opere quæritur, vel pro hæreditatis terrenæ successione, vel honoris augmento, ut plures amici habeantur in terra. Unde dolent, quando parvuli decedunt, qui multo tutius moriuntur post baptismum, antequam per mortale peccatum perdant vitam æternam, quam postea in ætate adulta propter dubium quales futuri sint, et propter multiplices laqueos peccati, quos valde pauci evadunt.

CAPUT XX.

De spe.

Spes data est homini, qua confidat de bonitate Dei, ut speret a Deo gratiam consequi in præsenti, et gloriam in futuro, peccatorum veniam, si pœniteat, et temporalem sustentationem, sicut sibi expedit, et liberationem a malo, conservationem in bono. Sed spes modo confusa est, ut aut minus sperent homines quam debent, aut plus quam justum est. Tantum confidunt quidam de bonitate Dei, quod etiam salvet eos in peccatis contra justitiam et veritatem suam, et immundos collocet in cœlo cum angelis mundissimis. Et rursum tantum diffidunt Deo, quod si convertantur, non velit eis dare perseverantiam in spiritu, vel sustentationem pro corpore : quasi Deus propitius sit inimicis suis, dum in peccato manent, et non propitius amicis suis justis et pœnitentibus, et convertentibus se ad ipsum, ut peccatores pascat liberaliter et salvet, conversos deserat et fame perire sinat. *Non affliget Dominus fame animam justi*[2]. Unde

[1] I *Cor.*, II, 14. — [2] *Prov.*, X, 3.

Propheta dicit [1] : *Junior fui, etenim senui: et non vidi justum derelictum*, etc.

CAPUT XXI.

De timore.

Timor etiam datus fuit homini, ut timeret Deum, et timeret ab eo separari, et eum offendere, et puniri ad ipso et damnari. Modo timet tantum temporalem adversitatem et incommodum corporis, et detrimentum honoris. Futura et æterna mala non timet, quasi tantummodo minæ sint sine effectu, quod dicitur de futuro judicio et æternis suppliciis, vel quod facilius evadet ea, quam dicitur. Timet etiam hominem magis, vel bestiam, vel rem insensibilem, quam Deum omnipotentem quem offendit, cum tamen [2] *horrendum sit incidere in manus Dei viventis.*

CAPUT XXII.

De pudore.

Pudor etiam datus est homini, ut pudeat indigna agere vel egisse genere suo, hoc est, peccasse et servum peccati factum esse, et mancipium diaboli et omnis turpitudinis, vel inhonestatis, et segnitiei et vilitatis. Modo autem pudet nos servitutis Dei, cui omnia serviunt, vel voluntate, vel necessitate. Pudet nos imitari Deum in humilitate, patientia, paupertate, religione, obedientia, et despectione, et contumeliis, et confusione : cum non sit Deo dignus, qui eum erubescit coram hominibus confiteri [3], vel etiam imitari, cum [4] *gloria magna sit servo sequi dominum suum.* Eodem modo sciendum de omnibus quæ a Deo suscepimus, de intellectu mentis, de ingenio, et de corpore et membris ejus, et de substantia temporali, et honore et potestate, et de tempore quo vivimus, et omnibus quæ in mundo serviunt homini. Omnia hæc data sunt nobis, ut inde serviamus Creatori nostro, et nobis vitam mereamur æternam, et proximos nobiscum trahamus ad vitam. Sed e contra nos omnia, quæ ad usum vitæ vel meritum gloriæ accepimus, ad usum convertimus culpæ : ideo cuncta nobis ad usum vertuntur ultionis, sive per pœnam, sive per pœnitentiam. Per pœnam videlicet, ut cum caro tentat nos, vel affectus carnalis, et appetitus inordinati affligunt nos, vel substantia exterior aufertur nobis, vel aeris intemperies, vel terræ sterilitas, vel corporis infirmitas nos excruciant, vel aliter affligimur, ut [5] *per quæ peccavimus, per hæc et puniamur.* At si voluntarie pro Deo toleramus, purgamur a peccatis, et coronamur pro patientia et bona voluntate. Si autem invite, nihilominus oportet nos puniri, vel hic, vel in futuro; vel per impatientiam augemus culpam, et per consequens etiam meritum pœnæ.

CAPUT XXIII.

De singulorum vitiorum natura, et descriptione.

Nunc de singulorum vitiorum natura, vel descriptione, aliqua consideremus, et de remediis quibus curantur : cum virtus aliud non sit quam vitiorum perfecta curatio, vel carentia vitii, secundum quod istam materiam respicit. Quia si vitium inordinatus est motus, vel affectus naturalis corruptus; ejus contrarium virtus est affectus, vel appetitus, ordinatus ad id et secundum id, ad quod a bono Conditore datus fuit, ut ante [6] patuit in exemplis. Superbia triplex est, ut supra dictum est, cum aut homo plus placet sibi quam debet, et majorem se existimat quam sit in veritate; aut cum aliis placere desiderat, et studet amore propriæ gloriæ, volens magnus reputari et honorari, et laudari : cum *soli Deo honor et gloria* [7] proprie debeatur, qui solus essentialiter bonus, et a quo habetur omne bonum. Unde quidquid gloriæ nobis usurpamus, Deo furamur; imo decipimus nos, attribuentes nobis quod non est nostrum, sicut meretrix mentitur

Virtus quid.

Vitium quid.

[1] *Psal.* XXXVI, 25. — [2] *Hebr.*, X, 31. — [3] *Luc.*, IX, 26. — [4] *Eccli.*, XXIII, 38. — [5] *Sap.*, XI, 17. — [6] Cap. VIII, sup., pag. 338, col. 1. — [7] I *Tim.*, I, 17.

se honestam et famosam, cum non sit. Hæc inanis gloria est, quia vacua veritate et utilitate salutis. Tertia est, cum vult aliis præeminere singularitate gloriæ, vel dominio, prælatione et imperio, et despicit cæteros et deprimit. Decipitur autem quadrupliciter : vel putans se habere quod non habet, vel plus habere quam habet, aut singulariter præ cæteris habere, aut ex se, vel pro meritis suis habere.

CAPUT XXIV.

De tribus quæ expellunt vitia.

Tria sunt autem quæ vitia a nobis expellunt, et virtutes operantur : scilicet gratia Dei, et industria propria, et necessitas. Gratia Dei infundit virtutes ; industria cooperatur gratiæ ex libero arbitrio ; et necessitas convertit in virtutem. Sine necessitate sæpe, sed sine gratia nunquam potest esse virtus, et sine liberi arbitrii consensu. Quibusdam infundit gratiæ virtutes cum modico vel nullo labore industriæ propriæ, licet non sine consensu voluntatis, cum sine consensu voluntatis nullum sit meritum, sicut illis quos prævenit Deus in benedictionibus dulcedinis suæ. [1] *Qui de luce,* id est diluculo incipientis ætatis capacis intelligentiæ, *vigilaverit ad illam, non laborabit assidentem* (a) *enim foribus suis inveniet illam,* id est, gratiam sapientiæ et virtutis. Sic apostolos, et alios quandoque, maxime in primitiva Ecclesia, legimus repente Spiritu sancto repletos, ad virtutes et dona et diversa charismata Spiritus sancti attigisse. Gratia excitat voluntatem, et instruit et roborat, ut industria agat ad profectum salutis. Necessitas autem alia est, cui se homo voluntarie subjicit, ut qui obligant se voto ad obedientiam, castitatem, paupertatem, et similia, vel ut vadant ad infideles prædicare : si illis postea evenit aliquid agere vel pati quod libenter evaderent, videntur necessitate cogi, quæ tamen voluntaria est, quia ad hoc sponte se obtulerunt, et potius pati volunt, quam a proposito resilire. Alia est coacta, quam homo invitus tolerat, nec tamen potest effugere, ut paupertas sæculi, infirmitas corporis, despectio, persecutio, tentationes, vel aliæ tribulationes diversæ : quas licet primo homo involuntarie toleret et cum murmure, tamen postea, cum videat eas esse inevitabiles, incipit quandoque voluntatem flectere, et facere de necessitate virtutem, et tunc incipit mereri ; et cooperatur illa necessitas ad magnum profectum virtutum, ad quas vix aliter perveniret. Et hoc est quod dicitur de quibusdam [2] : *Compelle intrare ;* et illud quod orat Ecclesia Deum : *Et ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates : fac de involuntariis voluntarios, ad ea quæ scis nobis expedire : etiam per adversa, cum nolumus te in prosperis sequi.* Industria in tribus consistit : in provida consideratione, in labore conatus, et in perseveranti diligentia. Per ista tria, adjuvante gratia, vitia subjugantur, et virtutes obtinentur. Sed gratia quosdam ita prævenit, ut aut multa facilitate, imo cum multa suavitate faciant bonum, et declinent a malo ; aut ita accendit voluntatem, ut cum magno fervore quæque facienda prompte aggrediantur, quamvis dura et difficilia. Quosdam vero ita sibi quodammodo relinquit, ut quidquid boni agere debent, necesse habent se stimulis et calcaribus pungere quasi pigrum animal : ut gravior sit eis difficultas superandi torporem cordis, quam laborem actionis sustinendi. Isti etsi non habent desiderium fervens ad currendum post Dominum, habent tamen desiderium desiderii, orantes se trahi cum sponsa [3], quasi qui agilitatem currendi non habent, juxta illud [4] : *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore.* Voluntatem bonam habent, sed pigram et tepidam, non ferventem. Primum felicius est, secundum

Gratia ut expellat vitia.

Necessitas vitia fugi

Industria quæque vitia subjugat.

[1] *Sap.*, VI, 15. — [2] *Luc.*, XIV, 24. — [3] *Cant.*, I, 3. — [4] *Psal.* CXVIII, 20.

(a) *Cæt. edit.* assistentem. *LXX* : πάρεδρον.

laboriosius. Quid autem horum majoris sit meriti, puto neminem perfecte æstimare posse, nisi eum qui spirituum (*a*) ponderator [1] est, scilicet Deum; quia secundi si feliciter luctando vincunt seipsos, ut per consuetudinem sui potentes fiant, magnæ virtutis est. Primi majori indigent cautela ne seducantur, quia divitiæ faciliter acquisitæ prodigalius solent effundi, quam quæ paulatim et cum difficultate elaborantur. Secundi, antequam perfecte vincant difficultatis tentationem, sæpe quasi lassati vel territi ex labore desperant de victoria et de perventione ad finem quo tendunt, et remittunt studium perfectionis, et ad alias occupationes se convertunt, quasi diffidentes de Deo, quod nolit eos introducere in terram promissionis, per quam significatur perfectio puritatis. Sicut filii Israel in deserto tædio laboris et difficultatis de superandis hostibus detraxerunt [2] terræ promissionis, et mortui sunt in deserto præter paucissimos, hoc est, præter Caleb et Josue, qui designant eos qui caute et viriliter per tentationes pertranseunt usque in finem perseverando. Ideo inter tot de sæculo quasi de Ægypto egressos, tam pauci perveniunt ad consummatam perfectionem : quia aut seducti callidis deceptionibus inimici, aut tædio laboris et difficultatis fracti, viam perfectionis deserunt, vel aggredi non præsumunt.

CAPUT XXV.

De generalibus remediis contra vitia.

Quædam etiam sunt generalia remedia contra vitia expugnanda, et virtutes obtinendas, quædam specialia, aliqua singularia, ut contra luxuriam, fugere fœminas, viros, et similia; quædam autem sunt quæ cito et perfecte ducunt hominem ad sanitatem mentis, quædam tardius et imperfectius. Efficacissima media Efficaciora remedia contra omnia vitia sunt ista. Primum paupertas, ut in omnibus penuriam patiaris, non solum in his quæ desideras, quia illa est omnium etiam ditissimorum, qui plus cupiunt quam habent; sed etiam in his quibus necessario indiges, in victu, vestitu, hospitio, ministris et similibus. Secundum est despectio hominum, ut sis contemptus, ut vilipendaris, et non cureris, et in nullo singulariter honoreris; sed potius confundaris, exprobreris et vitupereris, et hoc sæpe ab amicis, donec rumor elationis penitus in te comprimatur. Nonne vides, quanta mendici tolerant a divitibus, quam patienter? quod non facerent, si haberent divitias, vel honores. Tertium est strenuum magisterium, ut cogaris facere quod invitissime faceres, et dimittere quod libenter faceres, et nihil habere, nisi quod tibi datur, nihil agere nisi quod tibi jubetur, nec loqui, nec esse nisi ad nutum alterius, et nihil dissimuletur quidquid negligis, quin aspere reprehendaris et puniaris, donec curvitas propriæ voluntatis plene in te ad formam rectitudinis reflectatur. Quartum est elongatio a consortio sæcularium, quia sicut aqua turbata, si ponatur seorsum a frequentia transeuntium, purificatur magis, ita mens religiosi a sæculo sequestrata minus afficitur circa terrena, et cœlestia magis desiderare nititur, et prius intelligere, et facilius inhærere de eis cogitando. Quintum est frequens oratio, quia oratio elevat mentem supra se ad Deum, et impetrat ab ipso curationem languoris vitiorum et sanitatem virtutum. Sextum est quælibet afflictio, vel tribulatio adversitatis, ut labor, infirmitas, persecutio, tentationes, infamia, et similia : quia sicut lima purgat et splendere facit metallum, ita tribulatio et angustia et afflictio abradit rubiginem vitiorum. Unde Gregorius [3] : « Qui desiderat plene vitia vincere, studeat humiliter purgationis suæ flagella tolerare. » Si autem primo est amara ad sustinendum adversitas, per consuetudinem continuam fit de die in diem tole-

contra vitia.

Simile elegans.

[1] *Prov.*, XVI, 2. — [2] *Num.*, XXXII, 2-13. — [3] Greg., *in Evang.*, hom. XV, n. 4.

(*a*) *Cæt. edit.* statum, *cum nota marginali : Al.* spirituum.

rabilior, quousque jam non curetur, vel etiam diligatur propter profectum sanitatis, quæ inde provenire sentitur. Exemplum de cauterio, quod primo acerbum est, sed emortua carne jam non dolet, et superfluos humores educit. Unde orat Propheta [1] : *Proba me, Domine, et tenta me : ure renes meos et cor meum.* Septimum est continua mortis et operum retributionis meditatio, quæ facit vitia timere, et virtutibus insistere. Sicut autem arte medicinæ contraria contrariis curantur, ita vitia contrariis exercitiorum remediis sanantur, ut superbia humiliatione, gula sobrietate, impatientia adversitate, et sic de cæteris.

CAPUT XXVI.

De remediis specialibus singulorum vitiorum.

Nunc ergo de specialibus remediis singulorum vitiorum videndum est : quæ si non omnia possumus scire vel describere, pauca tamen de pluribus consideremus, sicut pauperes qui non possunt multas medicinarum diversitates et efficaces habere, conficiunt de vilibus herbis unguenta, quibus liniant dolores suos.

CAPUT XXVII.

De remediis superbiæ.

Nosse seipsum, efficax remedium contra superbiam.

Primum superbiæ remedium est consideratio propriæ vilitatis, tam in corpore, quam in anima; tam illius quæ nobis cum cæteris communis est, quam illius, quam in nobis singulariter agnoscimus in occulto, vel in aperto, sive sit naturalis, sive accidentalis. Considera vilitates et infirmitates corporis : quid fuimus, quomodo concepti sumus, quomodo in utero nutriti et nati : quid sumus intrinsecus sub cute, quæ sordes ebulliunt per aperturas, quam facile deperit quidquid in nobis pulchrum est, et validum apparet : quod mors semper propinquat, et quales post mortem erimus. Item, quod exteriores honores non sunt nostri naturaliter. Divitiæ terra sunt, et de terra tolluntur, ut pecuniæ, possessiones : et honores non impenduntur homini pro se, sed pro quæstu qui inde speratur : sicut vultures et canes accurrunt ad cadaver, quamdiu sperant inde satiari; sed cum totum corroserint quod nisi sicca ossa remanent (*a*), tunc relinquunt cadaver. Item bona mentis nostræ non sunt nostra, sed dona Dei, et rationem inde reddituri sumus districte, ut sunt scientia, ingenium, virtutes. Mala nostra pure mala sunt, et ex pluribus circumstantiis gravia, et gravibus suppliciis digna. Bona nostra non pure bona sunt, sed multipliciter imperfecta, ut pigritia, desidia, vana gloria, hypocrisis, tepiditas, et vanæ cogitationes, et imperseverantia, et cætera vitia sæpe vitiant bona opera nostra quæ facimus, et maculant sacrificium nostrum, tam actionum, quam orationum, ut minus sit Deo acceptum, et minus nobis meritorium. Item expositi sumus pluribus periculis et æternæ damnationi, et pluribus vitiis et peccatis onerati, et miseriis subjecti. Unde ergo *superbit terra et cinis* [2], nomo tam vilis? Secundum est exercere se in humilibus operibus, vilibus et despectis officiis, et rusticanis laboribus; humili habitu incedere, humiles mores et verba habere, locum novissimum eligere, nihil jactantiæ et ostentationis prætendere. Hæc, et his similia, cum in consuetudinem versa fuerint, mentem ad humilitatem inclinant. Si autem vana gloria, vel superbia pulsat mentem, pro hujusmodi humiliatione, hoc est, ex novitate vel raritate hujus humiliationis jam per longum usum ista vanitas evanescit, ut legitur in Psalmo [3] : *In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.* Tertium est, quod superiores et meliores se debent attendere tam homines, quam ipsum Jesum Christum Deum et hominem, ut eorum comparatione sibimet vilescat homo, qui se aliquid esse putat, sicut locusta ad gigantem, calculus ad montem, gutta ad flumen : et hoc tam in faciendo bona, quam

Humi exerci usurpa da.

[1] *Psal.* XXV, 2. — [2] *Eccli.*, X, 9. — [3] *Psal.* LIX, 14.

(*a*) *Leg.* ita quod nonnisi... remaneant.

patiendo adversa. Pannosus garsio vilescit inter purpuratos; sic nos debiles in virtutibus, respectu majorum et sanctorum, sive ante nos fuerint, sive nobiscum.

CAPUT XXVIII.

De triplici invidia.

Invidia triplex est. Prima, non gaudere de bonis alterius, et non dolere de malis ejus. Et hoc est contra charitatem proximi, quem tenemur diligere sicut nosmetipsos, cum nemo de proprio bono non gaudeat, vel de malo non doleat. Secunda est dolere et torqueri in bonis alterius, et gaudere et optare malum ejus ex odio personæ. Nam qui dolet de prosperitate temporali alicujus, vel gaudet de adversitate ejus, quia videt eidem expedire, vel communi utilitati aliorum, non ex odio personæ, non est invidiæ deputandum. Sicut justus judex destruit malefactores, ne vel ipsi gravius damnentur, si diutius in malis prosperentur, vel per eos pax communis turbetur. Tertia est insuper promovere malum alterius verbis et factis, et bonum impedire, vel deprimere. Gravis invidia est malum pro malo reddere; gravior autem, odire illum, qui nihil nocuit tibi; gravissima autem, malum pro bono restituere, vel odio habere aliquem quia bonus est, sicut Judæi Christum. Item malum est aliquem lædere in rebus, vel honoribus; pejus, in corpore; pessimum autem, imo diabolicum lædere et nocere alicui in anima, quoad salutem æternam. Item negare indigenti beneficium, peccatum est, licet sit inimicus; non impedire autem malum ejus, cum posset, gravius. Perfectorum est bonum inimici diligere, et promovere etiam ex affectu. Quidam putant se innocentes, si negant illis, quos non diligunt, salutationem suam; sed examinent se quomodo esurienti inimico cibum ministrarent [1], si salutationem, quam sine damno dare possunt, negant, maxime si desideret et affectet. Ideo autem invidia vel odium Deo contraria sunt, quia singulariter charitati, quæ Deus est, opposita sunt, et commune bonum, quod Dei largitas omnibus æqualiter creavit, invidet; et eos odit (*a*), quos Deus creavit, et redemit, et diligit, de quibus spes est quod ad vitam æternam perveniant.

[1] *Prov.*, XXV, 21. — [2] *Matth.*, XVIII, 35. — [3] *Rom.*, XII, 21. — (*a*) *Leg.* invident... oderunt.

CAPUT XXIX.

De remediis invidiæ.

Primum remedium contra invidiam est, quod etiam summum est, nihil amare et cupere eorum quæ mundus amat, id est, divitias, honores, voluptates. Temporalia enim quo pluries dividuntur, eo partes minores fiunt : et qui ea appetit, invidet aliis ea habentibus, dum necesse est alium carere quod alter habet. Cœlestia autem et divina, quo plures participant, eo magis dilatantur et abundant, ut virtutes et sapientia, et dona Spiritus sancti, et similia, quæ participatione non minuuntur. Secundum est cogitare, quod si alius non haberet illud unde ei invides, tamen tu non haberes : unde nec invideas alteri, quod sine damno tuo habet, ne frustra de aliena felicitate torquearis. Remedium contra odium est timere vindictam Dei, qui [2] non remittit homini peccata sua, quandiu ipse tenet odium ad proximum suum. Tertium est cogitare, quod quandoque oportet cum proximo reconciliari, si vult salvari. Unde melius est hoc cito fieri, quam tardius, ne homo sit in periculo damnationis, et perdat bona quæ interim operatur. Futuri enim domestici in domo Patris cœlestis, hic debent æternæ pacis fœdus inchoare, quia quanto hic ferventior dilectio, tanto illic erit jucundior fruitio æternæ pacis [3]. Quartum est, ut studeas illi qui magis est tibi contrarius, obsequentior esse et affabilior. Per hoc enim lenis cor ejus, si est intelligens, vel saltem cor tuum. *Noli vinci a malo; sed vince in bono malum.* Quid prodest homini diu meminisse injuriarum, nisi

ut amplius inquietet et affligat semetipsum? *Sufficit diei malitia sua* [1]. Tanta enim sunt nobis molesta, quantumcumque studeamus in nobis esse pacifici, quod si super hæc volumus ea nobis aggravare per odii et rancoris conservationem, citius obruemur, quam omnia resistendo vincamus. Potius, juxta Apostolum [2], *dare locum iræ* debemus, et cedere, et non resistere malo, malum pro malo reddendo. Quia si velimus omnes opprimere, quos adversarios patimur, iterum alii insurgent, et nos prius succumbemus quam omnes eliminemus. Qui seipsum per patientiam vincit, omnes adversarios superat [3]. *Bellabunt adversum te, sed non prævalebunt.* Exemplum in sanctis martyribus. Odium aliquando generatur ex ira diu retenta.

CAPUT XXX.

De ira.

Iræ triplex est qualitas. Prima, subito et ex facili causa moveri, ut ex levi facto vel verbo, vel etiam ex vana suspicione. Aliquando etiam contra insensata commovemur, et irascimur brutis et lapidi, et ligno vel calamo, et hujusmodi sine ratione. Secunda est vehementer inflammari : aliquando enim ira tantum in corde accenditur, quod etiam facies inflammatur, et deformatur; aliquando etiam gestus et mores mobilitate quadam notabili agitantur, ex qua interior animi commotio demonstratur, ut sternutatio narium, pallor vel rubor vultus, depressio palpebrarum, tremor labiorum, inquietudo totius corporis; aliquando per verba erumpit vel clamores, per convitia, contumelias, maledicta et minas, perjuria et blasphemias; aliquando quasi febris concutit corpus, vel quasi phrenesis mentem in furorem vertit; aliquando manus movet ad lædendum alium vel seipsum, ita ut sibimet aliquando manus injiciat, vel ea, quæ paraverat, abjiciat, vel destruat; aliquando non sinit admittere quæ sibi utilia sunt, ut cibum vel aliud commodum. Et multa hujusmodi ira operatur, et pacem cordis turbat, et rationem obnubilat, et memoriam confundit. Et sicut fumus hospitem de domo expellit, ita ira Spiritum sanctum, qui super quietum quiescere tantummodo quærit, de cordis habitaculo excludit. Tertia qualitas iræ est diuturna commotio, quæ aliquando rancorem fovet. Quidam habent de prima qualitate magis, et minus de secunda et tertia; quidam de secunda magis; quidam de tertia; quidam abundant duabus ipsarum; quidam vero omnibus tribus, et hi pessimi sunt. Ira contrariatur virtuti mansuetudinis, patientiæ, et mititatis, et dehonestat disciplinam morum : et facit inconsideratum, quia nec Deum timet, nec hominem veretur. *Ira* etiam *non habet misericordiam* [4], nec humilitatem prætendit, et excæcat intellectum; et sicut fumus nocet oculis, sic ira cordi.

CAPUT XXXI.

De remediis iræ.

Remedia iræ. Primum, provida præmeditatio illorum quæ possunt occurrere, tam verborum, quam factorum contrariorum : ut ante pugnam se homo ad patientiam præparet, et hostem quasi in insidiis paratus expectet : ut eo minus perturbent venientia, quo fuerint ante prævisa. Qui enim debent in bello pugnare, ante pugnam solent artem pugnandi exercitando addiscere, ut ictus adversarii sciant scuto excipere, ne improvidi vulnerentur et superentur. Nam qui tunc primo vult armari, quando jam hostes irruunt super eum, nec spatium dabitur ei ad muniendum se, nec etiam præ stupore consilium inveniet quo evadat. Secundum est, os opprimere tacendo, et accensam flammam iræ in corde suffocare, ne, si evaporare permittatur, increscat, et alios incendat, sicut de igne materiali sæpius experi-

[1] *Matth.*, VI, 34. — [2] *Rom.*, XII, 19. — [3] *Jerem.*, I, 19. — [4] *Prov.*, XXVII, 4.

inguæ o ostia

mur. Ad hoc enim duo ostia Deus linguæ dedit, dentes et labia, ne facile prosiliat ad nocendum, maxime cum intus accensa fuerit igne furoris. *Facito ostia ori tuo*[1]. Et[2] : *Pone, Domine, ori meo custodiam, ut non delinquam*, etc. Tertium est, convertere se ad alia negotia quibus cor occupetur loquendo, vel alia tractando, ut sic obliviscatur commotionis suæ : sicut qui vult extinguere ignem, subtrahit stipites ardentes, ut sic divisus deficiat, materia per partes ei subtracta[3]. *Cum defecerint ligna, extinguetur ignis.* Quartum remedium est verecundia, quia homo modestus erubescit disciplinæ suæ detrimentum incurrere, et alios scandalizare; et vim facit sibimet reprimendo iram, vel etiam alios inordinatos motus, ne honestatis suæ dispendia patiatur. Sic etiam timor reprimit iram, sicut videmus in servis, qui a dominis suis sæpe dure castigantur, nec audent leviter e contra murmurare, ne forte pejora eis inferantur. Si hoc potest timor humanus, quanto magis timor Dei, si vere insit menti, et maxime amor ipsius boni ! Tam potens est quisque malo resistere, quantum amor boni in cordis ejus affectu convaluerit. Quintum est, assuefacere se statim, cum sentitur commotio, admittere consilia prudentiæ, perpendendo quam nociva sit iracundia, quæ lædit conscientiam, confundit famam, alios scandalizat, cor inquietat, Spiritum sanctum effugat, tormenta meretur; et etiam quod illud, pro quo irascimur, jam inevitabile est, si factum est, et quod nihil proficimus irascendo, nisi quod malum duplicamus. Tanta enim in hoc sæculo occurrunt adversa, quod si etiam omnem diligentiam apponimus, qualiter ea nobismet mitigemus leviter patiendo, tamen vix omnia portabimus : quanto magis si voluerimus ea nobis exaggerare per impatientiam, et retinere in corde per rancorem! Si ea nolumus expellere, ut evanescant sicut fumus, ante obruemur et suffocabimur, quam possimus omnia resistendo superare, sicut illi, qui continuum fluxum rheumatis non excreant, suffocantur. Ad quid volumus verba contumeliosa contra nos prolata retinere, quæ jam cum aura transierunt? quæ nihil nocuerunt nobis, quantum fuit in eis, nec in rebus, nec in corpore, nec gratiam Dei a nobis auferunt, nec honores apud homines, si nos per impatientiam non offendimus nosmetipsos. Imo magis grati sumus Deo et hominibus, si contumelias patimur, quam si nihil pateremur adversi. Sic æstimemus verba maledicorum et detractorum, sicut latratus canum, vel clamores anserum, quos contra nos audimus et non curamus. Qui alterum contumeliose vituperat, seipsum magis, quam illum, dehonestat. Ecce aliquando in itinere intemperies aeris affligit nos; et cum evaserimus, lætamur, et tristitiæ prioris obliviscimur, nec adjicimus, ut iterato contristemus nos de priori incommodo, quod præteriit : sic etiam debemus præteritarum oblivisci injuriarum, ac si non fuerint, et gaudere quod sustinuimus, quia cum tribulatio pertransierit, meritum ejus adhuc manet. Cogitare etiam debemus, quod nemo in hac vita sine adversitate vivit; et qui sæculo serviunt, sæpius graviora tolerant; item, quanti sancti sustinuerunt, et martyres, maxime et super omnes ipse Dominus noster Jesus Christus. Et si ipse tanta passus est pro nobis, non est indignum si nos aliqua toleramus pro ipso, et pro magna gloria nostra, et pro merito peccatorum nostrorum, pro quibus utilius hic modica pati debemus, quam in futuro plurima et acerbiora. Hæc et his similia prudenter et sæpe cogitando impetum iracundiæ et impatientiæ facilius superamus.

Malo resistitur, si bonum diligitur.

Verba maledicorum, latratus canum.

CAPUT XXXII.

De acedia.

Acediæ vitium tres habet species. Prima est quædam amaritudo mentis, qua nihil læ-

[1] *Eccli.*, XXVIII, 28. — [2] *Psal.* CXL, 3. — [3] *Prov.*, XXVI, 20.

tum vel salubre libet : tædio pascitur, fastidit hominum consortium. Hæc est quam Apostolus [1] *sæculi tristitiam* appellat, quæ mortem operatur, proclivis in desperationem et diffidentiam, prona ad suspiciones : quæ patientem aliquando instigat ad necem sui ipsius, luctu irrationabili oppressa. Hæc aliquando nascitur ex præcedenti impatientia; aliquando ex retardato et impedito desiderio cupitæ rei ; aliquando ex prædominantibus melancholicis humoribus, et tunc medicorum est adhibere remedium, potius quam religiosorum vel theologorum. Secunda est tepor quidam pigredinis, qui somnum amat et omnia commoda corporis : horret labores, fugit aspera quæque, vitat operationem, otio delectatur. Hæc est proprie pigritia. Tertia est quæ solum fastidit ea quæ Dei sunt, et ad omnia alia agilis est et alacris. Oratio est ei insipida, et a laudibus Dei se absentat, ubi caute potest et audet; festinat implere velociter orationes debitas, et, ne nimis afficiatur tædio earum, assumit interim alias cogitationes vel occupationes quibus intendat, donec perficiat horas vel orationes consuetas. Rumoribus pascitur, ludis delectatur, excogitat negotia quibus occupetur. Nihil magis est ei onerosum, quam Deo intendere, et his quæ spectant ad studium et profectum spiritualem. Cella ei carcer est; evagari autem, tam corpore, quam mente, extra claustrum diligit, et quærit multifarias occasiones. Omnis rigor disciplinæ spiritualis gravis est ei, et murmurat et conqueritur de duritia prælatorum et disciplina zelantium. Hoc acediæ vitium, signum est ingratitudinis : quia tanta beneficia contulit nobis Dominus, et confert quotidie, quod fidelem servum ejus deceret nunquam ab ejus laude cessare, nunquam ejus obsequium fastidire. Item spoliat nos multis meritis et præmiis in cœlo. Tantam enim gloriam omni hora negligimus, quanta bona interim facere possemus, si otiose eam transigimus : et nulla vel modica hora præterit, qua non mereamur vel demereamur. Cum in multis offendimus Deum, conveniens est, ut tempus quod adhuc restat nobis ad vivendum, tanto melius expendamus, et *redimamus tempus* [2] quod male amisimus.

[1] II *Cor.*, VII, 10. — [2] *Ephes.*, V, 16. — [3] *Jac.*, V, 13. — [4] I *Reg.*, XVI, 23.

CAPUT XXXIII.

De remediis acediæ.

Remedia acediæ. Primum et efficacius, cogere se ad ea spiritualia studia, quæ maxime fastidit homo, et præcipue ad orationem et celebrationem divinorum tandiu, quousque per Dei gratiam vertatur nobis in oblectationem. Si autem differatur talis gratia, nihilominus de labore luctaminis meritum accrescit et virtus roboratur, et per consuetudinem magis ac magis tædium minuitur. Deus enim non requirit a nobis quod non dedit, scilicet gratiam devotionis; sed hoc vult, ut eam quæramus, et, cum dederit, reservemus, et gratias ei agamus. Possibile est enim, aliquem multo plus mereri in pœna (*a*) laboris pro obtinenda devotione, etiamsi non proficit, quam si multæ devotionis foret sine labore : quia de isto posset forsitan extolli, et meritum diminui ; de illo autem cor humiliatur, et meritum conservatur. Contra tristitiam autem maxime valet frequens memoria benignitatis Dei et intuitus beneficiorum ejus, contra cujus bonitatem peccata omnium nostrum sunt velut gutta ad mare. Item, esse libenter cum bona societate, maxime ubi de Deo sæpe loquuntur devote. Item illud Jacobi [3]: *Tristatur aliquis in vobis? oret. Æquo animo est? psallat:* sic enim cor hilarescit, et spiritus tristitiæ effugatur, sicut, psallente David, spiritus malus a Saul recedebat [4]. Occupatio etiam prodest tristibus, ut obliviscantur tristitiæ. Pigris utilis est laboris exercitatio, et consuetudo incommodi, cogente strenuo magisterio, ne possint remisse agere præ tædio

(*a*) *Al.* pugna.

Exercitia religioso. Quatuor.

laboris, nisi debilitas sit in causa. Item, contra tædium cordis valet varietas actionis, ut ab uno transeat ad aliud opus bonum. Servus Dei in his quatuor exercitiis debet versari : ut Deo intendat orando, psallendo, meditando, studendo devotioni; aut de Deo tractet legendo, studendo, secum conferendo, discendo, docendo; aut pro Deo laboret operando, serviendo, corpus castigando, et virtutibus studendo; aut corporis refectioni moderate indulgendo, quiescendo, dormiendo, cibum vel potum sumendo, ad hoc ut corpus possit spiritui servire. [1] *Panis et disciplina et opus servo :* panis, ad sustentationem; disciplina, ad correctionem; opus, ad exercitationem. Asinus indiget pabulo, ne deficiat; onere, ne lasciviat : otiosus virga eget qua impellatur, ne pigre ambulet vel deviet. Gravis acedia est, negligenter persolvere ea ad quæ quis tenetur; gravior, prætermittere omnino ex tædio; gravissima, alios impedire, et a bono retrahere, nec posse aliorum bona studia æquo animo sustinere.

CAPUT XXXIV.

De avaritia.

Avaritia tres habet species. Prima est anxia cupido habendi vel acquirendi temporalia, sive sequatur effectus, sive non : et sic potest avarus etiam esse pauper, qui modicum habet, vel etiam nihil. Secunda, tenacitas conservandi habita, quæ non permittit ea erogari in pias causas, vel in usus necessarios congrue expendi, nisi cum animi dolore. Tertia est augere divitias, et undecumque acquirere, etiam de injusto et turpi quæstu, ut furto, rapina, fraude, usura et aliis inhonestis modis. Quidam laborant in prima specie, quidam in secunda, quidam in tertia, quidam in duabus, quidam in omnibus. Hoc vitium videtur specialiter contra naturam esse, et ex sola prava consuetudine, vel corrupta voluntate inolitum. Quod ex hoc probatur, quia mundus multo tempore caruit hoc vitio; et aliquæ gentes adhuc putantur ab eo immunes esse vel fuisse, sicut Gymnosophistæ; item, quia multi sæculo perfecte renuntiantes, cum ab aliis vitiis sæpius impugnentur, ab hoc nunquam deinceps pulsantur, nisi forte propria misera voluntate se ei subjiciant. Qui autem semel ejus laqueo se alligari permiserit, vix unquam de cætero ab ejus compede liber erit. Unde videmus Religiosos quosdam post primam sæculi abrenuntiationem, qua ab ejus laqueis erepti fuerant, rursum involvi avaritiæ retibus, et insatiabiliter sitire res alienas, qui prius proprias contempserant propter Deum. Sic Judas omnibus suis renuntiaverat; postea fur factus est, et loculos habens [2], Dominum majestatis vendidit, et laqueo se suspendit [3].

Avaritia contra naturam

CAPUT XXXV.

De remediis avaritiæ.

Remedia avaritiæ. Primum, omnia pro Christo relinquere, et sub alterius regimine vivere, et si qua habuerit, ei plene resignare, et in nullo sui juris esse, sicut in primitiva Ecclesia fideles sub apostolis erant [4], et in monasteriis bene ordinatis claustrales: hoc est efficacius avaritiæ remedium, sicut Dominus docuit [5] : *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Item [6] : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus.* Secundum est considerare omnes perplexitates divitiarum, et laqueos avaritiæ, et paupertatis libertatem et utilitatem. Divitiæ enim periculose acquiruntur, et cum labore et cum multa sollicitudine conservantur, quia multorum invidiæ patent, furum, raptorum, potentum, fraudulentorum. [7] *Ubi multæ sunt opes, ibi multi qui comedunt eas*, tam consumentium, quam subtrahen-

[1] *Eccli.*, XXXIII, 25. — [2] *Joan.*, XII, 6. — [3] *Matth.*, XXVI, et cæt. evangelistæ. — [4] *Act.*, II, 44; IV, 34. — [5] *Luc.*, XIV, 33. — [6] *Matth.*, XIX, 21. — [7] *Eccle.*, V, 10.

tium. A nullo securus dives, nec ab extraneis, nec a proximis. Sic est dives in medio cupidorum, sicut carnifex in medio canum famelicorum. Divitiæ diu colliguntur, cito amittuntur. Multiplicatæ non minuunt, sed augent sitim avaritiæ, sicut potus hydropico. Quid ergo quæris, unde plus crucieris? Affligunt nondum habitæ, etiam habitæ et amissæ. Pauca sufficiunt necessitati. Mors cito rapit ab eis : pœnas æternas amatoribus suis lucrantur. Ab his omnibus libera est paupertas. [1] *Rapinas nolite concupiscere : divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Fructus divitiarum est largitas eleemosynarum, sine qua infructuosæ sunt et periculosæ. [2] *Divitiæ conservatæ, in malum domini sui cedent.* Semen accumulatum putrescit, seminatum fructificat. Tertium remedium est confidentia de Deo, qui non derelinquit sperantes in se, juxta promissum ipsius [3] : *Nolite solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur ? hæc enim omnia gentes inquirunt : scit enim Pater vester cœlestis, quia his omnibus indigetis.* Qui enim sic fecit hominem, ut alimentis indigeat, non patietur eum perire per necessariorum subtractionem, si ejus curæ se committat. [4] *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et omnia* necessaria corporis *adjicientur vobis.* Nam qui libenter vult homini dare cœlestia et maxima, quomodo neget ei minima, id est, terrestria ? Si enim mali et crudeles homines, imo bestiæ et bruta, filios suos nutriunt, multo magis optimus et verus Dominus filios suos non deseret. Qui etiam [5] *benignus est super ingratos et malos,* quanto magis super bonos, qui [6] *omnem sollicitudinem suam in eum projiciunt ?* [7] *Non vidi justum derelictum, neque semen ejus quærens panem.* Unum de tribus a Deo sperandum est avaritiam projicientibus pro Deo : quia aut procurabit homini necessaria ; aut cum parco victu et penuria dabit homini vires, quas in abundantia posset habere, et hoc est jucundius de modico esse magis fortem ; aut quod subtrahit corpori, refundet menti in consolatione spirituali, ut libenter careat corporali abundantia, quæ spiritualibus deliciis felicius recompensatur. Insuper magnam gloriam in cœlo meretur patienter tolerata pro Christo temporalis penuria, quia [8] *Beati pauperes spiritu,* etc.

[1] *Psal.* LXI, 11. — [2] *Eccle.*, V, 12. — [3] *Matth.*, VI, 31, 32. — [4] *Matth.*, VI, 33. — [5] *Luc.*, VI, 35. — [6] I *Petr.*, V, 7. — [7] *Psal.* XXXVI, 25. — [8] *Matth.*, V, 3.

CAPUT XXXVI.

De gula.

Gulæ quatuor sunt species [9]. Prima, ante debitum tempus, vel sæpius quam deceat comedere, præter necessitatem, more pecudum. Secunda, cum nimia aviditate et impetu quodam vorare, sicut lupi et canes famelici. Tertia, nimis se implere, potius quam reficere, et plus sumere quam sit necesse ex inconsideratione, vel delectatione. Quarta, nimis lauta, vel exquisita quærere. Hæc nutrit avaritiam, sicut prior pigritiam vel acediam. Qui delicata quærit, cupit divitias, ut possit habere quæ appetit. Nimia vero ciborum repletio pigrum reddit : quia vas plenum ponderosum efficitur. Hebetat etiam intellectum, et affectum devotionis obruit et refrigerat, et agilitas retardatur, et in somnum ducit superflua ciborum repletio.

CAPUT XXXVII.

De remediis gulæ.

Remedia gulæ. Contra primam speciem sufficit bona voluntas, ut nolit plus vel sæpius comedere, quam sit conveniens. Infirmis autem non est lex posita. Juvenes vero et laborantes, sicut exigit necessitas, discrete refici possunt, quando consuetudo vel ecclesiastica institutio non repugnat. Contra secundam utilis est disciplina verecundiæ, ut modeste se habeat, et impetum refrænet.

— [9] Vid. Cassian., *de Cœnob. Instit.*, lib. V, *de spiritu gastrimargiæ*, c. XXIII.

Item consideratio, quia inordinata et nimis festinata refectio naturam gravat et minus nutrit, et plus æquo vult. Eadem etiam consideratio valet contra tertiam speciem, qua (*a*) nimis sumitur; et quia vere impedit a bono opere, sicut supra dictum est. Efficacius tamen remedium est contra tertiam et quartam speciem, non habere unde possit gulæ satisfacere. Unde quanto quis pauperior fuerit, tanto minus in hac parte peccabit. Hæc est secundum traditionem seniorum [1] prima pugna, quam devincere nos oportet : et quanto minus superata fuerit, tanto validiora sunt cætera vitia contra nos, et nos debiliores sumus contra ea. Per gulæ peccatum mors intravit in orbem. Unde et Christum diabolus primitus per gulam tentavit [2], quasi per januam aliorum vitiorum aditum quærens ad ulteriora. Contra quam, prout etiam contra alias voluptates vitiosas, considerare debemus, quam cito pertransit, quam breviter durat; et quando transacta fuerit, sic est quasi nunquam fuerit. Unde cum delectamenta mundi et carnis appetis, pone in corde tuo ac si jam habueris et satiatus sis, et hora præterierit : quia voluptas præterita est quasi somnium noctis transactum, imo contemptibilior, quia malam conscientiam facit perpetrata voluptas, evitata vero lætam et securam. Valet etiam contra omnes adversitatum turbationes, si ponas in corde tuo, jam durante adversitate, quod ita debeat esse, et aliter esse non possit; et quod voluntas Dei sit quod ita est, et disposuerit, ut ita eveniret. Quod enim sponte quisque disponit, inde minus turbatur, si evenerit. Cum autem turbaris quod non evenit quod optaveras, vel speraveras, cogita quod multa alia non evenerunt quæ prospera fuissent, si evenissent, et tamen non turbaris quod non evenerunt : quia de quibus cor hominis non disponit sibi gaudium, si eveniant, de his etiam non tristatur, si non eveniant : verbi gratia, si speras te in crastino habiturum bonum prandium, lætaris; sed si forte spes tua frustretur, turbaris, quia lætitia spei subtracta est. Sed si nihil speras, non tristaris, si non evenerit, quia videris tibi nihil perdidisse, cum nihil habueris amittendum. Homo enim virtutis sic debet omnem spem suam et solatium in Deum ponere, ut nunquam ex toto figat animam in terrena consolatione; et quasi suspensum habeat desiderium ad omnia exteriora non fixum : sicut qui super glaciem incedit, leviter ponit pedem, tentando si crepitet, ut retrahat pedem, ne submergatur. Cum ergo perdis aliquid quod diligis, pone in animo tuo quasi nunquam habueris, et quasi somnium fuerit quod videris habuisse, quod tunc more suo evanuerit et in nihilum reductum sit. Hoc orat Propheta cum affectu sibi inspirari, dicens [3] : *Velut somnium surgentium, Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Hoc est, redige memoriam istorum terrenorum in corde meo, quod est civitas habitationis tuæ, ad nihilum : ut nihil reputem esse, vel fuisse, quod pertransiit, sicut somnium de stratu surgentium, oblivioni traditum, non curatur. Somnium est hæc vita malis et stultis, qui putant se esse quod non sunt, id est, felices, et habere quod non habent. Et non sunt vera bona, quia falsa sunt quæ habent. Istæ considerationes non sunt phantasticæ dicendæ, sed veræ et sapientes; quia faciunt mentem tranquillam et stabilem inter mundanæ prosperitatis et adversitatis varietates. Cum ergo desideras quod non habes, cogita quasi habueris, et jam fraudatus inde fueris, et modo pertransierit. Cum autem habes quod diligis, noli nimis inniti ei per delectationis affectum; sed cogita quod cito pertransiet ista lætitia, et nihil post se relinquit, nisi vestigia dolorum et debitum suppliciorum. Cum ergo amittis quod amasti, æstima quasi nunquam habueris illud vere, sed tantum quasi in somno videris, vel in cogitatione imaginatus sis te talia habuisse : sicut si

In adversis et prosperis quomodo philosophandum.

In consolatione terrena non figendus animus.

Somnium vita humana.

[1] Vid. Cassian., *de Cœnob. Instit.*, lib. V, *de Spiritu gastrimargiæ*, c. XIII et XIV. — [2] *Matth.*, IV, 3. — [3] *Psal.* LXXII, 20. — (*a*) *Bibl. Lugd.* quia.

imaginarer mihi quod sim rex Franciæ, et magnam gloriam et pompam et delicias et divitias habeam; et post modicum rex Angliæ debellet me, et capiat et spoliet me regno et gloria, et inanis remaneam ab omnibus. Si ergo, peracta tali phantasia, graviter vellem turbari et tristari de illa regni phantastici amissione, vel si valde exhilarari voluissem ex delectatione hujusmodi gloriæ phantasticæ habitæ, nonne stulta tristitia, vel inanis gloria esset moveri de his, quæ nunquam fuerunt vel erunt? Tales enim vanas lætitias, et tristitias, semper habere possemus, imaginando nobiscum et fingendo quaslibet glorias et delectationes, et e converso tristitias et dolores, sicut solent quidam insani et lunatici, quibusdam phantasiis delusi ex confusione cerebri, etiam sine apparente causa exteriori, modo ridere, modo flere, secundum imaginationes interius conceptas, tristes vel lætas. *Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens*[1], id est, vivens secundum hominem, non secundum Deum. Et quare? [2] *Verumtamen in imagine pertransit homo*, velut in quadam imaginaria delusione, existimans se aliquid esse, cum nihil sit : et ita nedum vane extollitur, sed etiam frustra conturbatur, vanis timoribus et mœroribus dejectus. [2] *Thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea :* quia ipse nescit an eis fruiturus sit, an alius, cui forte non debentur. Contra hoc sibimet Propheta consilium invenerat, dicens[3] : *Et nunc quæ est expectatio mea? nonne Dominus? et substantia mea apud te est,* ubi iterum perdere non formido. E contra pone in animo tuo de futura adversitate non turbari, quia contingentia ita se habent, quod possunt evenire, vel non evenire. Et sæpe turbamus nos ante tempus timore illius quod nunquam eveniet, sicut pueri aliquando flent recordantes doloris, quem forte haberent, si parentes eorum moriantur, qui adhuc vivi sunt, sani et incolumes. Quod si etiam adversitas certa futura est, tunc[4] *sufficit diei malitia sua*, ut non duplicemus nobis dolores præcedente angustia, cum sequens tribulatio per se satis excruciet. Hæc dico de temporali tribulatione, non de æterna, quam expedit nobis prætimere et præcavere. Gregorius[5] : « Ante supplicium de supplicio cogitate. » Instante vero jam tribulatione vel adversitate, consideranda est utilitas adversitatis : quomodo peccata purgat, cautos reddit a peccato, et subtrahit occasionem peccandi in multis, et exercet ad virtutes, ad humilitatem et ad compassionem similia sustinentium ; ad confugiendum sollicitius ad divinum adjutorium ; ad experientiam divinæ clementiæ, quæ tribulatis corde juxta esse solet, et ad examinationem propriarum virtutum, quia in adversitate plenius videmus quantum profecerimus in eis ; item ad majorem gloriam promerendam, et super omnia ad reddendum vicem Christo passo pro nobis. Transacta autem adversitate, gaude, quia evasisti, sicut qui de naufragio evadit, vel de tempestate, et de via mala ad bonum hospitium pervenit : et noli dupliciter te affligere rancore, vel odio, ex memoria injuriarum, contra illum a quo passus es : cogitans quod si non meruisti apud illum, ut te affligeret, tamen forte meruisti apud Deum, ut puniri te permitteret : et ipse Deus judex usus est illo, quasi tortore tuo, ad justitiam exequendam circa reum suum. Sic Assur *virga furoris* Domini dicitur[6], quia eo usus est quasi virga ad dandam disciplinam servo suo Israel peccanti. Et sicut virga, post correctionem filii, in ignem projicitur, sic et illi ultores Dei tandem punientur, maxime qui non recto zelo et justitia proximos persequuntur. His quasi per excessum tactis, qualiter te inter adversa et prospera immobilem conserves, ne prosperitates te extollant, vel adversa dejiciant (quia adversitas maxime versatur circa carentiam vel amissionem cupiti, et timorem vel tolerantiam exosi) ad remedia et

[1] *Psal.* XXXVIII, 6. — [2] Ibid., 7. — [3] Ibid., 8. — [4] *Matth.*, VI, 34. — [5] Greg., *in Evang.*, hom. XL, n. 10. — [6] *Isa.*, X, 5.

qualitates vitiorum considerandas redeamus. Non mediocriter autem valet ad morbos vitiorum sanandos, scire æquanimiter carere his quæ caro, vel carnalis affectus appetit, et patienter sustinere, et non pertimescere quæ horret et odit : sicut, in medicina corporali, sanitati propinquat qui bene servat diætam, et cavet a nocivis, et constanter recipit et sustinet amarum poculum confectionis. Gregorius [1] : « Qui appetit plene vitia vincere, studeat humiliter purgationis suæ flagella tolerare. » [2] *Scio et abundare, et penuriam pati, et esurire, et saturari, ubique et in omnibus institutus* (*a*) *sum.*

CAPUT XXXVIII.

De luxuria.

Luxuria quadruplex est. Prima in corde, quando homo immundas et lubricas cogitationes scienter et voluntarie, causa pravæ delectationis, versat in cogitatione, sine repugnantia consensus. [3] *Perversæ cogitationes separant a Deo.* [4] *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.*

Secunda est, cum citra opus generativum satiat se libidinosis gestibus, amplexando, osculando, palpando, impudice respiciendo, loquendo et auscultando turpia, ut sola delectatione prava, vel aliis meretriciis blanditiis carnali affectioni satisfaciat. Hæc tanto est gravior prima, quanto longius ad exteriores conatus pravæ delectationis est progressa. Si enim sola mens prava rea est in se per consensum malæ concupiscentiæ; quanto magis habenis laxatis ad ulteriora libidinis incitamenta, exteriorum sensuum et membrorum ministerio adjuta et provocata? Si solum concupiscere corde, mœchia a Domino judicatur, quid ergo ex concupiscentia osculari, palpare, etc. Nemo ergo stulte se seducat, ut putet solum tunc se peccasse, quando opus generativum perficit, vel laborat perficere, cum etiam præambula operis damnabilia sint. In ipso enim licito conjugio sæpe excusabilior est simplex concubitus, quam tales inhonestæ blanditiæ actuum indecentium, et spectaculorum, et collocutionum lascivarum. Si autem aliquis dicat apud se : Ex quo non quæro opus pravum fornicando perficere, licite possum morosis blanditiis frui cum dilecta, munda intentione, ad mutuæ et sanctæ dilectionis nutrimentum, ut ignis charitatis magis ac magis in nobis accendatur, cum ex dilectione proximi nutriatur et augeatur amor Dei. Sciat quicumque talis est, se sub specie spiritualis amoris, carnali dilectione et delectatione deludi; quia spiritus spiritum diligit, nec corporalibus indiget amplexibus : quia hoc est carnalis amoris indicium, qui quanto plus crescit in corde, tanto magis spiritualis amor minuitur et refrigescit, et e converso spiritualis amor carnalem reprimit et expellit. Triplicis autem peccati reus efficitur, qui talibus corporalibus blanditiis uti se licite posse putat, etiamsi nullam ulterius pravi operis habeat voluntatem. Primo, quia incaute se nimis exposuit tentationis periculo, cum [3] *proni* sint *sensus hominis et cogitatio in malum :* et tentatio quæ ndum fuit, occasione et opportunitate noxiæ familiaritatis accepta, potest corrumpere voluntatem, et in peccatum præcipitare, sicut sæpe accidit, quod qui munda intentione mutuis ingesserunt se familiaritatis societatibus, mutatis affectibus spiritualibus in carnales, lapsi sunt in peccatum. Tali ergo periculo se ingerere est contra Domini præceptum [6] : *Non tentabis Dominum Deum tuum;* sicut qui super tenuem glaciem ex stulta curiositate incederet, si mergeretur, reus esset in seipso, imo ipsum stulte tentare gravis culpa esset, etiamsi mors non sequeretur. Secundo, quod etsi in se nihil tentationis sentiret, tamen alteri daret occasionem tentationis et peccati, cum alteri fo-

Graviter peccat, qui illecebris istis operam dari licere putat.

[1] Greg., *in Evang.*, hom. XV, n. 4. — [2] *Phil.*, IV, 12. — [3] *Sap.*, I, 3. — [4] *Matth.*, V, 28. — [5] *Gen.*, VIII, 21. — [6] *Deut.*, VI, 16.

(*a*) Ita Vulg. et Bibl. Lugd. Cæt. edit. *instructus*.

dit foveam, ut incidat in eam. Qui alteri poculum mortis propinat, non ideo erit innocens, quia ipse non bibit. [1] *Halitus ejus*, scilicet diaboli, *prunas ardere facit*. Igneus enim flatus ex igne gehennali cum duos carbones compositos invenerit etiam semivivos, sufflat indefesse, donec eos incendat; nec curat moras, si tandem aliquando perficiat, cum omni tempore ad nihil aliud vacet, nec aliis curis intendat, nisi animas seducere. Tertio, efficitur reus propter malum exemplum, ex quo alii graviter scandalizantur, non carentes prava suspicione de familiaritate tali noxia; et judicantes esse malum, indignantur, murmurant, detrahunt, et irrident innocentes eorum collegas, quasi et illi similia faciant. Et vilipenditur religionis reverentia ex talibus, et plurima mala fiunt. Alii vero eorum exemplo audacius similia faciunt, putantes sibi licere, quod istos facere arbitrantur; et discunt ab eis vel audent, exemplo eorum, quod ante non audebant: imo et ipsi peccatores temerarii fiunt, et quasi justificant se in peccato, comparatione istorum corrumpentium religionis puritatem. Et hæc omnia redundant in injuriam Dei et offensam, et in honoris ejus detrimentum, cum insolentia familiæ patrisfamilias dedecus videatur.

Tertia species luxuriæ est naturalis concubitus viri et fœminæ sine conjugii honestate. Hæc subdividitur in multas species, ut est simplex fornicatio, adulterium, sacrilegium, incestus, stuprum, raptus, etc., quæ non prosequor nec distinguo.

Peccatum contra naturam.

Quarta est peccatum innaturale. Cum enim natura omnibus rebus nomina propria dederit, quæ naturæ subjacent, hoc peccatum, quasi extra vel contra naturam, sine speciali nomine reliquit: eo quod indignum sit nomine quod ipsam naturam destruit, et humanam naturam maculat et infamat. Dicitur tamen aliquando passio ignominiæ, vel immunditia, vel mollities. Licet Apostolus de isto peccato plurima et gravia describat primo *ad Romanos* [2]; tamen ad præsens nec nominari expedit, ne et ipse aer inficiatur, vel ne, ex usu tractandi, minus horrendum vel abominabile fiat audientibus; vel ne detur simplicibus materia inde cogitandi, et curiosis occasio mali. Quocumque autem studio vigilans voluntariæ delectationis consensu se provocat ad pollutionis immunditiam, vel etiam aliunde hoc pati consentit, vel cooperatur alteri præter naturæ usum, ad quartam luxuriæ speciem debet pertinere.

De illusione somniorum prætermitto, quia sicut dormiens non est compos rationis, sic etiam non potest interim facere unde damnetur. Nam si vigilans forte dedisset occasionem unde dormiens illuderetur, cogitando, agendo, loquendo, vel etiam post somnium voluntarie delectando in memoria illusionis nocturnæ, hoc potius esset culpa vigilantis, quam dormientis : cum dormienti illusio sit pœna tantum culpæ præcedentis, vel occasio subsequentis in vigilante.

CAPUT XXXIX.

De remediis contra luxuriam.

Remedia contra luxuriam sunt septem, quæ ad præsens memoriæ occurrunt, sine quibus continentia non diu esse potest tuta.

Primum est, ut vir fœminarum, et fœmina virorum continuam familiaritatem devitet. [3] *A vestimento procedit tinea, et a muliere iniquitas viri.* Gregorius [4] : « Qui corpus suum continentiæ dedicant, habitare cum fœminis non præsumant. » Nam quandiu vitalis calor vivit in corpore, nemo præsumat ignem concupiscentiæ in se penitus extinctum esse. Et sæpe carbo videtur extinctus modica favilla opertus; sed si tangitur, comburit : diabolus vero cum duos carbones coadunaverit, afflat, donec eos incendat. [5] *Halitus ejus prunas ardere facit.*

[1] *Job.*, XLI, 12. — [2] *Rom.*, I, 26-27. — [3] *Eccli.*, XLII, 13. — [4] Greg., *Dialog.*, lib. III, c. VII. — [5] *Job*, XLI, 12.

Ignitus est enim igne gehennali. Carbo, si solus relinquitur, extinguitur; si componitur alteri, ex mutuo calore incenduntur ambo. Et sæpe spiritu amor incœptus, consummatur carne. Bernardus[1] : « Cum fœmina semper esse, et fœminam non cognoscere, hoc ego majus reputo quam mortuos suscitare. Qui ergo quod minus est non potes, quod majus est, quomodo credam tibi? » Astutus etiam diabolus, in principio incautæ familiaritatis, occultat laqueos tentationis carnalis, reputans quod desisterent a mutua dilectione, si sentirent inde stimulos peccati, donec per longam familiaritatem et incautam securitatem affectus amborum ita conflati et conglutinati fuerint in amore, quod, etiamsi sentiant sibi inde imminere tentationis periculum, nesciant resilire, nec ab invicem separari, viribus spiritualibus ita debilitatis in eis, quod neuter eorum valet sibimet vim facere tantam, ut evellat se de laqueo : imo timet alterum in tantum contristare, quod etiam reputat se perfidum, si deserat eum vel eam : et sic captus consentit alterius voluntati et propriæ infirmitati in omne peccatum. Sic Samson fortissimus, qui multas sæpe hostium acies straverat, et aliquoties de vinculis eruperat, confidens de viribus suis, liquefactus est amore Dalilæ, et *defecit anima ejus, et usque ad mortem lassata est*, dum nullam daret ei requiem, quousque plene cor suum ei exposuisset[2] : et sic deceptus hostibus aditum aperuit captivandi se, et ligandi, et cæcandi, et molam vertendi, et in ludum se hostibus exhibendi tandem pervenit. *Hæc autem* omnia *in figura facta sunt nostri*[3], *et scripta ad correptionem nostram*[4].

Secundum est vitare societatem et contubernium luxuriosorum, ne eorum exemplo ad similia per trahamur (*a*).[5] *Qui se jungit fornicariis, erit nequam.* Item[6] : *Amicus stultorum efficitur similis* illis. [7] *Proni sunt sensus hominis et cogitatio in malum :* et ideo facilius trahitur aliorum exemplo ad illud, quod appetit ejus sensus carnalis, dum non erubescit vitiosus videri, habens secum socios miseriæ suæ, quorum non solum exemplis, sed etiam persuasionibus et irrisionibus trahitur ad peccatum, et[8] *laudatur peccator in desideriis animæ suæ.* Et hæc est jam quasi præcipua causa, quare ita multiplicata sunt mala in Ecclesia, et quod in Religione studia spiritualia defecerunt, et ad exteriora studia et negotia plurimi defluxerunt, scilicet mala conformitas, dum quilibet vult alios imitari : sive quia aliud nescit, quam quod videt in aliis; sive quia non audet aliter vivere, quam illi cum quibus versatur, ex malo pudore timens aliis videri dissimilis; sive etiam quod pravus tepor et carnalis libertas gaudet se habere occasionem et quamdam excusationem apud homines agendi quodlibet, etiamsi non licet. [9] *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, scilicet eum qui multitudine postposita studet uni Domino placere et servire, *unam petens a Domino, et hanc requirens, ut inhabitet in domo Domini*[10] mente et conformitate, quod solum est necessarium. Unde proverbium apud homines est : Coululare lupis debet, qui commanet illis.

Cur to scandala in Ecclesia.

Tertium est corpus non delicate nutrire. Terra enim corporis nostri, quæ ex prima maledictione spinas et tribulos ultro satis germinat, si super hoc fuerit impinguata deliciis, tanta erit spinarum densitas, quod semen verbi veritatis in nobis penitus suffocabitur.[11] *Qui delicate nutrit servum in juventute sua, postea sentiet illum contumacem.* Bernardus : *Sufficit diei malitia sua*[12], scilicet concupiscentiæ naturali : quæ si cœperit accipere irritamenta ab his qui perpetuum suscepere bellum adversus ejus oblectamenta, fiunt duo contra unum : et ideo periclitatur continentia, quia duo resistunt

Caro non delicate nutrienda.

[1] Bern., *in Cant.*, serm. LXV, n. 4. — [2] *Judic.*, XVI, 16, 17. — [3] I *Cor.*, X, 6. — [4] Ibid., 11. — [5] *Eccli.*, XIX, 3. — [6] *Prov.*, XIII, 20. — [7] *Gen.*, VIII, 21. — [8] *Psal.* X, 3. — [9] *Psal.* XIII, 3. — [10] *Psal.* XXVI, 4. — [11] *Prov.*, XXIX, 21. — [12] *Matth.*, VI, 34. — (*a*) *Al.* trahantur.

uni, scilicet continentiæ, innata concupiscentia carnis, et provocatrix ipsa voluptas deliciarum. Unde Apostolus [1] : *Vidua quæ in deliciis est, vivens mortua est* per peccatum. [2] *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ : saturitas panis, et otium.* E contra Apostolus [3] : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Hostem suum armat, qui carnem suam fovet deliciis ultra necessitatem debitæ sustentationis. Quod autem hosti præstas, inde tibi noces.

Otium fugiendum.

Quartum est, otium fugere quod præcipuum est animæ contrarium. *Multam* enim [4] *malitiam docuit otiositas.* [5] *In desideriis est omnis otiosus.* Occupatus enim ab uno dæmone impugnatur; otiosus autem ab innumeris dæmonibus vastatur : quia quot cogitationes et desideria mala in corde versat, tot inimicorum jaculis patet. Bernardus [6] : « Omnium enim tentationum et malarum cogitationum sentina est otium. » Sicut per rimam sentinæ aqua latenter intrat, et crescit, donec navis mergatur; ita ex otio cogitationes et concupiscentiæ multiplicantur, donec navis cordis eis succumbens in peccato periclitetur. Unde et in monasteriis regionum nostrarum nostris temporibus pauci stabiles Religiosi sunt respectu antiquorum in Ægypto [7], in qua quandoque sub uno gubernatore simul tria vel quinque millia morabantur, quiete viventes magis, quam nunc apud nos possint decem vel pauciores obedienter et concorditer gubernari : quia, de labore manuum sustentati, lata prædia et redditus amplos non requirebant, et erant tantum operando colligentes victum, quantum consumentes; nec superflua desiderantes, nec evagantes mendicando, vel adulando pro aliorum donatione, sed de propriis laboribus se, et multos debiles, et pauperes sustentabant, et labori manuum intenti, rumoribus et rixis, et variis desideriis non permittebantur intendere. Nec quilibet in peram suam reposuit acquisita et elaborata; sed sicut semetipsos pro Christo abnegaverant, et alterius imperio se subjecerant, ita et omnia quæ habebant. Et quia hoc non strepitu clamoris, non secundum propriæ voluntatis arbitrium agebant, sed in summo silentio et quiete ad nutum abbatis et gubernatorum suorum; ideo a spiritu devotionis non solum non impediebantur per operis instantiam, sed et plurimum promovebantur, cum, peracto quotidiano statuto labore operis, reliquum temporis in lectione vel oratione solebant expendere. Et ideo stabiles et perfecti in omni virtute erant, qui omne tempus in bonis operibus et virtutum studiis impendebant, nihil otiose et curiose transeuntes; nec pro voluntate sua viventes, sed Superioris, secundum regulas a sanctis patribus, instinctu sancti Spiritus institutas, ad vitia extirpanda et virtutes usitandas. Unde Poeta :

Otia si tollas, periere cupidinis arcus.

Otiosa quoque vitanda.

Nec solum vitandum est otium, sed etiam otiosa. [8] « Otiosum est, quod nullam habet utilitatem, vel utilitatis intentionem. Et pro vitando otio, otiosa sectari ridiculum est. » Quid autem sit agendum, require, *De remediis acediæ* [9]. Item ut omni hora consideret homo, qualiter instans tempus possit utilius expendere, vel illud opus, quod tunc ei incumbit, optimo modo perficere, sive orando, sive laborando, vel refectioni corporis intendendo, vel aliud faciendo.

Quintum est exteriores sensus ab illicitis custodire : qui sunt quasi fenestræ [10] animæ, per quas mors peccati intrat, quasi fur vel corruptor castitatis nostræ, dum non custodiuntur. David non respexit uxorem Uriæ, quod prius eam concupierit; sed ideo concupivit, quia incaute respexit [11]. Sic Eva [12] vi-

[1] I *Tim.*, v, 6. — [2] *Ezech.*, xvi, 49. — [3] I *Cor.*, ix, 27. — [4] *Eccli.*, xxxiii, 29. — [5] *Prov.*, xiii, 4, juxta LXX. — [6] Imo Guill. a S. Theod., *ad Frat. de monte Dei*, c. viii, n. 21, inter apocryph. Bern. — [7] Vid. apud Hieron., *ad Eustoch.*, epist. xxii, col. m. 187, 188. — [8] *Ad frat. de monte Dei*, ubi sup. prox. — [9] Sup., c. xxxiii, pag. 352, col. 2, et seq. — [10] *Jerem.*, ix, 21. — [11] II *Reg.*, xi, 2. — [12] *Gen.*, iii, 6.

dit lignum quod esset *pulchrum visu aspectuque delectabile*, et concupivit et gustavit. Gregorius [1] : « Non expedit intueri, quod non licet concupisci. » Sic aures, sic manus, et alii sensus et membra coercenda sunt, ne hauriamus per ea mortiferum corruptionis. Dina quoque curiositatis causa *egressa videre mulieres religionis illius* [2], corrupta est. [3] *Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ.* E contra Job ait [4] : *Pepigi fœdus cum oculis meis ut ne cogitarem quidem de virgine.* Sic boni Religiosi recludunt se in cellis et monasteriis, quasi in sepulchris, ne vel ipsi concupiscant mundum, vel concupiscantur. Quanto enim rarius vides vel audis quæ mundi sunt, tanto affectus tuus ad ea concupiscenda frigidior erit, et minus cogitabis ea. Et e converso quanto frequentius cum sæcularibus conversaris, eo magis pulvere sæculi respergeris, quo insensibiliter paulatim interius tenebrescis, et affectus tuus fit crudus, et mores insuaves. In molendino non pulverulentum fieri vix possibile est.

Sextum est interius reprimere cogitationes pravas et affectiones carnales : quia isti sunt domestici hominis inimici, quorum fraude urbs mentis inimicis traditur, si non bene caveatur. *Perversæ enim* [5] *cogitationes separant a Deo.* [6] *De corde enim exeunt cogitationes malæ, adulteria, homicidia, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt quæ coinquinant hominem.* Nulla exterior munitio sufficit ad custodiendum urbis claustra, ubi domestici perfidi fuerint : ita nulla custodia forinseca castitatem conservat sine custodia interna cogitationum et affectionum. [7] *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.* Castis et honestis matronis non solum prava opera, sed etiam suspecta susurria fugienda sunt, per quæ tentari vel infamari potuerit earum castitas et honestas, et maritus provocari in furorem, et zelotypiæ spiritu inflammari. Sic anima religiosi, quæ Christo desponsata est per fidem et votum castitatis, susurria pravarum suggestionum non recipiat vel retineat in corde, quod Dominus semper intuetur. [8] *Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ ?*

Septimum est frequens studium orationis et devotionis. [9] *Ut scivi quia aliter non possim esse continens, nisi Deus det, adii ad Dominum, et oravi, et dixi ex totis præcordiis meis*, etc. Et Psalmista [10] : *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Et ideo semper est orandum, quia sine ipsius auxilio possumus facere nihil, ut rore gratiæ suæ extinguat in nobis ignem concupiscentiæ. Ipsa etiam orationis virtus, quia elevat mentem supra se ad Deum, purificat ejus affectiones, et desideria castificat, et intellectum illuminat, et Dei amorem infundit : ex quo generatur quidam horror peccati, et detestatio carnalis voluptatis, voluntas roboratur contra tentationes, et ipsæ tentationes debilitantur, ut facilius devincantur. Unde, cum Moyses in monte orans manus elevaret ad Dominum, vincebat Israel ; cum vero remitteret eas, et deponeret, vincebat Amalec [11]. Moyses est Religiosus de aquis sæculi abstractus ; Amalec vero, tentatio carnis ; manus vero Moysi sunt affectus et memoria. Quando istas elevamus ad Deum, hostis tentationis succumbit ; quando ad terrena eas dimittimus, hostis roboratur.

[1] Greg., *Moral.*, lib. XXI, c. II, n. 4. — [2] *Gen.*, XXXIV, 1 et seq. — [3] *Thren.*, III, 51. — [4] *Job*, XXXI, 1. — [5] *Sap.*, I, 3. — [6] *Matth.*, XV, 19, 20. — [7] *Prov.*, IV, 23. — [8] *Jerem.*, IV, 14. — [9] *Sap.*, VIII, 21. — [10] *Psal.* CXXVI, 2. — [11] *Exod.*, XVII, 11.

LIBER SECUNDUS [1]

CAPUT PRIMUM.

Quod profectus religiosi septem processibus distinguuntur.

Primus progressus fervor est novitiorum.

Profectus Religiosi septem processibus distinguuntur, licet non ab omnibus attinguntur (*a*).

Primus est in fervore novitiatus, quo conversus quodam impetu bonæ voluntatis calet, ad omnia paratus in quibus se credit Deo placere : sive ex magna peccatorum contritione, et dolore, sive ex desiderio satisfaciendi Deo, sive recuperandi amissum tempus, et neglectum præmium per peccatum : sicut viator, qui diu mane dormiens, postea cum festinatione et impetu laborat tempus neglectum currendo recompensare, et socios, qui se præcesserunt, insequens invenire.

Secundus consistit in exercitio corporali.

Secundus processus est in labore corporalis exercitationis : quia, cum sit pauper, nondum invenire valet pretiosa munera, quæ in opus sanctuarii Domino offerat ; facit tamen quod potest, et *pilos caprarum et pelles arietum* [2] offerens, exhibet corpus suum *hostiam viventem, sanctam, Deo placentem* [3] ; licet quandoque minus *rationabile sit ejus obsequium*, propter indiscretam corporis castigationem, qua corpus destruitur, et vires deficiunt, et sensus amittitur, et spiritus extinguitur, et totus profectus spiritualis dissipatur. In omni oblatione tua offeres sal [4], scilicet discretionis, ut nec ad dexteram per nimium laborem, nec ad sinistram per nimium teporem a via regia declines. Anima enim est immortalis, et non potest deficere : et ideo corpus corruptibile, et vas fictile, non potest æqualiter contendere cum ea currendo, et tantum ferre laboris, quantum illa potest capere fervidæ voluntatis. Ebrius quandoque agitat equum, cui sedet, celeriter, non considerans quod cum ipse æstuet vino, ejus rude animal non sit satiatum fœno : et ita dum supra posse laborare cogitur, sub sessore cadens, tardius eum ad locum quo tendit pervenire facit, quam si morosius cursitaret. *Rationabile sit obsequium vestrum* [3]. Glossa : « Id est, cum discretione, ne quid minus vel nimis fiat, sed cum temperantia corpora vestra castigetis, ut non naturæ defectu cogantur dissolvi, sed vitiis mori. » Oportet carnem restringere, non extinguere, id est, reprimere, non opprimere ; ut serviat, non lasciviat ; ancilletur, non dominetur. Terra fertilis, si diu inculta fuerit, sylvescit ; si nimis cogitur fructificare, fit macra : sed si medium tenetur, fertilis perseverat. Sic etiam de agro corporis est agendum, ut nec de nimio otio vel deliciis lasciviat, nec inedia vel labore deficiat. Corporalis exercitatio in duobus consistit : in subtractione delectabilium secundum carnem, et in assuefactione asperitatum et laborum. Ab hac lege infirmi sunt excepti : quia nec suavia delectant propter amaritudinem doloris, et ipsa infirmitas acerbior est, quam labores sanorum et validorum. Valet autem affiictio corporis ad peccatorum purgationem, ad vitiorum repressionem, ad augmentum virtutis, ad spiritualis consolationis expressionem, sicut in torculari vinum exprimitur ad proximi ædificationem et meritum gloriæ.

Discretio in omnibus adhibenda.

[1] *Cf.* Edit. Vat., an. 1596, tom. VII, part. IV, pag. 612 ; edit. Ven., an. 1611, 5 ; edit. Lugd., an. 1677, tom. II, pag. 395 ; edit. Ven., an. 1756, tom. XIII, pag. 106 ; Bibl. PP. Lugd. 1677, tom. XXV, pag. 899, ubi pro titulo habet : *De septem Processibus religiosi status*, nec legitur : *Liber secundus*. — [2] *Exod.*, XXV, 4, 5. — [3] *Rom.*, XII, 1. — [4] *Levit.*, II, 13.

(*a*) *Bibl. Lugd.* distinguitur... attingatur.

Tertius est in consolatione spirituali.

Tertius processus est in spiritualis consolationis infusione : quia Deus, cum sit benignus et largus, remunerat hominem, qui fideliter offert ei totum quod habet et potest, id est, voluntatis fervorem, et corporis servitutem. Vera autem consolatio spiritualis consistit in duobus : in naturalium animæ potentiarum decoratione, et carnis ad spiritum quieta concordatione. Tunc enim homo vere spiritualis est, cum spiritus totus est ad Deum erectus, et ei coordinatus, et Deo plenus, et corpus spiritui non resistit in his quæ Dei sunt, sed pro modo suo prompte spiritui obtemperat, nec concupiscendo mala, nec horrendo dura, vel fastidiendo bona. Potentiæ animæ, in quibus imaginem summæ Trinitatis præfert, sunt tres : ratio, voluntas, et memoria ; quæ tamen in seipsis inanes sunt et vacuæ bonis, et indigent ornari et repleri ab illo, et de illo, qui fecit illas, hoc est a Deo. Ratio illuminatur ad cognitionem veri ; voluntas accenditur ad amorem boni ; memoria tranquillatur ad inhærendum et fruendum vero bono. Nulla istarum valet esse, vel perfici, sine aliis. Si ratio non videret, voluntas non amaret, quia nec sciret quid esset amandum ; si non amaret, non delectaretur in bono. Item si non memoraretur boni, quomodo posset agnoscere, vel illud amare? Summum autem bonum Deus est, et ideo etiam summe verum, quia ab ipso fluunt omnia, ut sint, et ut bona sint. Sicut Deus machinam hujus mundi ex nihilo creavit, postea distinxit et ornavit : ita hominem format secundum corpus in utero, deinde animam rationalem infundit ; deinde, per intervalla ætatum, intellectus secundum actionem crescit, et voluntas movetur, et memoria viget, quasi requirens ornatum sibi competentem. Rationis ornatus est lucida intelligentia de Deo, et de his quæ de Deo sunt, et ad Deum conducunt, ut intellectus sacræ Scripturæ, et rationes fidei et operum Dei ; et intelligere quid sit beneplacitum Dei, et inter vitia et virtutes discernere, et naturas eorum cognoscere, et remedia vitiorum, et vias virtutum ; in operibus Dei admirari potentiam, sapientiam et benignitatem ipsius. Et breviter dicendo, ornatus rationis sunt sapientia et scientia, quæ de Deo est. Ornatus voluntatis sunt sanctæ affectiones et devotio ad Deum, fervor fidei, fiducia spei, dulcedo charitatis et bonæ voluntatis alacritas, spes de remissione peccatorum, devotio circa Christi humanitatem et passionem, necnon circa ejus divinitatem, et desiderium regni cœlestis, confidentia de exauditione orationis, et affectus divinæ familiaritatis, et similia, quæ afficiunt hominem ad Deum et amorem virtutum, et ad odium vitiorum, et ad dilectionem proximorum, et ad studium bonorum operum. Ornatus memoriæ est sacrarum copia cogitationum, et affluentia utilium meditationum, et stabilis memoria Dei, et exclusio evagationis mentis, et tranquilla adhæsio Dei, et corporalium imaginationum repressio, et perfecta oblivio omnium mundanorum, et *unus spiritus* [1] esse cum Deo. Quia vero corpus datum est ad serviendum spiritui, debet ei obedire sicut domino in omnibus bonis, et non recalcitrare vel remurmurare, sicut contumax servus vel piger. Et spiritus, sicut prudens dominus, debet ei providere sicut servo in tribus : ut operetur utiliter, ne otio torpeat ; ut castigetur discrete, si in aliquo offenderit ; ut sustentetur temperate, ne lasciviat, vel deficiat sub onere. Quanto plus quisque secundum has regulas ordinatus est, tanto spiritualior est. Ista habere, est spiritualibus consolationibus foveri. Nam aliæ consolationes, sicut non sunt necessariæ saluti, sic etiam suspectæ sunt, et sæpe falsæ, et fictæ, et deceptoriæ : ut visiones, revelationes, prophetiæ, sensuales oblectationes, miraculorum operationes, maxime modernis temporibus, licet quandoque reperiantur veræ, sed in paucis. Datur autem spiritualis consolatio novis religiosis quandoque, ut videant quam large Deus remu-

Consolatio vera spiritualis in duobus consistit.

Tres potentiæ animæ homo a Deo oriendum.

Rationis ornatus.

Voluntatis ornatus.

Memoriæ ornatus.

Corpus spiritui servire, spiritus corpori providere debet.

Consolatio spiritualis cur subinde de-

[1] I *Cor.*, VI, 17.

tur novitiis.

nerat sibi servientes, et quam bonum est servire tam dulci Domino; item ad confirmationem fidei, ad robur spei, ad charitatis accessionem, ad desiderii inflammationem et eruditionem, ut videant quo pergendum sit, sicut in tenebris lumen ostenditur, ut videatur quo sit eundum, et ubi cavendum; item ad muniendum contra futuras tentationes.

Quartus pugnæ et tentationis est.

Quartus processus est tentationis et pugnæ et tribulationis, quibus probatur homo, et purgatur, et exercitatur, eruditur et humiliatur. [1] *Qui certat in agone, non coronabitur, nisi legitime certaverit.* Quidquid diu debet durare, solet probari si durabile sit; et omne nobile et carum probatur, si valeat sicut debet. Ita virtus hominis, quæ nobilissima est et quæ in perpetuum durare debet, in tempore tentationis probatur si constans sit : et Deus probat amicos suos adversitate, si fideliter in ipsa perseverent. [2] *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis.* [3] *Quia acceptus eras Deo, necesse erat ut tentatio probaret te.* Purgatur etiam homo a peccatis per tribulationem tentationis, ut dignus fiat gloriæ cœlestis celeri introitu, ne post mortem indigeat gravius et diutius purgari. Purgatur etiam ut majoris gratiæ capax fiat, sicut vitrum obscurum tergitur, ut luminis amplius sit capax. Exercitatur item, ut agilior et promptior fiat ad opera justitiæ, virtutum exercitia : quia, in statu consolationis, sola quies mentis et studium devotionis videbatur ei sufficere ad summam perfectionem : quæ ideo ei ad tempus subtrahitur, ut discat et in aliis virtutum studiis se exercere. Sicut enim mercator non in uno foro, vel apotheca, omnia simul invenit quæ desiderat, sed in diversis diversa; ita religiosus non tantum in quiete devotionis et dulcedine consolationis spiritualis, sed etiam in labore certaminis et exercitio bonæ actionis, debet quærere studium perfectionis et merendi occasionem. [4] *Scio et abundare et penuriam pati : ubique et in omnibus instructus* (*a*) *sum.* [5] *Per arma justitiæ a dextris et a sinistris.* Eruditur etiam homo tentationibus, quando discit quæ sit utilitas tentationis, et profectus ex eis proveniens : quia ex hoc levior fit ei tentatio, cum intelligit quare sic Deus permiserit, et quis sibi fructus inde accrescit. [6] *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis sustinere.* Eruditur etiam, quod non tantum innitatur experientiis consolationum, quantum in fiducia ad Deum, vel fidei certitudine, sicut quidam rudes in via Dei, qui statim cum subtrahi sibi sentiunt consolationis experientiam, animo concidunt, credentes Deum a se esse aversum, vel etiam in fide titubare incipiunt, an vera sint quæ de Deo senserunt. Vult autem Dominus erudire nos per subtractionem consolationis, et inniti veritati scripturæ et fidei, potius quam nostræ qualicumque experientiæ : quia fides non haberet meritum, si in sola experientia consisteret : spes quæ jam teneretur experientia, *spes non esset* [7]. *Per patientiam* autem [8] *et consolationem Scripturarum,* potius quam experientiam, *spem habeamus,* credentes nunquam Deum averti a nobis, quamdiu voluntas nostra a Deo non est aversa per consensum peccati, vel torporem negligentiæ. [9] *Mandasti justitiam testimonia tua, et veritatem tuam nimis.* Hæc sunt vera testimonia gratiæ Dei, justitia in voluntate et operatione, et veritas Dei secundum promissiones sacræ Scripturæ, quæ promittit nobis vitam æternam, si mandata ejus observemus. [10] *Etiam si occiderit me, in ipso sperabo.* Noli ergo diffidere, cum consolatio internæ dulcedinis tibi subtrahitur, quasi Deus dereliquerit te, et bona opera tua non sint ei accepta; sed recurre ad illa vera testimonia, et consolare in ipsis, scili-

Tentatio probat et purgat, et erudit.

Consolatio spiritualis cur aliquando auferatur.

[1] II *Tim.*, II, 5. — [2] *Eccli.*, XXVII, 6. — [3] *Tob.*, XII, 13. — [4] *Philip.*, IV, 12. — [5] II *Cor.*, VI, 7. — [6] I *Cor.*, X, 13. — [7] *Rom.*, VIII, 24. — [8] Ibid., XV, 4. — [9] *Psal.* CXVIII, 138. — [10] *Job*, XIII, 15.

(*a*) Vulg. et Bibl. Lugd. *institutus.*

cet ut confidas veritati Dei, quod quamdiu tu non decedas ab eo per consensum prævaricationis mandatorum ejus, quod ipse non derelinquet te per propitiationem suam. Non enim nos elegimus eum; sed ipse elegit nos, et prius dilexit nos, et non deserit se non deserentes : qui etiam dilexit nos nondum existentes, vel etiam resistentes ei per peccatum. Unde dilexit nos et elegit nos, non propter nos, sed propter seipsum, ex sola bonitate sua : propter hoc etiam servabit nos. Humiliat etiam nos Deus per tentationum tribulationes, ut agnoscamus quid sumus ex nobis, ne extollamur ex eo quod a Deo accepisse putamus. [1] *In igne probatur argentum et aurum; homines vero receptibiles in camino humiliationis.* Quidquid scoriæ vel falsitatis intus latuit, ignis tentationis prodit. De ipsis etiam bonis humiliamur, videntes quod nostra non sunt, sed Dei : qui quando et quantum voluit, dedit nobis ex gratia sua, non ex meritis nostris. Si consolatio spiritualis homini non subtraheretur aliquando, extolleretur, et gratiam perderet, et periret. Subtrahitur ergo ei, ne amittat; perdit, ne perdat : sicut pater parvulo suo nummos negat, ne ludat et perdat, donec proficiat in prudentia, et sciat provide conservare. Videmus quosdam pueros gratiosos nimis sibi inde placere, et gloriam humanam quærere, et tandem evanuerunt coram Deo, et hominibus viluerunt. [2] *Qui delicate nutrit servum suum ab adolescentia sua, postea illum sentiet contumacem.* Benignus Deus, cujus *deliciæ sunt esse cum filiis hominum* [3], libenter impartitur has delicias servis suis fidelibus *ab adolescentia*, id est, a novitate conversionis : sed, heu! postea quosdam eorum sentit contumaces, quando ex consolatione spirituali elati ceteros despiciunt, et in elationem versi dum famam laudis desiderant, jactantiæ vitio depravati, hypocritæ fiunt : et dum meliores videri laborant quam sunt, Deo se opponunt, gloriam Dei sibi temere usurpantes. Bonus autem Dominus, sciens quam utilis est homini tentatio et tribulatio, prius ostendit ei consolationes dulcedinis, quibus postmodum in tentatione confortetur, ne deficiat; et alliciatur, ut semper eas desideret, et non desistat eas acquirere, donec denuo recuperet quod amisit. Sic laborantibus in via, prius copiosa paratur refectio, ne in labore deficiant. Sic columbæ longius emittendæ, prius nutriuntur tritico cum melle, ut quantumcumque longe emissæ fuerint, semper illuc redire contendant, ubi delicate se pastas esse meminerint. Sic Petrus prius in montem excelsum seorsum ducitur [4], ubi gloriam transfigurationis Christi videat : ut postea a Satana expetitus, ut cribraret eum [5], in tentatione recoleret priorum dulcedinem quam expertus erat, et rediret ad Dominum, quem tam amabilem senserat, ne diffidens et deficiens desperaret. Sic filiis Israel prius manna in deserto datur [6], et postea longo itinere et certamine fatigantur.

[1] *Eccli.*, II, 5. — [2] *Prov.*, XXIX, 21. — [3] Ibid., VIII, 31. — [4] *Matth.*, XVII, 1. — [5] *Luc.*, XXII, 31. — [6] *Exod.*, XVI, 14. — [7] *Psal.* CXVII, 7. — [8] *Psal.* XXVI, 3.

CAPUT II.

De speciebus tentationum.

Tentatio a privatione consolationis.

Multæ autem sunt tentationum species. Una est subtractio et inopia devotionis. Aliæ tentationes sine ista nullam vel minorem virtutem habent, cum ipsa sit quasi domus refugii ab omni tribulatione. [7] *Dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos meos.* Item [8] : *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* Subtracto ergo tam singulari refugio, homo quodammodo inermis expositus est hostilitabus (*a*) tentationum; et ideo pavidus efficitur et pusillanimis, nisi fidei firmitate se muniat, et patientia et humilitate se defendat, quæ tunc maxime habent locum exercendi se, et magnam gloriam promerendi. Fides autem probatur, si credit vera esse quæ jam desiit per gustum dulcedinis experiri. Dulcia nimis sunt omnia,

Consolationis spiritualis subtractione

(*a*) *Cæt. edit.* hostibus.

virtutes probantur.

que de Deo credimus : sed gustus eorum ideo subtrahitur bonis, ut fides magis innitatur auctoritati Scripturarum, quam experientiæ propriæ, et magis ex hoc meritoria sit. Spes autem probatur, si confidat Deum sibi esse propitium, etiam dum flagellat; et ita studiose studeat ei servire et placere in omnibus, ac si sentiat et videat eum sibi esse placatum. Unde Abraham laudatur [1] quod *contra spem credidit* divinæ promissioni, *et non hæsitavit diffidentia : certissime sciens quod quæcumque promisit Deus, potens est et facere.* Patientia probatur, si non murmuret contra Deum, quasi sua duritia hominem tribulet ut desoletur; et si longanimiter sustineat beneplacitum Dei, et non deficiat in adversis. Humilitas probatur, si cogitet se digne puniri, qui quasi indignus sit consolatione spirituali; et si justificet Deum, quod juste judicaverit puniendo reum, et ingratum privando beneficio consolationis internæ. Tantum debet nobis Deus placere, et tantum debemus eum diligere, quando nos punit ut purget, ac si blandiatur ut consoletur. [2] *Quis enim filius quem non corripit pater?* [3] *Ego, quos amo, arguo et castigo.* Quidam etiam tentantur ex difficultate bene operandi, et habent aliquam bonam voluntatem, sed non fortem : et ex difficultate obstaculum inveniunt, quasi grave saxum volvunt, et inde affliguntur, tam ex remorsu conscientiæ, quæ accusat eos torporis, quam ex dolore tardi profectus, et desiderio vitæ sanctioris. Quidam enim vellent habere bona opera, et non valent ad ea exequenda seipsos vincere, juxta illud Apostoli [4] : *Velle mihi adjacet; perficere autem non invenio.* Aliqua vero possent; sed ita videntur eis arida et parva, quod diffidunt ea placere Deo, vel alicujus meriti fore : sic utrobique neglecti sunt, et incidunt in quamdam tristitiam, sicut dicit de talibus Bernardus [5] : « Sunt qui in studiis spiritualibus fatigati, et versi in torporem, ambulant tristes in viis Domini, longos dies et longas conqueruntur noctes, frequenter murmurant, arido corde ad quælibet injuncta accedunt, » etc. Quidam enim horror terret eos, cum cogitant de profectu spirituali, quasi dicant apud se : Bona est victoria; sed dura est pugna. Dulce præmium, sed labor merendi gravis. Sic exploratores missi in terram promissionis, reversi commendabant ubertatem terræ, ostensis fructibus, sed terruerunt populum pro difficultate expugnationis hostium, et proceritate inhabitantium [6]. Ita religiosi quidam, explorantes terram per Scripturas, magna gaudia cœli prædicant; sed pugnam tentationum et labores spiritualium exercitiorum ita exhorrent, quod potius in deserto mori volunt, quam introduci in terram promissionis : hoc est, magis volunt in quodam medio statu manere inter sæcularem vitam et spiritualem, quasi inter Ægyptum et terram promissionis; in deserto aridæ conversationis, quam per laborem et tribulationes pervenire ad gratiam perfectionis. Gigantes etiam terræ mirantur, et timent quasi monstra Enacim, cum magnorum sanctorum virtutes considerant, et de propria parvitate diffidentes, illorum perfectionem attingere, non ex humilitate, sed ex paviditate, desperant, causantes et murmurantes contra Dominum, quod tam dura servitia ab homine requirat, sicut illi, cum educti essent de Ægypto, ad tales miserias tolerandas. Inde etiam est quod tam pauci ad perfectionem perveniunt, sicut, de omnibus supra ad pugnam numeratis, tantum duo ad terram promissionis intraverunt [7] : quia soli illi perfecti sunt inter religiosos, qui in pugna tentationis et in exercitio virtutis infatigabiliter constantes fuerunt : in pugna resistendo malis; et in exercitio, insistendo bonis usque in finem. Et hoc sequitur alia tentatio, scilicet fastidii, qua fastidit homo omne bonum : tædet eum orare, legere, meditari;

Tentatio a difficultate bene operandi

Cur pauci ad perfectionem perveniant.

Tentat fastidii

[1] *Rom.*, IV, 18, 20, 21. — [2] *Hebr.*, XII, 7. — [3] *Apoc.*, III, 19. — [4] *Rom.*, VII, 18. — [5] Bern., *in Cant.*, serm. XXXII, n. 4. — [6] *Num.*, XIII, 26 et seq. — [7] Ibid., XIV, 6.

tædet eum audire bona, vel loqui, vel operari, vel interesse divinis, etiam quæ sine gravi labore facere posset. Et exinde cum ad magna virtutum præmia pervenire diffidit, etiam in minoribus exerceri fastidit. Et quod hæc tentatio ex priori oriatur, ostenditur : quia statim post murmur populi pro labore, sequitur[1] murmur pro fastidio mannæ, quod significat spiritualis refectionis alimentum, sicut sunt verba sacræ Scripturæ, et bona opera, quæ pascunt animam et reficiunt conscientiam. De hoc Propheta dicit[2] : *Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis.* Ad duo autem trahit ista tentatio : aut ad exteriores consolatiunculas et sæculares levitates, ut, qui non habet in spiritualibus delectationem, saltem in carnalibus quærat et sæcularibus nugis, quo consulat fastidio quo vexatur : sic et illi qui manna nauseant, carnes concupiscunt, et pepones et porros[3], etc., id est, carnalia et terrena gaudia, et sollicitudines exteriorum negotiorum, quæ sua acredine quasi porri fastidientem gustum mutando delectant, sed postea conscientiam amaricatam ad fletum compellunt : aut ad nimiam tristitiam trahit hæc tentatio fastidii, dum non habet in spiritualibus delectationem, et in carnalibus consolari renuit : et sic nusquam inveniens refugium, magno mœrore consumitur. Solum ergo restat, ut instanter *clament ad Dominum cum tribulantur*[4], *ut de necessitatibus suis liberentur, et sacrificent sacrificium laudis, et annuntient opera ejus in exultatione*, id est, recolant beneficia Dei, et ex illis ad laudem ejus in exultatione spiritus provocentur. Quæ si statim non successerit, sequitur alia tentatio gravis impatientiæ contra Deum, quare tam durus et immisericors sit tribulato, quare tam parcus in dando egeno gratiam, et tam anxie petenti, et tam importune pulsanti. Et hæc tentatio quandoque tam valida est, quod quasi insanit homo, et palpitat ex vehementi mœrore : quia ibi non invenit solatium quod deberet ei esse unicum refugium, scilicet in oratione et in tanta supplicatione, cum Dominus dicat[5] : *Omnis qui quærit, invenit.* Clamo ad te, et non exaudis me : sto, et non respicis me. [6] *Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi.* [7] *Multitudo viscerum tuorum et miserationum tuarum super me continuerunt se.* [8] *Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies, vociferabor vim patiens, et non salvabis?* [9] *Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? usquequo avertis faciem tuam a me?* Item[10] : *Exurge, quare obdormis, Domine? exurge, et ne repellas in finem.* Item illud murmur filiorum Israel[11] : *Estne Deus in nobis, an non?* Hæc omnia illius tentationis anxietatem exprimunt, quæ non valet melius superari, quam patienter tolerando et humiliter expectando, donec nobis benignitatis suæ vultum dignetur ostendere, et manum largitatis aperire : ut cœlum, quod super nos quasi æneum sentitur, stillas gratiæ nobis influat : et terra cordis nostri quasi ferrea, emollita pluviis benignitatis Domini, fructum suum[12], id est, affectus pios, et desiderium devotionis germinet. Illa autem tentatio magis periculosa est, quæ minus molesta sentitur : quando ex longo usu subtractionis gratiæ devotionis, et post anxia multa desideria, et labores pro recuperanda gratia, homo quasi lassus remittit animum ab intentione quærendi, et sub colore patientiæ desinit oculos attollere ad opes, quas habere se posse non videt, et indignanti humilitate cogitat se indignum tali gratia : quia forsitan aliud de illo præordinavit Dominus, ut ad exteriora conversus multis prosit, et ideo ab interioribus sit repulsus. Vult etiam sub discretionis velamine deinceps parcere sibi, ne corpus nimis debilitetur, vel caput irrecuperabiliter destruatur. Et incipit remis-

Tentatio minus molesta periculosior.

tatio patiæ.

[1] *Num.*, XXI, 5. — [2] *Psal.* CVI, 18. — [3] *Num.*, XI, 5. — [4] *Psal.* CVI, 13, 22. — [5] *Matth.*, VII, 8. — [6] *Job*, XXX, 21. — [7] *Isa.*, LXIII, 15. — [8] *Habac.*, I, 2. — [9] *Psal.* XII, 1. — [10] *Psal.* XLIII, 23. — [11] *Exod.*, XVII, 7. — [12] *Psal.* LXXXIV, 13.

sior esse in studio orationis, et ad confabulationes promptior, ad evagandum paratior, ad corporis commoda studiosior, ad inanes jocos promptior, ad exteriores occupationes, sub specie redimendi tempus utiliter, voluntarius et intentus. Et ita paulatim subtrahitur a primo fervore, et desiderium perficiendi refrigescit, et studium languescit, et subintrant affectiones religiosarum fœminarum, et visitationes earum : et omnibus aliis extinctis solum remanet ei ad solatium debile, quod adhuc scit loqui de spiritualibus : per quod vel seipsum præfert multis inexpertis talium experientiarum spiritualium, vel acquirit sibi nomen apud religiosas fœminas, quæ existimant eum loqui ex cordis abundantia, et esse bonum instructorem vitæ spiritualis et devotionis internæ. In hujus tentationis tempestate plurimi fluctuant, et pauci enavigant : quia nec amor Dei afficit, nec desiderium trahit, nec timor stimulat, nec fervor proficiendi urget : remissi in omnibus, et si quæ bona videntur facere, ex usu quodam, vel ex pudore humano faciunt, vel ex timore, ne deterius eis contingat. Unde qui hoc superare desiderat, oportet ut vim sibimet faciat, tam cordi, quam corpori, sicut pigrum animal quod calcaribus tunditur, flagellis agitatur. Quidam trahuntur impetu fervoris ad bonum. Sicut igitur illi indigent fræno quo retrahantur, ne præcipitentur : ita alii indigent flagello impellente, quo ad bonum quasi coacti incitentur. Misericors autem Deus, quo difficilius quis in tentationis pugna certaverit, eo majoris perfectionis ei gratiam tribuet in præsenti, et majoris gloriæ præmium in futuro.

Sunt aliæ plurimæ tentationum species, quarum naturam, origines et causas prosequi longum est. Si enim nullus medicorum omnes membrorum corporalium varietates et dolores plene potest cognoscere; quanto minus spirituales morbos tentationum et passionum, quæ subtiliores sunt, valet aliquis plene discernere, nisi Spiritu sancto plenissime illustratus! Acerbissimæ tamen tentationes videntur hæsitatio in fide catholica, et desperatio de Dei misericordia, et spiritus blasphemiæ contra Deum et contra sanctos, et tentatio sibimet injiciendi manus et se perimendi, et quædam perplexitas querulosæ conscientiæ, medicinale consilium non admittens.

Tentatione gravissimæ.

CAPUT III.

De remediis contra acerbissimas tentationes.

Contra tales ista maxime valent remedia. Primo, ut consolentur, quod non timeant illas tentationes, quia magis proficient ad meritum patienti, quam ad detrimentum. Secundo, quod patienter tolerent, sicut si Satanas visibiliter, vel sensibiliter aliquem turbaret. Tertio, quod non curentur, nec ratiocinando eis resistatur, quia ex hoc magis quasi confricatæ inflammantur; sed ad alia tractanda se convertat homo, quibus abstractus a se, obliviscatur passionis suæ : sicut corporali passione laborans, si habet quo occupatus obliviscatur sui, levius interim torquetur. Quarto ut orationibus suis, et aliorum bonorum hominum, misericordiæ divinæ remedium imploret.

CAPUT IV.

De generalissima tentatione.

Generalissima autem tentatio, qua omnes in hoc mari magno et spatioso quassamur, potest ad omnium vitiorum conflictum referri : in qua sæpe periclitamur quasi submergendi, et iterum resumptis viribus sublevamur, quasi deinceps ab eorum impugnatione securi. De qua dicitur [1] : *Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis.* Mare est vitiorum profundum; naves, religiones, quibus enavigatur sæculi vitiis; procellæ maris tentationes sunt vitiorum. Ubi vident navigantes *opera Domini, et mirabilia ejus in profundo* [2], quando considerant, quanta potentia et

[1] *Psal.* CVI, 23. — [2] Ibid., 24.

pietate custodit certantes a fluctibus peccatorum, et quanta sapientiæ ratione permittit eos tribulari, et dat eis victoriam per varia consilia, et remedia vitiorum. [1] *Qui non est tentatus, quid scit? et qui non est expertus, pauca recognoscit. Vir in multis expertus cogitabit multa: et qui multa didicit, enarrabit intellectum.* [2] *Ascendunt usque ad cœlos* per fiduciæ securitatem, et rursum *descendunt usque ad abyssos* per timorem succumbendi in tentatione: vel *ascendunt usque ad cœlos* aspiciendo divinæ pietatis auxilium, *et descendunt usque ad abyssos*, intuendo propriæ fragilitatis defectum.

CAPUT V.

De utilitate subtractionis spiritualis consolationis.

Tria autem discimus in subtractione consolationis internæ, scilicet: de minimis beneficiis gratias agere; et minimas quaslibet culpas et negligentias timere et cavere; et minima quæque adversa docemur patienter tolerare. De opulenta mensa multæ micæ, imo aliqua frusta cadunt quandoque, et neglectæ, vel pro nihilo reputatæ, perduntur. Sic et homo abundans diversis consolationum donis, quandoque plurima beneficia Dei sine debita gratiarum actione præterit, plurimas gratias negligit opere exercere, plurima parva reputat quæ magna sunt, plurima nec cognoscit. Sed his omnibus subtractis, sicut *vir videns paupertatem suam* [3], recolit quanta prius habuit et potuit, quæ jam non habet vel potest: et sicut mendicus famelicus modicam buccellam gratanter acciperet et studiose colligeret, qui prius delicata fercula parvipendebat. [4] *Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant.* Beneficia Dei nobilia et pretiosa sunt ex dignitate dantis, et affectu liberalitatis et charitatis quo dat: qui etiam parva si daret, grata esse deberent. Item ex pretiositate et utilitate doni: nam quid nobilius spiritu Dei quem dat nobis? Quid utilius eo quo transformamur in Deum, et deificamur, et beatificamur, et hæredes regni ejus efficimur? Unde [5]: *Maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamur divinæ consortes naturæ.* Item ex vilitate ejus cui datur: quid enim Deo cum luto? *Lutum* enim [6] sumus, viles, vitiosi, peccatores ingrati, inopes omnis boni, miseri et mortis rei; et tamen Deus memor esse nostri dignatur. Si rex dignaretur pauperis tantum habere memoriam, etiamsi modicum daret, hoc ipsi pauperi magnum videri deberet. [7] *Quid est homo, quod memores ejus; aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Minimas etiam culpas cavere docemur, quia timendum nobis est, ne forte ex culpis nostris et ingratitudine gratia sit nobis subtracta, ut eam recuperemus cavendo negligentias, quam amisimus in tanta ubertate, vel liberalitate. [8] *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Augustinus [9]: « Vitasti grandia, cave ne obruaris arena. [10] *Qui timet Deum, nihil negligit.* Ex minimis guttis multiplicatis, inundationes aquarum fiunt, quæ quandoque etiam magna mœnia subruunt. Per modicam rimam aqua latenter in navem influit, donec submergatur. Minima etiam adversa patienter tolerare assuescimus, quia majora non superat, qui minora tolerare non discit. Multi optant pro Christo mori, qui pro Christo nolunt verba levia pati. Sed quem terret sonitus folii volantis, quomodo sustineret ictum gladii terribiliter vibrantis? Discamus ergo omnia peccata pro posse cavere, et pro his, quæ commisimus, omnia adversa humiliter pati, et omnibus beneficiis Dei debitam considerationem cum gratiarum actione exhibere semper, et gratiam Dei non in vacuum recipere, et digni erimus ut gratia, nobis subtracta, etiam augmentata reddatur, et ut ad magnum profectum virtutis perve-

Simile.

Beneficia Dei, tsi parva videantur, pretiosissima.

Culpæ minimæ etiam cavendæ.

Simile.

Adversa ferenda.

[1] *Eccli.*, XXXIV, 9, 10. — [2] *Psal.* CVI, 26. — [3] *Thren.*, III, 1. — [4] *Joan.*, VI, 12. — [5] II *Petr.*, I, 4. — [6] *Isa.*, LXIV, 8. — [7] *Psal.* VIII, 5. — [8] *Eccli.*, XIX, 1. — [9] Aug., *in Psal.* XXXIX, 13, Enarr., n. 22. — [10] *Eccle.*, VII, 19.

Tentatio quid sit, t quomodo fiat

nire mereamur. Tentatio autem, quantum ad præsentem materiam, dici potest quilibet motus, vel affectus, vel sensus a vero bono retrahens. Fit autem hoc tribus modis : alliciendo per delectabilia; aut terrendo per contraria et aspera; aut decipiendo per falsa et verisimilia : et sic tres vires animæ corrumpuntur. Concupiscibilitas, per delectabilia carni, oculis, et cordi, id est, per voluptates, divitias, et honores mundanos. Irascibilitas per timores varios debilitatur, in resistendo vitiis, et insistendo virtutibus. Rationabilitas cæcatur, ut bonum malum judicet, et malum bonum; et lucem veritatis ponat tenebras, et tenebras falsitatis ponat esse lucem. [1] *Cor meum conturbatum est, sicut aqua* luto turbata et immundata : *dereliquit me virtus mea,* qua debui vero bono veraciter et tenaciter inhærere : *et lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum,* in quo verum a falso discernere debui. Concupiscibilitas dupliciter tentatur : quia delectatio spiritualis ei subtrahitur, et inde desolatur; et carnalis concupiscentia ei ingeritur, et inde fœdatur. Irascibilitas dupliciter tentatur, dum infirmatur ad bonum, et proclivis est ad malum. Rationabilitas dupliciter tentatur, quia intelligit bonum, et non agnoscit quod bonum sit, et sub specie veri a falsitate deluditur. Diabolus suggerit animæ interius prava consilia; mundus exterius ingerit materiam concupiscibilem (*a*); caro delectatur, mens recipit, et consentit tentationi, vel repugnat. Utrum autem utilius sit habere tentationes, vel carere, solus rei exitus probat : quia habere eas, et viriliter resistere, magnæ virtutis est; superasse vero et triumphasse de ipsis, gloriosum est. Carere autem eis commodius et securius est; succumbere est periculosum. Appetere eas, et sese ingerere, incautum est, maxime infirmis et imperfectis. Exercitare tamen se ad pugnam contra spiritualia vitia, videlicet iram, invidiam et vanam gloriam, etc., aliquando utile est ei, qui inter illos morari elegit, qui eum persequuntur et offendunt, ut sic discat patientiam; et ei qui sub districto magistro vivit, qui in omnibus frangit ejus voluntatem, ut sic assuescat humiliter esse obediens et prompte : et sic de cæteris vitiis spiritualibus expugnandis. De carnalibus autem vitiis hoc periculosum et stultum est; sed fugiendæ sunt eorum pugnæ, et a memoria excludendæ, et occasiones eorum tollendæ. Unde Dominus noluit se permittere de luxuria tentari, ut doceret non debere nos ingerere huic tentationi, etiam spe triumphi et præmii. Cum enim hæc tentatio magnam habeat delectationem admixtam, et in hoc vitio omnes concepti simus, et non solum mens, sed etiam corpus delectetur, ideo periculosus ejus aditus conceditur : sicut hostis qui in urbe aliquos faventes sibi habet, si intra portas irruperit, potentius ipsam capit. [2] *Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est. Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Tentationibus in quibus delectatio consistit, maxime teneri et infirmi superantur, in quibus amor mundi nondum extinctus est : et ideo reaccenditur ex concupiscentiis mundi, sicut candela adhuc fumigans cito capit flammam. Tentatio vero impetuosa et quasi violenta fortiores impetit, ut qui mollibus non flectuntur, duris et robustis tentationibus quasi ventis validis evellantur. Tentationes autem fraudulentæ, quæ sub specie boni se palliant, licet quosque rudes et stultos decipiant, qui *nondum cognoverunt altitudinem Satanæ* [3], id est astutias ejus, tamen singulariter perfectis et bene proficientibus insidiantur. Psalmista [4] : *In via hac qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.* [5] *Ipse Sanatas transfigurat se in angelum lucis.* Si enim eis in sua figura, quæ turpis est, appareret, horrerent eum et fugerent : si aperte impugnaret, resisterent ei, et auxilio Dei fugarent eum et vincerent, et sic nihil apud eos proficeret. Boni enim, quia

An sit utilius tentari, vel non tentari.

[1] *Psal.* XXXVII, 11. — [2] I *Cor.*, VI, 18. — [3] *Apoc.*, II, 24. — [4] *Psal.* CXLI, 4. — [5] II *Cor.*, XI, 14.

(*a*) *Ita Bibl. Lugd. Cæt. edit.* malitia contumeliæ.

mundi sunt, detestantur immunda peccata; quia virtuosi sunt, viriliter contra omne malum repugnant, quod malum esse cognoscunt. Venit ergo Satanas in specie angeli boni, quem credit a bonis diligi : ut tanto facilius decipiat eos, quanto bonus nuncius putatur, et qui non soleat nisi bona nunciare et suadere. Bernardus [1] : « Bonus numquam nisi boni simulatione deceptus est. » Et ut facilius recipiatur ejus persuasio, primo sola bona proponit; postea, mixta malis; tandem, falsa bona, sed vera mala; postremo cum irretierit eos et illaqueaverit insolubiliter, aperte caput venenatum erigit, et in aperta peccata eos dejicit : sicut scorpius qui blandam faciem habet, sed caudam venenosam, quæ occidit.

Sic Gabaonitæ, simulato peregrino habitu, deceperunt filios Israel [2], ut parcerent eis, cum de genere hostium essent. Quanti, sub specie spiritualis dilectionis, spirituales fœminas frequentaverunt, et orationum ipsarum obtentu ! Ecce quanta puritas in intentione prima ! scilicet charitas et devotio. Postea sequuntur longæ confabulationes, modo de Deo, modo de ipsorum mutuo amore et fide, et amorosi aspectus, et munuscula pro memorialibus charitatis. Ecce quomodo mixta sunt jam bona spiritualis consolationis, et fidelis affectionis, cum malis inutilis confabulationis, et incautæ familiaritatis, et inutili occupatione cordis circa dilectam ! Tandem sequuntur falsa bona, sed vera mala, scilicet amplexus, et oscula, tactus manuum et uberum, et similia : quæ omnia suspecta sunt carnalis dilectionis indicia, et turpis operis præludia. Postremo impudica succedunt, quasi fructus præcedentium, scilicet aperta opera iniquitatis. Augustinus [3] : « O quam parva et brevis concubitus hora, in qua amittitur vita æterna ! » In hunc modum palliat se sæpe superbia, sæpe invidia, et avaritia, et alia vitia : quæ cum non audeant bonos tentare aperta facie, quos sciunt omne malum odire, assumunt aliquod virtutis velamen, ne agnoscantur esse quod sunt : sicut qui mentitur se esse amicum, donec admissus dolose et latenter alium interficiat : sicut Joab [4] tenuit mentum Amasæ quasi osculaturus eum, ne suspicaretur eum hostem esse, et non observaret gladium ejus dolosum, et ita occidit eum dolo. Sic Judas [5] osculo Christum tradidit crucifigendum. In tentatione tria maxime dolemus : sive ex labore pugnæ et inquietudine cordis, quam patimur ; sive ex timore, ne forte superemur et succumbamus per tentationis consensum ; sive quia timemus ne forte nimis debiliter resistamus, et propter hoc Deum et propriam conscientiam offendamus, licet tamen non consentiamus.

Brevis concubitus hora erdit vitam æternam.

CAPUT VI.

Quibus modis sit resistendum tentationibus.

Omnibus tentationibus, his quatuor modis resistendum est. Primus est cogitationes avertere, alias occupationes assumendo, quibus obliviscatur homo impugnationis, quantum potest. Secundus, materias et occasiones tentationis fugere et declinare, maxime carnales, quæ appropinquantes sibi accendunt ut ignis. Tertius, patienter et humiliter virgam Domini sustinere, ut et se dignum judicet afflictione et labore pugnæ, et patienter toleret, confidens quod ei proveniet in bonum : quia sic citius placabilis erit ei Dominus, et purgabitur a peccatis, et emundabitur vitiis, et ditabitur virtutibus, scientia, meritis et gloria. Unde Gregorius [6] : « Qui appetit plene vitia vincere, studeat humiliter purgationis suæ flagella tolerare. » Cum Deo enim non possumus contendere : nec per justitiam, quia peccatores sumus; nec per potentiam, quia infirmi et servi ejus sumus ; nec aufugere ab eo per astutiam, quia nusquam eum latere possumus, et dominii ejus

Patienter ferenda virga Domini.

[1] Bern., *in Cant.*, serm. LXVI, n. 1. — [2] *Jos.*, IX. — [3] August., vel quivis alius, simile aliquid habet, serm. CCL, *de Tempore*, al. CCXCIII, n. 3, inter Oper. S. Aug., Append. tom. V. — [4] II *Reg.*, XX, 9. — [5] *Matth.*,, XXVI, 49; *Luc.*, XXII, 48. — [6] Greg., *in Evang.*, hom. XV, n. 4.

terminos exire. [1] *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam?* [2] *Sapiens corde est, et fortis robore : quis restitit ei, et pacem habuit?* Humiliemus ergo nos coram ipso, et sic misericordiam consequemur. Quartus modus est orationi incumbere, et auxilium supernæ virtutis per se et aliorum suffragia implorare : quia nec nostris meritis, nec viribus, nec prudentia possumus de tot hostibus triumphare, vel sine lethali vulnere transire, nisi protecti manu Dei, et ejus adjutorio confortati. [3] *Invoca me in die tribulationis; eruam te, et honorificabis me.* Ad hoc enim quandoque Deus permittit hominem tentari et tribulari, ut excitetur ad orationis studium, et confugiat ad Dominum, et experiatur ejus auxilium, et ad ejus auditionis solatium amplius in ejus amorem inardescat; et sic tam in merito virtutum, quam in fiducia dignationis (*a*) ejus excrescat. Sic [4] *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, tam prospera, quam adversa. Solet etiam quandoque Deus fidelem servum suum postmodum amplius consolari, et purioris perfectionis gratiam conferre in illis, de quibus aliquando fuerat in tentationis molestia graviter tribulatus, sicut de beato Benedicto scribit beatus Gregorius [5], qui dum carnis tentatione graviter tentaretur, quia viriliter restitit, ita plene vicit, ut Dei gratia nunquam postea motus carnalis illecebræ in se sentiret. [6] *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Sic enim in tentationibus contra fidem et blasphemiam spiritus, meretur fidelis bellator quandoque in fide clarius illuminari, et in amore Dei ardentius inflammari. [7] *Erunt capientes eos qui se ceperant, et subjicient exactores suos.*

Orationi instandum.

CAPUT VII.

Quintus processus.

Quintus processus.

Quintus modus est, qui etiam quintus religionis processus est, singulis vitiorum tentationibus, singularibus remediis mederi. Hic potest status curationis vel remediorum spiritualium dici, quo cura diligens morbis vitiorum adhibetur, ut ad statum sanitatis perveniatur, de quibus remediis, quia in præcedentibus dictum est, hic non est opus repetere. Ea autem diligentia debet quisque studere remedia animæ suæ perquirere, et sanandis spiritualibus morbis vitiorum invigilare, qua lethali morbo laborans medicum qui eum curare posset, inquireret. Et tanto diligentius cura animabus curandis adhibenda est, quanto animarum morbus periculosior est, et cura difficilior, et sanitas præstantior animæ, quam corporis morituri. In quantum vero plus de corporis sanitate sumus, quam de animæ salute solliciti, in tantum convincimur illud plus diligere, et ejus sanitatem amplius desiderare.

Quanta cura ægris corporibus, tanta, imo major est animis vitiosis adhibenda.

CAPUT VIII.

De sanitate animæ.

Sanitas corporis consistit in integritate membrorum, et sensuum, et in ordinata qualitate humorum et vigore spirituum. Sanitas animæ consistit in recta et circumspecta actione, incautæ locutionis observatione, in rectitudine voluntatis, in ordinatione affectionis et utilitate cogitationis.

CAPUT IX.

De actione.

Actio in tribus debet esse circumspecta, ut sit meritoria : primo, an liceat; secundo, an deceat; tertio, an expediat. Illicitum est omne quod est contra Dei præcepta, vel ecclesiastica instituta, vel contra voti proprii sponsionem discretam : ut est votum continentiæ, obedientiæ, et abdicationis proprietatis, et aliorum sub voto comprehensorum. Indecens est, quod non bonam speciem præ-

In actione tr observandis Illicitu

Indecens

[1] *Psal.* CXXXVIII, 7. — [2] *Job*, IX, 4. — [3] *Psal.* XLIX, 15. — [4] *Rom.*, VIII, 28. — [5] Greg., *Dial.*, lib. II, c. II. — [6] *Psal.* XCIII, 19. — [7] *Isa.*, XIV, 3.

(*a*) *Al.* dilectionis.

tendit, et colorem illiciti habet, etiamsi non expressam habeat veritatem, ut omne scandalum, et quod alicujus vitii vel peccati notam habere videtur, et secundum statum agentis inconveniens judicatur. [1] *Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant.* Servo Dei vitandum est, ne percutiat conscientias infirmorum exemplo minus ædificatorio, et Dominum inhonoret : quia indisciplinatio famulorum redundat in confusionem dominorum suorum. [2] *Gloriaris in Deo,* quasi servus in domino, *et per prævaricationem legis Deum inhonoras. Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes.* Inexpediens est, quod caret fructu utilitatis. Vacuus in conspectu Domini apparet, cujus actio fructu piæ utilitatis caret, sicut ramus arefactus in arbore et lignum infructuosum in vinea, vel pomœrio. Deus namque, qui omnes large remunerare desiderat, tot occasiones homini merendi providit, et tot actiones meritorias ei ostendit, quod stultus et merito puniendus est, qui, his neglectis, inutilia et infructuosa sectatur : veluti si quis hortum plenum nobilibus fructibus ingrediens, sola vilia et amara carperet et nociva.

Inexpediens.

CAPUT X.

De locutione.

In locutione tria sunt similiter observanda. Primum, ut tardus sit homo ad loquendum. [3] *Loquere, adolescens, in causa tua vix,* cum necesse fuerit. Quanto magis in non tua, vel in non causa, scilicet in levi vanitate ! [4] *Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum,* ut utilitas (*a*) et opportunitas exigit esse loquendum : utilitas ædificationis necessitas (*b*); vitandi evidentis nocumenti, et honoris Dei promovendi; opportunitas temporis, loci, causæ et qualitatis audientium. [5] *Vas quod non habuerit operculum vel ligaturam desuper, immundum erit.* Pulvis enim incidit, et vermes, et animalia immunda inquinabunt illud, et si quid pretiosi vel aromatici liquoris in eo reconditur, evaporat virtus ejus. Sic qui per censuram silentii non ponit ori suo custodiam, frequenter immundatur sorde illicitorum verborum, mendaciis, maledictis, detractionibus, turpiloquiis, jactantiis, scurrilitatibus, et similibus. Si quid etiam devotionis intus habet, vel occultæ virtutis, citius evaporat et infrigidatur, et evanescit, sicut sæpius possumus experiri, quando post compunctionis gratiam ad verba otiosa defluimus : mox et sapor minuitur, et fervor extinguitur, et intelligentia obscuratur, et mentis ad Deum intentio dissipatur, et cor a bono, quod prius habuerat, evacuatur. Secundum est in loquendo circumspectum esse, ut consideret quid loquatur, et qualiter, et coram quo, disponens sermones suos in judicio discretionis : ne alicui loquendo noceat, ne quem indebite offendat, vel scandalizet; ne quid falsi admisceat, quod conscientiam postea remordeat et dixisse pœniteat. [6] *Cor stultorum in ore illorum :* et ideo cum aperiunt os, effundunt totum, quod habent intus, per stultitiam. [7] *Os* autem *sapientium in corde ipsorum,* quia os eorum non profert, nisi quod cor eorum prius deliberavit bene esse loquendum. [8] *Qui custodit os suum, custodit a periculo animam suam : qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* [9] *De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicii.* Gregorius [10] : « Otiosum verbum est, quod aut ratione caret justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis. » Si ergo culpa non caret sermo otiosus qui non prodest, quid de pernicioso, qui etiam obest? Tertium est, ut breviter loquatur, et sine utilitate et necessitate non multiplicenter verba; unde [11] : *Qui multis utitur verbis, lædit animam suam.* [12] *In multiloquio* enim *peccatum non deerit.* Duo enim verba quæ sola nobis permissa sunt inter omnia, cito

In locutione tria observanda.

Silentium observandum.

Simile.

Verba trutinanda, antequam dicantur.

Verbum otiosum.

Loquendum breviter.

Duo verba nobis permissa

[1] 1 *Cor.*, x, 29. — [2] *Rom.*, ii, 23, 24. — [3] *Eccli.*, xxxii, 10. — [4] Ibid., 11. — [5] *Num.*, xix, 15. — [6] *Eccli.*, xxi, 29. — [7] Ibid. — [8] *Prov*, xiii, 3. — [9] *Matth.*, xii, 36. — [10] Greg., *Moral.*, lib. VII, c. xvii, n. 58. — [11] *Eccli.*, xx, 8. — [12] *Prov.*, x, 19.

(*a*) *Suppl.*, et necessitas. — (*b*) *Ita Bibl. Lugd.*

dicta sunt, id est, quod necessarium est tibi vel alteri, vel utile tibi vel alteri. Necessitas cito insinuata est sapienti. Nam apud insipientem nulla verba sufficiunt. Utilitas, si per nimia verba se effundit, onerosa erit et fastidiosa. Seneca [1] : « Non multis opus est verbis, sed paucis et efficacibus. » [2] *Sicut urbs patens, et absque murorum ambitu, sic vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* Gregorius [3] : « Quia murum silentii non habet, patet inimici jaculis civitas mentis. » Sic cautus et parcus sit homo in verbis, sicut avarus in nummis suis : quia verba quibus meremur gloriam cœli, pretiosiora sunt omni thesauro. [4] *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis.* Avarus pecuniæ et parcus, profunde in abscondito recondit eam, nec profert eam largiendo, nisi pro urgenti necessitate, vel utilitate sua, et cavet, ne vel obolum superflue effundat supra quam necesse sit. Sic etiam religiosus cordis sui thesaurum abscondat, raro loquendo, et nisi pro necessaria causa vel utili os ad loquendum aperiat : et quod cum paucioribus verbis potest expedire, prout sufficit, ad hoc plura superflue non effundat. Quadruplex autem bonum ex hoc ei proveniet : quia cavebit peccatum multiloquii vel vaniloquii; intellectus ejus interius magis profundabitur et sublimabitur, sicut aqua conclusa, quæ non habet exitum per quem effluat, crescit in altum; item quod loquitur apud homines magis habetur authenticum, cum sciant eum cum maturitate loqui, et non leviter effundere verba sua; item singularem gloriam meretur in cœlo.

Ut avarus nummis, ita religiosus parcat verbis.

CAPUT XI.

De disciplina morum.

Morum disciplina in religiosis triplici colore decoratur : si sunt maturi, humiles, et benigni. Maturi, ut non sint leves ad currendum, nec proni ad risum, vel curiosi, vel verbosi, nec joculatores. Maturitas intus mentem componit, et totum corpus exterius ab insolentia custodit. Caput regit, ne leviter hinc inde circumferatur; oculos, ne vagentur; aures, ne curiose auscultent quæ minus expediunt; linguam refrænat ab otiosis et infructuosis verbis; manus, ab inutilibus occupationibus; pedes, a vanis deambulationibus et indecentibus divaricationibus : et totum corpus ab inquieto motu cohibet, nisi secundum quod ratio exposcit. Unde beatus Bernardus scribens de beato Malachia Episcopo, commendat eum [5], quod ita compositus fuit in moribus, quod nec manum, nec oculum, vel aliquod membrum leviter movebat aliquando, nisi secundum quod ratio vel causa dictabat : ut nihil appareret in eo, quod posset offendere intuentes, totum corpus in eo disciplinatum fuit. Humilitas morum deprimit cervicem, humile format responsum, gestus complanat, vestitum simplicem amat, sese inter novissimos locat, ostentationis declinat notam, singularitatem fugit, ad aliorum obsequia agilem se facit, ad opprobria tacitum, ad honores oblatos verecundum, promptum ad descendendum, difficilem ad indignandum. Benignitas facit amabilem et compassivum afflictis, tractabilem et exorabilem, et flexibilem ad consilia, communicativum sui et suorum, in bono hilarem, et modestum, et jucundum, fidelem et socialem, nullum spernentem vel temere judicantem, gratum, beneficum, omnibus gratiosum. Humilitas temperat gravitatem, ne fastuosa et elata videatur. Benignitas facit, ne austera et dedignabunda putetur. E contra, maturitas temperat benignitatem, ne levis et carnaliter blandiens, vel adulatorie applaudens æstimetur. Temperat humilitatem, ne nimis abjecta, vel affectata reputetur. Humilitas reddit imitabilem (*a*), benignitas amabilem, maturitas venerabilem.

Maturitas corpus et mentem componit.

[1] Senec., *Epist.*, lib. V, c. XXXVIII. — [2] *Prov.*, XXV, 28. — [3] Greg., ubi sup., n. 59. — [4] *Prov.*, XXI, 20. — [5] Bern., *Vit. S. Malach.*, c. XIX, n. 43.

(*a*) *Al.* immutabilem.

CAPUT XII.

De cordis compositione.

Exterioribus ordinatis in actione, locutione et moribus : ut ad veram, et de cœlo allatam, quadraturam spiritualis normæ, sacræ disciplinæ, tanquam vivi lapides et in templo veri Salomonis locandi, disponi valeamus, de cordis dispositione et mentis bonitate aliqua proponamus : quia, teste Salomone[1], *omni custodia servandum* est cor, sicut ex quo vita spiritualis quasi ex fonte procedit. Sanitas cordis in tribus consistit : in voluntatis rectitudine; in affectionis sanctitate; et in cogitationis stabili puritate. Voluntas recta est, quæ bonum tantummodo vult, et propter bonum, et plene vult. Si enim aliquid vellet quod malum esset et peccatum, non esset bona voluntas.[2] *Non potest arbor bona fructus malos facere*, etc. Si bonum vellet, sed non propter bonum, ut bona opera facere pro laude humana, sicut hypocritæ, vel aliqua alia non pura intentione, similiter bona non esset : cum non simpliciter bonum propter se vellet, sed propter aliud non bonum. Illud enim quisque magis vult, propter quod aliud vult. In fine namque quiescit; sed id, quod ad finem est tantummodo, transit et relinquit, obtento eo quod voluit. Si autem vult bonum et propter bonum, sed non sicut sufficit, licet pro parte recta sit, non tamen plene : ut qui viam Dei incedere vel docere vult, quandiu inde nullam cogitur sustinere adversitatem : sicut hi qui in tentationibus et persecutionibus deficiunt, vel ita volunt bona opera agere, ut tamen ab aliis illicitis nolint abstinere, vel quocumque modo nolunt bonum incœptum ad finem perducere, vel etiam plusquam debeant, vel expediat, bonis operibus insudare, ut qui indiscrete castigando se perimunt, vel ad insaniam et destructionem sui pertrahunt semetipsos. Ad Romanos[3] : *Rationabile obsequium vestrum.* Jeremias[4] : *Quia plus fecit quam potuit, idcirco perierunt : quia contrivi Moab sicut vas inutile.* Duplex est enim plenitudo : una necessitatis, altera perfectionis. Necessitatis est illa quæ minus habere non potest ad salutem, ut observantia mandatorum. In Matthæo (*a*)[5] : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Plenitudo perfectionis, est impletio consiliorum.[6] *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia*, etc., cum reliquis consiliis evangelicis. Ad hoc non tenetur, nisi qui ea sponte vovit, ut religiosi, quibus post votum fiunt necessaria ad salutem. In Deuteronomio (*b*) : *Cum votum voveris Domino, non tardabis reddere : quia requiret Dominus Deus tuus, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Quod ante votum liberum fuit vovere vel non vovere, et facere et non facere, sine peccato, illud post votum jam necessarium est adimplere : et jam non tam est in consilio quam in præcepto, et sicut de præcepti transgressione reus est damnationis æternæ, ita et de voti prævaricatione. Verbi gratia, sicut sæcularis damnatur pro fornicatione, vel homicidio, vel consimili; ita professus regulam in religione damnatur, si est proprietarius, vel inobediens, vel facit aliquid quod in regula præceptorie inhibetur. Justa vero necessitas, vel evidens magna utilitas, admittit dispensationem, sed ab eo qui potest in talibus dispensare. Dubia etiam interpretatio præcepti periculosa est, sicut pons semiputridus aquæ præcipitis et profundæ, de quo dubium est an sub transeunte corruat, an subsistat. Quare vult aliquis, qui majora pro Christo decrevit subire certamina, et omnia dereliquit in hoc sæculo, se committere periculo pro modico motu propriæ voluntatis, vel pro parvo commodo in incerta opinione sua vel alterius, ut si Deus approbet illam opinionem, evadat sine lucro meriti ; si autem reprobet eam, damnetur,

Sanitas cordis in tribus consistit.

Voluntas recta.

Dubia præcepti interpretatio periculosa omnes perdit.

[1] *Prov.*, IV, 23. — [2] *Matth.*, VII, 17. — [3] *Rom.*, XII, 1. — [4] *Jerem.*, XLVIII, 36. — [5] *Matth.*, XIX, 17. — [6] Ibid., 21. — [7] *Deut.*, XXIII, 21.

(*a*) *Cæt. edit.* Matth. — (*b*) Deuteronom.

maxime cum tales opiniones quandoque periculosiores sint quam apertæ transgressiones : quia ubi scit se homo delinquere, inde facile corrigitur; ubi autem nescit se peccare, et insuper credit licere, inde nec in morte pure conteritur, propter falsam spem, quod forte sibi licuerit, vel minus in eo peccaverit, baculo arundineo et confracto innitens? Voluntas bona, plana via, regia et secura, debet incedere; et relictis dubietatum diverticulis, quasi suspectis latronum semitis, apertos et certos justorum calles ambulare : ne velut pœnitens boni inchoati quærat diverticula declinandi a via perfectionis, in qua voverat ambulare. Quid enim est unde omnes damnationem incidimus, nisi talis dubia interpretatio præcepti Dei [1] de ligno vetito, ubi callidus serpens persuasit mulieri, non ita stricte et simpliciter intelligendum præceptum illud, cujus observantia potius nociva foret, ne fierent sicut dii scientes bonum et malum, et cujus transgressio nequaquam, sicut Deus comminatus fuerat, mortem corporis et animæ mereretur? Credidit ergo insipiens mulier falso interpreti, et consensit suadenti; cui nequaquam consensisset, si consilium ejus fallax et inutile credidisset. Non tamen putandum quod conditio religiosorum pejor facta sit ex voluntaria altioris voti promissione, eo quod de strictiori ponte facilior et periculosior sit lapsus, quam de latiori; sed quanto difficilior via, tanto sequetur major gloria, et quanto laboriosior pugna, tanto gloriosior triumphus. Talem autem timorem altioris perfectionis incutit religioso aut pusillanimitas, aut formidolosa tentatio, aut inveteratus tepor, quo primi fervoris oblitus, et *primam charitatem relinquens* [2], horret altam vitam quam aggressus fuerat, stupens præcipitii profundum, et fastidit laborem pugnæ, dum non videt præmium; nec sicut debet, desiderat quod sequitur. Unde prius in probatione debuit deliberasse, si *volens ædificare turrim* [3] evangelicæ perfectionis, *haberet sumptus* constantis fervoris *ad perficiendum*, ut ultima primis respondeant, *ne postea cum posuerit fundamentum* altæ perfectionis, *et non potuerit perficere*, sicut cœperat, ex voluntatis torpore, *omnes incipiant illudere ei*, tam homines quam dæmones, *dicentes : Hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare* : sicut structura imperfecta et labefacta ostendit structoris defectum.

[1] *Gen.*, III, 2 et seq. — [2] *Apoc.*, II, 4. — [3] *Luc.*, XIV, 28.

CAPUT XIII.

De quibusdam communibus exercitiis spiritualibus.

Ad evitandum ergo apostaticæ prævaricationis opprobrium, et perfectæ sanitatis gratiam obtinendam, et repromissæ beatitudinis gloriam religioso consequendam, quædam communia spiritualia exercitia ponenda videntur : in quibus qui fideliter perseveraverit, cito sentiet se in spiritualis vitæ profectu crescere, quousque ad perfectam perveniat sanitatem virtutis. Septem exercitia

CAPUT XIV.

De agilitate ad incipiendum bonum.

Primum est, ut homo sit impiger et agilis ad incipiendum et faciendum bonum, quod (*a*) ex alterius admonitione, vel ex divina inspiratione intelligit faciendum. Multum enim profectum negligimus, tam meritorum quam præmiorum, eo quod tædet nos bonis studiis insistere ex horrore difficultatis. Si autem voluntatem faciendi habemus, hanc de tempore in tempus differimus et procrastinamus; et interim irrecuperabiliter perdimus et tempus, et meritum quod lucrari poteramus, aut ita desidiose et indevote facimus, quod nec Deo est valde gratum, nec conscientiæ nostræ meritorium vel consolatorium; imo ita corrosivum conscientiæ, quod etiam inde puniri timemus, et ex insipiditate tædet nos laborare, Exercitium I. Bonum alacriter incipiendum perficiendumque

(*a*) *Ita Bibl. Lugd. Cæt. edit.* quo.

et festinamus inde cito absolvi, et tædet simile aliud inchoare. Exemplum de studio orationis, vel obsequii in coquina, in infirmitorio, vel alterius boni operis, in quo nullum honorem, vel temporale commodum, vel propriæ voluntatis solatium expectamus. Et hoc est contra boni operis naturam, quod si debito modo fiat, semper lætificat conscientiam, et accendit affectum ad aliud bonum faciendum. Ecclesiasticus[1]: *Qui edunt me, adhuc esurient.* Sic Deus jussit[2] terram *producere herbam virentem, et lignum pomiferum, habens unumquodque in semetipso* (a) *generis sui*, id est, bona opera, tam minora quam majora: quæ si virent debito vigore peracta, habent semen sui generis in se, id est, desiderium alterius boni, quod quasi germen pullulet ex priore. Si autem ex desidia elangueat, etiam semen ipsius infructuosum manebit, et ideo tædet nos aliud bonum incipere; quia ex jam facto parvum, aut nullum concepimus devotionis affectum. Omni ergo tempore servus Dei provideat, quid illa hora magis sit sibi expediens ut faciat; et quod faciendum viderit, penset qualiter illud congrue et secundum virtutis regulam magis apte perficiat, quantum valet. Sic enim assuefaciendum est corpus et animus, ut ex usu boni operis nullo modo territus, paratus sit, sicut servus fidelis et agilis, imperanti Domino ad omnia rationabilia servitia obedire.

Simile. Sic videmus in servis sæcularibus, qui nec præ frigore, vel labore, vel inopia, vel alia difficultate pigritantur dominis suis, pro parva mercede, per longa terrarum spatia, etiam in periculo mortis obedire, gratum habentes, si pro gratiarum actione, cum redierint, non magnas alapas et vituperia a dominis receperint, nihil de incommodis infirmitatis, vel domus, vel hospitii cogitantes. Claustrales vero servi delicati sunt et elati; parum volunt laborare, et bene procurari: et cum illi dominos suos debite honorent, ipsi volunt dominis suis in omnibus esse quasi æquales, voluntate propria pro lege utentes. Proverbiorum[3]: *Qui delicate servum suum*, id est, corpus suum, *nutrit ab infantia*, scilicet novitiatus, *postea illum sentiet contumacem*: vel quia piger erit ad bona, vel ad peccatum proclivior, maxime carnis. Ex consuetudine otii homo mollis et piger efficitur, ut nihil velit pati, vel facere, nisi quod libet. E contra fidelis servus ita debet humiliare semetipsum, et mansuefacere, sicut joculator catulum suum, ut statim cum jubetur, saliat de lecto ad orationes nocturnas, et quasi ad nutum rationis sit promptus ad quæque spiritualia exercitia, quæ vel obedientia jusserit, vel charitas fraterna requirit, vel devotionis studio apta sunt, vel cujuslibet alterius virtutis.

CAPUT XV.

De velocitate abstrahendi se a malis.

Secundum est, ut sicut ad agenda bona agilis, ita sit ad abstrahendum se velox a quibuslibet malis, statim cum sentit se aliquo eorum interius pulsari, vel exterius occupari, scilicet ab otiosis verbis, a jocis, ab actionibus infructuosis, et maxime a cogitationibus vanis, et affectionibus vitiosis, et carnalibus concupiscentiis, quæ nec ad horam debemus in corde permittere morari, ne offendamus Deum, et sanctos Angelos præsentes, et conscientiam sordidemus, et pœnam mereamur, et bona, quæ possemus cogitare et agere, interim negligamus. Sic Abraham quandoque, Deo jubente, sacrificia offerens[4], descendentes supra ea volucres ad dilacerandum vel fœdandum sollicite abigebat. Et nos, ne aliquando in Dei conspectu appareamus vacui, quandoque sacrificia ei offerentes, scilicet bonæ voluntatis, bonæ actionis, bonæ locutionis, sacræ meditationis, et piæ affectionis, volucres malarum cogitationum et affectionum

Exercitium II. Mala celeriter repellenda.

Quinque sacrificia nostra.

[1] *Eccli.*, XXIV, 29. — [2] *Gen.*, I, 12. — [3] *Proverb.*, XXIX, 21. — [4] *Gen.*, XV, 11.

(a) Suppl. *sementem.*

statim abigere debemus, ne ea nobis dissimulantibus aliquatenus maculent, et Deo ingrata efficiant, et nobis inefficacia ad meritum et spiritualem profectum. Non solum carnales et turpes cogitationes statim debemus abigere, sed etiam vanas, et amaras, et gulosas, et similium vitiorum simulacra in cordis nostri templo imaginando non pingamus. Theatra et tabernæ solent sæcularibus et ludicris fabulis depingi; templa autem, sacris historiis et mysticis picturis decorari. Ex qualitate picturæ, consideratur qualitas domus, et domini in ea morantis. Aliquando superbia pingit sibi prælaturas et dominia, famulorum obsequia, et quæque alia pomposa. Vana gloria pingit sibi quoslibet ornatus, et unde posset laus hominum acquiri; aliquando etiam sanctitates et miracula, prophetias, et magnas devotiones, et ædificatorias prædicationes, et multa similia, ex quibus admiratio oriatur hominibus, et sibi latens laudatio et reverentia exhibeatur. Sic invidia fraudes et detractiones; ira rixas et contentiones, bella et convitia movet, et pugnat cum absentibus, et lassatura nullo fatigatus. Sic avaritia pecunias et diversa (*a*) ædificat, et destruit, et acquirit. Qui ergo bonum hospitem Christum non vult effugare de hospitio cordis sui, inimicos ejus, scilicet vitia, secum non recipiat. *Quæ* enim [1] *conventio Christi ad Belial? Et quis consensus templo Dei cum hujusmodi idolis?* Si citius ejicis hostem de urbe tua, securus eris. Si tarde obstas ei, invalescit contra te, et capiet urbem, et occidet te. Sic de cogitationibus malis. Curiositas quæque pulchra et curiosa depingit; gula, mensas amplas, et varios ciborum et potuum apparatus; luxuria etiam, quæ sibi congruunt, phantastice depingit. Hæc sunt idola quæ Deus Ezechieli intra parietem templi depicta ostendit, quæ etiam *abominationes appellavit* [2]. Hæc de templo cordis nostri sollicite detergamus, ne fiamus Deo abominabiles, sicut et illæ sunt. Jeremias [3]: *Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?*

[1] II *Cor.*, VI, 15. — [2] *Ezech.*, VIII, 6, 9. — [3] *Jerem.*, IV, 14. — [4] *Jac.*, V, 10, 11. — [5] *Luc.*, XXI, 19.

CAPUT XVI.

De pace cordis.

Exercitium III. Cor pacificum semper habendum.

Tertium est, ut semper cor pacificum cum omnibus habere studeamus. Quod consistit in duobus, ut nulli malum facere vel cupere studeamus, et si quis nos in aliquo offendat, patientiæ scuto utamur. In medio prælii versamur, et difficile est, quin sæpe jacula super nos mittantur tam verborum acutorum, quam factorum nobis molestorum, et a superioribus nostris durorum imperiorum et increpationum, quibus clypeum patientiæ opponere debemus: quem clypeum, ut impenetrabilior sit inimici jaculis, munire debemus sanctorum martyrum et aliorum bonorum exemplis, quasi pellibus animalium mortuorum. Jacobus [4]: *Exemplum accipite, fratres, exitus mali, et longanimitatis, laboris et patientiæ, prophetas. Ecce benedicimus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis.* Semper ergo muniti incedamus contra jacula verborum, et ictus sanctorum adversorum, ut pacem, quam exterius non possumus in hac vita sperare durabilem, saltem intus per patientiam conservemus? Lucæ: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.*

CAPUT XVII.

De parcitate utendi his quæ sunt mundi.

Exercitium IV. Mundo nisi rebus parcisse utendum.

Quartum est, ut quanto parcius potest quis, quæ sunt mundi utatur, et habeat, et cupiat. Aliena a nobis sunt omnia mundana; quia nec naturæ nostræ sunt, nec a nobis facta, nec diu nobiscum mansura, nec salus nostra in ipsis consistit: et ideo habemus ea quasi a mundo mutuata (*b*), pro quotidiana, imo pro continua et gravi usura sollicitudi-

(*a*) *Leg.* diversoria. — (*b*) *Cæt. edit.* mutata.

num et laborum. Quantam putas principes, et potentes, et divites hujus sæculi usuram omni tempore exolvere, pro mutuo suo, auxietatis, et occupationis, et afflictionis? et quomodo ambiant aliena, quomodo augeant, vel custodiant sua, quæ timent perdere per amicos et inimicos, per fratres, uxores et filios? A potentiore timent violentiam; ab inferiori, furtum; ab æquali, fraudem. Nulli ad plenum confidit avarus, omnes suspectos habet, nec tamen potest eorum carere consortio : et ideo nullum potest vere diligere, cum a nullo se vere diligi suspicetur. Timor enim suspiciosus non est in perfecta dilectione. Timet de rebus, timet de corpore propter substantiam; et tot timoribus plenus, non potest utiliter timere de anima, de qua tamen maximum periculum adhuc restat. Sicut enim principes a subjectis suis exigunt quotidiana servitia et munera ratione officii sui, et tandem cruciant eos in carcere, et omnino despoliant; sic et mundus, post multas exactiones usurarum, ratione substantiæ et honoris, quæ officialibus suis divitibus mutuavit, tandem omnino evacuatos emittit in carcerem infernalem. Unde bella et lites in sæculo, nisi quia mutuo inter nos certatim cupimus præripere alter alteri, quod uterque non potest integre possidere? In spiritualibus divitiis nullus ex alterius abundantia patitur detrimentum, cum alius non sit minus sapiens vel virtuosus, eo quod eis alter abundat. Sed secus est de sæcularibus divitiis et honoribus, quia tot necesse est habere portiones, quot sunt participantes : et ideo alter alteri invidet habenti, quod ipse habere non potest. Hæc fuit occasio quare Loth discessit ab Abraham[1], et Esau a Jacob[2] : quia multa habebant pecora, et non poterat eos capere terra, ut *simul*, id est, concorditer habitarent, rixantibus inter se pastoribus gregum : quia multiplicatis pecorinis desideriis, scilicet mundanis, fit rixa inter voluntates eorum, qui volunt pascere sua desideria, in pratis hujus sæculi : et cum omnibus non sufficit pro libitu, dividitur frater a fratre per invidiæ dissidium : quæ pecora si pauca forent, modico contenta essent. Zacharias[3] : *Pasce pecora occisionis, quæ qui possiderant, occidebant :* quod etiam sic potest intelligi : Pecora occidebant eos, qui se possidebant. Augustinus[4] : « Rixentur immites, et dimicent pro terrenis et temporalibus rebus : *beati* autem[5] *mites*, *quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram*, de qua pelli non possunt (*a*). »[6] *Habentes autem alimenta et vestimenta, quibus tegamur, his contenti simus*; et quidquid penuriæ patimur, loco illius Deum in corde ponamus, qui omnia implet.[7] *Beati pauperes spiritu*, id est, voluntate et amore spiritualis profectus, *quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Quanto enim se hic angustant in terra nihil cupiendo, tanto in cœlo dilatabuntur, et e converso.

[1] *Gen.*, XIII, 11. — [2] *Gen.*, XXXVI, 6, 7. — [3] *Zach.*, XI, 4, 5. — [4] Aug., *De serm. Dom. in monte*, lib. I, c. II, n. 4. — [5] *Matth.*, V, 4. — [6] I *Tim.*, VI, 8. — [7] *Matth.*, V, 3.

(*a*) *Apud Aug.* possint.

CAPUT XVIII.

De humili æstimatione sui.

Exercitium V. Studendum humilitati semper.

Quintum est, ut semper, et intus apud se, et extra coram hominibus, in omnibus humiliet se, et deprimat in sua æstimatione : item in verbis, in gestibus, et in omni facto suo novissimum locum eligat, sicut fuerit opportunum. Ad humiliandum autem se in oculis suis, consideret qualis sit, quam vilia et fœtida sunt omnia quæ corporis sunt, unde venerit, quid erit, quid intus sit; quam leviter emarcescunt etiam quæ pulchra in homine apparent; quanta deceptio in honoribus sæcularibus : quia non honorant etiam divites qui videntur, sed sua lucra sequuntur, sicut canes et aves cadaver : quod cum abrasum fuerit et nudatum, nec plus rodendum in eo inveniunt, relinquunt, et alia requirunt. Item in anima quanta sunt

statim abigere debemus, ne ea nobis dissimulantibus aliquatenus maculent, et Deo ingrata efficiant, et nobis inefficacia ad meritum et spiritualem profectum. Non solum carnales et turpes cogitationes statim debemus abigere, sed etiam vanas, et amaras, et gulosas, et similium vitiorum simulacra in cordis nostri templo imaginando non pingamus. Theatra et tabernæ solent sæcularibus et ludicris fabulis depingi; templa autem, sacris historiis et mysticis picturis decorari. Ex qualitate picturæ, consideratur qualitas domus, et domini in ea morantis. Aliquando superbia pingit sibi prælaturas et dominia, famulorum obsequia, et quæque alia pomposa. Vana gloria pingit sibi quoslibet ornatus, et unde posset laus hominum acquiri; aliquando etiam sanctitates et miracula, prophetias, et magnas devotiones, et ædificatorias prædicationes, et multa similia, ex quibus admiratio oriatur hominibus, et sibi latens laudatio et reverentia exhibeatur. Sic invidia fraudes et detractiones; ira rixas et contentiones, bella et convitia movet, et pugnat cum absentibus, et lassatura nullo fatigatus. Sic avaritia pecunias et diversa (*a*) ædificat, et destruit, et acquirit. Qui ergo bonum hospitem Christum non vult effugare de hospitio cordis sui, inimicos ejus, scilicet vitia, secum non recipiat. *Quæ* enim [1] *conventio Christi ad Belial? Et quis consensus templo Dei cum hujusmodi idolis?* Si citius ejicis hostem de urbe tua, securus eris. Si tarde obstas ei, invalescit contra te, et capiet urbem, et occidet te. Sic de cogitationibus malis. Curiositas quæque pulchra et curiosa depingit; gula, mensas amplas, et varios ciborum et potuum apparatus; luxuria etiam, quæ sibi congruunt, phantastice depingit. Hæc sunt idola quæ Deus Ezechieli intra parietem templi depicta ostendit, quæ etiam *abominationes appellavit* [2]. Hæc de templo cordis nostri sollicite detergamus, ne fiamus Deo

[1] II *Cor.*, VI, 15. — [2] *Ezech.*, VIII, 6, 9. — [3] *Jerem.*, IV, 14. — [4] *Jac.*, V, 10, 11. — [5] *Luc.*, XXI, 19.

ominabiles, sicut et illæ sunt. Jeremias [3]: *squequo morabuntur in te cogitationes* *æ?*

CAPUT XVI.

De pace cordis.

Tertium est, ut semper cor pacificum cum mnibus habere studeamus. Quod consistit duobus, ut nulli malum facere vel cupere udeamus, et si quis nos in aliquo offendat, atientiæ scuto utamur. In medio prælii ersamur, et difficile est, quin sæpe jacula uper nos mittantur tam verborum acutorum, quam factorum nobis molestorum, et superioribus nostris durorum imperiorum t increpationum, quibus clypeum patienæ opponere debemus: quem clypeum, ut mpenetrabilior sit inimici jaculis, munire ebemus sanctorum martyrum et aliorum onorum exemplis, quasi pellibus animaum mortuorum. Jacobus [4]: *Exemplum ccipite, fratres, exitus mali, et longanimiatis, laboris et patientiæ, prophetas. Ecce enedicimus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis.* emper ergo muniti incedamus contra jaula verborum, et ictus sanctorum adverorum, ut pacem, quam exterius non possumus in hac vita sperare durabilem, salem intus per patientiam conservemus? Lucæ: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Exercitium III. Cor pacificum semper habendum.

CAPUT XVII.

De parcitate utendi his quæ sunt mundi.

Quartum est, ut quanto parcius quis, quæ sunt m di utatur, et h cupiat. Aliena nt omni quia nec na e su facta, nec m m nostra in it quasi a imo p

(*a*)

num et laborum. Quantam putas princ s, et potentes, et divites hujus sæculi usu m omni tempore exolvere, pro mutuo o, auxietatis, et occupationis, et afflicti is? et quomodo ambiant aliena, quomodo u-geant, vel custodiant sua, quæ timent er-dere per amicos et inimicos, per frat s, uxores et filios? A potentiore timent vi n-tiam; ab inferiori, furtum; ab æquali, fu-dem. Nulli ad plenum confidit avarus, m-nes suspectos habet, nec tamen potest eo m carere consortio : et ideo nullum potest re diligere, cum a nullo se vere diligi suspe-tur. Timor enim suspiciosus non est in er-fecta dilectione. Timet de rebus, time de corpore propter substantiam; et tot timri-bus plenus, non potest utiliter timere de anima, de qua tamen maximum pericum adhuc restat. Sicut enim principes a subec-tis suis exigunt quotidiana servitia et mu-nera ratione officii sui, et tandem cruc nt eos in carcere, et omnino despoliant; si et mundus, post multas exactiones usurarm, ratione substantiæ et honoris, quæ offic li-bus suis divitibus mutuavit, tandem omno evacuatos emittit in carcerem infernal n. Unde bella et lites in sæculo, nisi quia mu-tuo inter nos certatim cupimus præripre alter alteri, quod uterque non potest inte re possidere? In spiritualibus divitiis nullu ex alterius abundantia patitur detrimentu, cum alius non sit minus sapiens vel virt -sus, eo quod eis alter abundat. S est de sæcularibus divitiis et h quia tot necesse est haber sunt participantes : et id det habenti, Hæc fuit occa Abraham[1], et habebant pecora, terra, ut *simul*, i rent, rixantibus inter quia multiplicatis peco cet mundanis, fit rixa

[1] *Gen.*, XIII, 11. — [2] *Gen.*, XI, 4, 5. — [4] Aug., *De ser*

rum, qui volunt pascere sua desideria, in pratis hujus sæculi : et cum omnibus non sufficit pro libitu, dividitur frater a fratre per invidiæ dissidium : quæ pecora si pauca forent, modico contenta essent. Zacharias[3] : *Pasce pecora occisionis, quæ qui possiderant, occidebant :* quod etiam sic potest intelligi : Pecora occidebant eos, qui se possidebant. Augustinus[4] : « Rixentur immites, et dimicent pro terrenis et temporalibus rebus : *beati* autem[5] *mites*, *quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram*, de qua pelli non possunt (*a*). »[6] *Habentes autem alimenta et vestimenta, quibus tegamur, his contenti simus*; et quidquid penuriæ patimur, loco illius Deum in corde ponamus, qui omnia implet.[7] *Beati pauperes spiritu*, id est, voluntate et amore spiritualis profectus, *quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. Quanto enim se hic angustant in terra nihil cupiendo, tanto in cœlo dilatabuntur. Et e converso.

CAPUT XVIII.

Summum bonum Deus.

De humili æstim

Quintum est, ut se ipso retra- et extra coram ho anda, quæ miliet se, et depri : quia hæc item in verl omnibus mala, suo no m bona quibus in- s cooperentur in propria post is humilientur, amore Dei, qui vit, et a talibus li- gloria augebit læ- borum : quia gaude- s, in quibus poterant liberasset, incidisse. artificiales divi- dicuntur theo- ; aliæ cardi- rtitudo, tem- iæ purgato- xemplares : s prætereo.

ibi vitia et peccata, quanta impuritas et simulatio in bonis quæ facimus, et desidia, et tepor; quanta bona omittimus, et negligigimus utilia; quanta inopia virtutum, quanta cæcitas intelligentiæ, lubricitas memoriæ, inordinatio affectuum : quod mala nostra pure mala sunt, et nostra totaliter sunt, et bona nostra nobis tantum mutuata sunt cum usura repetenda, et imperfecta et impura sunt, et ex nobis materiam humiliationis assumunt. Verum enim est nos esse inopes et viles; et quantum ab hac æstimatione deviamus, tantum erramus a veritate.

CAPUT XIX.

De maturitate et seriositate.

Exercitium VI. Maturitas morum semper observanda.

Sextum est, ut sit maturus et seriosus cum quadam mœroris dulcedine, non cum tædii amaritudine, vel rancoris. Morum levitas aliquando potest inesse bono ad horam, sed devoto nunquam; sicut habemus exemplum in viris perfectis, quos leves in moribus et ad risum vel jocum pronos rarissime videmus. Unde cum utile sit homini esse in luctu, ideo beatos dicit Dominus hic lugentes [1] : et tot causas luctus eis dedit et ostendit, scilicet pro seipsis, proximis, et pro Deo. Pro seipsis, quia peccatores sunt, Deum offenderunt, et quotidie offendunt, inopes sunt virtutum, tarde proficiunt, expositi mille periculis, et adhuc dubii an damnentur, multis miseriis involuti, alieni a Deo, exclusi a regno, proni ad malum, multis suppliciis obnoxii, mortis, purgatorii, et inferni. Pro proximis, compatiendo pauperibus afflictis, periclitantibus, peccantibus, damnandis, tentatis, subversis, et expositis similibus malis, quibus et nosipsi. Pro Deo, compatiendo ejus passioni, et injuriis a perfidis peccatoribus ei quotidie illatis, et subversioni justitiæ, et animarum perditioni, fidei conculcationi, et ingratitudini pro omnibus beneficiis, quæ omnibus largitur, pro scandalis quibus inhonoratur et a famulis suis, et multis aliis. Serium bonum intus amorem ad proximum habet, exterius planam benignitatem. Malum autem serium amarum est, fastidiens bonum, indignabundum, suspiciosum, rancorosum, sine ratione turbulentum (*a*), et aliis onerosum. Dissolutio est devotioni, sicut aqua igni; et qui ducit in consuetudinem, vix desuescit maxime joculari.

[1] *Matth.*, v, 5. — [2] *Psal.* xv, 8. — [3] *Matth.*, xviii, 10.— (*a*) *Ita Bibl. Lugd. Cæt. edit.* consule.

CAPUT XX.

De suspensione mentis in Deum.

Exercitium VII. Mente haberi in Deo suspensam

Septimum est, mentem semper habere ad Deum suspensam, orando, cogitando, recordando, meditando, legendo, attendendo, ac bona contemplando. Unde quandocumque servus Dei vel ad modicum Dei non meminit, contremiscit et dolet, quasi graviter offenderit, tanti amici defraudatus intuitu, qui nostri nunquam obliviscitur. Cum summa beatitudo et gloria consistat in jugi visione Dei, hujusmodi beatitudinis imitatio quædam est jugis memoria Dei. Ista est meritum; sed illa, præmium. Quandiu illum videre non possumus præsentes, saltem memoremur ejus absentes : tanto quisque lætius et plenius eum videbit in patria, quanto frequentius et devotius ejus meminerit in hoc exilio. Unde Psalmista dicit [2] : *Providebam Dominum in conspectu meo semper*, etc. Nec tantum in otio, sed etiam in occupationibus ejus esse debemus memores, imitatione sanctorum angelorum, qui missi in ministerium nostrum sic exteriora disponunt, ut tamen ab intimis nunquam recedant [3]. Quanto cœlum amplius est quam terra, tanto spiritualis meditatio et contemplatio latiores habet materias et vias, quam cogitatio terrenorum. Quales autem sint istæ viæ vel materiæ, et quales profectus et processus meditandi et intuendi spiritualia, non est hujus temporis, vel materiæ; sed istud pertinet ad septimum spiritualis vitæ processum, qui in sapientia versatur.

CAPUT XXI.

Sequitur processus sextus.

Nunc de sexto processu, qui in virtutibus puris constat, aliqua simplicibus convenientia, et novis in religione competentia proponamus, alta et subtilia magis exercitatis in his reservantes. Quanto enim quisque altius profecerit, et in anteriora se extendere studuerit, tanto altiora et perfectiora intelliget, tam de his quæ jam attingit, quam de illis quæ nondum actualiter comprehendit. Sicut qui montem ascendit, quo altius ascendit, eo altius videt quantum adhuc distat a cacumine summitatis; et quod in imo positus æstimaverat esse verticem montis, sublimatus videt vix montis pedem esse : sic et de perfectione nemo proprie, nisi perfectus et perfectioni proximus, potest loqui. Virtus est ordinatus secundum veritatis judicium mentis affectus. Sed judicium veritatis circa quatuor generaliter versatur : circa bonum, et malum, et malum magis malum, et bonum magis bonum. Bonum aliud est corporale et temporale, aliud spirituale et perpetuum, quod sine dubio melius est quam corporale et temporale. Malum autem aliud est culpæ, aliud est pœnæ. Culpa alia venialis, alia mortalis. Pœna alia transitoria, alia sempiterna. Malum ergo culpæ pejus est, quod meretur malum pœnæ : quia si culpa non esset, nec pœna esset. Pœna vero transitoria minor est, quam sempiterna. Et quia lex veritatis scripta est in corde hominis per judicium rationis, datæ sunt etiam ei in adjutorium affectiones ad fugam mali et apprehensionem boni : quia in his duobus omnis beatitudo consistit, scilicet in elongatione omnis mali, et in fruitione omnis boni.

Simile pulchrum.

Virtus quid.

Septem autem sunt affectiones mentis communiter : spes, timor, gaudium, mœror, amor, odium, et pudor. Harum quatuor ordinantur contra malum, tres autem ad bonum. Nam timor, mœror, odium et pudor contra malum sunt; spes, amor, gaudium ad bonum se habent. Nam bonum non est timendum, sed optandum et sperandum : nec pro bono est dolendum, sed gaudendum, nisi forte privatio boni timeatur, vel doleatur : quod non est bonum, sed proprie malum. Nam malum est privatio boni, vel corruptio. Item bonum non est odiendum, sed amandum; nec de bono pudendum est, sed gloriandum. Gloriatio ideo non dicitur affectio per se, quia sub gaudio comprehenditur et amore. Cum ergo istæ affectiones ordinatæ sunt ad quod debent juxta rationis et veritatis judicium, tunc homo est virtuosus : cum sola mala timet, et magis timenda, id est, magis mala plus timet, et dolenda dolet, et odienda odit, et pudenda erubescit, secundum plus et minus, sicut ipsa et dolenda, et odienda, et pudenda, plus vel minus sunt mala; item cum sola speranda sperat, sicut debet, et amanda amat, et de gaudendis gaudet, secundum quod magis vel minus sunt bona. Summum autem bonum, quod est Deus, summe amandum est, et ante omnia sperandum, et super omnia in ipso gaudendum, et ea quæ ab ipso retrahunt, summe fugienda et execranda, quæ sunt præcipue vitia et peccata : quia hæc vere et proprie mala sunt, et omnibus mala, et nulli bona, et ad nihilum bona quibus insunt : licet quandoque bonis cooperentur in bonum mala aliena, vel etiam propria post conversionem : ut ex eis magis humilientur, et amplius inardescant in amore Dei, qui eos in talibus vitiis toleravit, et a talibus liberavit. Sanctis etiam in gloria augebit lætitiam damnatio proborum : quia gaudebunt se ab his salvatos, in quibus poterant sicut et illi, nisi Deus eos liberasset, incidisse. Multæ sunt aliæ virtutum artificiales divisiones, secundum quod aliæ dicuntur theologicæ, ut fides, spes, charitas; aliæ cardinales, ut prudentia, justitia, fortitudo, temperantia; item aliæ politicæ, aliæ purgatoriæ, aliæ animi purgati, aliæ exemplares : quas sicut rudis rudibus loquens prætereo.

Affectiones septem.

Summum bonum Deus.

Solum illum ordinem sequar, quo virtutes principales septem vitiis opponuntur, cum virtus secundum hunc sensum non aliud sit quam vitiorum carentia : et quanto quisque ab omni vitio purior fuerit, tanto virtuosior est et perfectior.

CAPUT XXII.

De habitu religionis.

Virtus in observantia, nucleus in testa.

Sicut nucleus in testa vel in cortice, sic est virtus interior cæteris observantiis in religione. Omnia enim quæ in observantia religionis apparent, inventa et statuta sunt propter obtinendas et conservandas virtutes. Cætera autem sine virtute sunt, sicut testa carens nucleo. Et sicut in tabernaculo fœderis plura erant velaminum genera intra se protegentia, vel decorantia sanctuarium, scilicet pelles hyacinthinæ, pelles arietum rubricatæ, saga cilicina, cortinæ, et tabulæ parietum, præter alia [1] : ita in religione plura sunt virtutis tegumenta, vel ad decorem, vel ad custodiam virtutis ordinata, in quibus non pura virtus consistit, sed quædam virtutis umbra, et latentis intrinsecus demonstratio figuralis. Unde qui istis exterioribus contentus interiora postponit, sic est quasi qui corticem vel testam vacuam sine nucleo habet. Primum est habitus exterior in vestibus et tonsura : quæ si per se religiosum facerent, etiam simiæ, vel moriones religiosi forent, quibus talis habitus quandoque joculatorie formatur. Sed hæc sunt tantum signa interiorum, sicut circulus ad tabernam potum venalem designat, et vexillum super ecclesiam denuntiat dedicationem. Unde si signa falsa fuerint, decipiuntur homines, putantes invenire significata ; ita de ficto religioso, qui exterius in habitu prætendit, quod non habet in moribus et vita. Secundum sunt exteriores cæremoniales observantiæ, ut inclinationes, geniculationes, et in horis pausationes, et omnes gestus quibus claustrales utuntur in divino officio, vel in aliis, de quibus sæpe minus virtuosi majorem vim faciunt, quam perfecti et magis devoti. Tertium sunt mores exteriores compositi, et exteriorum membrorum disciplina in loquendo, in gradiendo, in totius corporis gestu, quæ etiam curiales sæculares commendabiles faciunt, et sæcularis virtus appellatur ; sed religiosis magis competit, licet humiliori et planiori modo. Quartum sunt opera pœnitentiæ, ut jejunia, vigiliæ, flagella, et aliæ corporales exercitationes et castigationes : quæ licet magis propinquant virtuti quam præcedentia, tamen non sunt puræ virtutes, quia et hypocritæ possunt habere, et in mortali peccato positi sæpe in talibus exercent seipsos. Quintum, studium familiare ad expurganda vel mortificanda vitia, et virtutes usitandas : ut seipsum humiliare, iræ motus reprimere, luxuriam domare, et cæteris vitiis impugnantibus resistere. Quamvis enim omnia opera bona sint virtutis exercitia, quia nec opus bonum esset, quod nullam virtutem respiceret ; tamen aliud est aliquod bonum opus exercere simpliciter propter Deum, et intentionem merendi veniam et gloriam, et aliud est ipsum exercere non tantum causa promerendi prædicta, sed etiam per hoc obtinendi virtutem sibi cohærentem, et usitandi eam per operis exercitium, vitium contrarium expugnandi : et hoc est multo utilius quam illud prius. Verbi gratia, alius orat simpliciter, ut per hoc impetret peccatorum veniam, vel vitam æternam ; alius etiam, præter istam intentionem orat, ut assuefaciat seipsum in orationis studio, et per hoc consequatur gratias devotionis, et gustum divinæ dulcedinis, et gratiam Dei clarius per mentis illuminationem consequatur. Et licet oratio prioris sit bona et meritoria veniæ, et gratiæ, et gloriæ, tamen intentio secundi cooperatur, ut et celerius et plenius hoc, quod expressius desiderat, assequatur. Unde multum valet ad perfectionem sanctitatis, scire intentionem dirigere ad eam quærendam, et studium suum ad hoc

Habitus religiosum non facit.

[1] *Exod.*, XXVI, passim.

ordinare, in tantum ut aliquis faciliori labore quoad corporale exercitium, majores mentales virtutes obtineat, qui scit prudenter disponere gressus suos, quam alius difficiliori labore. Exemplum de quolibet perito artifice, qui melius, et citius, et levius operatur quodcumque, quam alter imperitus cum labore majori. Sextum est ipse nucleus affectualis virtutis, qui est perfectio vitæ activæ, et ingressus ordinatus contemplativæ : sine illa frustra speratur puritas contemplationis vel stabilitas, sicut aqua fontis non erit pura, quamdiu fundus non est mundatus sordibus ejectis. Sicut autem ex nucleo pinguedo olei exprimitur, ita ex affectu virtutis sapor devotionis procedit, maxime divini amoris, et desiderii cœlestis, et gaudii spiritualis, qui nobilior et efficacior est, quam compunctio timoris vel mœroris. Hi sunt sex dies, in quibus operari oportet opus salutis, et cibos vitæ quærere, ne jejuni deficiamus [1] in via hac qua ambulamus : ita ut sexto die duplices cibos colligamus [2], scilicet bonæ actionis et piæ affectionis, ut in septimo, id est, sabbato quiescamus, et toti sani facti a vitiorum languoribus, in requie opulenta vacare possimus divinæ contemplationi, et videre quoniam ipse est Deus [3], et gustare quoniam *suavis est universis* [4]. Qui sexto die duplices non colligit cibos, septimo inanis remanebit, nihil reperiens de dulcedine contemplationis; qui sextum statum, qui est in virtutum affectualium sanitate, nondum attigerit, septimi status dulcedine, qui est in sapientiæ gustu et intelligentiæ lumine, non fruetur. Inde est quod Jacob prius de Lia sex filios genuit [5]; post hæc Rachel peperit filium Joseph decorum aspectu, quo nato cœpit Jacob petere dimitti, et in patriam suam reverti : quia prius in activa vita debet homo perfectus esse in sex prædictis profectuum statibus; et tunc gustato fructu vitæ contemplativæ, *cupiet dissolvi* [6], *et esse cum Christo* in patria cœlesti, cujus jam primitias in sapore supernæ dulcedinis prælibavit. Sed quia proficientibus hæc formula scribitur, ut sciant quantum in singulis virtutibus profecerint, vel quantum a perfectione earum adhuc distent, quamlibet ipsarum in tres gradus longe inter se differentes describendo distinguamus, multos medios profectuum passus festinando transientes propter fastidium devitandum. Ordo septem capitalium vitiorum hic est. Primum superbia, initium omnis peccati; secundum invidia; deinde ira, acedia, avaritia, gula, luxuria. Huic per contrarium opponitur ordo virtutum, scilicet humilitas contra superbiam, dilectio proximi contra invidiam, mititas contra iram, charitas Dei contra acediam, contemptus divitiarum contra avaritiam, sobrietas contra gulam, castitas contra luxuriam. Sed quia, teste beato Gregorio [7], sicut multi arboris rami ex una radice prodeunt, ita ex charitate Dei cæteræ virtutes oriuntur : ideo de ipsa, tanquam de omnium matre et nutrice, primo dicamus, et postea de filiabus. Ante ipsam nulla virtus meritoria est. Ipsa enim omnes informat, ut virtutes sanctæ sint; et vigorem tribuit eis, ut sint magis vel minus meritoriæ et Deo acceptæ, secundum quod de ipsius nutrimento minus, vel amplius acceperunt : sicut ramus arboris a radice nascitur, et ex succo ab ea procedente nutritur, et, ut magis fructificet, magnus efficitur. Initia autem singularum virtutum ad incipientes pertinent, sine quibus non possunt esse salvi, et Deo placere ad salutem. Profectus ad religiosos magis congrue pertinent, qui meliores esse debent, quam popularis communitas, vel laici sæculares, qui tamen sunt de numero salvandorum. Quid prodest altiora profiteri, et exterius in habitu perfectiora prætendere, si in studio virtutum, et exercitio operis, non distamus ab infimis, qui tamen in spe sunt salvationis? Imo major est confusio et

Septem vitiis capitalibus, septem virtutes opponuntur.

Charitas omnes virtutes informat

[1] *Marc.*, VIII, 3. — [2] *Exod.*, XVI, 26. — [3] *Psal.* XLV, 11. — [4] *Psal.* CXLIV, 9. — [5] *Gen.*, XXX, passim. — [6] *Philip.*, I, 23. — [7] Greg., *in Evang.*, hom. XXVII, n. 1.

species (*a*) fallendi. Magna promittere et exigua persolvere, est potius supplicio dignum quam præmio. Perfectio autem ad perfectos pertinet, qui transcenso difficultatis obstaculo, et in quo proficere volentes laborant, quasi in montis ascensu, jam in ipso culmine, Christo duce, constituti, transfigurationis ejus gloriam desiderant speculari [1]. Nemo tamen in hac vita, vel perfecte alicujus virtutis apicem valet apprehendere, vel stabiliter in summo gradu semper manere; sed pro modo viæ perfectus quis dicitur respectu inferiorum.

Nemo in hac vita absolute perfectus.

CAPUT XXIII.

De charitate.

Charitas. Dilectio. Amor.

Charitas est ordinata et magna voluntas serviendi Deo, placendi Deo, fruendi Deo. Charitas, dilectio Dei, et amor idem sunt. Tamen beatus Bernardus [2] distinguit ea, dicens: « Magna ad Deum voluntas amor est: sed cum lactatur a gratia, dilectio est; cum vero fruitur, cui adhæret, Deo, charitas est. » Diligere debemus Deum super omnia propter tria: 1. quia bonus est in se, nec tantummodo bonus, sed etiam ipsa bonitas est, quia nihil melius vel cogitari, vel esse potest, et quo omne, quod aliquo modo bonum est, bonum est. Si enim omne quod bonum est, diligendum est in quantum bonum, ille qui summe bonus est, et infinitum bonum est, summe, et si possibile esset, in infinitum diligendus est juxta meritum dignitatis ejus. 2. Item, quia ipse prior dilexit nos, et plus diligit nos quam nosipsi nos. Ille enim qui infinitus est, et cui non est aliud esse quam amare, quia ipse *Deus charitas est* [3], diligit nos pauperes, et viles, et miseros; et dilexit ab æterno nondum existentes, nondum eum diligentes, imo et nescientes, et resistentes, et offendentes ipsum: et ideo justum est nos eum vicissim diligere ex omni quod sumus, et scimus et possumus: ut saltem cum exigua mensura nostræ possibilitatis, fideliter remetiamur ei diligendo, cujus magnitudinis non est finis. 3. Propter ejusdem dilectionis multiplicem effectum, qui cognoscitur in beneficiis ejus: quia non sufficit ei diligere solo affectu, nisi etiam nobis ostendat in effectu. Gregorius [4]: « Probatio namque dilectionis, exhibitio est operis. » De quibus beneficiis modo non prosequimur causa prolixitatis, alterius temporis opportunitatem ad hoc expectantes. Dilectio autem nostra in tribus consistit, in voluntate, in opere, in affectu. Voluntas informata a ratione, consentit ejus consilio, ut velit bonum; et ne otiosa sit voluntas, progreditur in actum boni operis, omnem familiam imperio suo subjectam in adjutorium invocans, scilicet membrorum corporis, sensuum et cogitationum, sive ad promovendum bonum, sive ad removendum malum. Cumque hoc fideliter fecerit, quasi pro remuneratione, vel relevatione laboris, ex usu exercitii suscitatur etiam ei affectus in solatium, a gratia demulcente sua dulcedine affectum: ut jam non tantum ex instinctu rationis velit bonum, et cum conatu laboris illud agat, sed etiam ex desiderio optet, et per affectum amplectatur et diligat, et contrarium illi odiat, et horreat et fugiat, id est, malum. Et hæc est vere sanitas voluntatis, cum non tantum ex instinctu rationis cogit se ad volendum bonum, vel faciendum, aut nolendum aut vitandum malum; sed etiam ex affectu et desiderio mentis amplectitur bonum et odit malum. Et hæc est virtus et mens bona, de qua philosophi multi dixerunt, sed utinam vere cognovissent eam. Voluntas quandoque sine opere sufficit ad meritum et debitum, ubi facultas et opportunitas operis non subest: verbi gratia, pauper libenter subveniret pauperi, sed non habet unde: dives etiam quandoque libenter id faceret, sed non habet cui: utriusque ergo voluntas tunc pro facto reputatur.

Dilectio nostra in quibus consistit.

Voluntas pro facto putatur.

[1] *Matth.*, XVII, 2; II *Petr.*, I, 16. — [2] Imo Guill. a S. Theod., *ad frat. de monte Dei*, c. XV, n. 56, inter apocrypha Bern. — [3] I *Joan.*, IV, 8. — [4] Greg., *in Evang.*, hom. XXX, n. 1. — (*a*) *Bibl. Lugd.* spes.

Si autem facultas operis et opportunitas subesset, et non sequeretur effectus operis, tunc non sufficeret voluntas, quia nec voluntas esset, cum posset quod expedit perficere, et nollet. Quantum enim vis, tantum facis quod expedit, cum potes; sed si non facis, non vis.

CAPUT XXIV.

De virtutum connexione.

Virtutes connexæ

Licet etiam multæ virtutes esse videantur, et inter se differentes, ut humilitas alia est quam castitas et patientia alia est quam misericordia, et sic de aliis; tamen quadam consideratione omnes unum sunt, et ita quælibet non tantum cohæret, sed etiam inest alteri : ut qui unam habeat, vere omnes habere dicatur in habitu, etsi non actu. Quod ostendens Apostolus, ait[1] : *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt,* etc. Sicut enim Deus est unum, simplex et perfectissimum bonum, in quo est omne bonum perfecte, et cui nullum bonum deest; ita charitas est una virtus, in se omnem habens virtutem; sed propter diversos effectus ejus, ex diversis intrinsecis occasionibus et actionibus, vel causis illatis, quibus se vel contra malum opponit, vel ad bonum extendit, diversa officia vel nomina sortitur. Virtus enim, secundum Augustinum[2], est amor ordinatus; videlicet ut amet solum quod debet, et quantum debet. Quantum vero amas aliquid, tantum odis et fugis ejus contrarium, ubi potes. Charitas ergo cum se extendit ad diligendum Deum, dilectio Dei dicitur; cum ad proximum, dicitur dilectio proximi; cum ejus miseriæ compatitur, misericordia appellatur; cum ejus bono congaudet, congratulatio vocatur; cum æquanimiter adversa tolerat, patientia dicitur; cum benefacit se odientibus, benignitas nuncupatur; cum non extollitur in prosperis inaniter super se, humilitas reputatur; cum obtemperat superioribus ut justum est, obedientia est; cum execratur turpia, castitas est; cum resecat superflua corporalis necessitatis, sobrietas est; cum divitias abjicit, paupertas est; cum ad pauperes eas liberaliter effundit, largitas est; cum tædio expectationis promissorum non frangitur, longanimitas est; cum inter bonum et melius, et inter malum et pejus discernit, prudentia est; cum jus suum cuique tribuit, justitia est; cum delectationibus non emollitur, temperantia est; cum duris non terretur, fortitudo est; cum credit credenda, fides est; cum sperat speranda, spes est. Unde et Spiritus sanctus et *unicus* et *multiplex* dicitur[3] : quia cum in se unus sit, diversa dona tribuit secundum diversos donorum effectus, sicut aliqua nobilis et efficax medicina diversos curationum effectus operatur, vel virtutem confert varia operandi, ut uni acuat visum, alteri clarificet vocem, alii auditum reseret, alii gustum reparet, in alio aliud et aliud operetur. Secundum quod charitas opponitur septem capitalibus vitiis, septem virtutes format, quæ, ut prædictum est de profectuum gradibus, distinguuntur. « Unaquæque enim virtus, teste beato Gregorio[4], habet initium suum, et profectum et perfectionem. Marci quarto[4] : *Terra profert germen suum, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.* Herba est initium virtutis; spica, profectus; frumentum, plena perfectio. Charitas Dei, mater et nutrix omnium virtutum, tres habet gradus, scilicet infimum, medium et summum : sic et aliæ virtutes per singulas. Nec inconveniens est distinctio. Si enim cœlestis hierarchiæ, dicente beato Dionysio[6], singulæ per ternas differentias distinguuntur, cur non et spirituales virtutum hierarchiæ eumdem ordinem in terris imitentur? præsertim

Una charitas.

Charitas varia sortitur nomina propter effectus versos.

Charitatis et virtutum tres gradus.

[1] I *Cor.*, XIII, 4 et seq. — [2] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XV, c. XXII : « Definitio brevis et vera virtutis, Ordo est amoris. » — [3] *Sap.*, VII, 22. — [4] Greg., *in Ezech.*, lib. II, hom. III, al. XV, n. 4. — [5] *Marc.*, IV, 28, quoad sensum. — [6] Dion., *de Cœl. Hier.*, c. VI.

cum cœlestis pulchritudinis exemplar ad hoc nobis cœlitus allatum est, ut pro viribus studeamus Domino in nobis sanctuarium facere : ut in medio nostri habitare dignetur, secundum exemplar in monte cœlesti nobis demonstratum. Utrum autem qui in primo gradu quasi in infima virtutum hierarchia hic stant, ad infimam in cœlo hierarchiam pertineant; et qui in media, ad mediam in cœlo; et qui in summa, ad summam in cœlo hierarchiam pertineant, cum illuc Domino perducente venerimus, agnoscemus. Laboremus tantum hic fideliter de virtute in virtutem proficere, certi quod nequaquam inferior erit retributio gloriæ, proportionata meritorum mensuræ. In Luca (*a*) [1] : *Mensuram bonam et confertam*, etc. *Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Ejusdem mensuræ hydria implebitur tibi vino gloriæ in nuptiis cœlestibus, cujus tu hic implere studueris aqua justitiæ præsentis, quæ in comparatione cœlestis est sicut aqua ad vinum optimum in valore. Mille millium metretæ aquæ fluminis vel marium non valerent unam electi vini, quoad pretium utriusque.

CAPUT XV.

De tribus gradibus charitatis.

Primus gradus. Charitatis Dei primus gradus est, sic diligere concessa et eis uti, ut tamen illicita devitet, et amori Dei nullius rei amorem præponat, sicut illi qui sic ea quæ sunt mundi diligunt, ut tamen in eorum dilectione vel cupiditate peccata mortalia devitent, servando quæ Deus præcepit facere, et cavendo quæ Deus prohibet per præceptum. [2] *Si vis ad vitam ingredi*, id est, in ingressu vitæ consistere, non in progressu altiori, *serva mandata.* Secundus gradus potest esse, cum homo voluntarie, pleniori affectu et ferventiori, non solum communia contentus est servare præcepta, sine quibus non est salus, sed etiam ad omnia, quæ Dei sunt, studiosus est et voluntarius, tam faciendo in se, quam in aliis promovendo et desiderando. Hoc proprium est bonorum religiosorum, qui non solum præcepta Dei, sed consilia ipsius implere, et ipsum specialiter imitando sequi desiderant omnis justitiæ doctorem Dominum Jesum Christum. Talibus dicit Bernardus [3] : « Non est vestrum circa præcepta communia languere, neque hoc solum attendere, quid præcipiat Deus, sed quid velit; *probantes quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens et perfecta* [4]. » Quantum enim amas Dominum, tantum studiosior eris promovere beneplacitum ejus, ubi potes, et honorem, et cavere ejus offensam et inhonorationem. Gregorius [5] : « Nunquam est amor Dei otiosus : operatur enim magna, si est; si vero operari renuit, amor non est. » Fidelis autem famulus Dei ea diligentia, qua cavet Dominum suum offendere in se per peccatum, ea etiam cavet et dolet eum inhonorari ab aliis per scandalum et malum exemplum : quia indisciplina famulorum redundat in dedecus dominorum. Quis enim famulus fidelis patienter sustineat contemptum domini sui, et injurias, ne dicam, promoveat et augeat? *Hujusmodi* vero [6] *Christo Domino non serviunt, sed suo ventri.* Si tu pro velle tuo servis Domino, ipse te remunerabit pro velle suo; si autem tu studueris ei servire pro velle suo, ipse remunerabit te pro omni velle tuo. Ex Matthæo [7] : *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis :* et adjicietur vobis non tantum secundum mensuram, sed etiam supra. Secundum omne desiderium tuum remuneraberis. Tertius gradus est, tanto affectu æstuare ad Deum, quod sine ipso quasi vivere non possis, *coarctatus* [8] *desiderio dissolvendi* (*b*), *et esse cum Christo.* Talibus est vivere in patientia, vel potius in fastidio, et mors in ardenti desiderio etiam

Secundus.

Tertius charitatis gradus.

[1] *Luc.*, VI, 38. — [2] *Matth.*, XIX, 17. — [3] Imo Guill. a S. Theod., *ad frat. de monte Dei*, c. II, n. 5. — [4] *Rom.*, XII, 2. — [5] Greg., *in Evang.*, hom. XXX, n. 2. — [6] *Rom.*, XVI, 18. — [7] *Matth.*, VII, 2. — [8] *Philip.*, I, 23.

(*a*) *Cæt. edit.* Luc. — (*b*) *Leg.* dissolvi.

per dura tormenta. Hoc desiderium fecit Andream amplecti crucem; Stephanum, orare pro lapidantibus, qui ei cœlum patefaciebant, quo anhelabat ingredi; Laurentium, deridere carnifices; Vincentium, provocare tortores; Agatham, lætissime et glorianter ire ad supplicia, quasi ad epulas invitatam; et cæteros gloriosos martyres gaudere in tribulationibus, et inimicos diligere persequentes, a quibus ad desiderata gaudia velocius adipiscenda promovebantur. Amici sanctorum desiderant eos secum diu retinere hic; inimici autem eorum dolent eos aliquo tempore secum in mundo morari. Et ideo diligendi eis sunt, qui optant et promovent eos, ut hoc citius et plenius obtineant, quod super omnia diligunt, quo nihil utilius eis esse potest. Nihil est quod talium valet æstum extinguere desiderii, quamdiu non datur eis copia de fonte vitæ pro libitu potari, cujus siti mirabiliter cruciantur. Tribus tantum interim utcumque refocillantur guttis consolationum spiritualium : scilicet internæ suavitatis recreatione; sacramentali corporis Christi perceptione, quod devotis solet esse singulare solatium pro relevando hujus exilii tædio : quia et si non manifeste, tamen vere et salutifere ipsum, quem amant, suscipiunt Dominum Jesum Christum. Item spiritualis fructus multiplicatione, in quo et animarum profectum et Dei honorem sentientes, exilii sui molestias tolerabilius sustinent spe lucrorum Dei. Unde sponsa dicit adolescentulis [1] : *Fulcite me floribus,* scilicet novæ conversationis bonæ; *stipate me malis*, id est, proficientibus, ad perfectionem tendentibus; *quia amore langueo :* desidero dissolvi, et esse cum sponso : ut quamdiu ad hoc differor, saltem consoler conversione peccatorum et profectu bonorum : et ita meum exilium erit mihi tolerabilius, si videro aliis esse fructuosum, ut si tardius ad sponsum veniam, tamen plures mecum ducam. [2] Sic et Paulus coarctatus inter desiderium dissolvendi et profectum subditorum, consolabatur se interim ex eorum profectu, de sua dilatione a regno.

Tres guttæ consolationis in hac vita.

[1] *Cant.*, II, 5. — [2] *Phil.*, I, 24. — [3] I *Joan.*, IV, 21. — [4] *Eccli.*, XIII, 19.

CAPUT XXVI.

De dilectione proximi.

Dilectio proximi ex dilectione Dei nascitur, quia propter Deum, et in Deo, et secundum Deum est proximus diligendus. Propter Deum, quia ipse mandavit; Joannes [3] : *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.* In Deo, id est, ea affectione diligere debet proximum, qua Deum, id est, ea forma. Secundum Deum, id est, ad hoc diligere debemus proximum, ad quod nos diligit Deus, id est, ad salutem animæ et profectum in spiritu. Hoc est, vere et pure et ordinate diligere. Vere, et non ficte, sicut illi qui verbo tantum et lingua diligunt, non opere et veritate. Pure, et non ex carnali affectione, non pro utilitate propria, non ex carnali affectione et sæculari societate tantum : quæ et si non sint semper mala, tamen non sunt meritoria, nisi ex spirituali dilectione accipiant condimentum. Ordinate, ut non ad vitia et commoda carnis et temporalem prosperitatem, sed ad æternam salutem. Unde notandum, quod est dilectio carnalis, et dilectio cupiditatis, et dilectio naturalis et socialis, et est dilectio spiritualis. Carnalis est, quæ carnalibus nutritur, ut inter virum et fœminam in copula carnali. Cupiditatis, ut qui diligit pro muneribus, sicut et canis diligit eum qui dat ei cibum. Naturalis, hæc est inter cognatos et propinquos sanguine vel patria. Hac etiam dilectione diligimus illa, quæ natura magis venustavit, ut pulchros homines et alia naturaliter delectabilia, et etiam illa quæ naturæ nostræ sunt aliquo modo similiora, sicut cum e duobus æque ignotis uni magis inhæret affectus, quia forte nobis similior est in natura. Ecclesiasticus [4] : *Omne animal diligit suum simile,* etc.; *sic et omnis homo proximum suum.* Ista sicut a bonis

Quomodo proximus diligendus.

Dilectio multiplex.

torii dictaminis, conviviola, et morselli ab ore dilecti rapti, et quælibet alia quæ dilectus contrectavit, vel quibus usus est, quæ quasi pro reliquiis venerantur, et pro memoriali conservantur pro incentivo continui amoris. E contra, sicut dicit Hieronymus[1] : « Crebra munuscula, et fasciolas, et zonas, et prægustatos cibos, et dulces et suaves amoris litteras sanctus amor non habet. » Puræ orationes, ædificatoriæ, et in spiritu instructiones, et in necessitate piæ subventiones sunt spiritualis amoris fulcimenta.

Septimum est inordinata dissimulatio vitiorum ad invicem, scilicet quod ita se diligunt mutuo, quod etiam vitia sua diligunt et fovent, et excusant et astant sibi mutuo contra arguentes et corrigentes ea, confœderati ad malum, sicut fur furem, adulter adulterum diligit in malo. Spiritualis autem dilectio cum omnium vitia detestetur, singulariter tamen odit ea in specialiter dilectis. Sicut enim pater magis dolet deformitatis maculam in filio, quam in alieno; sic Deus peccata omnium odit, et tamen quodammodo durius punit ea in amicis suis singularibus, quam in aliis, sicut apparet in David qui gravissime pro peccatis punitus est[2]. In Apocalypsi[3] : *Ego quos amo arguo et castigo.*

Ostensis ad cautelam carnalis amoris indiciis, quæ se quandoque palliant sub specie spiritualis, dilectionis profectus considerando redeamus, et quibus gradibus constant, videamus.

CAPUT XXVII.

De gradibus dilectionis proximi.

Primus gradus. Dilectionis proximi primus gradus esse videtur nullum odire, nulli malum cupere, nullius velle bonum impedire, in necessitate proximo auxilium subventionis non subtrahere : et breviter, ut nulli faciat malum, vel cupiat cum voluntatis consensu, et bonum proximo optet et faciat, sicut sibi velle deberet, si indigeret. In his duobus consistit impletio illius præcepti[4] : *Diliges proximum tuum, sicut teipsum,* scilicet[5] : *Quod tibi oderis ab alio fieri, tu ne alteri facias,* et[6] : *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis.* Hæc est Lex et Prophetæ. Hoc enim docet lex naturæ et Scripturæ pariter, secundum expositionem sanctorum orthodoxorum.

Secundus gradus. Profectus dilectionis est sic alterius profectui congaudere, et bonum alterius diligere, quasi proprium; et sic ejus adversitati compati, sicut propriæ; vel aliena lucra, sua deputare ex affectione pietatis. Ad Romanos[7] : *Gaudere cum gaudentibus : flere cum flentibus : id ipsum invicem sentientes.* Item sic bona aliena vel mala sentire sicut propria. Ad Corinthios[8] : *Quis enim infirmatur, et ego non infirmor?* etc. Ubi autem talis inest affectus, ibi necessario non deerit subventionis effectus, quantum patitur opportunitas. Sicut enim sana membra corporis congaudent sibi, et compatiuntur mutuo, ita apparet illum affectum sanatum esse a stupore insensibilitatis vitiosæ, qui jam novit intelligere quæ proximi sunt ex seipso. Ad Ephesios[9] : *Sumus* enim *invicem membra.* Unde Dominus noster Jesus Christus, a quo omnis doctrina perfectionis nobis influit, sicut membris a capite sensus et motus, deputat sibi fieri quicquid membris etiam infimis infertur, sicut ipse dicit[10] : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

Gradus tertius. Perfectio dilectionis proximi est diligere inimicos ex affectu; et ea dulcedine erga odientes et persequentes se affici, sicut erga singulariter dilectos; et non solum res temporales, sed etiam corpus pro fratribus ponere paratum esse, non tantum pro spe præmii martyrii, sed magis pro affectu fraternæ salutis. Hanc Christus docuit, qui pro pec-

[1] Hieron., *ad Nepotian.*, epist. II. — [2] II *Reg.*, XII, 14; XXIV, 13. — [3] *Apoc.*, III, 19. — [4] *Matth.*, XIX, 19; XXII, 37. — [5] *Tob.*, IV, 16. — [6] *Matth.*, VII, 12. — [7] *Rom.*, XV, 16. — [8] II *Cor.*, XI, 29. — [9] *Ephes.*, IV, 25. — [10] *Matth.*, XXV, 40.

catoribus inimicis suis mori dignatus est : ut illa peccata, quibus ipsum offendimus, et contempsimus, expiaret. In Joanne (*a*) [1] : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Hanc didicerunt ab ipso sancti, qui se morti pro fratribus obtulerunt; qui se in servos pro aliorum redemptione vendiderunt, ut Paulinus, qui ut aliorum fami consuleret, ipse fame cruciabatur; qui pro interfectoribus suis devote orabant, et sua benignitate inimicorum sævitiam lenire, et malum in bono vincere studuerunt. Hanc Joseph patriarcha, Moyses, Samuel, et David, Job, et alii quamplures sancti multipliciter ostenderunt [2]. Et revera tales sunt vere sapientes, qui sic diligunt inimicos : quia centies majora bona præstant eis persequendo, quam subveniendo, sicut qui raperet mihi talentum plumbi, et poneret in eumdem locum talentum auri puri. Quid potest homini sancto nocere inimicus? Honorem mundi, vel delicias, vel divitias, ex quibus nutritur carnalis concupiscentia, potest ei adversarius subtrahere, spoliando, detrahendo, persequendo : sed ista sancti non amant; ideo non contristantur, cum ista subtrahuntur eis. Nam si ista, quæ mundi sunt, diligerent, et de amissis valde dolerent, non esset charitas Dei Patris in eis. Cum ergo aufert eis mundana inimicus, quæ eis sunt odiosa et onerosa, cumulantur eis dona spiritualia, et merita cœlestia. Unde David [3] : *Judicia Domini vera, justificata in semetipsa : desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et desiderabilia super mel et favum.* Et qui occasionem dat homini tanti lucri, merito est ei diligendus. In Matthæo (*b*) [4] : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt. Orate pro persequentibus et calumniantibus vos : et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi*, etc.

[1] *Joan.*, XV, 13. — [2] Greg., *Moral.*, lib. X, c. IV, al. VI, n. 9. — [3] *Psal.* XVIII, 10, 11. — [4] *Matth.*, V, 44, 45; *Luc.*, VI, 35. — [5] Bern., *de grad. humilit. et superb.*, c. I, n. 2. — [6] *Isa.*, XLII, 8. — [7] *Apoc.*, III, 17.

CAPUT XXIX.

De humilitate.

Nunc dicendum de humilitate : ubi sciendum, quod vera beatitudo consistit in cognitione summæ veritatis, et dilectione summæ bonitatis, et in fruitione æternæ jucunditatis. Omnes autem virtutes ordinant nos ad ista tria : et ideo quanto quisque magis fuerit ordinatus in virtutibus, tanto magis capax erit supernæ beatitudinis. Sicut ergo charitas ordinat nos ad bonitatem, ita humilitas habet nos ordinare ad veritatem. Humilitas est, ex intuitu propriæ conditionis, vel fragilitatis, voluntaria mentis inclinatio. Bernardus [5] : « Humilitas est virtus, qua homo verissima cognitione sui sibimetipsi vilescit. » Duo sunt quæ admonent nos ut humiles simus : videlicet, quod sumus, et quod non sumus. Quod sumus, non habemus a nobis, nec ex meritis nostris : et ideo non oportet nos inde extolli, quia alienæ potestatis est et bonitatis quidquid boni sumus et habemus : et inde solus ille extollendus est, cujus gratia sumus id quod sumus. Hæc est humilitas sanctorum et magnorum, qui quanto majores se vident, tanto magis humiliant se in omnibus quæ habent, totum reddentes illi a quo totum habent : quia furti reus est, qui sibi aliquid retinet de his, quæ sibi commodata sunt invito domino, cum ipse dicat [6] : *Gloriam meam alteri non dabo.* Profectum nobis libenter communicat in donis suis, sed gloriam sibi servat. Quod autem non sumus, similiter monet nos humiliari : quia vana et inanis gloria est, extolli de eo quod non est, velut si lutum glorietur se esse aurum, et nanus jactet se esse gigantem, et mendicus credat se esse regem, et Æthiops nive candidiorem. In Apocalypsi (*c*) [7] : *Dicis, quia dives sum, et nullius egeo; et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pau-*

Humilitas quid.

Humilitatis duæ causæ in nobis.

Humilitas sanctorum.

(*a*) *Cæt. edit.* Joannes. — (*b*) *Cæt. edit.* Matthæus. — (*c*) *Cæt. edit. deest* In.

Humilitas imperfectorum.

per, et cæcus et nudus. Hæc humilitas est pauperum et imperfectorum, qui considerata sua inopia et imperfectione, in comparatione sublimitatis aliorum, resiliunt in se, et ex judicio veritatis sibimetipsis vilescunt. Sic Dominus nos, cæcos natos per nostri ignorantiam, illuminat, *lutum* [1], unde facti sumus, liniendo super oculos nostros : ut primo incipiamus nos ipsos agnoscere, deinde ipsum illuminatorem nostrum credendo proni adorare. Ex luto visum recipit, qui ex conditionis propriæ fragilitate (*a*) seipsum humiliatus agnoscit.

CAPUT XXX.

De humilitate ad nos ipsos.

Triplicem vero humilitatem habere debemus : humiles enim esse debemus in nobis, humiles ad proximum, et humiles ad Deum. In nobis debemus esse humiles, nosmetipsos ex consideratione propriæ vilitatis despiciendo : ut omnia quæ in nobis despicabilia agnoscimus, tam in naturalibus defectibus, quam fortuitis, et maxime culpabilibus et vitiosis, diligenter attendamus, ut ex eorum intuitu apud nos humiliemur. Secundo, in nobis simus humiles, mores et gestus humiles habendo, et verba humilia et responsa. Unde David [2] : *Quasi lugens et contristatus, sic humiliabar.* Tertio, ut in humilibus obsequiis, operibus et officiis nosmetipsos exerceamus, in quibus apparet vilitas, et quæ alii horrent et despiciunt : ut sordes purgare, rusticalia opera facere, et vestibus vilioribus contentos esse, et cibis, et aliis similibus. Unde David [3] : *Ludam, et vilior fiam plusquam factus sum, et ero humilis in oculis meis.*

CAPUT XXXI.

De humilitate ad proximum.

Ad proximum debemus esse humiles : primo, meliores et digniores ipsos nobis reputando, non eos despiciendo vel temere judicando. Unde Apostolus ad Philippenses [4] : *Humilitate superiores sibi invicem arbitrantes.* Secundo, honore exteriori invicem prævenientes, reverendo, inclinando, locum primum ubique præbendo, non eis detrahendo, sed obediendo, obsequendo, promovendo; et eos apud cæteros exaltare, et facta eorum commendare, laudare et extollere, dummodo bona sint, et mala eorum tegere, non ficte, sed pure. Tertio, patienter eorum infirma opera tolerare, et læsiones sustinere, si quas inferunt nobis, et malum pro malo non reddere, nec odium, nec jurgia, nec clamores contra eos exercere, et correptiones eorum patienter recipere. Psalmus [5] : *Cum mihi molesti essent, humiliabam animam meam.* Item proximorum alii sunt æquales nobis, alii superiores, alii subditi. De æqualibus plana est regula prædicta. De superioribus addit Apostolus, scilicet [6] : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis.* Obedire pertinet ad impletionem jussionis eorum, subjacere et humiliter eis subesse, quasi vicariis Dei, omni subjectione secundum Deum. De prælatis ergo tres regulas nota. Prima, Ecclesiastici [7] : *Rectorem te posuerunt? esto inter illos quasi unus ex eis.* Secunda, ad Thessalonicenses [8] : *Facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos*, etc. Tertia, Lucæ [9] : *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* Secundum has tres regulas, rector inter subditos sit quasi unus ex illis communis in victu, in vestitu, in labore, et in aliis exterioribus, sicut parvulus in medio eorum; ut ex hoc quod præest eis, non putet se sanctiorem, vel aliis sapientiorem, vel digniorem; sed viliorem et obligatiorem in reddendo rationem pro se, et pro illis. Sit quasi ministrans in medio eorum, infirma eorum portando, et curando, et exemplo præeundo.

Regula tres omnibus prælatis observandæ.

[1] *Joan.*, IX, 6. — [2] *Psal.* XXXIV, 14. — [3] II *Reg.*, VI, 22. — [4] *Phil.*, II, 3. — [5] *Psal.* XXXIV, 13. — [6] *Hebr.*, XIII, 17. — [7] *Eccli.*, XXXII, 4. — [8] I *Thess.*, II, 7. — [9] *Luc.*, XXII, 27.

(*a*) *Bibl. Lugd.* conditione p. fragilitatis.

CAPUT XXXII.

De humilitate ad Deum.

Ad Deum debemus esse humiles. Primo, ut ipsum esse Deum, ac Dominum, et judicem nostrum humiliter cognoscamus, et ei in omnibus obediamus, sicut servi domino suo, et opus factori suo; et si peccaverimus ei, ut cito et digne pœniteamus, et satisfaciamus, et emendemus. Secundo, ut flagella ejus humiliter toleremus, et non remurmuremus correpti: sed justum ejus judicium commendemus, et nos correptione dignos agnoscamus, dicendo [1]: *Iram Domini portabo, quoniam ipsi peccavi.* Tertio, ut de beneficiis ejus non extollamur, sed agnoscamus quod non pro merito nostro, sed pure pro sua bonitate dilexit nos, et elegit nos, et [2] *vocavit nos, et justificavit et magnificavit* (a) nos. Unde debemus ei gratias pure et humiliter referre, et nihil nobis de bonis ejus adscribere arrogando. Unde Psalmista [3]: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

CAPUT XXXIII.

De triplici gradu humilitatis.

Primus gradus, suam agnoscere vilitem.

Licet autem ex prædictis possint gradus humilitatis discerni, tamen ut magis in promptu sint ad intuendum, nota tres gradus humilitatis, licet multum inter se distantes. Primus est, ut homo se, quod est, vilem, infirmum, inopem boni, vitiosum, peccatorem, et si quos alios defectus habeat, agnoscat, et sciat: et non mentiatur sibi esse se majorem, quacumque dignitate fulgeat, et non elevet se supra se, quasi in ventum, vel super alios insolenter; nec vanas laudes hominum vel honores quærat, et si aliquando delectat eum aliquod istorum, semetipsum redarguat et castiget, quasi deceptum, et in quo veritas non sit. Unde Psalmus [4]: *Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* Cum enim Deus omnia possit, ut quid non fecit nos æquales angelis in gloria, nisi ut ipsa depressio nostra humiliet nos, ne elevemur sicut seducti et seductores angeli, et corruamus et pereamus? Inde est, quod cum Deus in baptismo tollat penitus reatum peccati originalis, pœnam tamen corruptionis non tollit in hac vita: ut semper maneat nobis memoriale humiliationis, quo cauti simus, ne superbiamus, sicut primi parentes nostri, ex quorum superbia et transgressione omnes corruimus in culpam, et pœnam miseriæ quam portamus, et adhuc deteriora, nisi Deus avertat, expectamus. Secundus gradus potest dici, cum non solum seipsum agnoscens homo, spernit se pro vilitate sua, sed etiam ab aliis sperni se patienter accipit, imo quia veritatem amat, et se privato amore non diligit contra veritatem, etiam desiderat ab aliis reputari talis qualem se reputat, scilicet vilem, vitiosum, et ignobilem, et qualem seipsum homo in veritate cognoscit, in quantum credit agnoscenti non obesse. Gregorius [5]: « Sicut superbi honoribus, ita plerumque humiles sui despectione gaudent: quia judicium quod de se intus habent, ab aliis sentiunt approbari.» Item cum dolet homo, et fastidit honores sibi exhibitos, et vilipendit. Iste gradus altus est, et satis rari sunt qui eum ascenderunt, etiam inter religiosos et bonos. Unde non est mirum, si inopes simus virtutum, cum matrem et custodem virtutum, scilicet humilitatem, tam alienam a nobis sentiamus. Quid enim causæ est, quod ille, qui est *dives in misericordia* [6], Pater cœlestis, qui etiam *pro dilectione qua dilexit nos, proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* [7], quid, inquam, causæ est, quod nos tam inopes gratiarum et virtutum reliquit, quasi non sit ei cura de nobis? Nimirum aut desidia nostra in

Secundus gradus est sui gaudere contemptu.

Humilitas virtutum mater et custos.

Cur si-

[1] *Mich.*, VII, 9. — [2] *Rom.*, VIII, 30. — [3] *Psal.* CXIII, 1. — [4] *Psal.* IV, 3. — [5] *Greg.*, *Dial.*, lib. I, c. V, quoad sensum. — [6] *Ephes.*, II, 4. — [7] *Rom.*, VIII, 32.

(a) Vulg. *glorificavit.*

mus virtutum inopes.

causa est, quod non instanter quærimus eum, ut debemus; aut superbia, quia etsi quærimus instanter, videt tamen nos Deus pronos esse, ut inde extollamur, et fieret nobis ipsa donorum ejus sublimatio altioris occasio ruinæ. Altiora ædificia profundiori fundamento indigent, et arbor excelsa, si radicata profunde non fuerit, facilius ventorum impulsu evertitur. Qui ergo cito desiderat virtutis culmen attingere, studeat se in humilitatis fundo solidare : quia [1] *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Tertius gradus est magnis virtutibus non efferri.

Tertius gradus humilitatis est, quando etiam in magnis virtutibus et donis et honoribus homo nihil extollitur, nihil sibi ex hoc blanditur, totum illi refundens, et in integrum restituens, a quo fluit omne bonum.

Humilitas perfectorum

Talis fuit humilitas beatæ Virginis, quæ cum electam se sciret, ut mater Dei fieret, ancillam ejus humiliter se recognovit, dicens [2] : *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Talis est humilitas Christi [3], *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed seipsum exinanivit*, etc. In Matthæo (*a*) [4] : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Talis est humilitas angelorum et sanctorum in gloria, qui cum sint pleni summo bono, et honore summo sublimati, nullum motum habent de hoc superbiæ, sed sunt in se eo humiliores, quo altiores in Deo : unde et ovibus in montibus in Evangelio [5] assimilantur : ovibus, propter humilitatis mansuetudinem; in montibus, propter altitudinem dignitatis.

Humilitas perfectorum

Hæc est humilitas perfectorum, qui quanto majores sunt, tanto magis humiliantur in omnibus : in sensu, in affectu, in verbo, in actione, in habitu. Unde Psalmus [6] : *Domine, non est exaltatum cor meum*, etc. Si enim humiliatur et despicit se, qui non habet unde glorietur, sed multa habet unde confunditur; licet bona sit ista humilitas, tamen non miranda : ut si filius rustici non vult filius regis putari, laudanda est in eo simplex puritas, sed non prædicanda, nec ex hoc miranda humilitas. Item, si pauper se pauperem reputat, et ab aliis vult pauper agnosci, veritati consentit in istis; sed non est admirationi talis humilitas. Si vero dives se pauperibus conformat, et altus nihil altum sapit, et gloriosus nihil de gloria sibi attribuit, sed totum refundit ei, a quo habet unde gloriosus videtur; hic est humilis, non cogente necessitate, sed veritatis charitate.

[1] *Prov.*, III, 34; *Jac.*, IV, 6. — [2] *Luc.*, I, 48. — [3] *Phil.*, II, 6, 7. — [4] *Matth.*, XI, 29. — [5] *Matth.*, XVIII, 12. — [6] *Psal.* CXXX, 1. — [7] Gregor., *in Evang.*, hom. XXXV, n. 4.

CAPUT XXXIV.

De patientia.

Ex charitate et humilitate nascitur virtus patientiæ. Hæc ordinat nos ad fruitionem summæ pacis : nihil enim pati molestiæ, est pacem habere. Quod fit duobus modis, scilicet : aut nullam molestiam sentiendo, quod erit tantum in patria; aut molestias moleste non ferendo, quod est magnanimorum etiam in via : et hæc est patientia. Magnanimus enim est, qui ad universa sustinenda patiens est, qui nullis passionibus perturbatur. Patientia est, æternæ gloriæ respectu, voluntaria et insuperabilis perpessio laborum. Patientia alia est simulationis, alia necessitatis, alia virtutis. Simulationis est, quando aut pro humana gloria aliquis patientem se in adversis ostendit, aut cum interim dissimulat injuriam quam patitur, ut in aliud tempus opportunum differat ultionem. Gregorius [7] : « Qui mala proximi ita tolerat, ut tamen intrinsecus (*b*) doleat, et tempus tribulationis (*c*) exquirat, patientiam non exhibet, sed ostendit. » Patientia necessitatis est, cum aliquis ideo adversa ulcisci non præsumit, quia non potest, vel non audet, timens sibi majus ex hoc imminere dispendium, vel commodum deperire : ut servi a dominis verberati, vel pauperes a divitibus objurgati, vel discipuli a magis-

(*a*) *Cæt. edit.* Matthæus. — (*b*) *Apud Greg.* tacitus. — (*c*) *Item* justæ retributionis.

tris castigati. Patientia virtutis est, de qua beatus Augustinus in libro *De patientia*[1] : « Patientia est, qua mala æquo animo toleramus, » hoc est, sine perturbatione tristitiæ. Prima vitiosa est, et meretur supplicium; secunda cauta, et evadit temporale dispendium; tertia virtuosa, et meretur gratiam in præsenti, et gloriam in futuro.

CAPUT XXXV.

De probatione patientiæ.

Passio unde ascatur

Omnis passio, aut est ex eo quod negantur vel auferuntur nobis concupita et amata; aut quod inferuntur et intentantur nobis odio habita et nociva, quæ possumus dividere in quinque, in quibus patientia discernitur vel probatur : primum est corporis læsio; secundum, temporalis penuria substantiæ; tertium, detrimentum honoris; quartum, charorum offensio, vel subtractio; quintum, tranquillitatis mentis quæcumque perturbatio. Istud tamen omnia priora sub se continet, licet etiam per se singulariter aliquoties valeat discerni, et sine aliis reperiri, ut sublata aliqua lætitia vel consolatione minus utili, vel nociva, verbi gratia, ut cum propter pluviam, vel aliam innoxiam causam non possumus spatiari, vel alios conceptus animi perficere pro libitu. Cum autem turbamur pro defectu justitiæ vel nocumento salutis æternæ, hæc turbatio non est impatientiæ deputanda, sed zelo justitiæ et virtutis, nisi sit immoderata, vel indiscreta. Unde ad Corinthios[2] : *Tristitia quæ est secundum Deum, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*, etc. Patientia directe opponitur vitio iræ, sicut charitas Dei opponitur acediæ, et charitas proximi invidiæ, humilitas superbiæ. Sicut autem iræ vitium hominem stultum, et furioso similem reddit, juxta illud Job[3] : *Vere stultum interficit iracundia,* ita patientiæ virtus sapientem ostendit.

Patientia sapientem virum ostendit.

Patientia

Proverbia[4] : *Doctrina viri per patientiam noscitur.* Sicut ergo pro prædictis quinque causis se non turbare, virtus patientiæ est, ita pro defectu justitiæ non turbari, vitium est teporis, vel obstinationis. Pro se enim quilibet contristari debet : pro præteritis defectibus justitiæ, et tunc est virtus pœnitentiæ; pro præsentibus, et tunc est fervor proficiendi; pro futuris, et tunc est cautela timoris. Item pro proximis contristari debet homo, moderate tamen, pro temporalibus eorum defectibus; amplius autem, pro spiritualibus, et quæ pertinent ad salutem animæ. Ad hoc autem maxime prælati tenentur, qui si patienter subditorum vitia tolerent non corrigendo pro posse, ex hac patientia non gloriæ meritum sperare debent, sed iram Dei cujus damna, et injurias, cum cavere et prohibere debuerint, tolerando foverunt. Unde et Heli[5], quia filiorum suorum mala non acriter redarguit, iram Dei cum pœna sensit. Et quamvis aliqua differentia esse videatur inter patientiam, et fortitudinem, et constantiam, et magnanimitatem, et longanimitatem, et mititatem, et mansuetudinem, sicut etiam ex eorum definitionibus colligitur, tamen sæpe unum pro altero ponitur, et mutuo se inter se definiunt, vel describunt. Patientia est, honestatis causa, rerum difficilium voluntaria perpessio. Fortitudo est immobilis inter adversa animi laborum et periculorum æqua susceptio. Constantia est, inter fluctuantes causas et personas, nulla mentis trepidatione concuti. Magnanimitas est difficilium spontanea et rationabilis aggressio. Longanimitas est spes cum longa expectatione bonorum. Mititas est quam mentis asperitas seu amaritudo non afficit. Mansuetudo est animi tranquillitas, alterius non cedens improbitati. Posset etiam singulis tolerandis quoquo modo appropriari : verbi gratia, patiens dici potest, qui dolores æquo animo tolerat, ut Job, Tobias. Fortis est, quem tentationum certamina non enervant, ut Joseph; constans, quem terrores et labores non pusillanimem faciunt, ut Machabæi; magnanimus, qui ardua

Patientia cæteris virtutibus est affinis.

[1] Aug., *de Patient.*, c. II. — [2] II *Cor.*, VII, 10. — [3] *Job*, V, 2. — [4] *Prov.*, XIX, 11. — [5] I *Reg.*, IV, 18.

et difficilia aggredi non expavescit, ut David, Joannes Baptista; longanimis, quem longa expectatio a spe desiderii non frangit, ut Abraham. Mitis est, qui odientium jaculis nequaquam irritatur, ut malum pro malo retribuat, ut Moyses; mansuetus, qui corde tranquillus est, et moribus tractabilis, ut Joannes Evangelista.

CAPUT XXXVI.

Ad quid valet patientia.

Patientiæ effecta.

Valet autem virtus patientiæ ad multa. Primo tolerabiliora reddit præsentis vitæ incommoda, quia adversitas, quando cum impatientia est, triplex incommodum dat : extrinsecus homo affligitur; et intrinsecus per impatientiam amaricatur; et insuper mala conscientia rodit mentem pro reatu culpæ. Secundo patientia est magna mentis refectio, quia sicut corpus pascitur convivio, ita mens virtutum dapibus saginatur. Tertio magna est ædificatio proximorum, et tanto major, quanto rarior. Plures videmus castos, abstinentes, pauperes, semetipsos humiliantes, eleemosynas facientes, orationibus instantes, bona dicentes, fide constantes : sed paucos admodum in contumeliis, et detractionibus, et despectionibus humiliter patientes. Excusamus et defendimus nos, ne forte alii scandalizentur de nobis, putantes nos esse culpabiles, si taceamus : cum ex hoc magis reprehensibiles judicemur, quod per impatientiam nos vindicamus, et mordentes nos acriter remordemus. Sicut dicit Gregorius [1] : « Imitanti Deum (*a*) gloriosius est injuriam tacendo sustinere (*b*), quam respondendo superare. » Quarto patientia purgat peccata præterita, et præcavet a futuris. Quinto auget gratiam in præsenti virtutum et spiritualium donorum, juxta illud Psalmi [2] : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Sexto meretur magnam gloriam in cœlo. In Luca (*c*) [3] : *Gaudete et exultate : ecce merces vestra multa est in cœlis.* Septimo singularis est retributrix passionis Christi : talia enim studet rependere, qualia ab eo accepit, qui [4] *dolores nostros portavit.* Et hæc singularis lætitia Sanctorum in tribulatione patientium et gaudentium, quod sic occasionem habent et opportunitatem aliquo modo retribuendi Domino pro illa magna charitate, qua pro nobis animam suam posuit, saltem aliquid sustinendo : quia [5] *bonorum nostrorum non indiget*, ut aliquid ei de nostro dare possimus. Cum in judicio veniens, ostendet [6] indicia passionis suæ omnibus, magna erit confusio illis, qui pro ipso nihil pati voluerunt; et magna gloria illis, qui pro ipso multa et magna patienter sustinuerunt. Signum etiam specialis dilectionis videtur, cui dat Dominus adversa pati, quasi impartiri ei dignetur partem oneris sui portandi, sicut ille Simon Cyrenæus [7] crucem Dominicam portavit. Solent enim socii in via, cum lassantur, rogare eos, quibus plus confidunt, et quos diligunt specialius, ut partem oneris sui pro se ad horam ferant : ut hoc quasi indicium sit illis, quod majorem habeant de eorum dilectione fiduciam, quibus onera sua portanda imponunt, quam de illis quibus formidant imponere, ne forte nolint æquo animo portare. Sic et Dominus, qui nobiscum est *omnibus diebus* [8] in via hac qua ambulamus, lassatus usque ad mortem labore suæ passionis, quærit quis nostrum velit ei compati, et onus tribulationum suarum, quod adhuc in corpore suo mystico, quod est Ecclesia, sustinet, secum portare : quia hanc passionem, quam caput in se pro nobis (*d*) sustinuit in carne, divisit per omnia membra fidelium suorum : ut sicut [9] *oportebat pati Christum, et ita in gloriam suam intrare*, ita et membra ejus, si

Patientia rara est.

[1] Greg., *in Evang.*, hom. XVIII, n. 4. — [2] *Psal.* XCIII, 19. — [3] *Luc.*, VI, 23. — [4] *Isa.*, LIII, 4. — [5] *Psal.* XV, 2. — [6] *Matth.*, XXIV, 30. — [7] *Luc.*, XXIII, 26. — [8] *Matth.*, XXVIII, 20. — [9] *Luc.*, XXIV, 26.

(*a*) *Ita apud Greg.* (*edit.* 1705.) *Al.* Imitatione Dei.— (*b*) *Item* fugere. — (*c*) *Cæt. edit.* Lucas. — (*d*) *Ita Bibl. Lugd. Cæt. edit. add.* instituit et.

capiti fideliter [1] *compatiantur, et conglorificabuntur*; [2] *sicut socii* fuerint *passionis, ita et resurrectionis* erunt. Qui enim plus compassus Christo fuerit, etiam propius cum eo regnabit.

CAPUT XXXVI.

De gradibus sive profectibus patientiæ.

Gradus I. verba facta illicita manu erumpere. Quomodo ignis, a impatientia extinguitur.

Gradus sive profectus patientiæ. Primus, ut discat homo motus iræ et impatientiæ per pugnam cohibere et reprimere, ne erumpat foras in verba, vel facta illicita: sicut ignis suffocatus fumo suo extinguitur; si autem non cohibetur, crescit, et omnia, quæ attingere poterit cremabilia, incendit. Quatuor autem modis solet ignis extingui: perfusione, obstructione, dissipatione, et defectu materiæ. Simili modo ignis impatientiæ defervescere consuevit: perfusione prudentium consiliorum, ut mature deliberet homo, quantum ei nocere possit impatientia, et quantum patientia prodesse. Quæ superius de remediis dicta sunt, prætereo immorari. Obruitione vel obstructione oris et labiorum, ne lingua prosiliat in verba falsa et nugigerula, vel ne manus erumpat in facta furibunda. Unde Psalmista [3]: *Pone, Domine, custodiam ori meo.* Dissipatione, ut ad alios actus vel tractus homo se convertat, quibus abstractus obliviscatur materiæ, qua succensus est ad iram: sicut, cum ligna dissipantur a se invicem, ignis divisus deficit. Defectu materiæ, ut homo abstrahat se ab illis negotiis et cupiditatibus, quæ solent ministrare occupationes iræ et impatientiæ. Proverbia [4]: *Cum defecerint ligna, extinguetur ignis: et susurrone subtracto, jurgia conquiescunt.* Susurratio est occulta suggestio, quæ hominem instigat ad materias litium.

Susurratio.

Gradus II. non terri adversis, nec turbari.

Secundus gradus patientiæ est, cum ex longo usu patiendi et impatientiam refrænandi, homo didicerit jam non terreri vel turbari adversis; sed quasi in loco munito inconcussus circumcursitantes adversarios intuetur, quos nihil sibi posse nocere confidit. Tandiu autem homo adversis terretur, quandiu aliquid diligit temporale in se vel extra se, quod timet perdere, vel dolet, ut corpus, res, honores, amicos, et propriam voluntatem. Qui autem ista inordinate non diligit, sicut non valde delectatur in eis, ita nec graviter contristatur pro eis: sicut qui uxorem non dilectam habet, nec de vita ejus jucundatur, nec de morte contristatur. Quid igitur potest tibi adversarius nocere, unde turberis? Si odit te in corde suo, malum suum intra semetipsum clausum est, et nihil te tangit pœna illius. Tantum tu esto in pace apud te. Ignis in sinu alterius inclusus illum urit, non te. Si verbum dixerit contra te, ventus sonans pertransit per aerem, non jaculum tibi infixit. Sicut ergo rideres, si jaculum contra te missum casso vulnere aerem feriret, et te non contingeret; ita facito ad verba maledicorum. Canis latrat contra te, et ridendo pertransis. Si detrahit tibi absens, non turberis: se læsit, tibi non nocuit. Ipse prodit se esse invidum et detractorem, et se apud intelligentes magis odibilem et contemptibilem reddit, et sic vindicavit te de seipso. Tace ergo, et alii pugnabunt pro te, et Dominus conteret adversarium tuum. Si autem incipis cum eo remordendo contendere, qui prius tibi compassi sunt, stabunt et aspicient vos compugnantes sicut duos gallos, et ambos vos despicient, et odient, et impatientiæ et invidiæ arguent. Si ergo times detractori contra te credi, sustine humiliter, et patientia tua tollet suspicionem, vel mitigabit præsumptionem de te in cordibus aliorum. Si autem cor tuum uritur intus ex rancore, reprime intuitu secururæ utilitatis, sicut qui uritur vel secatur pro aliquo apostemate sanando, tolerat brevem dolorem pro spe salutis obtinendæ. Et sicut oportet nos pati morsus pulicum et similium bestiolarum, sic etiam sustineamus cum patientia punctiones vilium detractorum. Inopes honoris non possunt sine invidia pati

[1] *Rom.*, VIII, 17. — [2] II *Cor.*, I, 7. — [3] *Psal.* CXL, 3. — [4] *Prov.*, XXVI, 20.

laudes meliorum, quas cum ipsi habere non valent, dolent se solos confundi : vellent secum socios habere miseriæ pro solatio, et ideo detrahunt aliis, sicut deformis vellet sibi alios esse similes. Corporis autem dolores, et rerum amissionem, et amicorum offensas et confusiones patienter tolerare, supradictis remediis discitur, et maxime usu sæpe talia sustinendi. Vix enim aliquid in hac vita tam asperum est, quod usu et studio patientiæ non fiat levius ad portandum, juxta illud : Quod male fers, assuesce, et feres. In isto gradu nec perturbatur homo adversis, nec gaudet; sed sustinet, et tacet.

Gradus III. Gaudere in tribulationibus.

Tertius gradus patientiæ est gaudere in tribulationibus, et gloriari cum adsunt, et desiderare cum desunt, sicut famosus et nobilis tyro gloriatur, cum debet tyrocinium contra alium nobilem exercere. Job [1] : *Quis det, ut veniat petitio mea*, etc., *et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat?* Ad Corinthios [2] : *Placeo mihi in infirmitatibus, meis, in contumeliis et necessitatibus, in angustiis, in persecutionibus pro Christo.* In Deuteronomio (*a*) [3] : *Immolabunt victimas justitiæ, qui inundationem maris quasi lac sugent;* qui excrescente amaritudine cujuslibet adversitatis, quasi lacte consolationis hilarescunt. Et hi victimas justitiæ immolant, quia, secundum beatum Gregorium, majoris est meriti adversa patienter tolerare, quam bonis operibus insudare. Qui ergo, ex desiderio placendi Deo, sibi adversa aliquando infert castigando corpus, et mentem mœrore et contritione afficiendo; cur non etiam libenter sufferat, cum ab alio infertur ei occasio patiendi, unde vel corpus affligitur, vel animus humiliatur, cum majoris sit meriti hæc pati æquanimiter ab alio, quam a semetipso? Et qui semetipsum vilem et reprehensibilem judicat, cur non patienter accipit, quando alius idem sibi infert, quod de seipso sentit, cum nullius judicium tam timendum sit, post Dei, sicut sui ipsius? Conscientia enim cujuslibet gravior in judicio, quam omnium aliorum erit, præter Deum. Hic apparet quod rara virtus perfecta. Vera enim humilitas sic gaudet ab alio humiliari, sicut a se : et vera patientia ita libenter sustinet adversa ab aliis illata, sicut a se procurata, quantum spectat ad se.

[1] *Job*, VI, 8. — [2] II *Cor.*, XII, 10. — [3] *Deut.*, XXXIII, 19.

CAPUT XXXVIII.

De obedientia.

Et quia obedientia ex charitate, et humilitate, et patientia nascitur, de ea aliquid ad ædificationem aliorum breviter videamus, quia in omni religione summe utilis et necessaria est. Obedientia igitur est propriæ voluntatis subjectio arbitrio superioris ad licita et honesta. Obediendum est autem soli Deo propter se, cujus servi sumus proprii; vel creaturæ rationali vice Dei, angelo vel homini, in his quæ Deus a nobis requirit, et quæ ad Deum ducunt.

CAPUT XXXIX.

Cur sit obediendum aliis.

Ratio obedientiæ triplex est. Una, quia omnis creatura ita est ordinata a Deo, quod licet ipse Deus omnibus et singulis ita præsit, ut ab ipso solo accipiant, quod sunt et habent et possunt; tamen propinquiora sibi non loco, sed similitudine, plenius accipiunt ab ipso, quod inferioribus, et sibi propinquioribus, influant; et illa iterum suis inferioribus, usque ad infimum : ut inferiora superioribus subdita sint, et superiora inferioribus præsint, et ea regant; ut summa mediis, et media præsint imis. Sic angeli superiores inferioribus præsunt, et cœlestia terrenis, et irrationabilibus rationabilia. In Genesi (*b*) [4] : *Faciamus hominem*, etc., *et præsit piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis terræ.* Ad Romanos [5] : *Omnis anima potestatibus*

(*a*) *Cæt. edit.* Deuteron. — (*b*) *Cæt. edit.* Genes.

sublimioribus subdita sit. Substantia enim divina ita elevata et segregata est ab omni creato, quod inferiora immediate motum ejus sustinere vel suscipere non possunt, nisi mediantibus superioribus, cum ipse immotus in se omnia ineffabiliter moveat et gubernet : ita ut nihil sit omnibus eo præsentius, et nihil incomprehensibilius.

Secunda ratio est, quod cum nondum sit omnibus datum esse docibiles Dei, ne ignari errent a via Dei, qua necesse est eos pervenire ad gloriam cœlestem, expedit ut sequantur ducatum doctorum suorum : sicut cæcus dat manum ductori, ne cadat, vel impingat, vel erret.

Tertia ratio est, ut homo, qui sub Deo esse noluit peccando, et ita superbiendo gratiam Dei perdidit, satisfaciat ei, subjiciendo se homini propter Deum, et ita, per humilitatis meritum, gratiam Dei recuperet, quam amisit. Quanto major autem et purior fuerit humiliatio et promptior, tanto plenior erit gratiæ recuperatio, et gloriæ remuneratio. Magnitudo humiliationis attenditur in difficultate injuncti operis; puritas, in simplicitate intentionis; promptitudo, in alacritate executionis.

CAPUT XL.

De triplici obedientia.

Est autem triplex obedientia, scilicet necessitatis, cupiditatis et charitatis. Necessitate obedit, qui cogitur invitus, et libenter esset liber, si potest, vel auderet : ut asinus, et servi malevoli, et similes. Cupiditate obedit, qui mercede terrena, vel pro commodo corporis, vel consolatione exteriori, libenter facit quod injungitur : ut canis, et accipiter, et mercenarii, et similes illis. Quanto autem obedientia plus habet de temporali commodo vel solatio, tanto minus habet de merito coram Deo. Merces primi est evasio pœnæ, quam timet incurrere, si non obediat. Merces secundi est spes adipiscendi quod desiderat obediendo obtinere, ut munus vel solatium temporale. Obedientia charitatis est, quando ex charitate Dei, et propter Deum, et propter divinam remunerationem obeditur, large sumpto nomine charitatis, quo tam timor pœnæ, quam desiderium præmii, quam affectus amoris Dei includitur. Primum est incipientium; secundum, proficientium; tertium, perfectorum. Item alia est distinctio obedientiæ. Alia est generalis, alia generalior, alia generalissima. Item alia specialis, alia specialior, alia specialissima. Generalis est illa, qua omnes fideles in Ecclesia generaliter obligantur obedire suis prælatis, Papæ, episcopis et plebanis, in his quæ canones præcipiunt, et jura pro omnibus promulgata. Generalior est, qua omnis creatura ratione utens tenetur voluntatem propriam voluntati sui Conditoris conformare ex arbitrii libertate, ut angelus et homo. Generalissima est, qua omnis creatura obedit suo Creatori : sive naturali motu insitæ conditionis, ut irrationabilia; sive impulsu potentiæ præsidentis, ut dæmones et malevolæ mentes, quæ etsi quandoque volunt quod Deus non vult, non tamen possunt, nisi quod Deus vult. Specialis est illa, qua clerici specialiter tenentur ad obedientiam suorum prælatorum, in his quæ ad officium eorum spectant, et ad ordinem clericalem : ut continenter vivere, et debitam tonsuram deferre, et similia in sacris canonibus pro eis statuta. Specialior est illa, qua propria voluntate obligat se aliquis certæ personæ vel religioni, ad observantiam limitatam pro arbitrio voventis determinatam, ut : Promitto tibi obedientiam in istis, et non in aliis; vel tanto tempore, et non ultra; vel tali conditione, et non aliter; vel in his quæ regula illa jubet, et non amplius. Specialissima obedientia est illa, qua sine exceptione promittit quis obedientiam ad omnia, quæ non sunt contra animam suam, et regulam talem : ubi tam ad ea quæ sunt regulæ, quam ad alia quæ jubentur se obligat bona, quæ conveniunt rationi, et liberi arbitrii subsunt potestati : cum ad irrationabilia vel

Obedientiæ distinctio.

impossibilia nemo debeat cogi, sicut ad illicita nemo debet obedire.

CAPUT XLI.

De triplici gradu obedientiæ.

Profectus vel gradus obedientiæ, quantum ad illa in quibus obediendum est, colligi possunt ex prædictis, id est, obedire ad præcepta, et obedire ad omnia bona et possibilia. Quantum vero ad mentem vel affectum obedientis, breviter videamus, qui sunt obedientiæ profectus. Quanto autem quis (*a*) altius in obedientiæ virtute profecerit, tanto ei Deus erit exorabilior, et omnis creatura ad obediendum homini inordinata subjectior et obsequiosior. Infimus obedientiæ gradus est ex timore supplicii obedire : sicut illi qui tantum obediunt superioribus suis in his quæ præceptorie jusserint, ad alia vero tepidi sunt et negligentes, nisi in quantum communis consuetudo cogit, vel pudor humanus impellit, vel timor temporalis castigationis. Sufficit his qui hujusmodi sunt, ut mortale peccatum per inobedientiam non incidant, nec damnationem incurrant : et hoc est valde periculosum in professis obedientiam regularem, quia priusquam discutiant, an teneantur facere quod jubetur, forte mortalis inobedientiæ laqueum aliquando incidunt, sicut qui nimis appropinquat præcipitio subito, dum non caute circumspicit, in præceps labitur. Cum Deo autem disputare velle, stultum est, quasi velle convincere eum, ut non debeat judicare hoc esse peccatum mortale, quod nostra opinio non vult pro mortali habere. Sua æstimatio est regula justitiæ infallibilis, non nostra angulosa (*b*) opinio, quam nostram conscientiam appellamus. Solis radius nunquam facit angulum, sed semper directe in opposita sibi fervere solet. Ita in nobis, sive ita videatur, sive aliter æstimemus, in professione obedientiæ non exprimimus hanc exceptionem, ut nolimus ad ea teneri, quando non adjungitur hoc verbum : *Præcipio*, vel : *Per obedientiam hoc tibi dico*. Unde bonus obediens tam studiose debet facere quod jubetur simpliciter, cum constat prælatum suum tam plene id velle, quam si apponeret : *Præcipio*, vel : *Per obedientiam jubeo* hoc vel illud.

Primus gradus est obedire pœnæ formidine.

Simile.

Secundus gradus obedientiæ est, pro spe præmii potius, quam timore supplicii, ad injuncta voluntarie obedire. Iste non disputat, in quo teneatur, vel non teneatur obedire : quia sive teneatur, sive non, confidit sibi esse meritorium, dummodo malum non sit quod jubetur, etiamsi mala intentione prælatus aliqua juberet, quæ mala tamen non essent, scilicet pro odio illius, cui injungeret, ut eum sic tribularet, vel pro commodo proprio magis, quam pro obedientis profectu : non solum non nocet humiliter obedienti, sed etiam duplex meritum ex hoc habet, scilicet obedientiæ, et insuper patientiæ. Sicut inobedienti magis nocet bona intentio præcipientis prælati, et præcepti utilitas, ex quibus duritia ejus perpenditur; ita bono obedienti magis ad profectum provenit indiscreti prælati præceps præcepti fulminatio, dummodo non fuerit contra Deum : ut si quis in ira pauperi pro lapide massam argenti in gremium jactaret, pauper non indignaretur pro ira jacientis (*c*), sed jucundaretur pro argento taliter acquisito.

Secundus gradus obedire præm

Tertius gradus est ex sola dilectione Dei, non tantum voluntarie, sed etiam cum gaudio obedire; non solum ad facilia, sed et ad difficilia et dura etiam usque ad mortem : sicut Christus[1] *factus pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Pudeat Dei servos tali Domino sic pigre obedire pro regno cœlesti, sicut est consuetudo quibusdam : cum sæcularium principum et nobilium servi pro incerto merito et pro parvissima mercede, tot labores in bellis, tot pericula, tot penurias, tot etiam a dominis opprobria et verbera dura patienter sustineant, tot itinera longa in legationibus dominorum

Ter grad obed amo De

[1] *Phil.*, II, 7. — (*a*) *Ita Bibl. Lugd. Cæt. edit.* qui. — (*b*) Argulosa. — (*c*) Jacentis.

prompte subeant, nec procrastinant, nec segniter exequuntur mandatum, nec difficultatem viarum, vel pericula prætendunt, nec pactum pro labore præmittunt; sed incerti de præmio, in tenera spe omnia imperata perficiunt, gloriantes quod præ ceteris conservis ad tale negotium sint electi. Vide quam seduli sunt circa dominos, circumspicientes in quibus eis servire et placere possint; et cum non tam verbum jussionis audierint, quam nutum oculorum adverterint, statim quasi præcipites exiliunt, et avide auscultant quid eis placeat, et quid velint. Et licet servorum Dei obedientia quantum ad effectum ex majori fervore prodeat; tamen quoad effectum ille videtur perfectior, qui ita promptus et constans esset ad omnia jussa implenda, sicut in servis sæcularibus invenitur. Sicut de sanctissimo patre nostro Francisco legimus, et primis ejus sociis, qui non solum ea quæ beatus pater eis verbo expressit, prompte adimplebant; sed etiam si aliquo indicio beneplacitum ejus poterant cognoscere, studiosissime perfecerunt, sicut ab ipso didicerant sancto patre. Hac virtute Abraham obedivit : non tantum exire de terra sua, et peregrinus esse in aliena, sed etiam unicum filium suum Isaac voluit immolare. Pro hac prophetæ et apostoli, et alii sancti exposuerunt se omnibus laboribus, periculis, persecutionibus, et tandem morti pro Christo : de quibus Dominus specialiter dicit [1] : *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* Semetipsum abnegat, qui sui juris esse recusat, et totum se alterius arbitrio subjicit propter Christum : sicut Christus [2] non venit facere voluntatem suam, sed Patris sui.

CAPUT XLII.

De paupertate.

Contemptus divitiarum opponitur avaritiæ rerum temporalium. Hic quandoque et paupertas spiritus appellatur. Quidam autem sunt pauperes rebus, et non spiritu : sicut qui libenter essent divites, sed non possunt, ut pauperes mundi. Quidam sunt pauperes spiritu, et non rebus : veluti qui divitias non pro ipsarum amore possident, sed pro amore Dei, ut cultum Dei per eas amplificent, et defendant pauperes; vel pro amore Christi, ut proximis inde subveniant, sicut Abraham, David, Job, Loth, et Josias, et consimiles; vel pro obedientia principatus, vel dignitates suscipiunt, ut B. Gregorius Papa [3], et alii sancti episcopi [4], qui pauperes esse elegerant, sed jussu divino aliter factum est, ut principes terræ constituerentur, et dispensatores rerum ecclesiasticarum præ aliis : sed in se paupertatis propositum non abjicientes, tanto laudabiliores paupertatis sectatores, quanto etiam in divitiis ab ejus amore non sunt separati. Quidam vero sunt pauperes spiritu et rebus, qui nec habent divitias, nec habere volunt, etsi possent commode sine peccato. Hi tanto feliciores sunt, quanto a laqueo cupiditatis elongati. Horum sunt duo genera : primi, qui non habentes divitias, fecerunt de necessitate virtutem, nolentes etiam eas habere, si possent; secundi, qui potuerunt habere divitias, vel habuerunt, et abjecerunt eas, et recusant habere propter Deum.

CAPUT XLIII.

De duplici contemptu divitiarum.

Contemptus autem divitiarum duplex est, cum aut liberaliter effunduntur in pauperes per opera misericordiæ, et ad cultum Dei largiter expenduntur, sicut sancti reges et alii divites fecerunt, turbas pauperum hominum alentes, et monasteria, et ecclesias ædificantes; aut cum penitus despiciuntur divitiæ, sicut sancti fecerunt, in mendicitate et inopia rerum viventes, ut S. Pater Franciscus, et S. Dominicus, et alii

[1] *Matth.*, XVI, 24. — [2] *Joan.*, IV, 34; V, 30. — [3] Joan. Diac., in *Vit. Greg.*, lib. I, c. XXXIX. — [4] Vid. Prosp., *de Vit. Contempl.*, lib. II, c. IX.

Christi sectatores, evangelicæ perfectionis æmulatores, juxta illud [1] : *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus.*

CAPUT XLIV.

De quatuor causis quare contemptus divitiarum consulitur.

Divitiæ abstrahunt a Dei amore.

Quatuor autem de causis consulitur divitiarum contemptus. Prima, quia earum amor retrahit ab amore Dei et patriæ cœlestis, juxta ipsius veritatis testimonium [2] : *Nemo potest Deo servire et mammonæ,* id est, divitiis. Sicut enim de profundo terræ tolluntur, ita suo pondere ad infima terræ suos detrahunt amatores, hoc est, in profundum inferni. Unde ait Apostolus ad Timotheum [3] : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes et laqueos diaboli, qui mergunt homines in interitum.* Secunda causa est, quia retardant hominem a profectu virtutum. Sicut enim oneratus non potest velociter currere, sic mundanis curis pressus non potest in spiritu expedite proficere. Si vis ergo festinare ad patriam, si vis non teneri laqueo venantium, si vis non comprehendi in via et in captivitatem, unde evaseras, non reduci, projice avaritiam, et extrahe pedem de viscosa cupiditate terrenorum. Ideo Judæi tardi erant ad reditum in Hierusalem de Babylone, quia filios, et uxores, et possessiones jam acquisierant in Babylone : sic et religiosi tardius desiderant cœlestia, cum in terrenis cœperint dilatari. Tertia causa, ratione meriti amplioris, quia quanto minus tibi de terrenis indulges, tanto amplius recompensabitnr tibi de cœlestibus in gloria sempiterna. *Beati* enim [4] *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum;* non portio aliqua, sed tota gloria regni. Unde Filius Dei dans nobis exemplum perfectionis, nihil possessionis voluit habere in terra : non agros, non domum, vel reditus aliquos, præter solum vestitum, quem etiam ante crucem permisit sibi auferri : ut doceret nos quod omnia relinquere non tantum consistit in non habere volendo, sed sponte omnia pauperibus tribuendo, et etiam patienter amittendo, si habita vi tollantur : quod plerumque majoris est meriti, quam pauperibus tribuisse, quia rarior virtus est illa tam mala æquanimiter perpeti, quam sponte operari bona. Cum ergo boni viri ob hoc solam vel maxime substantiam terrenam habere debeant, ut inde benefaciant, et ad meritum gloriæ æternæ expendant; quia aliter boni non essent, si terrena non pia intentione quærerent, et creaturam non propter Creatorem diligerent : debent eadem ratione non minus gaudere, cum ipsam substantiam quocumque casu amittunt, quam si eam in usus pios expendissent, eo quod eumdem fructum cœlestis meriti tam impatienter tolerata amissione, quam et in pia dispensatione consequi non dubitant : sicut mercator illas merces æqualiter diligit, de quibus æquale lucrum sibi provenire confidit. Divitias autem quærere, ut in malos usus expendantur, scilicet in vanitates, in voluptates carnis, et concupiscentias oculorum, impium est, quia per beneficium Creatoris largitori eorum, scilicet Deo, despectus et contumelia irrogatur. Sed ad hoc quærere eas tantum, ut cumulatæ serventur, stultum est, quia tantum valet congeries lapidum, sicut argenti, vel auri, si nulli usui expendatur. Quarta causa, quia temporalis substantia contemptibilis est multis considerationibus : ex sui natura, cum terra sit ignobilius elementum inter omnia; item quia non multum est necessaria. Modicus enim victus, et vestitus, et tectum sufficit homini pro necessitate ad vivendum; quod superest, superfluum est. Item multis est nociva, et damnationis æternæ occasio. Item multorum patet invidiæ, qui libenter eam auferrent habenti per multas artes. Item multo labore et sollicitudine acquiritur et servatur, etiam cum periculo vitæ. Item

Divitiæ perfectionem præpediunt.

Divitiarum contemptus meriti est magni.

[1] *Matth.*, XIX, 21. — [2] *Matth.*, VI, 34. — [3] I *Tim.*, VI, 9. — [4] *Matth.*, V, 3.

non satiat appetitum habentis, sed quo plus habetur, eo inquietius sititur. Item quia tam bonis, quam malis datur : et ideo non sunt feliciores, qui ea abundant; imo frequentius infeliciores, quia eis est occasio multorum malorum. Item quia diu cum homine non perseverat : nam si aliter non amittitur, mors separat nos ab ea, et nihil potest homo post mortem secum deferre ex ipsa, nisi quod meruit hic per ipsam. Sapiens ergo debet parvi pendere quod vile est, et non multum laborare pro eo quod parum est utile, et fugere quod perniciosum est, et liberaliter spargere : quod conservatum perit, et distributum fructificat, si in pauperes erogetur.

CAPUT XLV.

De triplici gradu contemptus divitiarum.

Primus gradus, nil injuste possidere.

Primus autem gradus in contemptu divitiarum est, nihil habere velle injusti lucri, nec per se acquisitum, nec ab aliis datum vel relictum; et reddere omnibus debita pro posse, et de juste habitis eleemosynam facere, et non abuti propria facultate ad peccatum superbiæ, lasciviæ, gulæ, et aliorum vitiorum. Tribus autem modis aliquis videtur injusta bona habere : cum aut ipse male acquisivit quocumque modo, aut ab alio datum, vel venditum, vel relictum aliquid est ei ab illo, qui jus in eo non habuit; aut cum nocuit alteri in rebus suis injuste, etiam si nihil de illis habuit. In quantum enim teneor alteri restituere, in tantum mea non sunt mea, sed illius cui teneor. Unde qui plus tenetur certis personis quam habeat, si dat alicui gratis de bonis suis, unde scitur impotens fieri ad reddendum, qui accipit scienter, debet pro eo tantum solvere, quantum accepit : cum ille sua non dederit, sed quæ sunt aliorum. Secundus gradus est, nihil velle superfluum habere, sed necessariis esse contentum in victu et vestitu, hospitio, utensilibus, et obsequentium famulatu; reliqua habita pauperibus erogare, vel oblata non recipere, nec acquirere supra necessitatem. In Luca (*a*) [1] : *Quod superest, date eleemosynam; et ecce omnia munda sunt vobis.* Sic monachi in Ægypto [2], et alii eorum similes, de labore proprio victum et vestitum habentes, reliqua pauperibus distribuebant. Apostolus [3] : *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.* Sed ne nimis latos faciamus terminos sufficientiæ, sciendum est quod duplex est sufficientia, indigentiæ, et concupiscentiæ. Sufficientiæ indigentiæ sufficit sustentare naturam, ut possit ad serviendum Deo perdurare : et hanc sufficientiam natura docet, sicut videmus in irrationabilibus animalibus, imo et in plantis quæ contentæ sunt naturali alimento, et amplius non requirunt. Sufficientia concupiscentiæ excedit mensuram, limites non habet, nisi impossibilitatis : hoc solum relinquit, quod non sperat adipisci. Dives avarus in Evangelio [4] cum uberibus fructibus agri se vidisset ditatum, non dixit : Dives sum et abundo, plus non cupio, quia non capio; sed cogitavit horrea vetera destruere, et majora facere. Prima horrea sunt justæ necessitatis : hæc parva sunt et parvis implentur; sed hæc avarus destruit, et majora facit, scilicet horrea concupiscentiæ et superfluitatis; quæ nunquam replentur, quia semper, cum plura habere cœperit, etiam ampliora facere disponit, ad quæ non sufficiunt jam habita, nisi adjiciat adhuc plura : sic procedit in infinitum. Cor avari est quasi fovea sine fundo, quæ quo plus recipit, plus deglutit, ut nunquam videatur impleta. *Avarus non impletur pecunia*, (*b*) [5] Ecclesiastes.

Secundus gradus, nihil habere superflui.

Tertius gradus est nihil velle possidere, et penuriam pati propter Deum.

Tertius gradus est, nihil velle possidere in hoc mundo, et in omnibus necessitatibus multiplicem pati penuriam propter Deum. Hoc est efficacissimum contra avaritiam remedium, quæ sicut ignis insaturabilis nunquam dicit : Sufficit : non extinguitur me-

[1] *Luc.*, XI, 41. — [2] Hieron., *ad Eustoch.*, epist. XXII. — [3] 1 *Tim.*, VI, 8. — [4] *Luc.*, XII, 18. — [5] *Eccle.*, V, 9.

(*a*) *Cæt. edit.* Lucas. — (*b*) *Suppl.* ait.

lius, nisi cum materia temporalis substantiæ penitus subtrahitur. Hoc remedium Christus docuit, verus animarum medicus, qui in omnibus illam viam tenuit, quæ est aptissima ad doctrinam virtutum et curationem vitiorum. Divitiæ enim, et honores sæculi, et voluptates carnis, sunt præcipua sanctitatis impedimenta, quæ magister virtutum et Dominus docuit vivendo declinare suos discipulos in exemplum. In Matthæo (*a*) [1] : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me.* Hæc est quam Apostolus notat [2], *altissima paupertas,* et primorum sanctorum in Ecclesia, qui omnia reliquerunt propter Deum. Huic multæ virtutes et plurima dona gratiarum annexa sunt, quæ tamen a paucis capiuntur, eo quod licet multi sint, qui quasi nihil habeant in mundo, tamen admodum rari sunt in religione, qui non plus habere cupiant, vel pro se, vel pro aliis. Omne quod est melius, est etiam rarius in hoc mundo. Qui propter se sollicitus est in temporalibus, relinquitur suæ provisioni : similiter qui habet alios provisores, relinquitur illis. Qui vero omnem sollicitudinem suam in Deum jactat et omnem cogitatum, habet ipsum Dominum in provisorem. In Matthæo (*a*) [3] : *Primum quærire regnum Dei et justitiam ejus* ; *et hæc omnia,* scilicet temporalia necessaria, *adjicientur vobis.* Qui enim ex gratia vult donare cœlestia, cur etiam temporalia et parva ab eo non speremus? Aut ergo dabit nobis necessaria, in quantum expedit nobis ; aut vires corporis ad sustinendum penurias; aut spiritualem dulcedinem meliorem carnali : et insuper præmium cœleste.

CAPUT XLVI.

De sobrietate.

Sobrietas quid. Sobrietas est virtus qua corporis alimenta cum moderamine admittuntur, in cibo, et potu, et somno. Sumitur etiam generaliter pro moderamine ab omni superfluitate et intemperantia mentis et corporis. Unde dicitur *sobria* mens, et *sobrius* sensus. Sed prout accipitur pro restrictione alimentorum, illa est quæ dicitur parcimonia, vel abstinentia : et opponitur vitio gulæ, vel gastrimargiæ, quæ est ventris ingluvies. Est autem alia sobrietas medicinæ, alia avaritiæ, alia hypocrisis, alia paupertatis, alia religiositatis. Medicinalis fit propter sanitatem corporis conservandam, vel recuperandam ; avaritiæ, ad parcendum expensis; hypocrisis, pro laude humana ; paupertatis, pro necessitate penuriæ; religiositatis, pro virtute obtinenda, pro vitiis calcandis, pro pœnitentia agenda, pro ædificatione proximorum, pro gloria promerenda, pro acuendo intellectu et sapientia acquirenda. Nam sicut fenestra obstructa limo obtenebratur, sic intellectus cibo obrutus obscuratur, sicut sæpe experimur. Sobrietas autem, sicut omnis virtus, tunc solum coram Deo est meritoria, cum Deus est causa prima et forma, id est, si propter Deum principaliter fiat, et secundum Deum. Sicut enim Deus mundum gubernat, nec plus, nec minus adhibens diligentiæ, quam justum est, omnem diligentiam suam, ut ita loquamur, circa cœlestia impendens; ita homo, cui minor mundus regendus commissus est, hoc est, corpus proprium, sic debet ei providere prudenter, ut nec de necessaria provisione aliquid ei desit pro posse, nec aliquid superflui impendatur, ut non deficiat ante tempus ex penuria vel labore, nec lasciviat ex abundantia vel quiete. Tota autem intentio debet esse circa optimum occupata, circa profectum animæ, in Dei notitia et amore, et in his quæ ad hunc profectum promovent et conducunt : quia non propter corpus creata est anima, sed corpus propter animam, ut illi serviat et cooperetur ad profectum præfatum. Anima vero propter Deum creata est, ut ei inhæreat, et inhærendo suavitate ejus fruatur, et fruendo

Sobrietas varia.

[1] *Matth.*, XIX, 21. — [2] II *Cor.*, VIII, 2. — [3] *Matth.*, VI, 33.

(*a*) *Cæt. edit.* Matthæus.

beata sit. Solius enim Dei est eam destruere et occidere, cujus etiam creare et vivificare est : ideo nisi ejus jussu vel permissu, nihil licet nobis destruere eorum quæ ipse fecit. Irrationales creaturas permittit nos occidere, sed non irrationabiliter. Rationales vero prohibet occidi, id est, homines, nisi secundum leges ab ipso promulgatas. Unde judices secundum leges divinas judicantes, non sua, sed Dei auctoritate malefactores occidunt, quia ipse præcepit [1] : Qui hoc vel hoc fecerit, tali pœna puniatur. Sicut autem non licet cuiquam alterum occidere, sic nec semetipsum : cum nemo plus alterum teneatur diligere, quam semetipsum. Semetipsum autem occidit, qui indiscrete se per abstinentiam et per alios labores debilitans, ante cogitur deficere, quam requirit ordo naturæ : licet aliquos devotionis fervor, vel pura simplicitas excuset. Ad Romanos [2] : *Rationabile sit obsequium vestrum.*

CAPUT XLVII.

In quibus consistit sobrietas.

Sobrietas in tribus consistit : in qualitate, in qualitate, et modo. In quantitate, ut non delicata et pretiosa, aut sumptuosa requirat, sed simplicia, quibus valeat sustentari natura, et gula non irritari, et quæ de facili possunt haberi. In quantitate, ut non nimis et sæpius quam decet, sed temperate : ut sit refectio corpori, non onus. Infirmi sunt liberi ab utraque lege. In modo, ut non importune requiratur, nec impetuose, et indisciplinate, et inordinate sumatur ; sed modeste, mature et religiose : sicut in priori *Formula Novitiorum* [3] tractatum fuit. Sic enim sapit suavius, sumitur jucundius, reficit salubrius, minus gravat stomachum, et facilius digeritur, et minus peccatur, et est honestius et religiosius. Valet autem sobrietas ad illa quæ supra dicta sunt. Valet etiam ad satisfactionem pro peccatis, ut sicut corporis voluptate peccamus, ita et ejus castigatione emendemur. Item ad carnis lasciviam reprimendam, ut quæ impinguata insolens et obediens facta est, macerata discat spiritui obedire. Ad Corinthios [4] : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo.* Item ad corporis sanitatem, quia noxios humores desiccat, quos crapula et quies superflua generare consuevit. Item ad sollicitudines mundanas abscindendas, quia qui modicis contentus est, modica habet providere. Item ad multarum virtutum habilitationem. Sobrius enim agilior est ad bonum, castior est, minus habet invidendi materiam, magis cautus in lingua, promptior ad devotionem, et purior in affectu ad sapientiam acquirendam, sensum magis vigilem facit et subtilem, et memoriam hominis tenacem. Item ad aliorum ædificationem, quia qui exteriora nostra ordinata vident et temperata, conjiciunt quid de interioribus æstiment, quæ non vident. Minus etiam sumus eis graves ad recipiendum nos in mensa, videntes quod modicis contenti sumus, et quod facile possunt nobis satisfacere ; minus etiam aliis mendicis nocivi sumus, quia quo plura ab hominibus petimus, eo minus aliis mendicis dandum relinquimus. Et hoc vere est quoddam genus rapinæ, quod a paucis advertitur, cum aliquis ultra necessitatem veram mendicat, unde alter magis indigens patitur detrimentum, quia postea superveniens non invenit, quod iste præveniens præripuit. Item valet ad meritum gloriæ, tam pro seipsa, quam pro virtutibus sibi connexis, quia quo magis hic nobis de voluptate subtrahimus, eo magis et hic spiritualibus, et illic cœlestibus deliciis abundabimus.

Sobrietatis grandis utilitas.

CAPUT XLVIII.

De triplici gradu sobrietatis.

Primus gradus sobrietatis esse potest, a crapula et ebrietate cavere, et debita tempora et horas in comedendo servare : ne je-

Gradus primus.

[1] *Levit.*, XX, 2, et alias passim. — [2] *Rom.*, XII, 1. — [3] Vid. sup., *de Instit. Novit.*, part. I, c. VIII, pag. 295, col. 1. — [4] 1 *Cor.*, IX, 27.

junia statuta leviter frangantur, vel tempore incongruo epulis et potibus temere inserviatur : et ne magis ad luxuriam quam ad naturæ refectionem edendo, vel bibendo, studeatur. Ecclesiastes [1] : *Væ terræ cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt.* Pecus quod solum ventri servire novit, servat in edendo, vel bibendo, modum naturæ convenientem : sic et homo debet, qui regitur ratione; alioquin melius esset ei carere ratione, quam non regi ab ea, quia non peccaret carens ratione.

Gradus secundus. Secundus gradus esse potest, etiam a quibusdam licitis abstinere, ut a carne, vino, lacte, piscibus, vel pulmentis; sed asperiori victu contentum esse, scilicet pane rudi et pulmento non condito; vel sæpe jejunare, et a delectabilibus abstinere, et quæ magis appetuntur, ut religiosi et devoti solent et pœnitentes. Ad Romanos [2] : *Bonum est non comedere carnem, et non bibere vinum,* etc., sicut Nazaræi [3], et filii Rechabi [4]. Daniel [5] : *Caro et vinum non introierunt in os meum.*

Gradus tertius. Tertius gradus est sic domuisse gulam, et sic docuisse palatum, ut homo solis sit contentus illis, quæ extremæ sufficiant necessitati, in qualitate et quantitate cibi et potus : ut quo simplicior est victus, eo magis diligat ; et si delicata aliquando sumere oporteat, non delectationem in eis, sed solam necessariam refectionem requirat. Ad Romanos [6] : *Carnis curam ne feceritis in desideriis.*

CAPUT XLIX.

Alia distinctio graduum abstinentiæ, vel sobrietatis.

Gradus primus. Posset et alia distinctio dari de profectibus abstinentiæ, vel sobrietatis. Primus videlicet gradus, patienter carere, cum non potest haberi cibus, vel potus delectabilis; non contristari, cum non habentur interdum desiderata, sicut quidam, si quando non habent quæ in mensa desiderant, contristantur, indignantur, murmurant, verecundiam abjiciunt, et non cogitant professionem suam, et quod aliquando divites sæculi non habent omnia quæ cupiunt : quanto magis pauperes et mendici !

Gradus secundus. Secundus gradus abstinentiæ, est velle carere pro Deo etiam illis quæ possent haberi, amore sobrietatis, et paupertatis, et boni exempli. Sic boni et fideles servi Dei sæpe ditiores hospites prætereunt, et apud pauperes hospitantur; et lautiora fercula prohibent sibi dari, contenti simplicibus et paucis, amore Dei et pro ædificatione aliorum. Ad Corinthios [7] : *Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant.* Nam licet secundum Evangelium liceat comedere quæ apponuntur; tamen magis ædificat, si lauta et multa nobis apponi non permittamus : quia sicut recipientes decet liberalis hospitalitas, ita nos decet religiosa frugalitas : quam etiam nos fortius convenit defendere, quam illos suam sæcularem ostendere honestatem, qua volunt nos abunde procurare. Quamvis autem illa vice videntur contristari, quod non permittimus eos suæ devotioni satisfacere multa ministrando; tamen apud se de nostra temperantia ædificantur, et alio tempore recipiunt nos hilarius, quo minus sumus eis onerosi; et ubi modo paucos receptores habemus, ibi tunc plurimos haberemus, cum intelligerent quod nos pauperes pascere commode valerent.

Gradus tertius. Tertius abstinentiæ gradus est, posse sine difficultate abstinere ab habitis delectabilibus, vel tantum inde sumere puram necessitatem, et hoc non amore delectationis, sed recreationis. Et quamvis quoad paupertatem, major virtus sit non habere quod cupias; tamen, quoad fortitudinem abstinentiæ, majus est posse appetitum retrahere ab usu et delectatione præsentis voluptatis, quam absentia non desiderare. Securius autem est fugere delectationes carnales, quia sæpe victi sunt in certamine, qui nimis voluerunt

[1] *Eccle.*, x, 16. — [2] *Rom.*, xiv, 21. — [3] *Num.*, vi, 20. — [4] *Jerem.*, xxxv, 6. — [5] *Dan.*, x, 3. — [6] *Rom.*, xiii, 14. — [7] 1 *Cor.*, x, 23.

esse securi. Et qui ex præsumptione victoriam sibi spoponderant, victi et confusi didicerunt quod stultum est se committere periculis præliorum, ubi possunt opportune vitari. Facilius in littore non submergeris, quam in gurgite aquarum.

CAPUT L.

Quod virtus tenet medium vitiorum.

Sciendum tamen est, quod virtus tenet medium vitiorum, et in utroque latere, tam a dextris, quam a sinistris, vitiis est obsessa: ita ut si modice a discretionis tramite deviaverit, jam virtus non sit. Verbi gratia, parcimonia, vel abstinentia, si metas suas excedit in superfluitate alimenti, declinat in vitium gulæ; si nimis modicum admittat de necessario alimento, vitium indiscretionis incurrit, per quam vires corporis destruat, vigorem mentis extinguat, naturam debilitet, et bona, quæ promereri potuit, negligat, et vitam citius perimat, vel sensum perdat; vel si vires recuperare debeat, tanta postmodum studeat cura corpus suum reficere commodis et fomentis, quanta prius indiscrete eadem subtraxerat ei. Similiter contemptus divitiarum, si ultra, quam justum est, congreget temporalem substantiam, in avaritiæ vitium cadet; si nihil temporale velit ad usum admittere, ex tali indiscretione necabit naturam fame, frigore et ægritudine. Patientia, si nimis declinat impatientiæ vitium, incidit in torporem, ut zelum justitiæ perdat et dissimulet, tam in se, quam in aliis, vitia crescere, quæ deberet persequi et ulcisci. Humilitas, dum in se nimis timet extolli, ex indiscreta abjectione sui perdit confidentiam salutis, vel profectus spiritualis. Charitas proximi, si indiscrete teneatur, facit proximo favere, vel cooperari, in detrimentum salutis propriæ, vel illius: ut qui perjurat amore proximi, et aliis multis modis. Castitatis amor aliquos membra virilia sibimet amputare fecit; et dum voluerunt tentationis ardorem temperare, se periculo propriæ interfectionis exposuerunt. Agilitas boni operis quandoque sic fugat pigritiam, ut quietem devotionis extinguat. Spiritualis lætitia sic acediam, vel tristitiam, declinat, ut quandoque in dissolutionem incidat et vanam lætitiam. Taciturnitas, verba otiosa declinans, quandoque utilia et necessaria reticet in detrimentum proximi et sui. Obedientia, si indiscreta sit, ita fugit propriæ voluntatis vitium, ut obediat superiori etiam ad peccatum: cum tamen obedire magis Deo oporteat, prohibenti omne peccatum. Et sic de aliis virtutibus sentiendum.

CAPUT LI.

Quod vitia se esse virtutes mentiuntur.

Et quia virtus tam nobilis et venerabilis omnibus et præ omnibus est, quod etiam vitiosi eam super omnia venerantur; ideo et vitia quandoque se virtutes esse mentiuntur, et velamen virtutis assumunt: ut aut securius dissimulentur, et non arguantur; aut etiam laudem virtutis assequantur. Unde videmus ea quandoque etiam a quibusdam religiosis et studiose exerceri, et ex auctoritate quasi pro virtute defendi: ita ut vera virtus eis in aliis quandoque displiceat, et eam pro vitio despiciant, et impugnent, et interpretentur esse vitium quod virtus pura est, et e contrario virtutem asserant quod est vere vitium, sed virtutis colore velatum. Verbi gratia, paupertas spiritus, id est, voluntaria pro Christo paupertas, magna et vera virtus est, quam multi religiosi profitentur; et tamen videmus plures, sub prætextu necessitatis, pietatis et honestatis, divitias desiderare in pecunia, in prædiis, in ædificiis, et vestitu et victu, et libris, et aliis quæ veræ divitiæ reputantur: ita ut satiari nequeant, quia etiamsi quod cupiunt haberent, si quis plus offerret, acciperent plus usque ad magnam quantitatem, quia non dicerent: Sufficit, nolumus plus habere. E contra parce vivere et paucis esse conten-

tum, tenacitas et avaritia appellatur, quasi non audeant uti his quæ habent. Silentium tristitia appellatur; maturitas, amaritudo; zelus justitiæ temerarium judicium dicitur; quies devotionis pigritia vocatur; corporis castigatio indiscretio censetur; simplicitas stultitia creditur; timor Dei litigiosa conscientia æstimatur. Fugere publicum, singularitas vocatur; cavere scandalum, hypocrisis judicatur. Ecce quomodo virtus proscribitur, et perverse vitium interpretatur. E converso autem plerumque dissolutio, socialis jucunditas putatur; curiositas ædificiorum et librorum, et aliorum, honestas habetur; laxa conscientia, libertas deputatur; corpus delicate fovere, discretio reputatur; garrulitas, affabilitas dicitur; invidia fraterna, zelus justitiæ dicitur; duritia et inclementia, rigor ordinis putatur; avaritia acquirendi, provisio fidelis nuncupatur; astutia, prudentia nominatur; elatio, auctoritatis ostensio monstratur; zelus et contentio, ordinis defensio appellatur; jactantia de bonis, ædificatio proximi vult videri; detractio, detestatio vitii alterius vult putari. Conformitas vitiosa vult credi fuga singularitatis; torpor negligentiæ vult humilitas videri; et pusillanimitas, altiora se non quærere. Inquietudo evagandi et negotiandi, vult agilitas dici bene operandi; prodigalitas, largitas vult videri. Et sic de aliis. Sciendum itaque est, quod discretio spiritus medium virtutis iter elegit, non declinans ad dexteram, vel ad sinistram, regia gradiens via, ne dicat bonum malum, vel malum bonum, ponendo lucem tenebras, et tenebras lucem [1], dividens diem virtutis a nocte vitiorum : ne angelum Satanæ pro angelo lucis recipiat, verum a falso distinguens, et quod bonum est tenens.

CAPUT LII.

De castitate.

Castitas est sobrietatis filia, et nutritur ab ea; sicut e contrario luxuria nutritur a ventris ingluvie. Membra enim genitalia sub ventre posita, ex ejus redundantia in libidinem resolvuntur [2]. Sic etiam e converso ventris exinanitio humorem luxuriæ arefacit, sicut, cum fons obturatur, rivulus ex eo profluens desiccatur. Unde pro generali regula ab omnibus spiritualibus hactenus observatum est : Qui castus esse desiderat, studeat sobrietati : quia sine ea non diu castitas est secura, et cum proficiente proficit, et cum decrescente decrescit : licet quidam sine ea modo sibimet aliud nescio qua præsumptione promittant. Omnis laus in fine canitur. Nec credo tot et tantos virtutum inquisitores, qui prædictam secuti sunt regulam, in sua æstimatione deceptos. Unusquisque enim in sua arte sapiens est. Et studiosi virtutum fiunt in earum exercitiis sapientes; studiosi vero deliciarum et divitiarum sæcularium, efficiuntur in earum provisione prudentes. In Luca (*a*) [3] : *Filii sæculi hujus prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Castitas est virtus origine cœlestis. Hanc ipsi angeli sancti ab ipso Domino, omnium virtutum fontali principio, primitus didicerunt, et indeclinabiliter servaverunt. Hanc summus et unus magister noster, qui in cœlis angelorum magister est, Christus Dominus noster, de cœlesti schola ad terras, publice docendo attulit, et matrem suam gloriosam Virginem, perfectam et primam post se hujus disciplinæ magistram, in cathedra virginalis munditiæ cæteris mirandam et imitandam præfecit.

Sine sobrietate nemo castus.

Castitas virtus cœlestis.

CAPUT LIII.

De quatuor utilitatibus castitatis.

Castitas quatuor facit in præsenti. Corpus mundificat, sicut e contrario luxuria inquinat : ita ut si non esset alia merces castitatis, quam præsens munditia, nec aliud luxuriæ supplicium nisi ejus fœditas, castitatis ho-

[1] *Isa.*, v, 20. — [2] Vid. Hieron., in illud ad Titum, I, 7 : *Oportet Episcopum*, etc. — [3] *Luc.*, XVI, 8.

(*a*) *Cæt. edit.* Lucas.

nestas esset amplectenda, et turpitudo luxuriæ horrenda. Item mentem liberam facit et expeditam, quia nec pro uxoris provisione, nec pro filiorum educatione sollicitum reddit; nec affectus dilectionis ad conjugem et ad filios ligat; nec spiritus zelotypiæ castum exagitat; nec sollicitus est quomodo uxori placeat, vel qualiter hæredes divites faciat; nec quærit generos vel nurus; nec est servus affinium suorum, soli sibi vivens, et pro se solo sollicitus est, in seipso quiescens. Multa sunt de quibus oportet conjugio ligatos esse sollicitos, ita quod illa carnis delectatio nullo modo est eis tam jucunda, quam anxietas variarum curarum, quas patiuntur, onerosa : quas Apostolus *tribulationem carnis* appellat [1]. Unde idem Apostolus ad Corinthios [2] : *Volo vos sine sollicitudine esse*, etc. Item conscientiam lætificat, quia gratum Deo præstat obsequium, qui carnis dulcedinem respuit, quam mundus pro magno concupiscit. Lætificat autem, quia Deo placet, Deum placat, et Deo proximare facit, et Dei offensam cavet in delectatione carnali, et præmium cœleste meretur, et Deum auctorem munditiæ per castitatem imitando sequitur : cum sit [3] *gloria magna sequi Dominum*, qui nos præcessit in munditia castitatis, virgo virginis filius, virginum sponsus. Item tam hominibus, quam angelis, amabilem facit et spectabilem : hominibus, quia tam boni quam mali venerantur eam; angelis, quia cum naturaliter omne animal diligat simile sibi, etiam angeli casti homines castos familiarius diligunt.

CAPUT LIV.

De his quæ valent ad acquisitionem castitatis.

Ad castitatis autem acquisitionem, et profectum, et observationem, valent ea quæ supra [4] posita sunt de remediis luxuriæ, scilicet alienatio et separatio fœminarum a viris, et consortium contubernale castorum, quorum exemplo doceatur; item deliciarum fuga, quæ nutriunt carnis illecebras; item exteriorum sensuum custodia, ut non videat, vel audiat, vel tangat, unde tentetur; item otii devitatio, quod est janua omnium vitiorum, maxime carnalium; item custodia interiorum cogitationum et affectionum cordis, per quas coluber primo caput venenatum ingerit; item orationis frequentia, qua obtinetur auxilium a Deo contra omnes impugnationes.

CAPUT LV.

De divisione castitatis.

Profectus vel gradus castitatis pluribus modis distinguitur : est enim castitatis conjugalis, vidualis, et castitatis virginalis. Est etiam castitas in actu, alia in affectu. Quidam sunt casti corpore, sed non mente; et quidam casti mente, licet corpore oporteat eos reddere debitum conjugale.

CAPUT LVI.

De gradibus castitatis prout religiosis competit.

Gradus primus. Actui carnali et motibus non consentire.

Nunc de gradibus castitatis, sicut religiosis competit videamus. Primus gradus est continentia ab actu carnali cum proposito sic manendi, et omnibus illicitis motibus consensum negandi. Iste gradus cum adhuc vicinus est terrenæ voluptati propter novitatem conversionis, vapor tangit eum carnalis tentationis, quasi fœtor Sodomæ ardentis [5]. Ne igitur quasi uxor Loth [6] retrospiciens pereat, festinet ad montem, et sublimioris castitatis gradum laboret attingere, ut salvetur, ne pereat in scelere civitatis, in peccato luxuriæ, quo plurimi perierunt. Primus iste gradus est adhuc in labore pugnæ, et in incerto victoriæ, cum sola voluntas cum adjutorio gratiæ pugnat contra quatuor hostes, scilicet carnis pruritum, et affectionis appetitum, mundi provocamenta ad libidinem, et dæmonum suggestionem,

[1] I *Cor.*, VII, 28. — [2] Ibid., 32. — [3] *Eccli.*, XXIII, 38. — [4] Sup., lib. I, c. XXXIX, pag. 358-361. — [5] *Gen.*, XIX, 24. — [6] *Luc.*, XVII, 32.

et ita sunt quatuor contra duos. Confidat tamen voluntas bona, et inhæreat fideliter ei qui dicit [1] : *In mundo pressuram habebitis : sed confidite, ego vici mundum*; qui etiam diabolum fortius alligavit [2], et spolia diripuit [3], et cito inimicos ejus convertet ad pacem, et subjiciet exactores suos, scilicet carnis, et libidinosum pruritum, et affectionis illecebrosum appetitum.

Gradus secundus. Maceratione carnem spiritui subjugare.

Secundus gradus est, cum per macerationem carnis, et per alia spiritualia studia, affectus mundatur, et caro ita spiritui subjugatur, ut rarius et minus tentetur : ut quamvis adhuc non plene careat concupiscentiarum stimulis, quasi spinarum aculeis, et Jebusæus adhuc intra terminos habitationis ejus lateat; tamen ita depressus sit et imminutus, ut etiam facili labore sedetur ejus commotio, et imperando magis, quam reluctendo, insurgentem compescat, nisi forte ex propria negligentia, vel desidia, vires resumere, et gravius impugnare permittatur : sicut filiis Israel Dominus minatur, quando, ex negligentia propria, hostes, qui sibi a Domino sunt subjecti, noluerunt delere : ideo *Dominus noluit eos a facie eorum delere* [4], ut [5] *per quæ peccaverant, per hæc et punirentur :* unde postea sæpius ab eis graviter tribulati sunt et subjugati. Si hostibus (*a*) vitiorum fideliter resisteremus, quando nos impugnare incipiunt, non solum non vinceremur ab ipsis ulla vice, sed etiam ita debilitarentur, quod postea rarius auderent nos impetere; et si impeterent, facile vincerentur, donec penitus delerentur, quod vix auderent resurgere. Sed tepide reluctando damus eis vires et ausum sæpius et acrius nos deinceps impugnandi. Sciendum tamen, quod adversarius, quando fortiter vincitur, aliquando diu expectat, quod de eodem vitio non impugnat, donec interim dissuescat homo pugnare : et tunc iterum subito improvisus irruit, ut improvidos tanto securius prosternat, quanto ad repugnandum invenit imparatos. Exemplum de illo qui super hostem irruit, quando jam arma deposuit, et se ad quiescendum composuit, et adjutores suos post prælium dimisit, quia imminentis pugnæ suspicionem non habuit. *Machabæorum* (*b*) [6], sic hostes Judæ bellum constituerunt in die sabbati, populo in quiete et otio existente, et ita plurimos occiderunt. Semper ergo simus parati hostibus viriliter resistere, quia ipsi non quiescunt nos impugnare, etiamsi videantur quiescere : quia hoc ipsum cessare ab impugnatione, impugnare est : quia illud cessare non eorum clementiæ est, vel lassitudinis, sed astutiæ et fraudis. Unde *Nehemiæ* quarto dicitur [7] : *Nesciant hostes et ignorent, donec veniamus in medio eorum et interficiamus eos.* [8] *Inimicus cum in corde tractaverit dolos, si submiserit vocem suam cessando a suggestione, ne credas ei, quoniam septem nequitiæ sunt in corde ipsius. Qui operit odium fraudulenter, revelabitur malitia ejus,* etc.

Tertius gradus castitatis est, ita domitas habere carnis concupiscentias, quod vix rarissime et tenuissime sentiantur; et ex affectu talem induisse castitatis amorem, ut horreat et ita detestetur omnes carnales motus, quod quasi nauseam inde pariatur : nec possit audire tractari de operibus carnis, nisi cum horrore et execratione. Si quando vero, pro utilitate aliorum, de matrimonialibus casibus aliquid tractandum occurrit, ita quietos motus carnis suæ sentiat, ac si de luto, vel lapidibus, aut similibus tractaretur. Et cum per soporem somni humorum redundantia naturaliter se resolvit, ita quiete et insensibiler profluant, ut nec turpium phantasiarum imaginationibus illudatur, nec sensu fœdæ delectationis titilletur. Ista est perfecta castitatis descriptio, prout in hoc peccati corpore potest a raris et perfectissimis obtineri. Ut autem stabiliter in hoc gradu et continue perseverent, puto ad hoc

[1] *Joan.*, XVI, 33. — [2] *Matth.*, XII, 29. — [3] *Luc.*, XI, 22. — [4] *Judic.*, II, 3. — [5] *Sap.*, XI, 17. — [6] I *Mach.*, II, 38. — [7] II *Esdr.*, IV, 11. — [8] *Prov.*, XXVI, 25, 26.

(*a*) *Forte leg.* ausibus. — (*b*) Suppl., libro I, Cæt. edit. *Machabæus.*

privilegium requiri singulare : eo quod supra naturalis possibilitatis metas esse videatur, in carne vivere, et carnis vitia non sentire. Frigidi tamen ex natura, vel ex debilitate corporis, carnis motibus plerumque carere possunt, ut patet in senibus et infirmis, qui carnis motibus plerumque carent, quia ex debilitate corporis et defectu naturæ multum frigidi sunt. Sed mentis castitas, cum prædicta carnis puritate, ex sola virtute cum Dei gratia possidetur. Unde et Propheta hoc quasi prodigium miratur, cum dicit [1] : *Venite et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella* tentationum carnalium *usque ad fines terræ*, id est, ad terminos motus. Sequitur ergo : *Vacate et videte quoniam ego sum Deus, exaltabor in gentibus*, etc. Vacatio notat quietem, visio intentionem : quia bellis vitiorum sopitis, et hostibus subjugatis, mens jam valet in se quiescere, et Deo intendere, et intelligere quoniam ipse est Deus, qui tam potenter potuit, et tam pie voluit impetus tentationum et vitiorum opprimere, et pacem, quam per Scripturas sæpe promittit, hominibus bonæ voluntatis donare. Leviticus [2] : *Dabo pacem in finibus vestris, et dormietis, et non erit qui exterreat : auferam malas bestias*, etc. Qui Deo vult intendere, necesse habet vacare, et se super se levare. Threni [3] : *Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei*, etc. *Sedebit solitarius et tacebit, quia levabit se super se.* Psalmus [4] : *Elongavi fugiens, et mansi in solitudine : expectabam eum qui salvum me fecit*, etc. Vacandum est a concupiscentiis, et a perturbationibus, et ab occupationibus mundanis: ista tria maxime impediunt vocationem spiritualem. Qui autem nihil concupiscit in mundo pro se, vel pro charis suis, jam non habet unde turbetur, quia nihil timet amittere commodi, honoris vel rerum. Et si eximat se a factis alienis, ut nec curiose discutiat, nec temere judicet ea, nec occupetur cogitando ea et tractando, potest se tanto liberius ad interiora transferre intuendo, quanto ab exterioribus est magis expeditus. Nam qui superioribus vult intendere, debet ab inferioribus liber esse. Avis si habet pennas ligatas, vel infectas, vel præcisas, non potest se in altum volando sublevare. In spiritualibus illa sunt superiora, quæ interiora, quoad experientias spirituales.

CAPUT LVII.

Incipit processus septimus.

Et quia de voluntatis profectu supra tractatum est, qui consistit in ordinata affectuum dispositione, in qua attenditur activæ vitæ perfectio; consequenter ad contemplativæ vitæ profectum appropinquare considerationis passibus studeamus, eo quod volentibus in spiritu proficere, istud non inutile videatur.

CAPUT LVIII.

De profectu vitæ contemplativæ.

In contemplationis profectu primus status vitæ religiosæ, scilicet processus sapientiæ consistit, habens intelligentiæ lumen, et suavitatis internæ saporem. Unde sapientia, id est, *sapida scientia.* Dictum est autem supra [5], quod profectus sive perfectio spiritualis vitæ in tribus principaliter consistit : in rationis illuminatione, in voluntatis rectitudine, in memoriæ jugi circa Deum occupatione. Memoria, ut in Deum intendere jugiter assuescat, eique inhæreat, quinque vias terere et frequentare addiscat, quæ sunt lectio, collatio, meditatio de Deo, oratio, et contemplatio. Lectio et collatio bonæ sunt, quasi semina et materia meditationis. Unde qualia vis tibi meditanti, vel oranti, occurrere in cogitatione, talibus colloquiis, lectionibus, aut negotiis prius occupare stude memoriam : quia qualis liquor vasi infunditur, taliter redolebit; et quales herbas in

Memoria quinque viis Deo inhærere docetur.

[1] *Psal.* XLV, 9, 11. — [2] *Levit.*, XXVI, 6. — [3] *Thren.*, III, 26, 28. — [4] *Psal.* LIV, 8. — [5] Sup., lib. I, c. IV et seq., pag. 335, 336 et 337.

horto cordis tui plantaveris, talia semina germinabunt. Collatio spiritualis instruit intellectum, affectum inflammat, memoriam bonæ et sanctæ cogitationis prole fœcundat : sicut e converso otiosa fabulatio tempus perdit infructuose, affectum infrigidat, inutiles cogitationes cordi (*a*) inserit, conscientiam rodit, profectum spiritualem impedit, pœnam meretur. Lectio talis frequentetur, de qua postea non sit inutile in oratione cogitare : quæ illuminet ad Dei notitiam, accendat ad ejus amorem, mores bonos instruat, animet ad tolerandum adversa, mundi contemptum ingerat, desiderium patriæ cœlestis inserat, doceat discernere inter vitia et virtutes, et vincere tentationes, et alia utilia ad salutem. Lectionem sæpe interrumpat oratio [1], sicut et alias actiones : ut sæpe mens ad Deum elevetur, a quo omne bonum fluere necesse est.

CAPUT LIX.

De intentione.

Intentio nostra aliquando movetur pro Deo, aliquando ad Deum, aliquando in Deum. Pro Deo movetur in actione, quam pro ipso specialiter facimus, licet de ipso interim non cogitemus. Ad Deum movetur in lectione, et aliqua meditatione, quando de Deo est quod tunc mente versamus, et quodammodo circa Deum, licet in ipsum, quasi ad secundam personam, mentis intuitum non dirigamus. In Deum movetur in oratione, quando mens ipsum cogitat, et ipsum amplectitur, eique affectu devotionis adhæret. Quid autem horum utilius sit simpliciter ? est sciendum quod illud quod magis unit hominem cum Deo, scilicet oratio, cum tota beatitudo hominis sit in Deum transformari. Alia tamen quoad quid quandoque utiliora sunt : ut cum propter obedientiam, vel charitatem proximi, intermittitur oratio, et operibus pietatis insistitur ; vel cum discitur in quo magis ad beneplacitum Deo serviatur.

[1] Hieron., *ad Læt.*, epist. VII, col. m. 59, C; *ad Marcell.*, epist. XVIII, col. 162, B. — [2] *Psal.* L, 3, etc. — [3] *Psal.* CIII, 10.

(*a*) *Ita Bibl. Lugd. Cæt. edit.* cordis.

CAPUT LX.

De tribus modis orandi.

Orandi tres sunt modi. Unus vocalis, per verba composita et usitata : sicut cum Psalmos, Hymnos, Collectas, et alias Orationes, vel Laudes compositas ad excitandam devotionem, vel solvendum debitum, recitamus. Triplex autem est attentio. Una superficialis tantum : ut scilicet attendat quid dicat, quem psalmum interim dicat, vel quam antiphonam, vel orationem. Fructus attentionis hujus est, quod non cogitur repetere, cum sciat se dixisse. Pro labore etiam corporis, quem bona intentione Deo orando obtulit, quo se cogit servire Deo, mercedem qualemcumque merito expectabit. Alia attentio est litteralis, qua homo sensum litteralem tantummodo attendit, quid exterius verba sonent. Hæc dat fructum, cum aliquid sonat in superficie devotum, ut ibi [2] : *Miserere mei, Deus,* etc., et in similibus locis, ubi etiam ab illitteratis si tantum verba intelligerent, aliqua devotio caperetur. Sed illis verbis pertransitis, ubi intellectus mutatur verborum, et devotio refrigescit. Qualis enim devotio haberetur ex litterali sensu in istis verbis [3] : *Qui emittis fontes in convallibus,* etc., quæ tamen omnia ibi scripta sunt juxta sensum spiritualem ? Tertia attentio est intellectualis, quando ex verbis psalmodiæ quæritur sensus spiritualis : ut cum historia exitus filiorum Israel ex Ægypto, et plagarum Ægypti, refertur ad spiritualem nostram ereptionem de peccato, vel sæculo, vel ad peccatorum submersionem in fletibus compunctionis, et dæmonum cruciatus, et multa alia. In tali attentione est maximus fructus, quia et erudit animam per spiritualem intelligentiam, et afficit eam per devotionis affectum : et iste præcipuus est orationis fructus.

Secundus modus orandi est sæpe efficacior per verba proprio affectu formata : ut cum Deo familiariter confabulatur verbis suis, vel etiam utitur verbis alterius affectui suo consonantibus, quasi coram Deo præsente cor suum effundens, vel necessitates suas conquerens, vel peccata confitens, et misericordiam postulans, gratiam petens, et auxilium implorans contra tentationum pericula et tribulationum gravamina, vel quascumque suas vel suorum necessitates. Hic modus orandi magis requirit opportunitatem solitudinis, vel silentii circa se, et otii, et quietis, quo plenius et securius se in Deum effundat affectus. Major etiam in eo labor est capiti et corpori : ideo non potest ita frequens esse vel durabilis, sicut prior in prima et secunda attentionis specie, maxime debilibus corpore : et aliqui indiscrete eam frequentantes destructi sunt. Unde tales sæpe et breviter sic orent et leviter, ut ex frequentia a Dei familiaritate non elongentur, et ex brevitate et levitate non destruantur.

Secundus modus orandi, ver- affectu proprio mata.

[1] Tertius orandi modus est mentalis, cum tacito ore sola mens sua desideria pandit Deo, et affectum cordis Deo effundit, et eum intus per amorem amplectitur, vel cum reverentia adorat : tanto se latius in Deum diffundens, quanto plura valet affectus comprehendere, quam lingua exprimere, dicens cum Psalmista[2] : *Domine, ante te omne desiderium meum ; et gemitus meus a te non est absconditus.* De hac re dicit Dominus[3] : *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Spiritus est Deus, et qui adorant eum, in spiritu et veritate* (a) *oportet adorare.* Et hæc oratio videtur magis propria ; cum Deus magis cor attendat, quam verba oris. Sed verba ideo apponimus, ut cum mens pigra est ad se elevandum in Deum, per verba orationis sustentata elevetur, ut memoria Deo inhæreat, intellectus sursum tendat, affectus per devotionem inflammatus gustet quam suavis est Dominus, ex intentione sacræ orationis afflatus. Deus enim qui creavit nos, *scit*[4] quid nobis necesse sit, *antequam petamus eum ;* et ideo non indiget, ut per orationem insinuemus ei quid desideremus. Item qui ad hoc fecit nos, ut benefaceret nobis gratuito propter semetipsum, oratione nostra non indiget flecti ad miserandum, quod et ante disposuerat facere ; sed ampliorem nobis in hoc profectum procurat, cum gratis nobis benefacit, sicut ab æterno disposuit, et tamen orationis nostræ studium ad multiplicem nobis utilitatem convertit : atque oratio non est causa ejus beneficentiæ, sed via : ut si non propter illam, tamen per illam nobis misereatur.

Tertius orandi modus mentalis

Oratio misericordiæ Dei non est causa, sed via.

CAPUT LXI.

De diversis affectibus, et imaginationibus diversarum personarum in orante, et in eo quem orat.

Secundum autem diversas causas, hic modus diversarum personarum format affectus et voces in orante, et diversarum personarum imaginationes in eo quem orat. Aliquando enim homo personam rei assumit, coram Deo judice astans cum tremore, et dicens Deo[5] : *Noli me condemnare.* Item[6] : *Non intres in judicium cum servo tuo ;* et his similia. Hoc oramus, cum dicimus[7] : *Libera nos a malo,* scilicet æternæ damnationis. Aliquando quasi obsessus ab hostibus tentationum, tribulationum, et non valens per se effugere, insuper timens se offendisse Deum, et per peccata sua meruisse ut tradatur hostibus, invocat auxilium, dicens[8] : *Ne memineris iniquitatum nostrarum,* etc. Item[9] : *Ne projicias me a facie tua,* etc. Præter finalem damnationem, nulla Dei ira gravior, quam non defendere a pec-

Oratio Dominicæ brevis et dilucida explicatio.

Ira Dei gravior.

[1] Hæc quæ sequuntur usque ad caput LXI, leguntur versus finem capitis LXV in cæteris editionibus. — [2] *Psal.* XXXVII, 10. — [3] *Joan.*, IV, 23, 24. — [4] *Matth.*, VI, 8. — [5] *Job*, X, 2. — [6] *Psal.* CXLII, 2. — [7] *Matth.*, VI, 13. — [8] *Psal.* LXXVIII, 8. — [9] *Psal.* L, 13.

(a) Cæt. edit. deest *et veritate.*

cato. Hanc maxime meretur superbia, et ingratitudo, et incuria, ut homo profundius cadere permittatur. Hoc est contra quod oramus[1] : *Et ne nos inducas in tentationem* peccati. *Inducere* Deus dicitur, cum non custodit ne inducamur, sicut *indurare* dicitur cor peccatoris, cum per gratiam non emollit internæ unctionis. Hoc maxime in pugna tentationis et tribulationis onere timendum est, ne suo pondere nos opprimat, et in peccatum dejiciat. Alioquin optanda esset tribulatio, non horrenda : quia animam purgatiorem redderet, et majoris esset meriti viriliter toleranti. Aliquando, quasi servus qui gratiam Domini perdidit peccando, supplicat sibi peccata sua et negligentias suas ignosci, quas commisit, omittendo debita, et perpetrando illicita; vel ea quæ debuit, negligentius et impurius persolvendo, dicens[2] : *Secundum multitudinem miserationum tuarum, Domine, dele iniquitatem meam.* Item[3] : *Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo : multum est enim*, etc. Hoc petimus, dicendo[4] : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris :* quia ea benignitate debemus dimittere in nos quomodolibet peccantibus, qua desideramus nobis dimitti quod peccamus. Aliquando, quasi mendicus et pauper coram divite patrefamilias procumbens, et inopiam suam ostendens, flagitat panem gratiæ amplioris, quo confortetur, quo consoletur, et sustentetur ad resistendum malis. Triplici autem pane indigemus, quem nos instanter ab amico commodari poscere debemus : hoc est, cœlesti, spirituali, et terrestri. Cœlestis est corpus Christi; in Joanne (*a*)[5] : *Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.* Spiritualis est verbum Dei, et gratia interna mentem, ab interiori inedia, virtutum et donorum alimento reficiens. Psalmus[6] : *Panis cor hominis confirmat* (*b*). Terrestris est victus et alimentum quo corpus hic sustentari necesse habet, quia esuriem et sitim aliter temperare non potest. Hunc poscimus, dicendo[7] : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, sine quo nullo die subsistere valemus : omni enim hora Dei gratia indigemus; et ideo semper eam postulare jubemur ad omnia aggredienda. Aliquando, quasi filius patri per omnia parere et placere (*c*) affectans, patrem devotissime orat, ut eum a voluntatis suæ beneplacito in nullo discrepare patiatur, in actibus, et voluntatibus, et moribus, ad omnia et in omnibus eum sibi ita conformem faciens, ut nihil in eo paternos oculos offendat, hoc solum sibi reputans solamen, et super omnia desiderans, ut ipse cœlestis Pater tantum suam in eo voluntatem perficiat, sive exercendo in adversis, sive consolando in prosperis, sive deprimendo, vel quocumque modo sibi magis placet. Vere filialis et fidelis affectus est, nulla quæ sua sunt, quærere, non commoda, non honores, non consolationes : sed solummodo placitum pii Patris. Magnum est hoc a Deo petere, et magnum obtinere, ut tales nos in hoc peccati corpore faciat, ut illi summæ veritati placeamus, et ab ejus directionis regula non deviemus. Nihil melius, nihil utilius in mundo posset nobis conferre etiam summus Pater, quam tales nos facere ut ei per omnia placeamus. Unde Psalmista[8] : *Ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam*, etc. Hoc petimus, cum dicimus[9] : *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra :* ut sicut illi superni cives ad voluntatem tuam sunt dispositi, ita et nos hic pro modulo nostro ad voluntatis tuæ beneplacitum disponamur. Aliquando anima, quasi sponsa Dei, in ipso unico dilecto quiescere desiderans, et ejus frui solum amplexibus ardenter sitiens, pro cujus amore omnia ei inferiora viluerunt, quia sitim suam aliter temperari non sperat, nisi tota illic transeat, ubi eum (*d*) facie ad faciem irrepercussa

Triplici pane indigemus omnes.

[1] *Matth.*, VI, 13. — [2] *Psal.* L, 4. — [3] *Psal.* XXIV, 13. — [4] *Matth.*, VI, 12. — [5] *Joan.*, VI, 32. — [6] *Psal.* CIII, 15. — [7] *Luc.*, XI, 3. — [8] *Psal.* CXLII, 9. — [9] *Matth.*, VI, 10.

(*a*) *Cæt. edit.* Joannes. — (*b*) Vulg. *confirmet.* — (*c*) *Cæt. edit.* placare. — (*d*) *Item* cum.

videat acie, flagitando precatur hoc citius adimpleri, *cupiens* cum beato Apostolo [1] *dissolvi et esse cum Christo*, quia *multo melius* est, tam jucunditate fruitionis Dei, quam securitate evasionis mali, et quia magis esset ad placitum illi summæ veritati, quam possit in hoc corpore quantumcumque proficiens fieri : quia [2] *dum sumus in hoc corpori, peregrinamur a Domino*, et [3] *in multis offendimus omnes :* ita ut [4], *si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, et veritas in nobis non est.* Cum enim peccatum dicatur aversio a summo bono, et ad bonum inferius conversio : in quantum inde avertimur, in tantum peccato non caremus : et qui magis avertitur, magis peccat : et qui minus, minus. Nihil autem inde averti, non est peregrinantium, sed pervenientium : quia etsi voluntatis intentio utcumque ei adhæret, affectus tamen sæpius hinc inde distrahitur, memoria multis aliis occupatur, et intelligentia cæcutiens ipsam veritatis lucem pure non intuetur. Ex his fit, quod aliquando in inferioribus istis impellimur ut cadamus, nisi a Domino sustentemur. Unde gemens dicit Propheta [5] : *Sitivit anima mea ad Deum vivum : quando veniam*, etc. Hoc oramus, cum dicimus : *Adveniat regnum tuum :* ac si dicamus : Pondere peccati et corpore prægravati, non valemus ad illud citius volare : *adveniat* igitur *regnum tuum*, et nos celeriter hinc assumas, ut ab ista miseria liberemur : interim in nobis operare tibi regnum in justitia, et pace et gaudio Spiritus sancti. Aliquando, quasi inebriatus spiritu, immemor suimet homo Deo deditus, et ei per amorem inhærens, super omnia ipsius gloriam et honorem promoveri, et ejus notitiam ad omnes dilatari desiderans, tam pro ipsius quam pro aliorum salute rogat Patrem, ut sanctificationis suæ notitiam omnibus manifestet, infideles ad lumen suæ cognitionis vocando per fidem, et fideles ad gratiam suæ sanctificationis convertendo per amorem, et rebelles per ostensionem suæ potentiæ utiliter contundendo : et quasi non possit, vel nolit sine aliis cœlesti gaudio frui, anhelat et satagit plures secum trahere orando, docendo, bono exemplo præcedendo, et quocumque alio modo honorem Dei, et proximorum salutem, et profectum spiritualem promovendo. Et hoc affectu videtur loqui Apostolus ad Romanos [6] : *Tristitia est mihi magna, et dolor continuus cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis*, etc. Moyses quoque eodem affectu videtur orasse, dicens [7] : *Aut dimitte populo tuo noxam hanc; aut si non vis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Non quod Apostolus vellet a Christo separari, vel Moyses deleri; sed quod affectum, quem ad proximorum salutem habebant, evidentius exprimere non valebant : quasi non reputantes sibi esse plenum gaudium introduci ad epulas cœlestes, illis quos diligebant, et pro quibus mori optabant, foris fame perituris. Hoc oramus, cum dicimus [8] : *Sanctificetur nomen tuum*, ut nominis tui sanctificatio nobis plenius innotescat, quo te perfectius agnoscere et amare et revereri possimus, et sanctitatis tuæ similitudinem induendo, tibi Patri sicut veri filii conformemur : ut unus tecum spiritus efficiamur, in tuam transformari claritatem. Hanc orationis formam Christus docuit, et his septem petitionibus omnia petenda conclusit, et omnes orationum affectus comprehendit, sicut patere potest diligenter intuenti. Dignitatis autem ordinem in petendis servavit : et ideo quæ ultima hic ponitur, illam ipse primo ponit. Quid autem plus peti potest, nisi liberari a futuræ damnationis malo, custodiri in discrimine præsentis tribulationis, peccata nobis ignosci, gratiam augeri et infundi, ut ad voluntatem Dei vivamus, et regnum ejus consequamur, et honorem nominis ejus videamus ad omnes pervenire, et sanctitatem

Oratione dominica omnes nostræ petitiones comprehenduntur.

[1] *Phil.*, I, 23. — [2] II *Cor.*, V, 6. — [3] *Jac.*, III, 2. — [4] I *Joan.*, I, 8. — [5] *Psal.* XLI, 3. — [6] *Rom.*, IX, 2, 3. — [7] *Exod.*, XXXII, 32. — [8] *Matth.*, VI, 9.

ejus ab omnibus cognosci, et imitari, sive singulatim, sive commixtim? Quidquid oramus, ad aliquid, vel aliqua, respicit: quia aliquando pro uno obtinendo singulariter oramus, aliquando duo vel plura simul petendo proponimus: et sicut solent orantes coram principibus, ut petitio eorum sit efficacior, modo commendare ipsorum clementiam quos rogant, modo proprias aggravare miserias, ut ad misericordiam citius flectantur; modo adversarii accusare fraudes et malitias, ut sit in auxilio, hosti in odio: sic et nos in oratione facere debemus coram Domino, sicut sacræ Scripturæ eruditione docemur.

CAPUT LXII.

De gratiarum actione.

Sunt adhuc duæ species orationis, scilicet gratiarum actio, et vox laudis, large sumpto nomine orationis, secundum quod oratio dicitur pia mentis in Deum intentio. Gratiarum actio, est omnia bona a Deo data sentire (*a*), et pro his eum laudare corde, voce, et opere. Gratias agimus, cum bona quæ accepimus, gratiæ Dei, non nostris meritis adscribimus. Laudare Deum, est Deum laudabilem intelligere, et ejus magnificentiam cum exultatione et admiratione extollere, vel pro eo quod in seipso est, vel pro his quæ facit. Gratias Deo agimus, quod de bono quod nobis ab ipso profluit, ejus bonitatem commendamus. Ad gratiarum actionem pertinet, beneficia quæ accepimus, diligenter recolere, subtiliter intelligere, fideliter confiteri, studiose servare, benefactorem diligere, et ejus offensam cavere, et gratiam acceptam non otiose negligere, sicut ille piger servus, qui[1] *abscondit pecuniam domini sui*: sed ad id ad quod datur eam exercere, et inde non insolescere vel extolli. Ad gratiarum actionem accendit septuplex consideratio: triplex circa ipsum beneficium, duplex circa benefactorem, et duplex circa eum cui præstatur beneficium.

Gratiarum actio quid.

[1] *Matth.*, XXV, 18.

(*a*) *Al.* scire.

CAPUT LXIII.

De septuplici consideratione, quæ accendit ad gratiarum actionem.

Beneficium commendatur, si est nobile et pretiosum in se, si est utile accipienti, si est multiplex et sæpius iteratum. In benefactore duo consideranda sunt: nempe si sit magnæ dignitatis, et si magno affectu dat beneficium. In illo cui præstatur beneficium, duo similiter consideranda sunt: si vilis est et contemptibilis; si indignus et immeritus, qui non meruit, sed demeruit, ut tale beneficium reciperet a tali. Hæc omnia in divinis beneficiis excellentissime reperimus. Ipse dator est summus omnium, et immensæ dignitatis, a quo magnum est si dignetur etiam cogitare de nobis. Tanto etiam affectu, et benevolentia dat beneficia sua homini, quod si etiam modica daret, gratanter essent recipienda: charitas enim ejus supereminet omni scientiæ, ita quod a nullo sensu potest æstimari. Ipsa beneficia ejus, quibus in nobis operatur salutem, tam pretiosa sunt, quod nullo pretio sunt condigna. Quid enim potest condignum gratiæ Spiritus sancti excogitari, quam dat fidelibus suis, vel corpori Christi et sanguini, et gloriæ cœlesti, præter alia absque æstimatione et numero, quæ ab eo percepimus? Quanta utilitas nobis ex his donis proveniat, penset qui valet: ut justificatio a peccato, gratia sanctitatis, adoptio filiorum Dei, consolatio interna, defensio a periculis, consortium angelorum, et beatitudo corporis et animæ ex visionis Dei fruitione. Istæ et aliæ sunt utilitates beneficiorum Dei. In his omnis felicitas consistit. Quam sæpe nobis ista conferat, attende. Quoties enim perdimus per peccatum gratiam, toties reddit nobis offerendo, si volumus recipere. Item quoties abutimur donis ejus, vel negligentes sumus in ejus servitio, vel ingrati, vel elati de do-

Deus nefac et e gran affec cons rand

Ber cia stud conte plan

nis ejus, toties meremur ea amittere, sive sint spiritualia, sive temporalia, vel corporalia : et quoties non aufert cum demeremur, toties dat. Quibus autem tanta beneficia præstet tantus Dominus, in promptu patet. Quid enim sumus nisi pulvis et cinis, miseri et inopes, repleti multis miseriis, expositi omnibus periculis, et pene nihil a nobis, nisi labi continue possumus? Et tamen cum ista vilitate et miseria Deo omnipotenti rebelles sumus, et pro dilectione et beneficiis reddimus ei contumelias et contemptum, inobedientes, negligentes, ingrati et elati. Quanta est ergo pietas Dei, illis tanto affectu et studio sic benefacere, qui beneficia ejus nec agnoscere, nec conservare, nec regratiando digne recipere student! Benefacere merenti, justum est : benefacere nihil merenti, sed tamen humiliter petenti, pium est : benefacere nec promerenti, nec desideranti, magis est pium : piissimum autem, et non nisi divini cordis est, benefacere contemnenti, et adversanti ; et hoc vili, et servo proprio, et figmento suo. Gratiarum actio meretur bona accepta conservari et augeri, et ad majorem profectum converti, et majorem fructum inde provenire. Verbi gratia, qui dono sapientiæ gratus fuerit, quod acceptum conservatur in eo, ne perdat ; augetur, ut plus et plus sapiat, et ut major utilitas inde proveniat, tam in proprio merito, quam in aliorum ædificatione. E contra ingratitudo meretur amittere quæ habet, nec alia accipere, et quæ retinet infructuose tenere, et fraudari præmio, et majus supplicium mereri pro negligentia et contemptu. *Cui* enim[1] *plus donatum* (*a*) *est, plus repetetur* (*b*) *ab eo*. Ex semetipso potest quisque perpendere, quam detestabile sit vitium ingratitudo : cum hoc omnes odio habere soleant in aliis quibus benefecerunt, si nullas, vel parvas ab eis inde gratias acceperint, vel amorem. Et ideo non indignationis est, sed clementiæ in Deo, quandoque negare petita ingratis : ne forte gravioris culpæ reatum incurrant, si pluribus beneficiis acceptis, plus fiant ingrati.

Quanta quibus Deus præstet.

[1] *Luc.*, XII, 48.

CAPUT LXIV.

De laudatione Dei.

Laudatio Dei dignissimus est affectus, et nascitur ex consideratione divinæ bonitatis, et ex admiratione profunditatis sapientiæ Dei, et ex stupore altitudinis divinæ potentiæ, et immensitate majestatis : quæ de ipso, vel per catholicam doctrinam fidei intelligimus, vel per operum ejus vestigia colligimus, vel per illuminationem inspirationis internæ puro mentis intuitu contemplamur. Omnia quæ de Deo cogitari, vel dici secundum veritatem possunt, vel sentiri, non nisi laus ipsius sunt : eo quod nihil in Deo sit, nisi summe laudabile, et amabile (*c*) et venerandum : et quanto perfectius cognoscitur, tanto verius laudatur, et ardentius amatur. Divinæ laudis amplissima est materia : quia tam ipse Deus, quam omnia opera ejus docent eum super omnia laudabilem esse. Laudare Deum, est eum laudabilem cognoscere, et ostendere. Unde Sancti, omnes creaturas non solum rationales, sed irrationales et insensibiles ad Dei laudem invitant, quia omnia opera ejus ostendunt eum laudabilem in se, et in omnibus agnoscitur laudabilis ejus virtutis potentia, et provida sapientia, et clemens misericordia, benigna patientia, et tolerantia, justa meritorum retributio, larga remuneratio, et incomprehensibilis super omnia ejus dignitatis exaltatio.

CAPUT LXV.

De septuplici materia laudis Dei.

Secundum ista septem, intelligimus septuplicem Dei laudis materiam, cui omnia quæ laudem Dei sonant, possunt includi.

(*a*) Vulg. *commendatum*. — (*b*) *Petent*. — (*c*) *Al.* admirabile.

Sex enim sunt principalia Dei opera, ad quæ omnia alia reducuntur. Septimum vero non est opus, sed ipse operans Deus, in se quiescens, et ab omnibus operibus suis superelevatus. Horum figura sunt opera primorum sex dierum, quibus Deus omnia fecit, et complevit quæ fecerat Deus in sex diebus. Sed cum omnia fecisset Deus in sex diebus, et nihil in septimo legatur addidisse quo facta perficeret, sed potius ab omni opere cessasse et requievisse, quomodo ea perfecit, si nihil addendo fecit, nisi quia per hoc nobis datur intelligi, quod omnis creatura de se imperfecta est, et ipse Deus est omnium operum suorum perfectio, et in ipsum reflectitur omnis creatura, a quo fluit, sicut in primam causam; ex quo omnia per causam formalem; per quem omnia per causam efficientem; in quo omnia per causam finalem : et hoc fit per glorificationem rationalis creaturæ, in qua clauduntur omnes aliæ creaturæ, cum propter rationalem creaturam omnia reliqua sint creata, et ipsa sit omnium capax per intellectum, et naturæ similitudinem : et hoc maxime apparet in homine, cui ad serviendum omnia ista visibilia sunt creata. Primum opus Dei potest dici creatio, in quo laudabilis apparet ejus mira virtutis potentia, quod tam multa, tam magna, tam varia, tam solida, tam nobilia virtute plena potuit sic facile, sic subito, sic decenter, ex nihilo producere, et sic naturaliter collocare : cum extra mundum nihil sit, supra quod mundi moles quasi super basim collocetur. Sapientia [1] : *Si virtutem et opera eorum,* id est, visibilium et factorum, *mirati sunt, intelligant ab ipsis, quoniam qui hæc constituit, fortior est illis.* Secundum opus Dei est universorum gubernatio, in quo evidenter apparet laudabilis sapientia providentiæ Dei : quia nihil omnium quæ sunt, a maximo usque ad minimum, latet ejus scientiam; sed omnium novit proprietates, virtutes, operationes, et singulorum multiplices rationes naturales et causales, quare singula sint sicut sunt, et non aliter. Et hæc omnia præordinavit sic, ut quasi naturaliter, vel causaliter videantur fieri : tamen ita librata sunt in ejus providentia, ut nunquam excedant dispositionis ejus limites, et omnia bonis cedunt in bonum per ejus providentiam, et malis in malum per ejus æquitatis justitiam. Et licet in his et in aliis specialiter dicatur laudabilis videri ejus potentia et providentia, vel alia in Deo laudabilia : tamen in singulis ejus operibus omnia simul intelliguntur, sed causa brevitatis transeo. Tertium opus Dei est humani generis redemptio : in quo specialiter apparet laudabilis clementiæ ejus misericordia, qua nostræ miseriæ compatiens decrevit nostram naturam assumere, et debitum satisfactionis nostræ pro peccato nostro moriens exolvere, et sic nos de mortis debito eripere, et in pristinam restituere dignitatem. Quid clementius, quid misericordius cogitari possit, quam summum Dominum pro vili servo fieri minimum, innocentem pro reo liberando se morti tradere, pro inimicis glorificandis inglorium fieri, et ab ipsis pro quibus patitur, se occidi permittere? Quartum opus Dei est opus justificationis nostræ : in quo laudabilis apparet ejus patientiæ sustinentia, qua peccatores non solum patienter tolerat, sed et benigne a peccato justificat, et a peccato defendit, et gratiam merendi donat, et occasiones merendi providet, et sacramenta quasi gratiæ vasa instituit, ut per ea infundatur gratia justificationis a peccato, et Spiritum sanctum dat fidelibus ad compunctionem et consolationem, et ad varias virtutes, et gratiarum operationes, et faciens de inimicis amicos Dei, et filios et hæredes, liberum arbitrium ad bonum promovens, nec tamen libertatem auferens : involuntarios faciens voluntarios, non cogendo, sed inspirando, et occasiones procurando. Quintum opus Dei est justa meritorum retributio, quoad reprobos : in qua laudatur ejus munditia, qua detestatur omne vitium et peccatum, et om-

Per sex opera Dei mirifice docet Deum semper laudandum.

Primum opus, creatio omnium.

Secundum, gubernatio conditorum.

Tertium, redemptio generis humani.

Quartum, justificatio nostra.

Quintum, reproborum retributio.

[1] *Sap.*, XIII, 4.

ne bonum diligit, et congaudet, quasi sibi concedenti. Laudabilis est ejus justitia, qua malum impunitum non patitur, et secundum meritum suum locat in peccato perseverantem, et, quo fructu se spoliavit peccator, privat eum, et fructum operum suorum facit eum in tormentis gustare. Et laudatur ejus sapientia, qua scit etiam de malis eligere bona, et cogere sibi servire in pœna, qui nolebant ei subesse in culpa. Et ordinat omnia malis cedere in pœnam, quæ hic converterunt ad peccatum, ut corpus, intellectum, tempus præsens; et alia quæ data ipsi fuerant, vel oblata ad occasionem merendi et gloriæ augmentum, quæ ipsi converterunt ad peccandi instrumentum : sed justitia Dei convertit ad cumulum pœnæ. Corpus, per quod hic peccaverunt, illic in pœna recipient, et per hoc plus cruciabuntur. Intellectum ad temporalia converterunt : et per hunc inexcusabilius accusabuntur. Tempus, quod ad serviendum Deo acceperant, in peccato consumpserunt : et ideo sine fine punientur, sicut hic finem non posuerunt in peccato : ut qui peccant in suo æterno hic, puniantur in æterno Dei illic : et qui in Deum infinitum semper peccaverunt, in infinitum quoad durationem pœnarum crucientur. Laudatur et bonitas Dei, qui hanc malorum pœnam ordinat ad beatorum lætitiam, qui alia per Dei gratiam evaserunt. Ita autem ordinatur per Dei justitiam reproborum damnatio, sicut per ejus bonitatem beatorum salvatio. Sextum opus Dei est gloria beatorum, in qua laudatur ejus larga et mirifica remuneratio, qua pro parvo et brevi merito æternam et ineffabilem Sanctis dat in cœlo gloriam, et lætitiam, et felicitatem, et omnia eis ordinat in bonum, tam bona, quam mala, et propria, et aliena, et non solum mala pœnæ, sed etiam mala culpæ : ut de bonis propriis glorientur, et de alienis congaudendo delectentur. De malis propriis gaudent, quæ evaserunt; de alienis, quod similia non inciderunt. Gaudent de propria felicitate quæ est multiplex. Gaudent de omnium electorum gloria tam multipliciter, quam multiplex est omnium gloria simul, tam in numero, quam in magnitudine : et de quolibet sicut de se gaudent : qui tantum diligunt illum habere quæ habet, quod nollent ea habere, ut alter careret eis. Sed de gloria Dei tanto plus super omnem, et suam, et Sanctorum gloriam gaudent, quanto plus Deum diligunt supra seipsos, et supra omnes alios, et maxime cum gloria Dei infinita sit : et ideo supra omnem mensuram debet esse gaudium de gloria ejus, licet creatura non valeat infinite diligere et gaudere, et adhuc gaudet quisque se diligi ab omnibus, sicut diligunt seipsos. Insuper gaudet se diligi a Deo plus ineffabiliter quam a seipso. Et omnium gaudia sibi gaudent esse communia, et ad plene partipandum exposita, et hauriunt de omnibus, quantum capiunt et capere possunt, sicut proprium. Ibi erit gloria spirituum et corporum. Ibi videbitur Deus secundum divinitatem facie ad faciem, et secundum humanitatem gloriosam, *in quam desiderant*[1] etiam *angeli prospicere.* Sicut etiam certi sunt electi se gloriam illam habere, ita certi sunt quod nunquam possunt eam amittere. Ibi est satietas sine fastidio, et desiderio (*a*), desiderati plena adeptione. Ibi plena et pura laus resonat de omni corde laudantium Deum, pro tam magnifica bonitate ejus, quæ eos ab æterno ad hanc gloriam prædestinavit. Posset qui vellet ista sex opera Dei, in quibus est omnium operum ejus consummatio, referre ad primorum sex dierum significationem ; ut opus creationis assignetur primæ diei, in qua post omnium materialium creationem facta est lux, distinguens noctem et diem : quia spiritualis creatura a corporea est distincta luce intelligentiæ rationalis. Opus gubernationis significatur per opus secundæ diei : in qua aquæ superiores interpositione firmamenti distinguuntur ab inferioribus : quia cœlestia quantum situ dis-

Sextum, glorificatio beatorum.

Elegans collatio præcedentium cum operibus sex dierum.

[1] II *Petr.*, I, 12.

(*a*) *Cæt. edit.* desiderium.

tant a terrenis, tantum et qualitate; et tanto nobiliori modo divinas influentias recipiunt, quibus juxta modum sibi congruum ordinantur. Opus redemptionis significatur opere tertiæ diei, in qua aquis inferioribus segregatis a terra, terra apparuit arida, et fructifera : quia peccatis totum genus humanum occupantibus semotis ab Ecclesia, et apud infideles remanentibus, Ecclesia diversis gratiarum germinibus fœcundatur. Opus justificationis significatur opere quartæ diei, in qua luminaria cœli facta sunt : quia per solem charitatis, et lunam fidei, et stellas aliarum virtutum, corda fidelium illuminantur, et vitam, et ordinem, et meritorum vigorem quasi per lucem et calorem siderum consequuntur. Opus judicationis et condemnationis reproborum significatur opere quintæ diei, in qua ex aquis natantia et volatilia facta sunt : quia ex eodem genere hominum alii elevantur sursum ad cœlestia per gratiam, alii relinquuntur in reatu damnationis, in qua nati sunt per meritum culpæ originalis et actualis. Opus glorificationis significatur per opus sextæ diei, in qua homo ad imaginem Dei factus omnibus mundanis præficitur : quia per gloriam fit homo deiformis, et illi unitur, sicut membrum capiti, qui omnibus sicut verus Dominus principatur Jesus Christus Dominus noster. Septimum Dei non est opus, sed operis Dei impletio per quietem in Deo, qua Deus quiescit in se, et nos in Deo. Unde sabbatum appellatur, id est, requies : quia per quietem in Deo perficitur rationalis creatura, quæ est causa et forma omnis irrationabilis creaturæ : cum ad hoc semper omnis natura conetur, ut rationalem mentem doceat se, et Dominum suum agnoscere, et ei ad hoc serviat, ut eum ad Domini sui servitium semper admoneat, et ad laudandum eum accendat. Qui hoc sabbatum quiescendo non celebrat, pactum Dei cum homine violat, qui super omnia vult hominem in se quiescere, et sibi per amorem tenaciter inhærere. Ipse summa est suæ laudis materia, quem nulla operum suorum magnificentia valet docere laudabilem, sicut est : sicut opus mutum nescit artificis sui peritiam vocaliter enunciare, sed tacendo innuit quam sit laudabilis qui talia voluit et scivit, et potuit tam feliciter operari. Ecclesiasticus [1] : *Major est omni laude.* Septem autem verbis usitatioribus Ecclesia utitur ad laudem Dei, quasi septem jubileorum tubis mysticis : scilicet laudare, benedicere, magnificare, confiteri, honorificare, glorificare, et superexaltare.

Sabbatum.

CAPUT LXVI. (*a*)

De triplici utilitate orationis.

Multiplex est orationis utilitas, quibus etiam alias bonas actiones ipsa excellit. Prima, quia facilius et citius per eam impetramus, quæ a Domino desideramus : ita ut quandoque citius brevi oratione aliquis obtineat, quod diutius jejuniis, vel aliis laboribus, et piis operibus vix obtineret, licet et alia bona opera ad hoc aliquatenus suffragentur. Unde in omni casu, in omni periculo, pro omni desiderio desiderato, semper inveniemus sanctos principaliter ad orationis subsidium refugisse, quasi ibi promptius quod petebant consecuturi. In Matthæo (*b*) [2] : *Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Quid enim non potest oratio efficere?

CAPUT LXVII, AL. LXVI.

De effectibus orationis.

Oratio iram Dei placat : Moyses orabat Dominum, et [3] *placatus est Dominus.* Peccatorum veniam impetrat; in Matthæo (*b*) [4] : *Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me.* Item [5] : *Dimitte nobis debita nostra,* etc.

[1] *Eccli.*, XLIII, 33. — [2] *Matth.*, XXI, 22. — [3] *Exod.*, XXXII, 14. — [4] *Matth.*, XVIII, 32. — [5] *Matth.*, VI, 12.

(*a*) In cæt. edit. hoc non est caput, sed finem imponit capiti LXV, et caret titulo. — (*b*) *Cæt. edit.* Matthæus.

Tentationis impetum sedat; Numeri [1] : *Oravit Moyses, et absorptus est ignis.* Vitia cordis expellit; Psalmus [2] : *Disperge illos in virtute tua, et destrue eos*, etc. In periculo liberat; Psalmus [3] : *Invoca me in die tribulationis.* A periculis defendit; in Matthæo (*a*) [4] : *Orate ne fiat fuga vestra*, etc. De hostibus vindicat; secundo Paralipomenon [5] : *Oraverunt Ezechias et Isaias adversus Sennacherib.* Difficultates complanat; Josue [6] : *Vociferante populo, muri Jericho corruerunt.* Familiaritatem Dei confert; Psalmus [7] : *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum.* Isaias [8] : *Clamabis, et dicet : Ecce adsum.* Impetrat dona Spiritus sancti; Actuum secundo [9] : *Repleti sunt omnes Spiritu sancto.* In Luca (*b*) [10] : *Pater dabit Spiritum bonum petentibus se.* Item donum sapientiæ; Jacobus [11] : *Si quis vestrum indiget sapientia*, etc. Item gratiam prædicandi, ad Ephesios [12] : *Orantes pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei.* Item revelationem secretorum; Hieremiæ [13] : *Clama ad me, et annuntiabo tibi grandia et firma.* Item potestatem quorumlibet miraculorum : *Elias oravit ut non plueret* [14]; item pro puero suscitando [15]. Item temporalia subsidia confert; Psalmus [16] : *Oculi omnium in te sperant, Domine.* Item sublevationem quarumlibet adversitatum, Regum [17] : *Fames si oborta fuerit, vel pestilentia*, etc. Item quorumlibet utilium, vel necessariorum donationem; ad Romanos [18] : *Nam quid oremus sicut oportet*, etc. Item vitam æternam; ad Romanos [19] : *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Et breviter, omnia contraria saluti reprimit, et necessaria confert, et conservat, et perficit. Vult enim Deus non tantum orari pro eo quod et ante dare disposuit : sed vult ut plus orando mereamur per fidem, qua credimus quod non videmus; per spem, qua obtinere confidimus petita; per charitatem, qua exauditorem amplius amemus, juxta illud [20] : *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.* Item per humilitatem, qua in supplicatione perseveremus. Item per desiderium, quo bona adipisci cupimus. Oratio est quasi speculum : nam clarius facit hominem agnoscere defectus suos, vel profectus, quia conscientia lucidius ibi se sibi repræsentat, et vel ex profectus consideratione in fiduciam spei læta erigitur, vel ex defectus consideratione confunditur. Oratio quoque mentem a terrenis magis levat et elongat, quam cæteræ actiones : quia cum illæ negotientur cum Martha *circa frequens ministerium* [21] in servitiis, ista cum Maria pedibus Domini inhærens, eum solum sibi propitium esse exorat.

Oratio speculum.

CAPUT LXVIII, AL. LXVII.

De præsentatione Dei in affectu orantis.

Multis autem modis affectus orantis, Dei respectum sibi repræsentari sentit. Aliquando videtur affectui, dum orat, quasi Deus nec audire dignetur, nec attendere, juxta illud [22] : *Avertisti faciem tuam a me*, etc. Item Job [23] : *Ecce clamo ad te, et non exaudis me : sto, et non respicis me.* Inde oritur aliquando tædium orandi, quasi vana sit oratio quam Deus non dignetur acceptare. Aliquando quasi iratus apparet et implacabilis : et inde conscientia confunditur, et timore perturbatur. Job [24] : *Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi.* Unde Jeremias propheta orat [25] : *Non sis mihi tu formidini, spes mea in die afflictionis.* Et Psalmus [26] : *Non intres in judicium cum servo tuo, Domine.* Isaias [27] : *Multitudo viscerum tuorum et miseratio-*

Quam varie se Deus orantibus offerat.

[1] *Num.*, XI, 2. — [2] *Psal.* LVIII, 12. — [3] *Psal.* XLIX, 15. — [4] *Matth.*, XXIV, 20. — [5] II *Paral.*, XXXII, 20; *Isa.*, XXXVII, 15. — [6] *Jos.*, VI, 20. — [7] *Psal.* CXLIV, 18. — [8] *Isa.*, LVIII, 9. — [9] *Act.*, II, 4. — [10] *Luc.*, XI, 13. — [11] *Jac.*, I, 5. — [12] *Ephes.*, VI, 18. — [13] *Jerem.*, XXXIII, 3. — [14] *Jac.*, V, 17. — [15] III *Reg.*, XVII, 21. — [16] *Psal.* CXLIV, 15. — [17] III *Reg.*, VIII, 37. — [18] *Rom.*, VIII, 26. — [19] *Rom.*, X, 13. — [20] *Psal.* CXIV, 1. — [21] *Luc.*, X, 39, 40. — [22] *Psal.* XXIX, 8. — [23] *Job*, XXX, 20. — [24] Ibid., 21. — [25] *Jerem.*, XVII, 17. — [26] *Psal.* CXLII, 2. — [27] *Isa.*, LIII, 15.

(*a*) *Cæt. edit.* Matthæus. — (*b*) Lucas.

num tuarum continuerunt se super me. Quanta sit illa animæ tribulatio et mœror, ille novit qui propter hoc ab instantia supplicandi non desistit. Non enim propterea a prece cessandum est, quia Deus non acceptat; sed eo instantius orandum est, quia Deus probat per hoc orantis constantiam, expurgat humiliati conscientiam, et remunerat afflicti patientiam. Bernardus [1] : « Obsecrationibus insistendum est, sed in omni humilitate et patientia, quia non afferunt fructum nisi in patientia. Quasi enim cœlum desuper sentit æneum, dum nullam devotionis velut roris cœlestis stillam pulsando in oratione percipit; et terram cordis sui ferream, dum nullo psalmorum vel orationum irriguo ad fructum compunctionis emollitur; sed veluti mulier Chananæa [2] aversum a se Domini vultum æstimans, peccata sua quasi canis immunditiam sibi exprobrari reputat, et pane filiorum se arbitratur indignam. » Sed tamen prudenter advertendum est, quod ista pavidæ mentis imaginatio, qua durum et austerum sibi proponit Deum, qui vere mitis et benignus est, et in veritate pius et misericors, aut est deceptæ mentis propria confictio, qua format sibi idolum, pro eo quod non est ipse; aut est dispensativa permissio ad terrendum, vel humiliandum et corrigendum, vel purgandum animum, quo postmodum suavius sapiat ei benigna Dei respectio, sicut post expertam amaritudinem desiderabilior fit dulcedo. Aliquando, quasi aliis occupatus, orantis affectum Deus non curare videtur; quasi videat, et orantem tranquille sustineat, sed non respondeat ei, aliis intentus. Hoc videtur Propheta sensisse, cum ait [3] : *Exaudi, Deus, orationem meam : ne despexeris deprecationem meam ; intende mihi, et exaudi me.* Et iterum [4] : *Verba mea auribus percipe, Domine : intellige clamorem meum.* Aliquando videtur quasi benigne oranti intendere, sed tacendo non annuere, ut preces illas suscipiat cum affectu. Job [5] : *Cum invocantem exaudierit me, non credo quod exaudierit vocem meam,* id est, nescio si exaudierit me. Aliquando etiam benigne orantem respicere, et clementer ejus orationibus assensum præbere, et favorabiliter annuere desiderio obsecrantis. Et hæc devotæ mentis confidentia solet esse indicium exauditionis. De qua dicit Dominus [6] : *Qui non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei. Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis.* Jacobus [7] : *Postulet autem in fide nihil hæsitans; qui enim hæsitat, non æstimet quod aliquid accipiat.* Nec tamen statim diffidendum est de exauditione, quando non pro voto succedit oranti : sed *perseverare* debet *pulsando* [8], donec amicus, quasi victus improbitate supplicantis, ei det quod postulat.

CAPUT LXIX, AL. LXVIII.

De formis orantis.

Quandoque petitio nostra uno modo formata hæsitationem facit, quasi non debeat admitti; si aliter formetur, fiduciam exauditionis reportat. Aliquando orans formam assumit servi, Dominum et judicem suum humiliter et timorate ad misericordiam provocando; sicut publicanus ille [9], qui *nec oculos audebat ad cœlum levare, sed percutiens pectus suum, dicebat : Deus, propitius esto mihi peccatori.* Aliquando assumit formam familiaris amici et domestici, et cum reverentia et fiducia rogat, et quasi consulit Domino, ut hoc faciat, vel hoc : exponens rationes vel causas, quare sic decet fieri, vel expediat. Sicut in Genesi [10] Abraham orat pro Sodomitis, et Moyses pro populo Israel, dicens in Exodo [11] : *Ne, quæso, dicant Ægyptii : Callide eduxit eos, ut interficeret in*

[1] Imo Guill. a S. Theodor., *ad frat. de monte Dei*, c. XIV, n. 45, inter apocrypha Bern. — [2] *Matth.*, XV, 26. — [3] *Psal.* LIV, 2. — [4] *Psal.* V, 2. — [5] *Job*, IX, 16. — [6] *Marc.*, XI, 23, 24. — [7] *Jac.*, I, 6. — [8] *Luc.*, XI, 8. — [9] *Luc.*, XVIII, 13. — [10] *Gen.*, XVIII, 23 et seq. — [11] *Exod.*, XXXII, 11, 12.

montibus et deleret de terra. Quiescat ira tua, et esto placabilis, etc. Item in Numeris[1] : *Ne audiant Ægyptii quod occideris tantam multitudinem quasi hominem unum, et dicant : Non poterat introducere eos in terram pro qua juraverat : idcirco occidit eos in solitudine.* Aliquando quasi filius confidens de dilectione paterna, non tam obsecrat, quam imperat patri, ut exaudiat eum, expertam erga se benevolentiam patris allegans, sicut Moyses in Exodo[2] : *Cum dixeris : Novi te ex nomine, et invenisti gratiam coram me : si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te; et respice populum tuum gentem hanc.* Item[3] : *Si inveni gratiam in conspectu tuo, Domine, obsecro ut gradiaris nobiscum, et auferas iniquitates nostras atque peccata, nosque possideas.* Item[4] : *Obsecro, Domine, peccavit populus tuus peccatum magnum : aut dimitte eis hanc noxam, aut si non dimittis, dele me de libro quem scripsisti.* Magna fiducia hominis ad Deum : non rogat se deleri de libro Dei; sed ea fiducia qua præsumit se non delendum de libro vitæ, petit illud remitti, non dubitans se exaudiendum : unde et quod petiit, impetravit.

CAPUT LXX, AL. LXIX.

De utilitate orationis.

Valde autem Deus delectatur in hoc, quod frequenter oratur propter multiplicem orantis utilitatem, scilicet ut Deo indesinenter inhæreat, quod summe est homini utile inter omnia, juxta illud[5] : *Maria optimam partem elegit.* Item, ut Dei beneficia multiplicius experiatur per multarum precum exauditiones. Item, ut abundantiori affectu devotionis in amorem Dei excrescat. Ideo benigne providet nobis plures orandi occasiones, quibus ad orationem sæpius stimulemur, sive pro nobisipsis, sive pro aliis orando, aut pro malis evadendis, aut pro bonis assequendis : ut cum affectus devotionis tepescit ad unum, in alio recalescat, sicut ignis, subjiciendo ligna, quotidie, ne deficiat, restauratur. Leviticus[6] : *Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subjiciens ligna mane per singulos dies, imposito desuper holocausto.* Ignis iste erit perpetuus, qui nunquam deficiet in altari. Tu ergo, Dei Sacerdos, id est, sacris deditus, cum per noctem negligentiæ deprehenderis ignem devotionis in altari cordis tui tepuisse, mane, id est, apparente prima lucis cognitione (*a*), subjice ligna orationis, diversis occasionibus, quasi adjacentibus variis sylvis collecta. Magna sylva, et abunde ligna supplicationum ministrans, sunt peccata propria, quotidiana et antiqua. Magna sylva, negligentiæ nostræ, et miseriæ, et defectus virtutum et gratiarum, et vitia tam spiritualia quam carnalia, et tentationes, et varii eventus quibus pulsamur, et incommoda quæ patimur, vel timemus, vel pro quibus dolemus, tam pro nobis, quam pro aliis quorum miseriis compatimur. Magnæ sylvæ sunt omnia quæ desideramus habere, pro quibus omnibus oramus ut impetremus; similiter omnia beneficia nobis collata, pro quibus gratias agere debemus. Item pro defunctis orare, ut a peccatis solvantur, et pro gloria sanctorum Deum collaudare, multam devotionis materiam, quasi perpetui ignis nutrimenta ministrat, quo superpositi operis holocaustum reddat odorem suavitatis. Affectus enim amoris Dei et sancti timoris, cum fervore bonæ voluntatis, in spiritu humilitatis, et motu pietatis, et gaudio spei, nunquam debet in corde servi Dei extingui. Ista namque sunt in quibus virtus devotionis maxime consistit. Semper enim debet mens Deo dedita per aliquam piam occasionem se assuefacere ad Deum erigere, orando, supplicando, gratias agendo, laudando pro diversis causis se omni tempore

Devotionis ignis perpetua oratione fovendus.

[1] *Num.*, XIV, 15, 16. — [2] *Exod.*, XXXIII, 12, 13. — [3] *Exod.*, XXXIV, 9. — [4] *Exod.*, XXXII, 31. — [5] *Luc.*, X, 41. — [6] *Levit.*, VI, 12.

(*a*) *Bibl. Lugd.* agnitione. *Leg.* luce agnitionis.

offerentibus, juxta illud Lucæ [1] : *Oportet semper orare, et non deficere.* Item [2] : *Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite.* Psalmus [3] : *Benedicam Dominum in omni tempore*, etc. Quanto frequentius quis orat, tanto fiet ei oratio delectabilior et efficacior; et quanto rarius, tanto insipidior et tædiosior; sicut experientia sæpe docet. Videmus autem quandoque sæculares, adhuc in statu peccati positos, ex multo orationis usu magna devotionis plerumque perfundi dulcedine, quæ licet ex veræ charitatis radice non profluat, ostendit tamen Deus per hoc quam paratus sit justis gratiam infundere, si non negligant quærere, qui adhuc in peccato positis, sed per orationis studium ejus se familiaritati quoquo modo applicantibus, suæ dulcedinis experientiam non abscondit. Quid erit fidelibus amicis, si sic se dulcem quandoque Deus exhibet adhuc inimicis? Nehemias [4] : *Manna tuum non prohibuisti ab ore eorum :* de quibus præmittit quod fecerunt vitulum sibi, et adoraverunt. Quid ergo religiosi excusationis habent prætendere, qui divinæ dulcedinis expertes sunt, quam etiam sæcularibus, si studiose quæsierint, videmus non negari? Unde beatus Bernardus [5] : « Arguit nos pro certo negligentiæ et incuriæ ipsa inopia nostra. » Sicut favus sine melle, et murus absque temperamento, et cibus sine condimento, ita vita religiosi sine studio internæ devotionis. Quamvis plurimi temporibus istis non solum non sentiant, sed neque curant, nec desiderant, nec quærunt, imo nec credunt, sed irrident, et persequuntur in aliis devotionis gratiam; tamen scire debent, quod omnis religio arida est et imperfecta, et ad ruinam pronior, quæ spiritum divinæ suavitatis non quærit, quæ præcipuum conamen ad orationis studium et internæ puritatis non impendit, in quo expressissime [6] *Spiritus sanctus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei.* Austeram vitam corporalis exercitationis, quasi ad modicum utilem, despicimus, et ardua pietatis opera actualiter non habemus, sicut olim sancti, qui pro fratribus animas posuerunt, et similia magna gesserunt. Item sublimia virtutum exercitia pauci habemus : ut eximiæ obedientiæ, perfectæ patientiæ, humilitatis præcipuæ, et paupertatis extremæ. Si ergo istis caremus, et adhuc orationis studium postponimus, in quo gloriari de nostra religione poterimus, nisi forte de solo nomine et exteriori habitu, et verbis Scripturæ, quæ in foliis et in ore magis, quam in affectu et opere gestamus? Sed [7] *nisi abundaverit justitia vestra*, ait Dominus, *plusquam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Pharisæi in exteriori apparentia et religionis nomine tantum gloriabantur; Scribæ autem in verbis Scripturæ sibi laudem et nomen magisterii acquirebant. *Qui* autem [8] *tantum verba sectatur, nihil habebit :* et qui omnia opera sua facit ut videatur et laudetur ab hominibus [9], mercedem non habebit apud Patrem qui in cœlis est [10]. Qui orationis studio vult intendere, assuescat primo aliquando orationi vacare; deinde sæpius ad orationem recurrere; deinde in oratione persistere diutius; tandem frequenter quantumlibet in oratione incumbere, nec pro fastidio vel levitate desistere, nisi quando corporis debilitas, vel urgens necessitas, vel rationabilis utilitas inde avocat : et iterum revertatur in idipsum, ne per diutinam abstractionem redeat in desuetudinem orandi, et refrigescat affectus. Percurrat quoque singulos modos orandi, et diversis modis suas petitiones formet, et diversas petitiones attentet : ut tandem in aliqua devotionis affectum concipiat, et illi, quandiu sibi sapit, inhæreat. Si autem debilitas capitis vel corporis impedit, tunc brevius et sæpius oret, et evagationes mentis cohibeat, et sensus exteriores sub disciplina retineat, et Dei auxilium ad singula humiliter invocet, et patienter, si pro suo voto

Absque spiritu devotionis et suavitatis, ad quam ducit oratio, omnis imperfecta religio.

Qua ratione studium orationis acquiratur.

[1] *Luc.*, XVIII, 1. — [2] I *Thess.*, V, 17. — [3] *Psal.* XXXIII, 2. — [4] II *Esdr.*, IX, 20. — [5] Bern., *in Cant.* — [6] *Rom.*, VIII, 16. — [7] *Matth.*, V, 20. — [8] *Prov.*, XIX, 7. — [9] *Matth.*, XXIII, 5. — [10] Ibid., VI, 5.

non succedit, assidue sustineat. Ipsa quoque quandoque retardatio proficiendi est via perfectionis, dum humiliat. Et ideo Deus pie cursum nostrum temperat, ut longius procedat, et per hoc melius a superbia defendimur : quia sæpe nimia proficiendi securitas, et fervor continuatus, vires corporis exhaurit.

CAPUT LXXI, AL. LXX.

De retrahentibus a profectu sive salute.

Tria sunt quæ maxime a profectu retrahunt, non solum perfectionis, sed etiam salutis, sicut in pluribus experimur : scilicet remissa voluntas, horror difficultatis, diffidentia de auxilio gratiæ divinæ. Remissa voluntas vult bonum, sed sine conatu laboris; et ideo consuetudo levitatis cito retrahit eam a proposito proficiendi. Ideo pigra voluntas seipsam rationis instinctu cogere debet, et quasi pigrum animal stimulis timoris Dei et spe præmii agitare, et violenter impellere. Horror difficultatis per discretum et assiduum mitigatur et vincitur usum. Gratia Dei, sicut adest incipientibus, ita non deerit proficere studentibus : et utilius est nobis semper timere, ne forte subtrahatur nobis, ut tanto studiosius eam conservare laboremus, quam si certi essemus quod non perderemus : quia tunc negligentius eam recuperaremus, et minus proficeremus. Timor enim facit sollicitum et agilem, et securitas plerumque desidem et torpentem. Dominus noluit filiis Israel dare manna simul cum tanta quantitate, ut pluribus diebus sufficeret, sed ut singulis diebus colligerent [1], excepto sabbato : designans quod quotidie panem gratiæ et cibum animæ petere debemus, dicentes [2] : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie :* et qui dat hodie, cras quoque dare paratus est : tantum non negligamus petendo colligere, quantum sufficit ad salutis profectum. Cum in oratione te sentis exauditum, et id quod petieris esse impletum, noli extolli, quasi pro sanctitate tua te Deus exaudierit, et pro tui dilectione fecerit quod rogasti ; sed cogita quod pro sua bonitate id facere per se disposuerit, vel aliorum bonorum preces potius attenderit : et gratias age Deo, qui te suæ dispositionis cooperatorem habere, et aliorum suorum amicorum orantium in hoc participem facere dignatus est, ut in orationis actu et pietatis affectu merearis exaudiri, et in exauditionis fiducia consoleris, et ex petitionis tuæ impletione lætificeris, et ex his crescas in amore Dei, qui benigne procurat nobis occasiones quibus ad orationis præsidium compellimur, ut imminentes molestias evadamus ; vel bona desideria inspirat, quæ orando compleri postulamus : ut cum rogatus exaudierit, magis ametur a nobis, et tanto sollicitius ejus voluntati parere studeamus, quo eum nostris desideriis pie et prompte favere et obedire videmus.

Voluntas remissa.

Horror difficultatis

[1] *Exod.*, XVI, 26. — [2] *Luc.*, XI, 3. — [3] *Isa.*, I, 15. — [4] *Joan.*, X, 31. — [5] *Isa.*, LIX, 2. — [6] *Jerem.*, XXIX, 12. — [7] *Luc.*, XI, 8. — [8] *Judith*, IX, 12.

CAPUT LXXII, AL. LXXI.

De causis quare non exaudiuntur orantes.

Causæ autem quare non exaudiuntur orantes, plures sunt : aut ex meritis culparum orantis : in Isaia (*a*) [3] : *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam.* Et causam subjungit : *Manus vestræ sanguine plenæ sunt,* id est, peccato. In Joanne (*b*) [4] : *Scimus quia peccatores Deus non audit.* In Isaia (*a*) [5] : *Peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret.* Aut ex tepore orandi, quia non ferventer et devote oramus : in Hieremia (*c*) [6] : *Orabitis, et exaudiam vos, cum quæsieritis me in toto corde vestro;* quasi dicat : Non aliter. Aut quia non perseverat in orando, donec obtineat : in Luca (*d*) [7] : *Si perseveraverit pulsans, propter improbitatem ejus surget, et dabit ei.* Judith [8] : *Scitote quoniam exaudiet*

(*a*) *Cæt. edit.* Isaias. — (*b*) Joannes. — (*c*) Hieremias. — (*d*) Lucas.

preces vestras, si permanseritis. Aut ex diffidentia exauditionis: Jacobus[1]: *Qui enim hæsitat, non æstimet quod aliquid accipiat.* Ecclesiasticus[2]: *Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum,* scilicet si velit audire. Aut quia nocivum vel indiscretum est quod petitur: sicut filii Zebedæi, in Matthæo (*a*)[3]: *Nescitis quid petatis.* Jacobus[4]: *Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis.* In Deuteronomio (*b*)[5]: *Cum ploraretis coram Domino, non audivit vos, neque voluit acquiescere voci vestræ.* Aut ut magis ad petendum quis provocetur; Gregorius[6]: « Sancta desideria dilatione crescunt. » Aut ut tanto cautius custodiatur acceptum, quo difficilius impetratur; Chrysostomus[7]: « Deus ad hoc beneficium suum protrahit, ut non sit nobis vile quod donat. » Aut ut humilietur orans, dum tardius exauditur: et sic duo bona proveniunt, videlicet ut insolens reprimatur elatio; et tamen petitionis non cassetur effectus. Aut ut in aliud tempus exauditio differatur magis congruum et utile petenti: sic Moyses gloriam Dei sibi ostendi petivit[8], quam non tunc, sed postea meruit videre. Aut ut aliorum etiam suffragiis quærat juvari, ne forte ardua petitio, vel præsumptio, eum reprimat: sicut Ezechias[9] misit ad Isaiam, ut oraret pro se et pro populo; et Josias[10] ad Holdam Prophetissam. Item ad Romanos[11]: *Obsecro ut juvetis me in orationibus vestris, ut liberer ab infidelibus qui sunt in Judæa.* In Matthæo (*a*)[12]: *Si duo ex vobis consenserint,* etc. Aliquando, etsi negatur unum quod forte minus expedit, pro eo datur aliud utilius et melius, ut Paulo, cui *stimulus carnis*[13] non est ablatus, ut *virtus in infirmitate perficeretur* in eo. Utilior sæpe est exercitatio tribulationis, quam quies prosperitatis, licet hanc plus optemus. Ex his per contrarium potest adverti, quæ valeant ad exauditionem orationis, id est, culpæ remotio, fervor et instantia, fidei confidentia, humilitas, et aliorum suffragia, et acceptæ gratiæ cum gratiarum actione studiosa conservatio, et ut ea tantum petantur a Domino, quæ ipse novit magis expedire, et quando.

[1] *Jac.*, I, 6. — [2] *Eccli.*, XVIII, 23. — [3] *Matth.*, XX, 22. — [4] *Jac.*, IV, 3. — [5] *Deut.*, I, 45. — [6] Greg., *in Evang.*, hom. XXV, n. 2. — [7] Chrysost., *in Genes.*, hom. XXX, n. 5. — [8] *Exod.*, XXXIII, 13. — [9] IV *Reg.*, XIX, 15; *Isa.*, XXXVII, 15. — [10] IV *Reg.*, XXII, 14. — [11] *Rom.*, XV, 30. — [12] *Matth.*, XVIII, 19. — [13] II *Cor.*, XII, 7-9.

(*a*) *Cæt. edit.* Matthæus. — (*b*) Deuteronomium.

CAPUT LXXIII, AL. LXXII.

De specialibus orationibus.

De specialibus autem orationibus, quas quidam habere solent, utrum expediat eas dici certis horis vel diebus. Nota quod quibusdam magis expediunt, et quibusdam minus. Incipientibus, et rudibus hominibus, et affectu devotionis necdum imbutis magis expediunt: ut saltem consuetudo moveat ad orationis studium, ne semper vagi circa exteriora, a Deo fiant alieni, et frigidi torpeant, et nunquam aliquo devotionis igne calescant. Devotionis autem affectu imbuti, et amplioris cum Deo familiaritatis gratia sublevati, si nimis psalmorum et similium orationum multiplicationibus intendunt, et spiritum obruunt, devotionem impediunt, cordis libertatem quasi quodam pondere prægravant, dum melioribus oblatis, minus pro illo tempore utilibus scrupulosius inhærent. Utuntur tamen et ipsi plerumque hujusmodi orationum sublevamento, quasi quodam afflatu, donec flamma devotionis accensa verborum follibus non indigeat, purius per se flagrans, et tranquillius in sublime extollens. Et iste modus videtur expeditior: ut speciales orationes tunc ex bona consuetudine ruminentur, quando major non habetur devotio; quando vero supervenit melior devotionis infusio, vel utilior, vel plus urgens occupatio, consuetæ intermittantur orationes, ad quas quis non tenetur, donec tempus redeat opportunum. Quales autem orationes sunt utiliores? puto non posse super hoc uniformem dari

regulam : sicut de cibis corporis diversa diversis conveniunt, cum modo illud magis delectet edentem, modo aliud. Sed hoc videtur tunc esse fructuosius, quod orantem magis secundum Deum delectet, et devotionis spiritum promptius excitet, et mentis fiduciam erigat in Deum. Omnis ergo orationis fructus et finis est Deo inhærere, et unum cum eo spiritum fieri per liquefactionem purissimi amoris, et speculationem serenissimæ cognitionis, et absconsionem in Dei vultu ab omni mundanorum strepitu, per excessum quietissimæ fruitionis, ubi omnes vires animæ et potentiæ, a suis dispersionibus simul collectæ, et in unum verum, et simplicissimum, et summum bonum fixæ, in quamdam divinæ conformationis et æternæ stabilitatis similitudinem transformantur. Sunt quidam inferiores gradus, quasi scalares ascensus, quibus paulatim proficit anima, et illi fini propinquat. Primo enim assuescit dispersiones memoriæ, quibus per diversa mundi oblectamenta et implicamenta distracta vagabatur, per usum orandi colligere, et in unum bonum defigere : quod est finis omnium desideratorum et delectabilium. Sed quia adhuc memoria lubrica et instabilis, eo quod multis et multiformibus rebus diu adhæsit, quærens in quibus delectaretur, vel curiose occuparetur, non stabiliter valet inhærere divinis, vel propter evagandi consuetudinem, vel propter tenuem spiritualium notitiam : ideo utitur sustentaculo verborum in oratione, quæ Spiritus sanctus ad hoc inspirando hominibus ministravit, ut per ea, more parvulorum, quasi baculis sustentati, assuescant assurgere et erigere se ad Deum. Et hoc fit, cum homo conatur verbis orationum et psalmorum intendere, et intellectum spiritualem ex eis elicere, et devotionis affectum exprimere; sicut qui ex duro silice et ferro ignem excutit, qui illuminet et accendat. Si per assiduum usum orandi, cum adjutorio gratiæ Dei, quæ studiosis proficiendi semper subvenire parata est, memoria aliquando perficitur et stabilitur : jam sine gravi difficultate valet orationi intendere, et evagationes mentis faciliter cohibere, juxta illud Psalmi [1] : *Ædificans Jerusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit.* Intelligentia etiam, quæ prius quasi cæcutiens fuit exterioribus et visibilibus involauta, incipit dilatari, et illustrari, ad videndum quæ prius non videbat. Velut qui cubiculum deforis veniens subintret : primo quasi nihil videns impingit in parietes et scabella; deinde paulatim incipit agnoscere grossiora, et tandem clare videt etiam minima, ita quod etiam miratur supervenientes non plane videre omnia, quæ sibi jam sunt manifesta. Et hac illustratione dilatatur ad multa cogitanda, et alia colligit ex ratione, alia ex spirituali intelligit illuminatione, alia discit ex divina revelatione, et confert illa cum his, quæ apprehendit ex humana eruditione, et imbibit ex sacra lectione; et consolatur non modicum, quod videt alios eruditos et sanctos eadem sensisse, quæ ipse Spiritu sancto illustratus intellexit. Ex quo securus redditur, quod non ab alieno spiritu, vel a proprii sensus opinione seducatur : cum eumdem spiritum sentit in se esse locutum, quem et in prioribus sanctis. Caute tamen et humiliter in talibus est agendum : ne forte ex præsumptionis culpa homo decipi mereatur, et pro spiritu veritatis sequatur spiritum erroris, credens Spiritum sanctum loqui quod est proprii cordis opinio, vel immissio per angelum malum, qui [2] *sæpe transfigurat se in angelum lucis*, persuadens falsa sub veritatis colore. Joannes [3] : *Nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus, si ex Deo sint.* Nihil recipiendum est, quod ab ecclesiasticorum doctrina magistrorum, et approbatorum theologorum traditione dissonat; nec revocandum in dubium, quod ab eis universaliter cum testimoniis sanctorum Patrum

Oratio- s fruc- s et fi- s.

Simile elegans.

A recepta theologorum catholicorum traditione non recedendum.

[1] *Psal.* CXLVI, 2. — [2] II *Cor.*, XI, 14. — [3] I *Joan.*, IV, 1.

fuerit rationabiliter definitum : quia, veritate reperta, qui curiose per supervacuam subtilitatem altius perscrutando fodere nititur profunda Scripturarum, quasi novi aliquid reperturus, quod ab aliis non fuerit inventum, vanitatem diligens, mendacium quærit. Et quia Deus summe suavis et bonus est, et omnia quæ ab ipso fluunt sapida sunt et bona : ideo cum intellectus cœperit in agnitione veri dilatari, statim etiam gustus animæ, hoc est interior affectus, incipit quodam spirituali sapore in cognitis delectari. Et sic quod in solo intellectu fuerat scientia, accedente sapore affectus, dicitur sapientia, id est, sapida scientia : scientia est ex cognitione veri; sapientia, ex adjuncto amore boni. Licet enim omnes animæ affectiones suos habeant proprios sapores, id est, motus sibi convenientes, amor tamen, quasi principalis, suo motu omnes alios informat : maxime cum ipse ad summum et verum bonum debito modo fuerit conversus : qui natus est nihil solidius amare, quam summum bonum. Omnia alia, quæ propter id non diligit, tentando magis, quam in eis quiescendo, diligit : et ideo cito per satietatem ei in fastidium vertuntur, et rursum alia quærit, si forte vel in aliis quiescat; sed non invenit, nisi attingat summum bonum : quod cum attigerit quasi in debito fine suo quiescit : et tunc reliquæ affectiones debitos motus suos exercent, juxta ipsius amoris mensuram. Quantum enim amas quodcumque bonum, tantum gaudes de ejus adeptione. Et quantum speras, vel quantum cupis illud adipisci, tantum times vel odis id, quod posset, id quod amas, tibi auferre. Et quantum doles de non habito, tantum pudet de contrario, si quod diligis sit honestum. Quandiu autem amor contrarios sentit affectus, id est, timoris, doloris, pudoris, et odii; tunc minor est in se et debilior, et quasi distractus, et nondum totus in se collectus. Etiam cum adhuc spei locus est, nondum perfectus potest esse, dum non habet quod amat in fruitione, sed tantum in expectatione : quantoque expectatio incertior, tanto et amor tepidior sequitur. *Cum autem venerit quod perfectum est* [1], *tunc evacuabitur quod ex parte est :* quia fruitionis gaudium erit perfectum, cum amor, quæ cupit, jam tenuerit, nec amittere ultra timuerit, nec de contrario aliquid inesse sibi senserit, quod vel pudendum sit, vel dolendum. *Perfecta* enim [2] *charitas foras mittit timorem*, cum jam nullam in se habuerit materiam odii, vel causam erubescentiæ, vel doloris. Quanto ergo charitas magis augetur, tanto et aliæ virtutes, et virtuosæ affectiones, amplius purificantur, quousque omnes in eam solam transformentur : ut jam non sit timor vel dolor, spes vel pudor, sed tantum suo (*a*) gaudio fruens (*b*) amor, et illi bono tenaciter inhærens, quod solum sufficit animæ desiderium adimplere, et ipsum amore (*c*) ejus in se potenter transformare : ut jam agnoscat sicut et cognita est, et amet sicut amata est, quamvis non quantum amata est : ut sit similitudo, non æqualitas. Nulla creatura tantum potest amare Deum, sicut amata est ab ipso; sed tantum sicut accepit ab ipso. Deus enim, sicut est causa omnium causarum, ita et diligit omnia in seipso et propter seipsum. Et ideo sicut ejus cognitioni nostra non approximat, ita et amor noster ejus amori non poterit comparari nec in patria; quanto minus in via, ubi multipliciter distractus, vix vel nunquam potest se colligere ad se, ut totus simul feratur in Deum. Proficit autem homo Deo deditus in studio inhærendi Deo sic, ut primo cum labore mentis evagationes comprimat, et ad Deum colligat. Deinde, ex usu studii istius, facilius jam cor suum cohibere, et secum habitare discit, juxta illud Exodi [3] : *Maneat unusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur ostium domus suæ die sabbati, et sabbatizabit populus.* Tandem non solum faciliter, sed et

Sapientia, sapida scientia.

[1] I *Cor.*, XIII, 10. — [2] I *Joan.*, IV, 18. — [3] *Exod.*, XVI, 29-30.

(*a*) *Al.* summo. — (*b*) *Al.* fervens. — (*c*) *Al.* amorem.

delectabiliter Deo valet inhærere : ut avulsio ab hujus quiete sit ei desolatio, aut tribulatio non modica; sed semper vellet, si posset, talibus deliciis inhærere. In Deuteronomio (*a*) [1] : *Amantissimus Domini habitabit in eo confidenter, quasi in thalamo tota die commorabitur, et inter humeros illius requiescet.* Sunt tamen gradus et profectus in hac commoratione. Primo, ut delectabiliter Deo inhæreat, et invitus avellatur ab eo, sicut parvulus a matre blandiente, vel famelicus a cibo invitus separatur. Nec mirum : spiritualis enim jucunditas non solum delectabilis est fruendo, sed etiam pulchra et honorifica inhærendo, et promerendo delectat, honestat, et locupletat. Suavis est gustus cœlestium deliciarum, honorabilis amicitia Dei, et civium familiaritas supernorum, fructuosa charitas, et meritoria sublimium præmiorum. Omne quod appetitur, propter istorum trium aliquid desideratur : vel quia putatur delectabile, vel honorabile, vel utile; sed in quo omnia simul et plene conveniant, non invenitur, nisi in fructibus spiritualium deliciarum. Alia autem aut delectant, et turpia sunt et nociva; aut honesta vel utilia, sed difficilia et laboriosa. Virtutis autem affectus, et sapientiæ gustus, et divinæ suavitatis fruitio, dulcis est et venerabilis, et conscientiam lætificat et magnificat. Unde Psalmus [2] : *Gustate quoniam suavis est Dominus*, etc. Sed cum Sponsi amplexibus anima devota inhianter inhæret, incipit inter ejus brachia aliquo modo consopiri, sicut potatus nobili vino in soporem resolvitur : ut non solum delectabiliter, sed etiam tenaciter Deo inhæreat, et quasi vi quadam abstrahatur ab omni visibili sensu et memoria : sic tamen temperate, ut nec plene suimet oblita, nec tamen vere compos sit sui. Unde Psalmista [3] : *Si dormiatis inter medios cleros*, id est, inter medios terminos mundi et cœli. Item in Canticis [4] : *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Est enim talis iste somnus, sicut illorum qui incipiunt dormitare, et videntur tamen sibi ea quæ circa se fiunt aliquo modo sentire et intelligere; sed præ sopore non advertunt, nisi velint sibi vim facere, ut ad se plenius revertantur. Amor enim Dei cum pura intelligentia conditus inebriat mentem, et ab exterioribus abstractam sua virtute Deo conglutinat et conjungit; et quanto amor vehementior et intelligentior et lucidior, tanto validius mentem in se rapit, quousque tandem omnium, quæ sub Deo sunt, plene oblita, in solo divinæ contemplationis radio libere figatur, licet breviter, velut in quodam corusco luminis cœlitus emicantis, quia [5] *corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa simul cogitantem.* Sensus enim hominis per se pauca potest, et vix tenuiter cogitare. Sublevatus autem affectu superni luminis, tanto plura simul intuetur, quanto supra se sublimius elevatur. Sed corruptio terreni corporis, et variæ hujus vitæ occupationes, deprimunt animam, et revocant ad se ipsam, ut gemens clamare cogatur cum Apostolo ad Romanos [6] : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Item cum Propheta [7] : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Quanto plus mens sollicita est ad ista inferiora cogitanda, et humana meditanda, tanto plus a superioribus et cœlestibus devotionis intuitu (*b*) elongatur; et quanto ferventius ab inferiorum memoria, affectu et intellectu ad superna sustollitur, tanto perfectior est devotio et purior ejus contemplatio : quia simul perfecte non potest utrisque esse intenta, quæ ab invicem sicut lux et tenebræ sunt divisa. Qui Deo inhæret, in lumine versatur; qui mundo inhæret, in tenebris est. Hæc est hominis in hac vita sublimior perfectio, ita inhærere Deo, ut tota anima, cum omnibus potentiis suis et viribus, in Deum collecta, unus fiat spiritus cum eo, ut nil meminerit nisi Deum,

Amor Dei mentem inebriat.

Perfectio hominis in hac vita.

[1] *Deut.*, XXXIII, 12. — [2] *Psal.* XXXIII, 9. — [3] *Psal.* LXVII, 24. — [4] *Cant.*, V, 2. — [5] *Sap.*, IX, 15. — [6] *Rom.*, VII, 24. — [7] *Psal.* CXIX, 5.

(*a*) *Cæt. edit.* Deuteronium. — (*b*) *Leg.* intuitus.

nil sentiat vel intelligat nisi Deum, et omnes affectus in amoris gaudio uniti, in sola Conditoris fruitione suaviter quiescant. Imago enim Dei in anima, in tribus ejus potentiis expressa consistit, scilicet in ratione, memoria, et voluntate : quandiu istæ non sunt ex toto Deo impressæ, non est anima deiformis. Forma enim animæ Deus est, cui debet imprimi sicut sigillo signatum. Hoc nunquam plene fit, nisi cum ratio perfecte juxta capacitatem suam illuminatur ad cognitionem Dei, qui est summa veritas, et voluntas perfecte afficitur ad amandum summam bonitatem, et memoria plene absorbetur ad intuendam, et tenendam, et fruendam summam felicitatem : et quia in eorum consummata adeptione constat gloria beatitudinis, quæ perficietur in patria, liquet quod istorum perfecta inchoatio, est perfectio viæ in hac vita. Quamvis autem omnes virtutum conatus ad hanc perfectionem tendere videantur, tamen specialiter orationis studium ad hoc nititur, ut anima toto intellectu, et affectu, et memoria in Deum feratur, quia, aliis postpositis, soli Deo anima inhærere desiderat cum oratione. Unde orationis perfectio est, cum id obtinet anima, ad quod orando tendit, ut tota ab infimis abstracta, solum uniatur divinis : nec volens, nec valens aliud sentire, nisi Deum. Ibi vere quiescit anima, ibi deliciatur in splendore lucis, in amœnitate divinæ dulcedinis, et in securitate pacis. Hæc autem spiritualis amœnitas non potest per aliquas imaginabiles describi similitudines, nec per sensibilium depingi comparationes : quia pure spiritualia tantum differunt a sensibilibus, sicut et spiritus a corpore. Spiritus vero rationalis nec corpus est, nec corporis similitudo. Circa vero hunc contemplationis excessum sunt diversæ devotionum species, quas brevitatis causa prætereo, quibus vel Scriptura, vel Scripturæ tractatores diversa nomina imposuerunt : ut jubilum, ebrietas spiritus, spiritualis jucunditas, liquefactio, etc., quæ expertis et vacantibus explananda relinquo : aliqua tamen breviter tangam illorum. Et quia jubilum usitatum nomen habet ex Scriptura, videtur quod jubilum sit quoddam spirituale gaudium cordi repente ex aliqua devota cogitatione vel collatione infusum, quod cor totum concutit ex sui vehementia, et quodam tremore commovet, et delectabiliter cruciat : quia motus (*a*) gaudii consolatur, sed ex impetu fortitudinis corpus debilitatur : et aliquando per risum, aliquando per quosdam clamores, aliquando per aliquos gestus et singultus quasi evaporando erumpit, non valens se intra se tacitum continere. Gregorius [1] : « Jubilum namque dicimus, quando ineffabile gaudium mente concipitur, quod nec abscondi possit, nec sermonibus aperiri; et tamen quibusdam motibus proditur, quamvis nullis suis proprietatibus exprimatur. » Unde Psalmus [2] : *Beatus populus qui scit jubilationem.* Non ait : Qui dicit, sed *qui scit :* quia sciri quidem jubilatio potest, sed dictu exprimi non potest. Ebrietas spiritus potest dici quælibet magna amoris et gaudii devotio, ex qua, quasi ex vini fortitudine, fervor spiritus exhilarescit, quod se intra se cohibere non valet. Unde Apostoli sancti Spiritus fervore æstuantes, *musto pleni* [3] dicebantur. Job [4] : *Venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas dirumpit.* Novas dicit, non veteres : vel quia veteribus cordibus non infunditur talis devotio, sed novis, in novitate vitæ ambulantibus; vel novas dicit, propter fortitudinem impetus spiritus, qui si novas dirumpit, quanto magis veteres, id est, fragiliora corda et infirma? vel novas dicit, quia talis fervor spiritus, novis et nondum exercitatis mentibus nuper infusus, minus se valet cohibere, quin erumpat per inusitatos gestus, vel voces, vel singultus, sicut vinum novum in vase ebullit, quod invete-

Orationis perfectio.

Devotionum contemplationis species diversæ.

Jubilum

Ebrietas spiritus

[1] Greg., *Moral.*, lib. XXIV, c. v, al. VI, n. 10. Vid. etiam, lib. XXVIII, c. VII, al. XV, n. 35. — [2] *Psal.* LXXXVI, 16. — [3] *Act.*, II, 13. — [4] *Job*, XXXII, 19.

(*a*) *Leg.* motu.

ratum quiescit. Quandoque etiam corpus quasi obrigescit, et membra inhabilia et inflexibilia fiunt ex subita fervoris et suavitatis influentia : et hoc potest esse, quia spiritus omnes accenduntur affectu cordis inflammato, quia extensione terminorum (*a*) et obstructione viarum spiritualium membra amittunt habilitatem officiorum suorum, ut lingua loquelæ, manus operationum, et pedes et crura gradiendi : quousque fervor iterum remittatur, et viæ spirituum apertæ fiant ut prius. Nec mirum, si hæc affectiones divinæ possunt efficere, quarum virtus fortior est, cum etiam humanæ affectiones hæc interdum valeant, ut subitus terror, et immoderata lætitia, et subitus dolor, et odium immensum, et intemperatus amor : sicut sæpe compertum est, etiam in ecstasim, et in stuporem, vel in phrenesim aliquos ex hujusmodi raptos esse, et membra in rigorem vel tremorem versa, vel etiam febres ex vehementi molestia incidisse. Quid etiam mirum, si ex magna spiritus hilaritate, quam Spiritus sanctus cordi infundit, aliquando erumpat in aliqua aperta hilaritatis indicia, vel si quandoque singultibus et fletibus apertis imperare non valeat, et hujusmodi internæ devotionis motus abscondere, cum videamus sæpe aliquos, ex stulta levitate, a risu et insolentibus cachinnis non posse se cohibere, etiam ubi pudor humanus imperat disciplinam, et aliquando ex humana tristitia oborto fletui non potest homo, quamvis libenter faceret, imperare? Cum enim scriptum sit [1] : *Deus noster ignis consumens est*, et [2] : *Deus charitas est*; quid mirum, si fervor divinæ charitatis cordi infusus totum hominem commovet, sicut si vitro fragili, et vasi fictili, bullientem liquorem vel ignem ardentem infundas, crepitationis fragorem concitas? Cor namque divini amoris gaudio, vel divinæ fruitionis inflammatum desiderio, in se dilatatur et extenditur, et quasi intra angariam pectoris se capere non sufficiens, quodammodo erumpere conatur, ut flammam, quam intus patitur, foras eructet, et ardoris sui refrigerium qualecumque inveniens evaporet. Quod cum non potest, vel humano pudore non audet, mirabiliter in semetipso cruciatur, et corpus valde ex talibus motibus debilitatur : quia virtus divinæ dulcedinis intolerabilis est imbecillitati terreni corporis, sicut ignem vitro immittas. Unde legimus sanctos ex divinis visitationibus vel revelationibus corruisse, et viribus emarcuisse. Daniel [3] : *Vidi visionem hanc grandem, et non remansit in me fortitudo, et emarcui, nec habui quidquam virium, et jacebam consternatus super faciem meam*, etc. In Threnis [4] : *De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me.* Ideo Spiritus sanctus in igne super Apostolos venit [5] : quia virtus amoris divini sicut ignis illuminat et inflammat. Spiritualis jucunditas dici potest gaudium quoddam in Spiritu sancto, quod a Spiritu sancto infunditur, quo gaudet animus in Deo, sive pro perceptis divinis beneficiis, vel promissis. Et licet aliqui putent spiritualem esse lætitiam, cum aliquando inter se jucundi sunt, tamen sciant quod spiritualis lætitia sicut caret amaritudine tristitiæ sæculi et acediæ torpore, ita et dissolutionis levitate. Spiritualis enim lætitia dupliciter accipitur: specialiter, et generaliter. Specialiter, et tunc est motus spiritualis specialis gaudii in Spiritu sancto ex intuitu beneficiorum Dei, et futuræ gloriæ, et bonitatis divinæ. Generaliter, et tunc est quædam mentis hilaritas ex bona confidentia ad Deum, et bonæ conscientiæ testimonio, reddens hominem benevolum et devotum ad omnia agenda et sufferenda pro Deo, et omnia, quæ Dei sunt, diligenda et promovenda. Ideo bis dicit Apostolus ad Philippenses [6] : *Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete :* primo, generaliter; secundo, specialiter. Liquefactio autem animæ aliud non videtur esse, nisi quædam

Spiritualis jucunditas.

Liquefactio.

[1] *Deut.*, IV, 24. — [2] I *Joan.*, IV, 8. — [3] *Dan.*, X, 8. — [4] *Thren.*, I, 13. — [5] *Act.*, II, 3. — [6] *Philip.*, IV, 4.

(*a*) *Al.* Nervorum. — (*b*) *Cæt. edit. omis.* in.

emollitio a sua duritia, per quam flexibilis redditur et voluntaria ad amandum se amantem Deum, et liquescens ad recipiendum divinæ virtutis impressiones : ut sicut liquor liquori, ita Spiritus Dei spiritui hominis influens misceatur, et unus fiat anima spiritus cum Deo.

CAPUT LXXIV, AL. LXXIII.

De septem generibus devotionum, sive compunctionum.

Cum autem multa videantur esse devotionum genera, vel compunctionum, possunt tamen in septem distingui differentias maxime singulares, juxta affectionum varietates. Aut enim surgit devotio ex timore, aut ex dolore, aut ex desiderio, aut ex compassione, aut ex amore, aut ex gaudio, aut ex admirationis stupore.

1. Ex timore. Ex timore, ut cum quis compungitur timore futuri supplicii, vel cum timet a Deo derelinqui propter demeritum peccatorum suorum, dicens Deo [1] : *Ne projicias me a facie*, etc. [2] *Ne derelinquas me, Domine Deus*, etc.

2. Ex dolore. Ex dolore, cum dolet se offendisse Deum, et gratiam ejus amisisse; vel cum dolet se tam parum profecisse, et tam parvi esse meriti apud Deum, et in tantum oculis Dei displicere. Psalmista [3] : *Averte faciem tuam a peccatis meis*, etc.

3. Ex desiderio. Ex desiderio, cum suspirat et anhelat ad gratiam ampliorem virtutum, et ad familiaritatis divinæ suavitatem, et ad Christi præsentiam in cœlo, vel ad alia sancta desideria adimplenda. Psalmista [4] : *Domine, ante te omne desiderium meum*, etc. Isaias [5] : *Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desideravit te in nocte*, etc.

4. Ex compassione. Ex compassione, cum Christo passo pie compatitur, et *gladius* ille [6] animam Deo fidelem transverberat et vulnerat, qui Mariæ matris ejus *animam* totaliter *pertransivit;* aut cum proximorum incommodis et animarum periculis compatitur, et zelus domus Dei, et injuriæ Deo illatæ comedunt eam, nec sinunt eam dormire somno dissimulationis, quin contristetur ad singulorum scandala, et torqueatur ad singulorum calamitates. Job [7] : *Flebam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi.*

5. Ex amore. Ex amore divino, cum recolit quam benigne secum egerit, et quanta sibi beneficia indigno et immerito contulerit; vel cum pensat generalia beneficia omni humano generi impensa, per incarnationis et passionis beneficia, et sacramenti altaris, et Spiritus sancti sacrosancta charismata; vel cum ipsius Dei ingenitam intuetur bonitatem, quæ tanta est, sicut ejus immensitas et æternitas, quæ nec mensuram habent, nec finem : et ideo sine mensura diligendus est. Et sic amore Dei nihil potest esse delectabilius, nil honorabilius, nil utilius. Per hanc affectionem dilectionis Dei, singulariter Spiritus sanctus [8] *testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* De hac specialiter dicitur [9] : *Qui diligit Deum, hic cognitus est ab eo;* et [10] : *Ego diligentes me, diligo.* Cognosci a Deo et diligi, est ab eo approbari. Amor Dei est omnium affectionum bonarum condimentum : et tanto plus sapiunt Deo cæteræ virtutum affectiones, quanto plus de hoc habuerint condimento : nec potest esse virtus vel devotio, quæ ex amoris Dei radice non pullulat.

6. Ex gaudio. Ex gaudio surgit devotio, cum exultat in Domino, memor beneficiorum ejus; vel cum, in spe gratiæ ejus, confidit se esse de numero salvandorum; vel congratulatur saluti et profectui proximorum; vel cum in exultatione spiritus congaudet gloriæ beatorum, et mente perambulat cœlestis patriæ varias mansiones : ex quibus omnibus cor exhilaratur, et quasi jucunda volucris, quandoque clauso pectore ludit in jubilo et

[1] *Psal.* L, 13. — [2] *Psal.* XXXVII, 22. — [3] *Psal.* L, 11. — [4] *Psal.* XXXVII, 10. — [5] *Isa.*, XXVI, 8, 9. — [6] *Luc.*, II, 35. — [7] *Job*, XXX, 25. — [8] *Rom.*, VIII, 16. — [9] I *Cor.*, VIII, 3. — [10] *Prov.*, VIII, 17.

affectu exultationis et laudis, quasi quærat exire de angaria pectoris. Psalmista [1] : *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

Ex admirationis stupore.

Ex admiratione, cum illuminato intellectu fulgore sapientiæ, stupet magnitudinem potentiæ, et suavitatem et benignitatem ejus, vel discretionem judiciorum ejus, vel abyssum claritatis, et incomprehensibilitatem immensitatis ejus, vel quidquid est de natura divinitatis ejus, et gloria majestatis, vel quorumlibet operum ejus admirabili ratione. Job [2] : *Magnus fortitudine, et judicio, et justitia Deus, et enarrari non potest : ideo timebunt eum viri.*

Ex mixtis affectionum motibus.

Aliquando commixtim ex diversarum affectionum motibus devotio conflatur, ut timor cum dolore, amor cum gaudio et admiratione, compassio cum desiderii ardore jungitur; et quasi aromata simul trita, liquore supernæ unctionis compacta, et calore ignis divini decocta, pigmentum salutare efficiunt, sanandis animarum languoribus efficax et salubre : sicut illi qui pigmenta sanitatis conficiunt, aliquando de singulis, aliquando de pluribus, et modo de illis, modo de istis compositionem faciunt, pro variis remediorum causis. Cum autem devotio sit piæ affectionis pinguedo, et magis se habeat ad affectum, quam ad intellectum, sicut videri potest in simplicibus devotis, et litteratis pluribus indevotis; perfecta tamen non est devotio sine lumine intellectus. Sed aliter se habet intelligentia simplicium devotorum, et aliter litteratorum. Litterati enim sciunt subtiliter loqui de quacumque spirituali materia, et verbis propriis exprimere quæ volunt, pulchre dividere et distinguere, causas et rationes congruas assignare, et sermone composito persuasibiliter et ordinate proponere, et ex parvis quandoque longum texere tractatum, et ea quæ plana sunt, et nota per se, verbis artificiosis involvere, ut rudibus de intimis prophetiæ (*a*) medullis extracta videantur. Devoti autem simplices clarius vident veritatem in se, et profundius sciunt de ea cogitare, et pondus ejus pensare, et saporis intimi venas per gustum affectus scrutari, et per puræ intelligentiæ radium quæcumque lucidius discernere : ut (*b*) licet nesciant verbis expressis proprie distinguere, tamen ex ipso saporis gustu naturales veritatis differentias cognoscere magis valent (*c*), quam per argumentorum conjecturas. Exemplum de quolibet mechanico artifice in arte sua perito, et de subtili philosopho, quorum alter scit pulchre de arte disserere, et alter proprie operari.

Devotio docti, et devotio docti, per se confertur.

[1] *Psal.* LXXXIII, 3. — [2] *Job*, XXXVII, 23, 24.

CAPUT LXXV, AL. LXXIV.

De revelationibus et visionibus, et imaginariis demonstrationibus.

Dicto de illis quæ ad affectum specialius spectant, videndum est breviter de his, quæ in spiritualibus experientiis magis pertinent ad intellectum : ut sunt revelationes secretorum, et visiones, et imaginariæ demonstrationes, in quibus quidam de veritate aliquando erudiuntur, et plurimi deluduntur. His autem tanto minus immorandum est, quanto frequentius eis innitentes decipiunt, et minor profectus est in talibus, etiam si vera sunt : licet a rudibus, et spiritualium charismatum ignaris, magnæ sanctitatis et sapientiæ virtus in hujusmodi consistere æstimetur.

CAPUT LXXVI, AL. LXXV.

De quatuor generibus visionum.

Quatuor sunt genera visionum, et totidem sunt genera revelationum, quamvis et (*d*) visiones dici possunt, et revelationes : quia in eis aliqua secreta revelantur.

1. Visiones corporales.

Quædam visiones proprie possunt dici corporales, quæ vigilanti corporaliter osten-

(*a*) *Forte legendum* philosophiæ. — (*b*) *Item* et, *vel subinde.* — (*c*) valeant. — (*d*) *Del.* et.

duntur : ut Moyses [1] vidit Dominum in rubo ardenti, et patres sæpe [2] angelos visibiliter susceperunt. Ad hanc potest referri quorumlibet sensuum experientia, ut auditus, et gustus, odoratus, et tactus, quia visus pro quolibet sensu poni potest. Exodus [3] : *Populus videbat voces, et lampades, et sonitum buccinæ*, etc. Voces namque et sonitum buccinæ non visu, sed auditu percipere potuerunt.

2. Visiones imaginariæ.

Aliæ sunt imaginariæ visiones, quæ vigilanti non corporaliter, sed imaginarie ostenduntur, sive in somno, sive in excessu mentis rapto : ut visiones Ezechielis [4] et Danielis [5], et aliorum Sanctorum in Novo et in Veteri Testamento.

3. Visiones imaginariæ dormientium.

Aliæ similiter imaginariæ, quæ dormientibus ostenduntur : ut Jacob [6] vidit Dominum innixum scalæ, et Pharao [7], et Nabuchodonosor [8] somnia viderunt præsagia futurorum. Istæ omnes conveniunt simul in hoc, quod non solum bonis, sed et malis sæpe ostenduntur. Item, quod quandoque veræ sunt, et per eas erudiuntur aliqui ; et quandoque deceptoriæ, quod aliqui per eas deluduntur. Ezechiel [9] : *Visionem cassam vidistis, et divinationem mendacem locuti estis.* Item, quod nec faciunt sanctum, nec ostendunt : alioquin Balaam [10] sanctus esset, et ejus asina, quæ vidit angelum ; et Pharao sanctus esset, qui futurorum præsagia in somno vidit. Item, quod etiamsi veræ sunt, tamen per se meritoriæ non sunt ; et qui multa talia videt, non est melior ; et qui nulla, non est minor : sicut de miraculis aliquibus. Item, quod pluribus sæpe magis nocuerunt talia, quam profuerunt, quia inaniter inde gloriantes extollebantur. Multi etiam putantes se visionem vidisse, cum nil viderunt, seducunt se et alios, vel ad quæstum avaritiæ retorserunt. Multi finxerunt mendaciter se vidisse visiones, ne aut haberentur inferiores cæteris, aut ut præ cæteris honorarentur quasi sanctiores, quibus secreta Dei ostendantur. In quibusdam etiam solent hujusmodi visiones esse præludia insaniæ, quia cerebro confuso, et fumo ipsum obnubilante, etiam visus oculorum confunditur, ut putet sibi aliquid apparere veraciter, quod phantasticum est et falsum. Ecclesiasticus [11] : *Sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur : ne dederis cor tuum in illis.*

4. Visi intellectualis.

Alia visio est intellectualis, qua illuminatus oculus luce veritatis, pure ipsam veritatem in se contemplatur ; vel intelligit in visione imaginaria veritatem, quæ in illa significatur : sicut Paulus [12], cum raptus in paradisum, vel in tertium cœlum, vidit invisibilia et audivit verba ineffabilia, quia non corporearum rerum imagines, sed ipsius veritatis splendorem pure intuitus est. Similiter et Joannes Evangelista, licet sub figuris corporearum rerum describat Apocalypsim, creditur tamen omnia pure vidisse et intellexisse, quæ ibi singulariter descripsit, vel propter capacitatem aliorum, quibus ipsa pura veritas præ sui splendore imperceptibilis fuit, vel magis propter mysteriorum revelationem, quæ non passim omnibus propalanda sunt, ut exerceantur digni, et excludantur indigni a sacratorum mysteriorum intelligentia, sicut et reliqua sanctarum Scripturarum velaminibus sunt operta. Hoc signabat velum [13] ante Sancta Sanctorum oppansum, intra quod non licebat populo, sed solis sacerdotibus introire. Similiter sanctuarium involutum [14] in profectione Levitis imponebatur portandum, quod antequam involveretur, non licebat aliis, quam sacerdotibus, contingere vel videre : hoc significante Spiritu sancto, quod profunda Scripturæ mysteria perfecti aliquatenus vident ; alii autem involuta portare debent, dum sumus in hac vita velamine figurarum. Ipsæ enim imaginariarum vel corporalium

[1] *Exod.*, III, 2. — [2] *Gen.*, XVIII et XIX, etc. — [3] *Exod.*, XX, 18. — [4] *Ezech.*, I, 1. — [5] *Dan.*, VII, 2. — [6] *Gen.*, XXVIII, 13. — [7] *Gen.*, XL, 1. — [8] *Dan.*, II, 1. — [9] *Ezech.*, XIII, 7. — [10] *Num.*, XXII, 25. — [11] *Eccli.*, XXXIV, 6. — [12] II *Cor.*, XII, 4. — [13] *Exod.*, XXVII, 21. — [14] *Num.*, IV, 15.

visionum figuræ, etiam cum veræ sunt secundum spiritualem significantiam, non sunt veræ secundum rei existentiam. Non enim verum est substantialiter esse boves in cœlo, vel leones, vel aquilas, et alia quæ in Apocalypsi et aliis prophetarum visionibus describuntur; sed ibi sunt cœlestes virtutes, quarum merita, vel officia, istarum bestiarum et aliarum rerum proprietatibus figuraliter designantur. Credimus Christum glorificatum corporaliter esse in cœlo, nec ultra secundum suæ substantiæ veritatem nasci de virgine, lactari vel pati, vel alia, quæ evangelica docet historia eum fecisse, cum corporaliter cum hominibus in terra conversabatur : et tamen sic sæpe refertur aliquibus sanctis et devotis apparuisse in visione, vel nascens, vel in matris gremio contentus, vel extensus in cruce : non quod ita secundum veritatem fieret, sed quod illis propter aliquam singularem consolationem et devotionis exercitationem, vel propter aliquam spiritualem significationem sic apparet. Scimus enim quod [1] *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, et mors illi ultra non dominabitur :* sic nec ultra corporaliter lactabitur, vel nascetur. Ita de aliis sanctorum vel angelorum apparitionibus est tenendum.

siones ductorum spiritum. Non videtur autem prætereundum, quia quidam decepti a seductoriis spiritibus, vel propriis falsis opinionibus, putant sibi apparere in visione vel ipsum Christum, vel ejus gloriosissimam genitricem; et non solum amplexibus et osculis, sed et aliis indecentioribus gestibus ab eis demulceri : ut sicut spiritus ipsorum interius, ita et caro exterius sibi congruo oblectationis (*a*) sensu sensibiliter demulceatur, et carnaliter consoletur : quod non solum est falsum et seductorium, sed etiam blasphemia gravis esse liquido comprobatur. Spiritus sancti visitatio, sicut contra omnia vitia reprimenda et detestanda infunditur, ita etiam singulariter contra carnales illecebras opponitur. Et ubi spiritus munditiæ suo jubare resplenduerit, continuo omnes pravæ voluptatis motus evanescere, et, velut tenebras superveniente lumine, disparere necesse est. De his vero, qui cum aliquando dulcedinem spiritualem sentiunt, et mox carnalis delectationis pruritu fœdantur, nescio quid judicem, nisi quod potius eligo illis carere floribus, quos de luti sordibus legere deberem. Et sicut illos damnare non audeo, qui inviti quandoque in spiritualibus affectionibus carnalis fluxus liquore maculantur; ita etiam excusare nequeo, qui tali fluxu ex consensu condelectantur, qualiscumque eorum intentio videatur.

[1] *Rom.*, VI, 9. — [2] *Act.*, I, 7. — [3] *Matth.*, XVII, 5.

CAPUT LXXVII, AL. LXXVI.

De modis revelationum.

Revelatio secretorum vel futurorum pluribus modis fieri videtur : in quibus, sicut in visionibus, plurimi seducuntur, putantes spiritum esse, quod proprius sensus finxerit, vel spiritus erroris suggesserit : et ideo vaticiniis jam usque ad fastidium repleti sumus de Antichristi adventu, de signis appropinquantis (*b*) judicii, de destructione religionum, de persecutione Ecclesiæ, de regni defectione et variis mundi pressuris, et aliis pluribus, quibus etiam viri graves et devoti plusquam oportuit creduli extiterunt : de scripturis Joachim et aliorum vaticiniis varias interpretationes extrahentes, quæ etsi vera essent et authentica, tamen religiosi plurima invenirent, in quibus fructuosius occuparentur : cum et Christus Dominus in Apostolis tales curiosas temporum inquisitiones represserit, dicens [2] : *Non est vestrum nosse tempora et momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.*

Revelatio aliquando fit per vocem et verba expressa : ut Petro, et Joanni, et Jacobo, in monte cum Jesu, vox de nube dixit [3] : *Hic est Filius meus dilectus*, etc. Unde Petro I. Revelatio per vocem.

(*a*) *Cæt. edit.* oblationis. — (*b*) *Item* appropinquantibus.

dictum est [1] : *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis.* Vel sicut Samueli [2] primo sermo Domini factus est in Silo.

2. Revelatio per somnium.

Aliquando fit per somnum : ut Joseph viro Mariæ dictum est in somnis [3], ut acciperet Mariam, et fugeret in Ægyptum, et rediret. Et Magis similiter in somnis dicitur [4], ne redeant ad Herodem. Et in aliis pluribus locis simile invenitur.

3. Revelatio per spiritum angelicum.

Aliquando per spiritum angelicum vigilanti et intrinsecus loquenti (*a*). Unde Zacharias [5] : *Angelus qui loquebatur in me, dixit ad me : Numquid nescis quid sunt hæc?* etc. Aliquando fit per spiritum interius in mente; Psalmista [6] : *Audiam quid loquatur in me Deus.* Et hoc duobus modis : uno modo, cum inspirat menti aliquid agendum, vel dicendum, vel de propriis docet, vel de alienis, sicut prophetis inspiravit quid facerent, vel dicerent, vel cum futura, vel absentia, vel abscondita eis revelavit; secundo modo, cum non de speciali facto illo vel illo, sed generaliter ad plura per mentis illuminationem ostendit, quid secundum veritatis judicium sit melius, vel non melius : sicut docet omnes justos declinare a malo, et facere bonum, et per spiritum scientiæ, vel consilii, vel intellectus, vel sapientiæ, Dei placitum agnoscere, vel eligere potiora.

4. Revelatio per Spiritum sanctum.

Est et alius modus revelationum, per Spiritum sanctum, cum homo ex Dei inspiratione orat Deum pro aliqua speciali causa, propria vel aliena, et per affectum devotionis, et fiduciam exauditionis, intelligit se exauditum in hac petitione. Sed licet confidat quod illud, pro quo oravit, habiturum sit prosperum successum, nescit tamen sæpe qua via habebit processum. E contrario, cum non sentit sibi infundi fiduciam exauditionis, intelligit se non habiturum effectum suæ petitionis, licet non sit in hoc omnino certus : quia nescit an hoc sit defectus devotionis, vel indicium negatæ petitionis. Hoc tamen genus revelationis est specialiter devotis mentibus familiare. In hoc tamen aliquando quidam devoti inveniuntur decepti, sicut et in interna inspiratione. Et hoc taliter posse fieri videtur, cum homo devotus Deo aliquando intendit, et per magnæ devotionis affectum confidit Deum sibi esse favorabilem, optat vel orat sibi, vel alteri, istud vel illud, quod tunc desiderat evenire : et cum fuerit jam in affectu devotionis, et fiducia divinæ propitiationis, antequam istud optaret, accedente vero optatæ rei desiderio fit (*b*) affectus ferventior, et fiducia ad Deum ex fervore constantior : et quia præsumit Spiritum sanctum hanc devotionem operari, cum spiritus malignus non possit affectum devotionis infundere, quem nunquam habet; confidit se non decipi, et in concepta spe desiderii sui non confundi : quia testimonium adauctæ per spiritum devotionis et fiduciæ creditur approbasse. Sed in hoc potest esse deceptio, quod spiritus hominis ex desiderio rei quam diligit, cum de illa studiose cogitat, hilarescit, etiam cum in nulla prius erat devotione ad Deum, ita quod aliquando pro desiderio illius rei facile provocaretur ad lacrymas, maxime si est res quæ spectat ad devotionem qualemcumque. Sicut sæpe etiam, cum pro vana gloria quis optat gratiam bene prædicandi, vel prophetandi, vel miracula faciendi, vel aliud, unde mirandus videretur, agendi, cor delusum hujusmodi phantasmatibus hilarescit, et in vanam affectionem pinguescit. Quanto ergo magis cordis affectus exhilaratur, et devotio afficitur in se, cum cogitat et optat quod desiderat, non ex levitate vel vanitate, sed ex maturitate et charitate! Dum interim est in aliqua spiritus consolatione, quæ facili occasione potest per ampliora incitamenta devotionis sublevari, tunc confidentia proprii spiritus loquitur, et putat loqui Spiritum sanctum, dum non subtrahit devotionis gratiam quam

[1] *Matth.*, XVI, 17. — [2] I *Reg.*, III, 7. — [3] *Matth.*, I, 20; II, 13, 19. — [4] Ibid., 12. — [5] *Zach.*, IV, 5. — [6] *Psal.* LXXXIV, 9.

(*a*) *Forte legendum* vigilanti intrinsecus loquentem. — (*b*) *Al.* sit.

dedit; imo dilatato cordi per desiderii appetentiam, eo profusiorem gratiam infundit, quo cordis exhilarati capacitas locum ampliorem in se gratiæ præparavit. Cor enim liberum et benevolentia jucundum aptius est ad devotionis gratiam recipiendam, quam tristitia et amaritudine constrictum : quia Spiritus sanctus amor est, et benevolentia, et jucunditas Patris et Filii, et similia similibus magis gaudent naturaliter. Lætitia enim est proprium cœlestis patriæ; mœror tristitiæ est hujus exilii negotium; amaritudo desperationis est infernale supplicium. In omnibus ergo revelationum vel visionum generibus magna cautela habenda est, ne falsa pro veris, noxia pro salutaribus, exigua pro eximiis, et incerta pro certis recipiantur. Solus autem Spiritus sanctus per donum consilii et per gratiam discretionis spirituum, scit hominem expedire, et certum reddere quid in illis recipiendum sit, vel respuendum, et quomodo eis utendum : sicut et prophetas et sanctos docuit, quibus non solum vera ostendit, sed etiam per veritatis testimonium, quia vera essent, interius demonstravit. Aliis autem videtur esse securius talia non quærere, oblatis non cito credere, deceptionis caveam cavere; aliquando etiam oblata, velut minus fructuosa, parvi pendere : ut si vera sint, se habeant indifferenter ad ea; si falsa, non innitantur eis, ne decipiantur. Et si velint advertere, quærant super his consilium sapientum solummodo et paucorum; et ad illa studiose sese exerceant, quæ sunt secura, meritoria et fructuosa : scilicet, ut sunt vitia extirpare, et virtutum studiis fideliter insudare, Scripturæ sacræ sanum scrutari intellectum, et per orationis usum mentem accendere ad devotionis affectum (*a*). Hæc sunt salubria, et secura, et fructuosa studia religiosorum. Et quanto quis se in istis magis exercuerit, tanto majoris meriti et majoris gloriæ apud Deum erit.

Sunt etiam quædam sensibiles dulcedines, et suavitatis experientiæ, quæ devotis quandoque infunduntur : ut mirabilis fragrantia odorum, ineffabilis suavitatis (*b*) saporum, et hymnidicæ melodiæ vocum et sonorum, et tactu perceptibiles experientiæ indicibilium suavitatum. Quæ cum vere sint a Deo, possumus æstimare, quod aut dentur quibusdam novis et rudibus, qui spiritualia nondum lucide intelligunt, ut saltem per sensibilia consolentur in Domino, qui virtutem pure spiritualium non cognoscunt, in quibus major vis est, et certior veritas, et fructuosior profectus, et purior perfectio. Etiam provectioribus in spiritu consolationes sensibiles dantur propter redundantiam interioris dulcedinis : ut sicut anima communicat corpori suo, quasi comiti et socio viæ, passiones suas, ita communicet ei et consolationes. Tristante enim interius anima, etiam corpus tabescit exterius. Sicut ergo corpus collaborat spiritui et compatitur in merito; ita digne comparticipat et conremuneratur ei in præmio, non solum futuræ gloriæ, sed etiam præsentis gratiæ : sicut domini, in convivio epularum, servis transmittunt reliquias ferculorum. Apostolus [1] : *Sicut socii passionum estis, ita et consolationum eritis.* Et hoc ex superfluenti mensura datur dilectis, cujus redundantia, ne effusa depereat, excipitur a corpore, quod particeps fuit in labore. Sed sicut de visionibus et revelationibus, ita et de hujusmodi sensibilibus experientiis est sentiendum, quod aliqui seducuntur in eis, putantes esse a Deo, quod forte phantastica deceptio est; et aliqui putant esse aliquid magni, quod nullius est in se meriti vel momenti; et aliqui extolluntur de talibus apud se, et jactant se quasi de singularis gratiæ sanctitate. Etiam habent hoc proprium divinæ dulcedinis experientiæ, maxime cum frequentiori usu et valentiori motu influunt, ut, spiritum reficiendo, corpus debilitent, et ita quodammodo delectando affligant : sicut rusticum, cibis grossioribus assuetum, deliciosa fer-

nes sensibiles.

[1] II *Cor.*, 1, 7.

(*a*) *Al.* effectum. — (*b*) *Leg.* suavitas.

cula, sæpius sumpta, alterando calefaciunt et dissolvunt. Ignobile namque corpus et corruptibile, sicut pecus brutalibus, sic est assuetum terrestribus et vilibus. Genesis [1] : *Comedes herbas terræ;* et hoc post peccatum.

Quæstio insignis.

Quærunt autem devoti aliquando ex devotionis vehementia corpore debilitati, utrum sit melius debilitatem corporis potius subire, et spiritum per devotionis studium cum Deo roborare, et gratiam oblatam non abjicere, vel præ nimia debilitate se abstrahere a devotione, et spiritum extinguere, et exterioribus occupationibus se dare pro corporis relevatione. Ad hoc, salvo meliori consilio, videtur consulendum nimis debilibus, quod interdum possunt se utiliter subtrahere a studio devotionis, et conatu proprio non ad hoc instare, ne quasi extorquendo exprimant devotionis affectum, quia talis conatus violentus debilitat etiam validiores. Si autem sine laborioso conatu offert se gratia, et ingerit se illis non quæsita, nec abjiciant eam, nec omnino totos se immergant ei, maxime si vehementer ex hoc se debilitari sentiant; sed temperate ei inhæreant, juxta illud [2] : *Mel invenisti? comede quod sufficit tibi*, id est, quod satis est juxta virium tuarum mensuram. Utilius enim est ad horam temperantius frui gratia devotionis, quam omnino exhaustis viribus, et destructa virtute naturali, totaliter eam perdere, et irrecuperabiliter carere: quia sic destructi, postea nimis incipiunt sibimet compati; et ut reparent vires amissas per indiscretionem, non solum delicatius, sed etiam dissolutius, quam expedit, se habere. Exhaustis namque viribus maxime capitis et cordis, vix audent etiam per moram aliquam ad devotionis studium aspirare, quia retrahit eos continuo molestia debilitatis, et quo magis volunt contra eam conari, eo minus possunt. Et ideo consultius videtur consolationes divinas moderatius quærere, cum debilitas corporis obsistit ut diutius eis frui possint, et auctas valeant tolerare, quam ad breve in eis delectari ita indiscrete, ut postea fugere eas oporteat, et sine spe recuperandi amittere propter virium defectionem. Vase enim contrito, liquor effunditur. Unde Psalmus [3] : *Defecit caro mea et cor meum :* quia cum corporis virtus omnino defecit, etiam cordis vigor a devotione languescit. Contingit etiam plerumque studiosis devotionis, ut cum magis conantur habere devotionis gratiam, minus habeant; et cum vehementius instant, aridiores et duriores corde fiant : sicut in summis festivitatibus, et devotis temporibus passionis Christi et nativitatis, et similibus, et maxime cum se ad sacram communionem student sollicite præparare. Et multi ex hoc sæpissime graviter contristantur : et ad illam partem conturbati corde, pusillanimiter interpretantur quod forte indigni sint visitatione divina, et quod non placeant Deo, ut sicut indigni et indevoti ad sacram communionem accedant: et sic sæpe se subtrahunt a cibo vitæ, et medicina salutis. Sed cum homini incertum sit [4], *an sit dignus amore vel odio*, secundum rationem dispositionis et merita singulorum Deo soli nota, non possumus secundum veritatem cuique consulere, quid in hujusmodi sentire debeat et facere. Tamen cur tunc Deus subtrahit bonis et studiosis devotionis gratiam, cum eam libentius haberent, et instantius quærunt, super hoc possunt quinque rationes assignari.

Cur Deus subtrahit bonis devotionis gratiam.

1. Prima, humiliatio, quia magis humiliatur homo, cum non habet tunc devotionem, quam alio tempore, et magis confunditur in seipso : sicut sæculares plus confunduntur, si in Pascha non communicant, cum solitum est communicare cæteros, quam toto reliquo tempore anni.

2. Secunda est, purgatio peccati, quia forte per alia exercitia minus purgatus est, vel aliqua habet delicta quæ non recolit; et ut dignius accedat ad Eucharistiam, et amplius purgetur a peccatis; et in hoc punitur, in quo magis dolet; et quo dolor gravior,

[1] *Gen.*, III, 18. — [2] *Prov.*, XXV, 16. — [3] *Psal.* LXXII, 26. — [4] *Eccle.*, IX, 1.

eo purgatio efficacior; et maxime, quia forte alio tempore minus studiose quæsivit devotionis gratiam, vel oblatam negligentius recepit, nec dignas pro ea gratias retulit. Punitur modo in quo peccavit, ut tunc illa careat gratia, cum eam desiderat, quam ante neglexit, cum habere poterat, et cautior de cætero in hac parte fiat.

3. Tertia, ut ex hoc eruditior in gratia fiat, quod a Deo sit, non ab homine, cum non potest eam homo pro voluntate habere sui arbitrii : sed Deus qui dat ex se, quando infundit, quando vult, subtrahit, prout sibi placet, et prout accipienti judicat convenire. Item, quia ex gratia sua dat, non pro meritis hominis : quia si daret semper, cum quæritur, et non daret, nisi quæreretur, putaretur jam tantum dare secundum merita requirentium, et non secundum gratiæ liberalitatem : ideo quandoque studiose quærentibus negatur ex justitia, et non quærentibus quandoque datur ex gratia.

CAPUT LXXVIII, AL. LXXVII.

De tentationibus devotorum.

Devotorum tentationes duæ, hæsitatio et elatio.

Duæ sunt enim tentationes devotorum satis consuetæ, maxime novis et imperfectis : hæsitatio, et elatio. Hæsitant enim sæpe an a Deo talis sit gratia, vel homo per se istos motus suo conatu procuret : et est satis importuna tentatio. Aliquando etiam videtur homini, quod forte possit esse dæmonis illusio, et fit perplexior, quod quandoque studium devotionis cogitat omnino postponere, et simpliciter vocalibus orationibus, et actionibus solum intentus esse : quasi in illis sit securior, quam in studio internæ devotionis : et hoc præcipue patitur, cum devotionis gratia sibi subtrahitur : et sic dupliciter tribulatur, scilicet de subtractione gratiæ, et de hæsitatione si fuerit a Deo gratia quam habebat. Sic discipuli ante plenam Spiritus sancti missionem sæpe vacillabant in fide Christi : dum modo, visis ejus miraculis et excellenti doctrina, credebant eum esse verum Dei Filium; modo, visis ejus passionibus pro nobis susceptis, titubantes hæsitabant, sicut eo passo, antequam certi essent de ejus resurrectione, inter se dicebant[1] : *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel,* quasi dicerent : Ab hac spe frustrati sumus. Sic et post resurrectionem suam, viso eo gaudebant, et dubitabant, donec per multa argumenta de veritate ejus certificati sunt, maxime post ascensionem ejus, et sancti Spiritus emissionem. Ita et devoti Christi fideles modo gaudent de consolatione internæ gratiæ, modo dubitant et tristantur : imo varie operatur in eis Spiritus sanctus, nunc illo modo, postea alio modo. Jam infundit eis consolationem, et jam subtrahit : donec pluribus indiciis experti veritatem et utilitatem suæ visitationis, præsente gratia gaudent de consolatione, et securi sunt de veritate; absente ea, utriusque muneris solatio carent. Sapiens autem[2] *in die malorum non immemor* studet *esse bonorum;* quorum recordatio revocat eum a pusillanimitate spiritus et tempestate. Et hoc valet contra primam illam tentationem hæsitationis. Rursum *in die bonorum non immemor* studet *esse malorum*, per quæ humilietur, et timore ab elationis tumore comprimatur : et sic secunda tentatio sanatur. Extolluntur enim devoti quadrupliciter : quia aut gloriantur se devotionis gratiam præcedentibus studiis et laboribus meruisse; aut præ cæteris, qui hanc gratiam non videntur habere, se a Deo dilectos esse; aut majorem gratiam sibi esse datam, quam sit in veritate; aut se melius ea scire uti, et gratiosius recipere, et fructuosius impendere, et minus negligere, quam alii, qui simile donum gratiæ acceperunt.

Elatio devotorum, tentatio altera.

Contra hæsitationem remedium.

Contra priorem tentationem hæsitationis valet constans fiducia credulitatis, quod a Deo sit illa gratia; et diligens consideratio gratiæ ipsius, si semper sit motus ejus ad bonum tantum, et humilis consultatio super

[1] *Luc.*, XXIV, 21. — [2] *Eccli.*, XI, 27.

illa apud aliquem peritum et exercitatum in talibus, et prompta voluntas acquiescendi qualiter in gratia debeat se habere, et supplex oratio ad Deum, ne permittat hominem decipi a sensu proprio, vel spiritu alieno. Contra alteram tentationem elationis valet diligens cognitio propriæ indignitatis, et torporis, et negligentiæ, et ingratitudinis, et inanis gloriæ, et timida expectatio reddendæ rationis de gratia collata et neglecta, et pavida suspicatio subtrahendæ gratiæ et derelictionis a Deo, propter vitia prænotata, jamdiu causa correctionis tolerata, et non emendata, et studiosa consideratio aliorum, qui in gratia, in virtutibus, in orationibus, et studiis bonis incomparabiliter eos præcellunt.

Contra elationem remedium.

Quarta ratio negatæ devotionis, cum quandoque studiosius quæritur, quia aliquando ex impetuoso cordis conatu libertas mentis obruitur, dum quasi per violentam extorsionem accelerat devotionis affectum exprimere; et si non juxta desiderium cordis statim potest elicere gratiam devotionis quæsitam, contristatur, et amplius ex hoc induratur : et quo impetuosius cupit se ad devotionem cogere, tanto minus proficit, et amplius arescit : sicut qui botros in torculari, vel olivas in prælo subito et nimis vehementer comprimit, liquor magis turbidus et insipidus fluit, quam si paulatim et moderatius compressisset. Quo enim liberior, eo pinguior devotionis affectus. Ideo alio tempore sæpe est homo devotior, quia tunc spiritus suæ libertati relictus, sponte se elevat in sublime. Violenta namque acceleratio præfocat spiritum etiam in corpore; morosa autem respiratio est cordis refrigeratio.

5. Quinta ratio potest esse meritum majoris gratiæ et gloriæ, dum desiderium non adimpletum affligendo purgat animam, et patientia desolationis, et humilis sufferentia mœroris, quasi lima, reddit animam clariorem, et magis susceptibilem splendoris divini, et amplioris gratiæ et gloriæ capacem. Lux enim vultus Dei, et fulgor claritatis ejus omnibus æqualiter superfulget : qui autem purior est, et a vitio obscurante liberior, magis capax est lucis, et illuminationis desuper influentis, sicut vitrum clarum, vel metallum bene limatum et politum, radios luminis amplius recipit, et splendidius efficitur. Quia igitur afflictio lima est animæ, quæ rubiginem vitiorum abradit, ut deterso peccato, quod sua obscuritate radios divini luminis et fulgoris velut obex ab anima excluserat, lucem gratiæ recuperet, purgat Deus aliquando devotorum corda per subtractionem illius consolationis, cujus carentia est eis maxima afflictio : ut sic purgati aptiores fiant abundantiori gratiæ percipiendæ in præsenti, et gloriæ in futuro, etiam si hanc afflictionem specialis culpa non contraxit.

Afflictio lima animæ.

CAPUT LXXIX, AL. ALTERA PARS LXXVII.

Raro, an sæpe, sit communicandum.

Si vero aliquis desiderat experiri, utrum sit melius sæpius, an rarius corporis Christi suscipere sacramentum, videtur mihi quod non possit super hoc omnibus dari regula uniformis. Varia sunt hominum merita, et diversa operum studia, et differentia desideria, et multiplices Spiritus sancti operationes in singulis, et diversi etiam status in religione. Et ideo sicut ægrotantibus non potest una forma servari in dandis medicinis corporis, propter diversitates complexionum, aut loci, aut temporis, aut diætæ, vel aliarum considerationum, pro quibus, aut rarius, aut sæpius, aut majori, aut minori quantitate eadem medicina datur, ita et de medicina spirituali, quæ est corpus Christi, intelligendum. Mundanis enim curis occupati rarius possunt se ad illud recipiendum expedire, quam illi qui tantum spiritualibus studiis sunt intenti : et alii magis, et alii minus sunt circumspecti in custodia vitæ suæ, et morum, et conscientiæ suæ puritate. Alii etiam ardentiori desiderio trahuntur ad

illius salutaris cibi perceptionem; alii vero quodammodo terrentur, cum deberent accedere, et nisi conscientia urgeret, et consuetudo religionis induceret, vel timor majoris elongationis a Deo impelleret, valde raro accederent ad illud mirificum sacramentum. Vix tamen aliquis ita religiosus esse videtur et sanctus, exceptis sacerdotibus, quin semel in septimana sufficiat ei ex consuetudine communicare, nisi specialis causa quandoque, vel ratio plus suadeat, infirmitas superveniens, vel singulariter festivitas solemnis, vel inusitatæ devotionis fervor, et intemperata desiderii sitis sit pro illius susceptione, qui solus sufficit amantis animæ ardorem refrigerare. Et quia talis ardoris impetus non nisi ab Spiritu sancto, ut creditur, infunditur, ideo legibus humanæ consuetudinis, et statutis mortalium non arctatur. Sicut aliquos quandoque vidimus, licet paucos, quibus vivere Christus erat, ita ut si non frequentius pane vitæ reficerentur sacramentaliter, quasi videbantur vita corporis jam velle deficere, patentibus indiciis hunc defectum prodentibus. Et qui ante tam debiles erant, quod nec incessum debitum habere poterant, post susceptionem illius sacramenti in tantum confortabantur, quasi nullam ante sensissent debilitatem manifeste apparentem, juxta illud [1] : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus :* quia nullus cibus materialis, vel potus, posset sic celeriter et efficaciter non solum corpus, sed etiam animam recreare. Salubre tamen est, et utile, quod homo sæpe se ad illius medicamenti susceptionem præparet, et quanto devotius valeat, illud percipere studeat, et post perceptionem in studio devotionis se conservet; attentius tamen religiosi et qui obtulerunt se Deo : sic enim erunt in majori custodia vitæ suæ, et conscientiæ, dum et ante, et post Eucharistiæ perceptionem, ob reverentiam ipsius, student magis innocenter vivere, et studio devotionis frequentius intendere. Et licet quandoque tepide, tamen confidens de misericordia Dei fiducialiter accedat : quia si se indignum reputat, cogitet quod tanto magis æger necesse habet requirere medicum, quanto magis senserit se ægrotum. *Non* enim [2] *est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Nec ideo quæris te jungere Christo, ut tu eum sanctifices, sed ut tu sanctificeris ab illo. Nec propterea prætermittenda est sacra communio, si quandoque non sentit homo specialem devotionis gratiam, cum se ad illam præparare studet, vel cum in ipsa perceptione, vel post, forte minus devotum se sentit quam vellet : quia ex aliqua supradictarum causarum ratione solet illud evenire. Circa sacerdotes autem potest hæc forma teneri, ut nec nimis raro, nec nimis continue celebrare, vel imprætermisse sacram hostiam studeant immolare. Nimis enim continue celebrare, aliquam videtur notare irreverentiam, cum vix aliquis tam devotus sit, qui semper eadem devotione ferveat, quod semper cum debita reverentia illud faciat, et cordis ardore, quin aliquando reperiat quantulumcumque quod eum impediat. Nimis etiam raro celebrare, quamvis ex reverentia aliquando solet fieri, et humilitate, tamen quandoque torporem nutrit, quia minus circumspectus est homo in omnibus, quasi non indigere videatur sui custodia, cum non proponit accedere ad mensam Christi. Humilitas etiam non est usquequaque secura, quod diu se subtrahat : quia sicut non est dignus sæpe corpus Christi percipere, sic nec semel. Ideo eum non recipimus quasi qui digni sumus; sed ut illo nos sæpe visitante, et habitaculum cordis, et corporis nostri subintrante, magis ac magis digni efficiamur. Quo enim introierit, Dominus benedicet, sicut olim domui Obededom benedixit [3] propter arcam Domini, in qua manna servabatur : propter hoc voluit David eam reducere cum benedictione. Sapientia [4] : *Proposui hanc adducere mihi, sciens, quoniam communicabit mecum de bonis suis.* Quæ

Sacerdotes nec communiter, nec nimis raro sacrificent.

[1] *Joan.*, VI, 56. — [2] *Matth.*, IX, 12. — [3] II *Reg.*, VI, 11. — [4] *Sap.*, VIII, 9.

bona prætereo, quia in Scripturæ pluribus locis inveniuntur.

CAPUT LXXX, AL. LXXVIII.

De diversis affectibus quibus trahimur ad communicandum.

Diversis autem affectionibus et intentionibus diversi ad communicandum trahuntur, vel ad celebrandum. Aliquos trahit amor Dei, ut dilectum sæpius ad se invitent, eumque in semetipsis delectabiliter amplexentur; aliquos propriæ infirmitatis intuitus, ut eum quasi medicum ad se vocent, per quem ab omni infirmitate curentur; aliquos conscientia delictorum suorum, ut per eum, quasi per hostiam placationis, ab omnibus peccatis expiati purgentur; aliquos pressura alicujus tribulationis, ut per eum, qui omnia potest, ab omni adversitate citius liberentur, et tutius protegantur; aliquos desiderium alicujus gratiæ, vel beneficii impetrandi per eum, cui Pater nil potest negare, pro se intercedentem; aliquos gratiarum actio pro beneficiis divinis, cum nil dignius habemus (*a*) reddere Deo pro omnibus, quæ nobis tribuit, quam *calicem salutaris accipere*[1], id est, ipsum Jesum; aliquos laus et honor Dei, et sanctorum, cum non habemus (*a*) majus quo possimus Deum, vel sanctos pro sua dignitate venerari, quam Christum immolare Deo Patri; aliquos charitas et compassio proximorum, cum pro salute vivorum, et pro requie defunctorum, nil efficacius interpellet quam sanguis Christi pro nobis effusus. Hoc est summum auxilium nostrum, cum oramus Deum; et illum intercessorem invocamus, qui nos Patri reconciliavit, et semper[2] *interpellat pro nobis.*

Multis de orationis studio, et virtute omissis, quæ studiosus melius orando per experientiam discet, hoc in fine dicendum, quod omnia quæ orantes petimus sunt ista : aut oramus pro malis quæ fecimus ignoscendis; aut pro malis, quæ patimur, amovendis; aut pro bonis, quæ cupimus, adipiscendis; aut gratias agimus pro acceptis, vel promissis. Quæ nobis Dominus concedat adipisci, qui est benedictus in sæcula.

Amen.

[1] *Psal.* CXV, 13. — [2] *Rom.*, VIII, 34.

(*a*) *Leg.* habeamus.

SPECULUM DISCIPLINÆ AD NOVITIOS [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Hoc opusculum cum sequenti [2] Antuerpiæ an. 1591, prodiit opera R. P. Henrici Sedulii Cliviensis, Guardiani Antuerpiensis. Cujus præstantissimi viri diligentia in his duobus opusculis pristino suo nitori restituendis ejusdem eruditionem et doctrinam satis probat ; ac utinam opuscula alia Auctoris nostri parem virum invenissent : non enim in ipsis restituendis tantum laboris susceptum esset, nec tantis respersa mendis hactenus essent emissa. Quare juxta Henrici prædicti castigationem hæc duo opuscula Vaticanæ huic editioni inferuntur : ac pro argumento eorumdem ejus epistola ad Lectorem hic subjicitur : « Habes, amice Lector, *Speculum Disciplinæ* S. Bonaventuræ, et *de Profectu Religiosorum*, libellos prorsus mirabiles, licet contemptibiles mundo. Sed [3] *quæ stulta sunt mundi, elegit Deus,* ait Apostolus, *ut confundat sapientes.* Auctor quidem non admodum curiosus est latinitatis et elegantiæ, ut qui noverit [4] *non in sermone* esse *regnum Dei, sed in virtute.* Si pius esse velis, lege et relege diligentius : placebunt ; sin autem, ne legas, ne (*a*) [5] *sanctum canibus, et mittantur margaritæ ante porcos.* Quos vero longe piissimus Dominus Hesius, venerandæ memoriæ apud Leodienses Canonicus, et P. Ramus Jurisconsultorum quondam Lovanii decus, et plerique alii pii viri juxta ac docti diligentissime lectitare solebant etiam ad mensam, pro excitando in Deum spiritu, nemo facile debet contemnere. Hujus admonitum te brevibus cupio : nonnullos opinari S. Bonaventuram non esse auctorem *Speculi disciplinæ.* Sed hoc dubium nobis eximit ipse Bonaventura, qui prologo utroque in *De profectu Religiosorum* plane testatur, se conscripsisse formulam priorem *de exterioris hominis compositione.* Quibus verbis *Speculum Disciplinæ* intelligit. Potuit autem fieri, ut Speculum hoc non tam accurate conscriptum reliquerit : quod ipsum quoque satis innuit antiquissimum exemplar editum Argentinæ anno 1495, quod ita habet in libri frontispicio : *Speculum Disciplinæ in hanc formam redactum est a F. Bernardo a Bessa, qui fuit socius S. Bonaventuræ. Nam ab ore S. Bonaventuræ fuit scriptum, et inordinate relictum, e quo homines discerent cœlestes mores.* Miror autem valde, duos hosce libellos semper fuisse disjunctos, quandoquidem ipsa materia librorum postulat ne disjungantur. Quid enim conjunctius esse potest, quam homo exterior et interior, hoc est, corpus et anima. In *Speculo Disciplinæ*, de componendo homine exteriori; de formando interiori homine disserit in *De Profectu Religiosorum.* Hic liber variis nominibus insignitur. Exemplaria vetustissima

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an.. 1495, 2; edit. Vatic., an. 1596, tom VII, pag. 568 ; edit. Ven., an. 1611, 2 ; edit. Lugd , an. 1647, tom. II, pag. 551 ; edit. Ven., an. 1756, tom. XIII, pag. 21. — [2] Præcedenti vero in hac nostra editione. — [3] I *Cor.*, I, 27. — [4] Ibid., IV, 20. — [5] *Matth.*, VII, 6.

(*a*) Supp. *detur.*

constanter vocant *De Profectu Beligiosorum*; sed Venetum, quod prodiit anno 1584, appellat *De Reformatione mentis*, librum priorem; posteriorem vero, *De Processu Religionis*. Mirum in modum variant exemplaria antiqua in inscriptionibus, lectione, et distinctione capitum. Quare facta diligenti collatione multarum editionum, elegantius hi libri prodeunt, summam doctrinam pietatis in se continentes, et ad vitam bene beateque instituendam, omni Religioso, divinæque sapientiæ amantissimo maxime necessarii.

» Itaque, amice Lector, te oro, ut cum labore nostro frueris, hunc tuis precibus apud communem Dominum nostrum Jesum Christum compensare digneris. Vale. »

PROLOGUS

Ad honestatem tendentes in primis necessarium habent, ut per exercitium disciplinæ, virtutis titulum citius apprehendere possint. Nam, ut ait Hugo de Sancto Victore [1], « usus disciplinæ ad virtutem animum dirigit; virtus autem ad beatitudinem perducit; ac per hoc, inquit, exercitium disciplinæ esse debet nostra inchoatio, virtus perfectio, præmium virtutis æterna beatitudo.» Verum qui disciplinam in novæ conversationis initio negligit, ad eam postmodum difficile applicatur, et formam, quam primo quis recipit, vix deponit. *Adolescens* namque [2] *juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedit ab ea.* Optima vivendi forma eligenda est, quam reddat assuetudo jucundam. Primus autem ad profectum gradus, defectus cognitio; magnaque omnino prudenti securitas, vivendi modum novisse congruum, pro varia rerum et accidentium qualitate; nec minimum est contemnere minima, quæ non minimam moribus maculam eo turpius, neglectui habita, ingerunt, quo vitari facilius cognita valuerunt. Proinde qui Spiritu Dei aguntur, moralibus documentis intendunt : quæ tamen superbi et fatui contemnentes, nunc superstitiones, nunc cæremonias vocant, aut certe calumniis fucatis impugnant : *nec* enim [4] *stultus verba prudentiæ recipit, nisi ea dixeris, quæ versantur in corde ejus.* Hic ergo tractatulus per superiorum impositionem exactus, rudi quidem, juxta scribentis ruditatem et intenti exigentiam stylo, ex diminutis quoque ac nudis, ob brevitatem, incompactisque interdum, sed congruis pro morum traditione sententiis editus, novis Christi discipulis, pro aliquali speculo inspiciendus proponitur : ut per pauca sibi proposita, occasionaliter fiant in pluribus cautiores. *Da sapienti occasionem*, ait Salomon [4], *et addetur ei sapientia.* Attendat tamen quædam hic accipienda fore communiter, et magis et minus pro loco et tempore observanda, licet non semper pro singulis conditionum modificatio replicetur. Prudens, ut rerum varietas exigit, ita se accommodat tempori, non se in aliquibus mutans, sed potius aptans; sicut manus quæ eadem est cum in palmam extenditur, et cum in pugillum constringitur. Nec moveat, si qua pro junioribus impertinentia videantur. Proinde junior in his sæpe, quæ ipsum excedunt, instruitur, ut seniorum se proposito applicans, sit quantum congruit aptior ad agenda, cautior ad cavenda. Prolixitatem forte tetricus, si quis fuerit, inspector causabitur; sed necessariam inexpertis dicen-

Primus ad virtutem gradus, proprii defectus cognito.

Observent monasticarum cæ-

rimon rum o res.

Simi elegans

[1] Hug., *Instit. monast. ad Novit.*, in Prolog. — [2] *Prov.*, XXII, 6. — [3] Ibid., XVIII, 2. — [4] Ibid., IX, 9. — [5] Senec., *de Virtut.*, c. *Prudentia.*

dorum expressionem advertat, nec facile rudes, pro quibus est opera, generalibus posse commatibus, id est, brevibus et incompletis sententiis erudiri, aut concisis passim proficere paradoxis, unoque nihilominus noverit titulo multa quandoque perstringi, quæ specialem requirerent explicanda tractatum. Duas autem particulas, principalem videlicet et incidentalem, hujus operis series habet. Principalis dividitur in duas : in quarum prima de præparatoriis ad disciplinam, et aliquibus ejus effectibus incidenter; in secundo, de ipsa plenius tractatur. Præparatoria sunt, per modum principii, medii et postremi, depositio vetustatis, stabilitas mentis adversus tentationes diaboli, et subjectionis humilitas. Primum præparationem inchoat; secundum continuat, tertium vero consummat. Servanda erit ubique majorum et minorum paragraphorum distinctio, ad seriei et ordinis evidentiam ampliorem.

Divisio rei.

PARS PRIMA

DE PRÆPARATORIIS AD DISCIPLINAM

CAPUT PRIMUM.

De vetustatis depositione.

Deponendus est, secundum Apostolum [1], vetus homo, et induendus est novus : quod perfecte implent, qui transitoriis abdicatis, non solum peccata, verum etiam occasiones fugiunt peccatorum, veterique fermento per puram confessionem plenius expurgato, in vitæ novitate perfecta, soli præeligunt Domino militare. In odorem igitur unguentorum Christi, per compendiosam et tutam sacræ religionis semitam currere cupientes, prius rerum temporalium fasciculos deprimentes abjiciant : ut ab omni tam possessione, quam cura, penitus expediti, Christum Dominum expedite sequantur, et non sint eis tentationis occasio vel ruinæ. Quod si ante religionis ingressum non fuerint expediti, post ingressum saltem expeditionem hujusmodi per alias personas, vel per litteras, juxta superioris arbitrium, quanta possunt acceleratione, procurent, non expectatis opportunitatibus, aut utilitatibus deceptoriis, quas frequenter diabolus sub specie pietatis suggerit. Summa sit eis utilitas utilitates hujus mundi contemnere propter Christum, juxta verbum sancti Hieronymi [2] : « Nemo renuntiaturus sæculo bene potest vendere, quæ contempsit ut venderet. Si habes, » inquit, « in potestate rem tuam, vende; si non habes, projice. Totum Deo dedit, qui seipsum obtulit. » Post religionis ingressum continuo debent confectioni faciendæ vacare, et de omnibus quæ in sæculo a pueritia commiserunt, ad memoriam, quantum poterunt, studiosa sollicitudine revocatis, generaliter confiteri. « Malorum namque (*a*) [3] confessio, initium est bonorum. » Ordinis ergo status rejicit res atque reatus.

Transitoria omnia abjicienda.

Confessioni generali vacandum.

CAPUT II.

De constantia mentis, et cautela contra tentationes diabolicas.

Quoniam autem Pharao persequitur Israelem fugientem, et contemptus surgit in scandala, nunc aperte, nunc occulte, sub

[1] *Ephes.*, IV, 22. — [2] Hieron., *ad Paulin.*, epist. CIII, circa fin. — [3] Aug., *in Joan.*, tract. XII, n. 13.

(*a*) *Suppl.* operum.

specie boni periculosius tentans, faciant quod scriptum est[1] : *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem.* Solent præcipue vires tentationi præbere fluctuatio mentis circa propositum ingressuræ vel ingressæ religionis, tarda tepidaque repulsio, et dejectio spiritus desolati. Eapropter in primis in proposito sancto cor suum omnino stabiliant et confirment : ne velut arundo diversis ventorum flatibus agitati vacillent. *Optimum est*, inquit Apostolus[2], *gratia stabilire cor.* Et Prosper ait[3] : « Quemlibet hominem donec se in eo, quod elegit (*a*), certa definitione confirmet, velut in quodam deliberationis incertæ bivio constitutum, discerpit ipsa diversitas voluntatum. Virtus, » inquit, « hortatur, et provocat, ut definitionis ambiguitate deposita, propositum spirituale suscipiat, perseveraturum se in suscepti labore propositi (*b*), non sua possibilitate, sed Domini miseratione confidat. Cogitet quanti et quantæ potuerunt, et possunt quod se posse desperat : unde illi (*c*) potuerunt, inde se posse firmiter credat. » Meminerit illud Apostoli[4] : *Fidelis Deus qui vocavit vos, qui etiam faciet*, etc.[5] *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem; current, et non laborabunt : ambulabunt, et non deficient.* Ad hæc, tentationum et cogitationum malarum viriliter principiis, et absque moræ dispendio est obstandum. Quod si earum insultus spiritum inquietent, non solum familiaris confessor, verum etiam fratres alii seniores sunt in adjutorium advocandi, ut unius debilitas multorum adjutorio sustentetur.[6] *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma.* Qui autem vulnus detegere, vel auxilium petere negligit, sua non immerito negligentia perit. Denique cum diabolus servi Dei spiritum per tristitiam dejicere studeat, ipsam, si quando irrepserit, citius repellentes, Christo Domino, qui datorem hilarem diligit, in cordis lætitia famulentur ; attendentes sollicite, ne de sua unquam vocatione ingrati, aut tepidi regratiatores appareant coram Deo. Ubi sol radiat gratiæ, nubilum turbationis abscedit. Solet in aqua turbida latere piscaturus animam coluber tortuosus. Maximum inhabitantis gratiæ signum spiritualis lætitia. Porro qui vocantis gratiam non agnoscit, indignum se vocationis fructu constituit. Beneficiis ingratus exhibitis, ineptus efficitur exibendis. Valet quoque interdum conversis, pro animæ salute, mutatio loci. Plerumque enim[7], dum mutatur locus, mutatur et mentis affectus. » Valet pro mentis tentationibus impulsæ præsidio, valet pro morum citius ac perfectius assequendo peculio, extra cognationem et patriam vel ad tempus secedere. Verum, quia per se nullo modo sufficerent ad machinamenta diaboli repellenda, ad Christum propter quem omnia contempserunt, qui est tentatorum refugium, et debilium fortitudo, qui se fideliter invocantibus[8] *facit cum tentatione proventum ut valeant sustinere*, crebris supplicationibus et devotis recurrant : ut qui eos dignatus est de fornace Babylonis eripere, bonum in eis perficiat quod incœpit. Frequens et fervens oratio dissipat omne malum. Ollæ ferventi muscæ non incident (*d*).

Non fluctuandum in bono proposito.

Tentationum initiis absque mora resistendum.

Tristitia animum dejiciens cito repellendo.

Notesentetias arreas.

Mutatio loci.

Crebro orando et ferventer.

CAPUT III.

Quomodo necessaria sit ad disciplinæ susceptionem humilitas.

Denique, quoniam, ut ait Hugo[9], « sicut cera, nisi prius emollita fuerit, formam non recipit, sic et homo quidem ad formam virtutum non flectitur, nisi ab omni elationis et contradictionis rigore per humilitatem humilietur ; » necesse habent qui disciplinæ

[1] *Eccli.*, II, 1. — [2] *Hebr.*, XIII, 9. — [3] Prosp., *de Vit. contempl.*, lib. III, c. XVI. — [4] I *Thess.*, V, 24. — [5] *Isa.*, XL, 31. — [6] *Prov.*, XVIII, 19. — [7] *Ad Soror.*, *de modo bene vid.*, c. VI, n. 16, inter *Oper.* Bern., tom. II. Consule etiam Isidor., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. X. — [8] I *Cor.*, X, 13. — [9] Hug., *Instit. monast. ad Novit.*, c. VII.

(*a*) *Al.* elegerit. — (*b*) *Al.* suscepto labore propositi sui. — (*c*) *Add.* vel illæ. — (*d*) *Al.* insident.

cupiunt moribus informari, ut humilitatis radicem in corde figere studeant, et tumorem propriæ voluntatis, præsumptionis et irreverentiæ vitia, quæ a superbia procedere solent, tam in re, quam in signo vigilantius caveant, ut humilitas, ancillæ more, locum præparent disciplinæ.

CAPUT IV.

De captivitate voluntatis propriæ.

Voluntatem itaque propriam ingenti curent studio captivare. « Quid enim [1] prodest sub unius ordinatione viventibus, quod facultates suas abjiciunt, si proprias voluntates non relinquunt, cum sit præstantius voluntatibus renunciare, quam rebus? » Tota religionis perfectio in voluntatis propriæ abdicatione consistit : quare potissimum perfectionis et disciplinæ industrius appetitor, voluntatibus propriis edomandis, et præsidentium nutui subjugandis invigilat. Profecto in duobus erit subjectæ probatio voluntatis, si videlicet in sibi injunctis devote obediat, in agendis suis semper habere authoritatem obedientiæ non omittat. Primi, hoc est, obedientiæ in injunctis patet necessitas, patet et meriti magnitudo. Nam [2] « quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, hoc omnino accipiendum est, quasi præcipiat Deus. » Ad meritum etiam [3] *melior est obedientia quam victimæ*, sanctæque obedientiæ holocausto, nihil Deo gratius exhibetur. Nemo ad perfectionis semitam currendam magis expeditus, quam verus obediens. Quamobrem obedientiæ filii se totos ad obediendum exponant, « moxque [4] ut prælati vocem audierint, quasi divinitus imperetur, moram pati nesciant; sed relictis omnibus, ad injuncta quæque fideliter exequenda, prompta devotione consurgant : ut vicino obedientiæ pede, velut uno momento, jubentis vocem facti exhibitione sequantur. » Perfecta obedientia sua imperfecta relinquit. Quinimo nec bonus obediens verbum expectat, ubi de superioris sibi constiterit voluntate. « Illum autem [5] optimum dixerim obedientiæ gradum, cum eo animo opus injunctum recipitur, quo et præcipitur; cum ex voluntate jubentis, pendet intentio exequentis. » [6] « Nunquam de majorum sententia judicent, quorum officii est obedire, et implere quæ jussa sunt. » Deinde si ad profectum (*a*) volunt obedientiæ pervenire, constanti secum deliberatione proponant, devote semper ad omnia obedire. « Si quid igitur [7] grave vel impossibile forte injungitur, suscipiant quidem cum omni mansuetudine jubentis imperium. Quod si omnino suarum virium pondus excedat, impossibilitatis suæ causas, ei qui præest, patienter et opportune insinuent, non superbiendo vel contradicendo, vel alias levi murmure resistendo. Si adhuc superior in sua manserit sententia, ita sibi noverit expedire, et ex charitate de adjutorio Dei confisi, obediant. » [8] *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Qui licet ad Patrem pro calicis translatione clamaverit, continuo tamen adjunxit [9] : *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* [10] « Non solum majoribus, sed sibi etiam invicem obedientiam certatim impendant. » Incumbit enim Christi discipulo, ut [11] *omni petenti se tribuat*, et exemplo Apostoli [12] voluntarios se *omnium servos* constituant; sintque, ut scriptum est [13], *subjecti invicem in timore Christi.* Secundi necessitas, hoc est obedientiæ in agendis, ne quid videlicet sine obedientia præsumatur, quia simplicioribus forte aliquibus minus patet, aliquanta videtur prosecutione tangenda. Habenda est plane in agendis obedientiæ

Perfecta obedientia, sua imperfecta relinquit.

Obedientiæ in agen-

[1] Prosp., *de Vit. contemp.*, lib. II, c. XVII. — [2] Bern., *de Præc. et Dispens.*, c. IX, n. 21. — [3] I *Reg.*, XV, 22. — [4] Ita fere S. Benedicti abb., *Regulæ* c. V. — [5] Bern., *de Præc. et Disp.*, c. VII, n. 16. — [6] Hieron., *ad Rust.*, epist. IV, col. mihi 46, D. — [7] S. Bened., *Reg.*, c. LXVIII. — [8] *Phil.*, II, 8. — [9] *Luc.*, XXII, 42. — [10] S. Bened., *Regul.*, c. LXXII. — [11] *Luc.*, VI, 30. — [12] I *Cor.*, IX, 19. — [13] *Ephes.*, V, 21.

(*a*) *Forte legendum* perfectum.

dis auctoritas superiorum accedat.

Voluntas propria, grande malum.

sanctæ auctoritas, sine qua nec etiam ipsa bona bona sunt : voluntas siquidem propria, boni virtutem infirmat. S. Bernardus, *super Cantica,* ait [1] : « Grande malum propria voluntas, qua fit, inquit, ut bona tua, bona non sint. Etenim si in die jejunii mei, inveniatur voluntas mea, non tale jejunium elegit Dominus : nec sapit illi jejunium meum, quod non obedientiam, sed vitium voluntatis propriæ sapit. » Et subdit [2] : « Ego autem non solum de jejunio, sed de silentio, de vigiliis, de oratione, de lectione, de opere manuum, postremo de omni observantia monachi : ubi invenitur voluntas sua in eo, et non obedientia magistri sui, id ipsum sentio. Minime prorsus observantias illas etsi bonas in se, inter virtutes censuerim deputandas. » Itaque novi Christi discipuli, semetipsos penitus abnegantes, in agendis suis, id est, in operationibus, locutionibus et rerum quarumlibet usu, non propriam voluntatem, sed superiorum in omnibus dispositionem sequantur. Pro quibus tamen sit specialis eorum licentia vel assensus habendus, considerari oportet. Et primo, circa operationes videndum, quod earum quædam communes seu conventuales, quædam speciales seu personales esse noscuntur. Specialium etiam quædam ad proximum, quædam ad personam pertinent operantis. Pro conventualibus, quæ commune simul attingunt collegium, exequendi non est licentia requirenda, cum ad hujusmodi sit eatenus superiorum licentia, imo impositio generalis : ut ea, quæ sive in choro, sive in refectorio, sive alibi, modo prædicto, ad vitæ conventualis consuetudinem pertinent, nullus conventualis auctoritate propria, præter evidentem necessitatem, licite prætermittat. Inde est, quod ab officio chori, ab aliqua videlicet hora canonica, vel a communi conventus refectione, aut a conventualibus aliis, quemque absque licentia remanere, vel assistentem recedere, his necdum in collegio consummatis, non licet. Pro specialibus ad proximi alterius fratris necessitatem spectantibus, nullum communis seu conventualis vitæ consuetudini, aut executioni specialiter injunctorum impedimentum præstantibus, nequaquam ad superiores, sicut nec pro communibus, pro licentia dixerim recurrendum : cum secundum Apostolum [3], *alter alterius onera portare,* et [4] *per charitatem spiritus servire invicem* debeamus. Verumtamen tempore quo conventualia, vel alia injuncta fieri debent, non sunt præter licentiam specialia, seu gratuita hujusmodi, facienda. Illa quoque quæ ad quotidiana communium officiorum obsequia, vel ad proximi necessitatem non pertinent corporalem, quale est scribere in quaterno, et alia hujusmodi similia, maxime si occupationem prolixiorem inducunt, agenda sunt de superiorum assensu. Pro specialibus ad personam operantis spectantibus, sive ad carnis mortificationem pertineant, ut sunt vigiliæ nimis longæ, vel abstinentiæ singulares, sive ad exercitium spectent operis manualis per se vel per alium faciendi, licentia quæratur : sine qua Religiosus suas singularitates facere non debet, quippe [5] « cui nec corpus suum habere licet in propria voluntate; » et [6] « quod sine permissione patris spiritualis fit, præsumptioni deputabitur et vanæ gloriæ, non mercedi. » Nec potest sibi operari pro volito, sive pro scribendo, sive alia faciendo, sive in rebus suo usui deputatis, ut sunt libri, vestes, lecti, et alia hujusmodi aliter immutando. Incongrue quoque pro uno, res pluribus servitura mutatur. Fit res frequenter ex mutatione deterior : et quod mihi studiose coapto, aliis discoapto. Hæc de operibus. Nec tamen negaverim, ad minima seu exilia quædam, et vix reputanda alicujus momenti, solam sufficere conniventiam Prælatorum. Circa locutionem hoc teneant, ut coram superiore, maxime in capitulo, sine ejus assensu præhabito non loquantur. Alias de necessariis et honestis,

Obedientia in operationibus.

Obedientia in locutione.

[1] Bern., *in Cant.*, serm. LXXI, n. 14. — [2] Ibid. — [3] *Gal.*, VI, 2. — [4] Ibid., V, 13. — [5] S. Bened., *Regul.*, c. XXXIII. — [6] Ibid., c. XLIX.

loco et tempore debitis, loqui, prout eis ordinatum fuerit, poterunt inter fratres. Locutio vero cum extraneis, sive sæculares, licet fratribus obsequentes, sive religiosi quilibet fuerint, fratribus novitiis est probationis tempore penitus interdicta, sine fratre professo, qui omnia loquentis verba et respondentis audiat, sine licentia speciali, sine qua nec ad portam, nec ad extraneos ipsis indulgetur accessus. Personis tamen hujusmodi, si occurrerint, poterunt inclinare; vel, si locus, aut tempus loquendi fuerit, et non potuerint subterfugere, bono modo eos breviter salutare. Si de loquendo secum requiratur ab eis, respondere humiliter debent, se loquendi aut morandi licentiam non habere. Nulla prorsus alia eorum audiant verba, nec cum eis aliquatenus sedeant, vel ulterius commorentur; sed si locutionem necessitas exigit, vel honestas, dicant (*a*) ad eos, obtenta, si poterunt, licentia reversuros, valeque recedendo potius faciant, quam morando. De licentia tamen hujusmodi, Prælato est cautius providendum : vel ab ipso tantum, vel ab eorum instructore (qui est eis ab ipso religionis ingressu specialiter assignandus), semper, cum præsens in domo fuerit, requiratur, ne a diversis, non absque vitandæ confusionis periculo, minus provide concedatur. Circa receptionem rerum, distributionem et usum, quoniam a superiorum auctoritate dependent, duo præcipue subditis attendenda videntur : primum, ut qui dat aliquid, illud ex officio possit dare; secundum, ut det quidem non secundum propriam voluntatem, sed prout sibi a superiore fuerit constitutum. Nec superflue dixerim ad officium attendendum : qui enim non habet officium administrationis, nihil aliis debet communicare, vel in fraudem horum dimittere potest. Rursus ipsorum officialium officia sunt distincta. Aliis namque necessariarum rerum procuratio, non tamen procuratarum est distributio commissa : ab illis autem non est absque licentia recipiendum aliquid speciale. Aliis autem, juxta diversa rerum officia, communis distributio rerum committitur. Ab his communia ipsa (si ordinarie, quando scilicet et ubi, vel quomodo, juxta sui limitationem officii distribuere debent, distribuunt) licite recipi possunt; qui vero extraordinarie postulat, ad licentiam superioris recurrat. Præter communia supradicta, quicumque rem aliquam occulte, sine superiorum assensu, recipit, habet vel utitur; a religionis delirat licentia, et quidquid habet, male habet. Porro cum illud proprium esse dicatur, de quo disponere (*b*) licet juxta propriam voluntatem, omni assensu alio circumscripto; non pauper, sed dominus reputandus videtur, qui rem quamcumque, aliis distribuendo ut libet, sine superiorum auctoritate dispensat. Res sunt quidem communes, sed usus dispositio pertinet ad Prælatos, ut per eorum curam singulis, juxta modum et regulam sibi a sanctis Apostolis constitutam [1], *prout unicuique opus fuerit, dividantur*. Usurpatus autem sine licentia rerum usus, culpabiliter temereque præsumitur, et prorsus illicite vendicatur. Statutum quoque religiosæ mancipationis evadit, qui in usu proprio rem aliquam, sive a parentibus, sive a quibusdam aliis recipit, aut quod majoris est culpæ, receptam occultans, superiorum indicio (*c*) non exponit. « Qui rem sibi collatam celaverit, » S. Augustinus [2] eum « furti censet in judicio condemnandum. » Nulla enim res, quam superior non dederit aut permiserit, est licita proprium abdicanti. Sunt qui oblata sibi, sed Prælato mox deferenda, recipere licitum existimant : sed regulari privato receptionem occultam non dixerim esse tutam. In commodandis pro cohabitantium indigentia rebus, non est lex posita charitati. Possum rem fratri petenti exponere concedendam, non tamen impendere vendicandam. Proinde fratres novitii nullatenus sine licentia, nec a se invicem, neque a fratre,

Obedientia et usu rerum.

Proprium quid.

Receptio alicujus rei occulta, religioso non est tuta.

[1] *Act.*, II, 45. — [2] S. August., *Regul.*, c. XXVI, n. 8.

(*a*) *Suppl.* se. — (*b*) *Al.* dispensare. — (*c*) *Leg.* judicio.

neque a quocumque homine, rem aliquam, sive tabulas, sive acum, sive aliquid quodlibet accipere, aut dare attentent aliqua ratione. Sic nec litteras ad se missas recipiant, aut aliquo casu receptas aperiant, quæ a portitore, vel eo qui receperit eas, prius debent ad superiorem, vel si superior ordinaverit, ad eorum instructorem deferri. Sic nec rem, alterius fratris usui deputatam, præter ipsius conscientiam occupare licebit. Genus est furti, et plerumque turbationis occasio, rem fratris usui deditam, eo, si adsit, inscio detinere. Potest fidelis servus et prudens, nonnulla pro loco et tempore facere de tacito, vel probabiliter præsumpto, superiorum (*a*) assensu, ad ipsum denique finaliter, acta quæque per ausum hujusmodi, relaturus. De cætero, quidquid religiosus boni facit, aut dicit, quod suo non noverit displicere Prælato, a veræ obedientiæ merito non fraudatur. Felix hæc servitus, imo gloriosa libertas, qua quis sponte in regiam venditus servitutem, Deum et ejus vicarios, potius quam seipsum, super se regnare constituens, suæ prorsus renuntiat voluntati.

Felix servitus. non suæ, sed alterius propter Deum obedire voluntati.

CAPUT V.

De præsumptione tam in re, quam in signo.

Interior præsumptio.

Præsumptionem interiorem et exteriorem summopere fugiant : interiorem, ut sensum suum sensui non præferant aliorum, nec de bonis a Deo sibi collatis inaniter extollantur : imo in tantum cæteris se inferiores et viliores ex intimo credant affectu, ut nec se aliquid etiam esse existiment. Nempe, secundum Apostolum [1], *qui se existimat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* Neminem spernant, neminem judicent, cum frequenter humanum fallatur judicium, et, B. Augustino teste [2], « sæpe species facti se aliter habet, aliter animus facientis ; » pie de omnibus, quæ occurrerint, sentiant, licet rei non intelligant rationem.

Omnia perversæ possunt pervertere mentes.

Exterioris præsumptionis et superbiæ notam, in omni actione sua, gestu et verbo, summo studio fugiant : quæ humilitatis sunt, in omnibus amplexantes. Prætextu actionis, præsumptionem in officiis et in locis evitent. In officiis prælationis vel ordinis, aut in aliis quæ aliquam videntur superioritatem habere, nihil sibi usurpent. Liber a culpa non est, qui alienum usurpat officium. Præsente superiore, vel alio fratre majore quam ipsi fuerint, ordine constituto, ad incipiendum extraordinarie officium, ad benedicendum cibum vel potum, ad dandum fratribus aquam benedictam, vel ad alia hujusmodi, se nullatenus ingerant. At divinum quoque officium nequaquam post seniores, vel alios majoris ordinis gradu promotos, proprio legant injectu : quoniam quidem nullus omnino, in minori ordine constitutus, post alium majoris ordinis permittendus est legere, nisi necessitate cogente, vel legentium ordine permutato, ut in aliquibus festis fieri solet; præterquam in homilia quantum ad primam lectionem, quam ratione Evangelii, Diaconus legere solet. Lectiones autem quæ de homilia supersunt, non sunt ab aliis facile, quam a sacerdotibus præsumendæ. In choro, pro dissonantia forte cantantium, vel ob aliam hujusmodi causam, manum ad formam percutere; in mensa ictu cultelli, vel quomodolibet aliter signum cum sono facere, ab eis tantummodo fiat, quorum super defectibus chori vel mensæ intendere spectat, nec hujusmodi facile debent ab aliis usurpari. Multa enim sunt superioribus licita, quæ reprehensibiliter ab aliis præsumuntur. Ad hæc, quia novissimum eligi locum Magister ipse humilitatis hortatur [3], locis semper novissimis novitii gaudeant. Et nunquam in choro, vel mensa, seu alibi, ad prima se ingerant loca; sed ad ea potius

Exteri præsum ptio.

Præsum ptio i usurp tione o ficii ali ni.

[1] *Gal.*, VI, 3. — [2] August., *Confess.*, lib. III, c. IX, n. 17. — [3] *Luc.*, XIV, 10. — (*a*) *Leg.* superioris.

adeo caute ac sedula, si valuerint, provisione declinent, ut vix ab aliis perpendatur. Alias omnino caveant, ne congregationis ordinem turbent, et fiant inter alios pro tumultus occasione notabiles. Cavendum proinde, ne, dum nimis vitatur præsumptio, inordinationis accedat confusio. Vitanda est ubique disconvenientiæ nota, maxime in congregatione. Locus vero superior, ad quem necessitas vel superiorum trahit inductio, præsumptionis vitium non inducit. Porro molesta est humilitas, quæ contentioni deservit. Si quando juxta superiorem, vel alios seniores, necessario sederint, non se nimis applicent juxta eos. Juniori siquidem aliquam a seniore distantiam, reverentiæ ritus indicit. Antiquior autem frater in ordine, vel alius in officio præeminens, licet ætate sit junior, senior appellatur. *Ætas senectutis vita immaculata* [1]. Præsumptionem in gestu, elatum caput, sublimiores oculi, facies vultuosa declarant. Nam, ut ait Prosper [2], « erecta cervix, et truces oculi, et sermo terribilis, nudam superbiam clamant. » Sed quantum per membrorum ministerium potest deprehendi, prima superbiæ ostensio in oculis esse solet. *Qui inclinaverit oculos suos, ipse salvabitur* [3]. Secundum namque Evangelium [4] : *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit :* e contra, *si nequam, totum tenebrosum.* Præsumptio etiam gestus in signis et nutibus frequenter agnoscitur : ut, exempli gratia, si quis in choro, vel alibi, pro fratrum defectibus, satyrice nubilum vultuositatis assumat, vel levi cachinno, id est, risu, vel motu capitis, oculorum circumlustratione, narium contractione, labiorum compressione, vel alio quovis modo, defectum fratris tacite arguat vel subsannet; si errante in choro, vel in mensa lectore submussitet, aut circumspiciat, quasi eum defectus legentis non lateat : quod frequenter solent facere etiam minus docti. In locutione etiam notatur præsumptio, si quod dicitur, non pertinet ad dicentem, aut dicendi modus aliquem superbiæ typhum prætendat, aut pro loco, tempore et personis fuerit a locutione cessandum. Propter primum, humilis frater de alienis factis inquirendis se nullatenus intromittat. Alios fratres docere, regere, arguere, vel eis aliquid imponere non præsumat, quia hoc esset seniorum (*a*), vel superiorum officium usurpare. « Superbus » autem, ut ait sanctus Bernardus [5], « prima die qua ingreditur habitare, incipit leges dare. » Potest tamen frater, si super aliquo cum instantia requiratur, petentibus super interrogata humiliter respondere, vel insinuare quod sentit : ita tamen ut contra resistentes dicta sua pertinaciter nulla ratione defendat. Qui etiam alii superioris mandatum insinuat super aliquo faciendo, mandati auctoritatem cum humilitate proponat, ne, quod denuntiat, ipse imponere videatur. Si proprium cogatur recommendare officium, nequaquam imperium imponentis usurpet; sed id suppleri a sociis, obsecratione humili obtineat. Præsumptionem ergo evitat prudens humilitas. Præsumit tamen interdum humiliter, viscerosa et provida charitas. In modo loquendi, vitium præsumptionis innuitur, si illud quod dicitur, jactanter, impetuose, clamorose, contentiose, despective, vel nimis rigide proponatur. Suaviter enim et humiliter est loquendum. Rursus qui tempore vel loco silentii, aut in superiorum, seniorum, aut conventus præsentia, non comprimit linguam suam, præsumptuosus et intemperans merito judicatur. *Loqui in medio magnatorum non præsumes*, ait Sapiens [6]. Et iterum [7] : *In medio seniorum non adjicias loqui.* Hoc præcipue intemperantiæ et præsumptionis est nota, si novus frater in ordine, vel junior quispiam, seniore præsente, sine ipsius nutu, maxime coram extraneis, loqui aut respondere præsumit, nisi

Molesta humilitas contentioni deserviens.

Senior quis habendus.

Præsumptio in gestibus.

Præsumptio in locutione.

[1] *Sap.*, IV, 9. — [2] Prosp., *de Vit. contempl.*, lib. III, c. VIII. — [3] *Job*, XXII, 29. — [4] *Matth.*, VI, 22, 23. — [5] Imo Guillelm. abb. S. Theodorici, *de Vit. solitar. ad Fr. de Monte Dei*, c. XII, 35. — [6] *Eccli.*, XXXII, 13. — [7] Ibid., XI, 1. — (*a*) *Cæt. edit.* seniora.

ex officio vel commisso habeat prius loqui. « Temperantiæ est, ait Prosper [1], quod præstamus loquenti seniori silentium, quod ipsius ad loquendum præstolamur imperium. » In præsentia vero conventus, nullum convenit loqui sine requisito superioris assensu, nisi tantum se accusando, vel ad interrogata superiori vel corrigenti, ad mensam (*a*) breviter et humiliter respondendo. Et ut breviter voce sancti Bernardi præsumptuosum agnoscas : « Prius, ait [2], in conventu residet, in consiliis prius respondet : non vocatus accedit, non missus se intromittit. Reordinat ordinata, reficit facta. » Vilem se, si non emineat, æstimans, et humilem esse inter alios erubescens. In locis et cæteris, quæ honorem redolent, se quibuslibet aliis parificare contendit. Audax ipse ad quælibet fit frontosus (*b*) et impudens, quod est maximum vitium in neophyto et juvene. Religionis confusio, juvenis præsumptuosus et effrons. Reprehensibilis maxime in juvene præsumptio, quem magis humilitas stabilit, verecundia ornat, venustat simplicitas, timor insignit, et aptum efficit disciplinæ, cujus initium est. [3] *Qui sine timore est non poterit justificari.*

In conventu nemini loquendum est.

Præsumptuosi indicia.

Religionis confusio juvenis præsumptuosus.

CAPUT VI.

De irreverentia.

Irreverentiæ denique vitium est humili Dei servo vitandum, cum scriptum sit [4] : *Cui honorem, honorem*, et [5] : *Honore invicem prævenientes.* Attenditur irreverentia respectu personarum, loci sacri, et temporis, officii divini, et rerum eidem officio specialiter ordinatarum. De reverentia Prælatis, aut aliis fratribus, ætatis aut prioritatis, aut diuturnitatis in ordine, gratia, vel sacri ordinis, vel pro vitæ merito exhibenda, sanctorum dicta Patrum, et vera humilitas, quæ, non solum Prælatis, et senioribus, verum etiam æqualibus et inferioribus, se spontanea subjicit voluntate, plenius docent, et ejus oppositum detestantur. Non senioribus tantum, imo et omnibus honorem Petrus Apostolus sentiebat [6] exhibendum. Deferre humiliter sociis honorem, charitatis est fraternæ fomentum, conscientiæ bonæ illustrisque animi evidens argumentum. Vix, nisi socio deferas, cum ipso proficies. Est præcipue conventui et superioribus deferendum. Conventus quidem venerabilis, imo *terribilis ut castrorum acies* Christi *ordinata* [7]. De superiore Sapiens ait [8] : *In medio fratrum, rector eorum in honore.* Istis quanto major est reverentia exhibenda, tanto etiam majoris offensæ arguitur irreverentia circa ipsos. Sane committendo et omittendo, irreverentiæ ad ipsos nota contrahitur. Committendo, si coram eis inordinatum quippiam deliberate attentetur. Unde non decet coram conventu, in claustro vel alibi residente, sine debita maturitate et honestate, quantum ad membrorum et habitus dispositionem transire, vel eidem transeunti occurrere, si ab eo valet commode declinare, aut tumultum facere coram eo. Magnus utique reverentiæ cultus conventuali congregationi debetur : quem qui mussitationibus seu cachinnis, aliave clamoris vel dissolutionis lascivia, solvere non veretur, aut attrita fronte superbus, qui arctari silentio dedignatur, aut honestatis et religionis ignarus, liquido comprobatur. Quod autem superiore præsente agitur minus religiose, vel dicitur, quid eo turpius? Propter hoc qui mala in ejus præsentia committere non veretur, ipsum irrevereri et inhonorare convincitur : magis autem, si eum scienter per alicujus insolentiam facti, vel importunitatem verbi, temerario ausu molestat. Imo de necessariis docet B. Benedictus [9], quod « si qua requirenda sunt a majore, cum omni subjectione et humilitate reverentiæ

Irreverentia quæ fit in conventu.

Irreverentia in superiorem.

[1] Prosp., *de Vit. contempl.*, lib. III, c. XIX. — [2] Bern., *de Grad. Humilit.*, c. XVI, n. 44. — [3] *Eccli.*, I, 28. — [4] *Rom.*, XIII, 7. — [5] Ibid., XII, 10. — [6] II*Petr.*, III, 7. — [7] *Cant.*, VI, 3. — [8] *Eccli.*, X, 24. — [9] S. Bened., *Reg.*, c. VI.

(*a*) *Forte leg.* mentem. — (*b*) *Cæt. edit.* frontuosus.

requirantur.» Cum ipso autem Prælato contendere nefas est, et execranda in subdito irreverentiæ turpitudo. Denique tam circa Prælatos, quam circa alios seniores cavendum, ne in attrectatione, locutione, officiorum recommendatione ac similibus, aliquid ad eos vel signum vilificationis appareat. Nunquam junior frater ad senioris fratris caput, aures, vel faciem, quasi applaudendo, vel ob aliam quamlibet causam, nisi necessariam, manum opponat; vel aliter cum eo, facto vel verbo, minus reverenter jocetur. Quando seniores sibi præsentes alloquitur, et si forte aliquando eorum nomen proprium, ipsis quidem ex reverentia supprimendum, necessario nominat, semper tamen cognomen subticeat; nisi propter astantes æquivocum specificare cogatur. Seniorum auribus nomen proprium vel cognomen, nisi ex causa, junior irreverenter inculcat. Verum licet in utilitatis notam nomen proprium exprimi, ex amore vel reverentia supprimi, Scriptura innuente, noverimus; sine vitio tamen palam senioribus ipsis exprimitur, quando irreverentiæ notam modus et congruentia redimunt. Sæpe quod erat incongruum, necessitas, gratia vel consuetudo convertit. Sapit autem vitium, si ad te verbo vel nutibus superiorem accersis, ad quem est tibi facilis aut liber accessus : honestius enim ad eum, cui reverentiam debes, tu accedis, quam ipsum ad te accedere facis. «Nullus etiam frater est puro nomine appellandus [1]; » sed proprio nomini apponendum est semper religiosæ prænominationis insigne : sed nec solo cognomine, vel nomine patriæ, puta Lombardus vel Gallicus, frater est aliquis nuncupandus. Humilia et laboriosa officia recommendari coæqualibus et junioribus, maxime convenit. Quod autem suum quisque officium, suo dumtaxat compari, ut acolytus acolyto, subdiaconus subdiacono, et sic de aliis, recommendet, in officio specialiter divino locum habet, ubi

Irreverentia erga seniorem.

Frater suo solo nomine non est appellandus.

Officia, ut sint aliis commendanda.

[1] S. Bened., *Reg.*, c. LXIII. — [2] I *Cor*, XIV, 40. — II *Paralip.*, XXX, 16.

personarum non quidem acceptio vitiosa, sed ordinata discretio, juxta cujuslibet statum et ordinem est habenda, ne ordinum sancita patrum auctoritate distinctio confundatur. Propter hoc, etsi cantoris officium ad fratres novitios nullo modo pertineat; si tamen ad hoc per superiorem cogantur, caute provideant quod lectiones, responsoria, et antiphonas distribuant ordinate, ordinum gradibus observatis, primas antiphonas majoribus, Prælato vel hebdomadario, vel seniori alicui sacerdoti, vel, quando mos habet, minoribus in Vesperis, Nocturno et Laudibus offerentes, deinde post unum vel duos, si oportuerit, fratres gradus ejusdem, ad alios ordinate secundum gradus ordinum processuri. Nec facile diversorum in ordinibus graduum fratres combinent, aut minora officia in majori ordine constitutis imponant. Prius quoque ordinatos aliis præferendos jura decernunt. Numquam ordinum confusionem in choro religionem putent, cum id magis abusionem, irreverentiæque obnoxium esse constet. *Omnia,* inquit Apostolus [2], *honeste et ordinate* (*a*) *fiant* in vobis. Et in *Paralipomenis* de ministris Domini dicitur [3], quod *stabant secundum ordinem suum in ministerio.* Si quis sedilium chori dumtaxat ordinem, sine alio personarum delectu, in hujusmodi æstimat observandum; penset si a carpentariis constructus lignorum ordo in sedilibus, sit ordini præferendus ecclesiastico. In personis servandum in Ecclesia Ecclesiæ ordinem, decrevit auctoritas, æquitas et honestas.

Omittendo, notam irreverentiæ quis incurrit, quando senioribus, et maxime Prælatis, honorem vel obsequium debitum, aut in obsequio ipso negligit reverentiam exhibere. Aliqua de hoc potius expressione patebunt. Honori quis detrahit, si eis humiliter non assurgit, vel eis astantibus ipse sedet; si deficientibus in choro vel alibi sedibus, locum eis non offert; si eis in choro, in

Prælatis, et senioribus honor deferendus.

(*a*) *Vulg.* secundum ordinem.

mensa, in sedendo, eundo, et hujusmodi, si commode potest, non cedit. Obsequio detrahit, si hæc eorum personis, quando palam egent, non exhibet; si eis in aliquo humili vel laborioso officio, in sui præsentia, occupatis, se ad id faciendum vel coadjuvandum non exhibet; si quod ad se ex officio pertinet, eis faciendum dimittit. Expedit itaque ut juniores fratres senioribus fratribus humiliter deferentes, eos in his (*a*) quæ pure sunt oneris, non honoris agenda, sive ad alia humilitatis officia studeant prævenire. Ad providendum de lumine ac libris in choro, et extra, ad officium B. Virginis, quantum ad invitatorium et lectiones, cum plane dicuntur; officium quoque mortuorum, quantum ad primas lectiones; necnon ad horarum versiculos, ubi ad hæc dicenda præsens non fuerit specialiter aliquis assignatus; ad offerendum aquam pro manibus abluendis; ad levandum mensas finitis gratiis, et ad ministrandum celebrantibus et altari, quoties necessarium fuerit, ex officio suo, sive in minoribus, sive in sacris fuerint ordinibus constituti, solliciti sint et prompti, nec ista aut similia senioribus facienda derelinquant. Erubescit Diaconus vel Subdiaconus vacans, et obtendens officium, quod apte potest dimittere vel differre, sacerdote ad Missam vice diaconi, vel Diacono pro Subdiacono, ministrante. Nec magnum est, si hebdomadas casu continuet : graviora passim continuantur officia. Debetur cuilibet ordini gradus suus; nec de gradationibus est agendum, nisi forte aliud congrua interdum causa deposcat. In obsequiis eorum maxime, qui vice Christi nostrarum sunt animarum custodes, non est reverentia omittenda per caputii abstractionem, dum eis ministramus aut loquimur, quæ per humilem corporis inclinationem, pro loco et tempore, vel alias per humilem obsequendi modum ostenditur. Superbus autem, ut ait Prosper [1], « non observat in obsequiis reverentiam. » Stolidis quibusdam decretum est nulli deferre, discretionem personarum et graduum non curare; curantibus nunc adulationis, nunc acceptionis personarum crimen impingere; et admodum confusionis amici, ut superioribus de superbia caveant, sibi non cavent. Fœdum enim irreverentiæ vitium pro religione ostendunt. Humilitatem majoribus exhibendam, Evangelii sanctio et professio nostra commendat : nusquam tamen, ut recolo, superbiam aliis, seu temerariam paritatis usurpationem indulget. Seniorum est utique ut humiliter sentiant, venerationem non appetant, humiles se aliis, ac sociales exhibeant. Sapientis est consilium [2] : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Sapientiæ vero præceptum [3] : *Qui major est vestrum, fiat sicut junior.* Et Petrus cum dixisset [4] : *Adolescentes, subditi estote senioribus*, pro utrisque intulit : *Omnes invicem humilitatem insinuate* (*b*). [5] « Cæterum cum omni indifferenter personæ humilitas sit quædam *turris fortitudinis a facie inimici* [6], nescio quo pacto tamen vis ejus major est in majoribus, et clarioribus clarior comprobatur. » Porro non solum respectu personarum, ut dictum est, verum etiam respectu loci, ut est ecclesia, maxime circa altare, irreverentia est vitanda. Circa altare, ut cum ad ipsum acceditur, maturior et humilior gestus accedentis, et maxime ministrantis devotionem ostendat : nec aliquis cum impetu vel inhoneste accedat. In Ecclesia vero cavendum, ne, quamvis extra canonici tempus officii, loquendo vel ridendo, vel aliquo quovis modo minus honeste aliquid fiat. « In aulam regiam ingressurus, ait S. Chrysostomus [7], oculis, incessu et habitu, te componis : et in ecclesiam ingressurus, quæ est vere aula regia, rides? » Est etiam sacro tempori, hoc est, dominicis diebus et solemnioribus deferendum : ut in eis a communi

Humilia officia juniores senioribus non permittant.

Irreverentia in sacra loca.

Irreverentia festo dies

[1] Prosp., *de Vit. contempl.*, lib. III, c. VIII, versus med. — [2] *Eccli.*, III, 20. — [3] *Luc.*, XXII, 26. — [4] I *Petr.*, V, 5. — [5] Bern., *de Consid.*, lib. II, c. VI, n. 13. — [6] *Psal.* LX, 4. — [7] Chrysost., *in Epist. ad Hebr.*, hom. XV, n. 4.

(*a*) *Leg.* ad ea. — (*b*) Cæt. edit. *insinuare.*

operum occupatione cessetur, et divinis officiis attentius insistatur. Nam, ut ait Hugo [1]: « Festi dies aliud studium et alium conversandi modum exigunt, atque alium hi, in quibus licet operari, exposcunt. In illis, inquit, nos oportet ad celebranda mysteria divina devotius intendere, atque in orationibus diutius perseverare : omnem denique actum, et omnem motum cordis pariter et corporis, divino mysterio mancipare : atque, ut ita dicam, quadam conversationis novitate, festos dies honorare. In cæteris vero diebus, in quibus operari licet, nullus omnino otiosus apparere debet. » De irreverentia in divinis officiis et rebus ad ea spectantibus evitanda, infra per reverentiæ positionem agetur.

CAPUT VII.

De disciplina in generali.

Dicto de præparatoriis ad disciplinam, et aliquibus ejus effectibus incidenter, sequitur, ut de ipsa plenius exprimamus, quæ vetustate deposita, animoque contra hostis insidias stabilito, super radicem humilitatis consurgit. Primo, in generali quid sit, quæ ejus utilitas, qualiter ad ejus perveniatur notitiam, et de ipsius custodia, deinde in speciali dicamus. « Disciplina est, ut ait Hugo [2], conversatio bona et honesta, cui parum est mala non agere, sed studet etiam in his quæ bene agit, per cuncta irreprehensibilis apparere. » Item disciplina est omnium membrorum motus ordinatus, et dispositio decens in omni habitu et actione. « Audistis, inquit, disciplina quid sit : nunc attendite quam utilis et necessaria sit. Disciplina est malorum desideriorum carcer, frænum lasciviæ, elationis jugum, quæ domat intemperantiam, levitatem ligat, et inordinatos motus mentis suffocat. Sicut etiam de inconstantia mentis nascitur inordinata motio corporis; ita quoque dum corpus per disciplinam stringitur, animus ad constantiam solidatur : et paulatim intrinsecus mens ad quietem componitur, cum per disciplinæ custodiam, mali motus foras fluere non sinuntur. » Sed [3] « qui statum mentis perdit, subsequenter foris in inconstantiam motionis defluit ; atque in exteriori mobilitate indicat, quod nulla interius radice subsistat. » Unde per Salomonem dicitur [4] : *Homo apostata vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur.* [5] « Scientiam quæ ad institutionem recte et honeste vivendi pertinet, multis modis hominem colligere et comparare sibi oportet, partim ratione, partim doctrina, partim exemplo, partim meditatione sanctarum Scripturarum, partim assidua inspectatione operum et morum suorum. » [6] Hoc novissimum maxime fortassis præ cæteris necessarium : ut videlicet (*a*) homo in omnibus operibus suis sit circumspectus et providus, et quotidiana discussione cogitationes, locutiones pariter et facta sua, apud semetipsum examinet. Sapientes quippe semper agendo discunt, et per exercitium bonorum operum, quotidianis profectibus in majorem virtutis agnitionem excrescunt. Per experientiam namque eorum quæ faciunt, ad ea quæ postea agenda fuerint, cautiores fiunt. [7] Et quamvis in nullo loco disciplinam suam homo deserere debeat, diligentius tamen et magis sollicite ibi est servanda, ubi neglecta generat scandalum, vel custodita bonæ imitationis exemplum. Hinc discernendum erit, quæ sint illa, quæ in disciplina custodienda nunquam (*b*) intermitti (*c*), et quæ rursum illa sint, quæ pro loco et tempore, nunc intermitti, nunc exerceri volunt (*d*). » Sæpe tamen etiam illa, quæ in publico necessaria sunt, prius in secreto exercitationis usum exposcunt : quia si prorsus ea in occulto negligimus, uti postmodum eis, dum opus est, in publico non valemus : et tunc aut prorsus

Disciplina quid.

Recollectio sedulo servanda quotidie.

[1] Hug. a S. Vict., *Instit. mon. ad Novit.*, c. IV. — [2] Ibid., c. X. — [3] Greg., *Cur. Pastor.*, part. III, adm. 24. — [4] *Prov.*, VI, 12. — [5] Hug., ubi sup., c. I. — [6] Ibid., c. IX. — [7] Ibid., c. III.

(*a*) *Cæt. edit.* sic scilicet. — (*b*) *Al.* nusquam. — (*c*) *Supp.* possunt. — (*d*) *Al.* valeant.

a disciplina deficientes, intuentibus scandalum facimus, aut inepte id quod in nobis non est simulare conantes, irrisionem excitamus.

CAPUT VIII.

De disciplina in speciali.

Jam de disciplina in speciali inter fratres et extraneos servanda videndum. Inter fratres, primo de disciplina circa spiritualia quædam, deinde circa corporalia. Circa spiritualia vero, primo quantum ad amotionem mali, et quantum ad positionem boni. Quoad amotionem mali, erit primo de disciplina circa confessionem privatam, deinde circa publicam attendendum. Et cum disciplina per Hugonem, ut dictum est [1], bona et honesta conversatio describatur : in dicendis de ea, ad bonitatem simul et honestatem considerationis est oculus dirigendus.

CAPUT IX.

De disciplina circa confessionem privatam.

De quotidianis offensis, sine quibus hæc vita non ducitur, facienda est confessio : de privatis privata, de publicis publica, et nihilominus quandoque privata. Attendendum est de confessione privata, quibus, quoties, quando, et ubi fieri debeat; et quæ sit circa eam novis fratribus disciplina servanda. Debent superiori, vel, si ipse ordinaverit, instructori suo, et non alii, nisi ejus in absentia ei tantum, quem superior, vel instructor de superiorum assensu, eis duxerit assignandum, tribus vicibus in qualibet hebdomada, vel pluries, secundum quod necesse habuerint, indicto sibi tempore et loco, pro sacramenti reverentia, cum diligentia confiteri. Nunquam eis placeat vicaria confessoris mutatio, ut nunc uni confiteantur, nunc alteri : quin potius, si quando id cogat necessitas, notabilia deinde ad principalem referant confessorem. Causa tamen devotionis, eadem pluribus possunt confiteri. Aliter non est conscientiæ ordinatæ seu puræ varios quærere confessores. Fit tamen salubriter, ut cui de peccatis præteritis semel generaliter quis est confessus, de quotidianis etiam confiteatur eidem; vel novo si hæserit curatori, suorum denuo vulnerum perfecte aperiat corruptelam. Disciplinam circa confessionem discretio, puritas et reverentia probant. Habeant discretionis cautelam, ut antequam ad confessionem accedant, diligenti super confitendis consideratione præhabita, offensas prius suas speciales, deinde alias seriatim et breviter sine culparum et verborum replicatione inutili, prosequentes, confessionem suam sub prima et ultima culpæ nominatione concludant. Aliqua tamen devotioni interdum, vel conscientiæ replicatio indulgetur. Sit et pura confessio, ut confiteatur simpliciter et devote, sine excusatione vel accusatione, sine nominatione alterius, de quibus habuerit conscientiam remordentem. Nec specialia passim sub generalitate pertranseant. Tentationes suas et cogitationes malas, nulla ratione occultent; non contemnant modica, ne paulatim defluant ad majora [2]. In domo namque quam subintrans radius solis illuminat, quantumcumque fuerit præmundata, atomi nihilominus diligentius intuenti apparent. Sic et cor radiis gratiæ illustratum, etiam minima videt, ac vitiorum laqueos subtili examinatione discernit. Quanto quis fuerit mente purgatior, tanto se sordidiorem videbit, et majores causas humilitatis inveniet. Deponendæ tamen sunt scrupulositates quædam superfluæ, quæ conscientiam in erroris confusionem inducunt. Reverentiam non solum interiorem, verum etiam exteriorem decet confitentem habere; ut suo deferens confessori, se illi, sive in elatione capitis, sive in alia corporis dispositione, si commode vitare poterit, non coæquet; sed flexis genibus, dum confitetur, nudato ac demisso capite, sit humiliter coram eo.

Cui et quoties sit confitendum novitio.

Confessor non mutandus.

Quomodo confitendum.

Confessio sit pura.

Simile legans.

Scrupulositas superflua deponend

[1] Hug., ubi sup., cap. præc. — [2] *Eccli.*, XIX, 1.

CAPUT X.

De disciplina circa confessionem publicam.

Offensæ publicæ publicam, ut dictum est, confessionem requirunt. Circa quam attendendum est, ubi, de quibus, et qualiter fieri debeat. Confessionem hujusmodi facere debent, aut coram superiore in capitulo professorum, si adesse liceat et sit moris; aut coram instructore suo, quando tenet eis capitulum separatim; aut alibi private coram aliquo vel aliquibus, si private offenderint coram eis. Ante omnia, si perceperint se facto vel verbo aliquem vel leviter offendisse, ante comestionem vel dormitionem eum humili studeant satisfactione placare, et in petitione veniæ prævenire : ne alius præveniens de manibus eorum humilitatis mercedem subripiat. In capitulo professorum statim post *Pretiosa*[1], recommendationibus factis, se de manifestioribus et majoribus offensis accusent; deinde ipsum capitulum insimul exituri, et ad locum sibi determinatum, ad quem non sit sæcularium accessus, ituri. Mos tamen jam apud multos provide abnuit, fratres novos in capitulo satisfacere professorum; sed pro eorum offensis suus ibidem proclamatur seu præmonetur instructor. In secundo capitulo, videlicet instructoris (quod debet eis tenere duabus vicibus, vel pluries, si superiori videbitur, in qualibet septimana), super prædictis satisfaciant, si in primo capitulo non fuerit satisfactum. Alioquin super notabilibus et apertis, juxta ejusdem instructoris monitiones, offensis et negligentiis se accusent : qui super his, de quibus sibi expedire videbitur, eos charitative corripiens, prout cujusque moribus videbitur expedire, salutaribus debet instruere documentis : considerans diligenter, utrum Deum quærant ex animo, si sint ad orationem vigiles, et ad divinum officium solliciti, si ad injuncta faciles et devoti, si ad correctionem et opprobria patientes : ut sic de moribus eorum proposito, habeatur plenior certitudo. Matrem se illis in lenitatis dulcedine, patrem in correctionis censura exhibeat. Sit severior judicio, quam sermone. *Qui dulcis est eloquio*[2], *majora reperiet.* Nec oportet quod eis pœnitentiam coram toto conventu publice faciendam sine conscientia superioris imponat. Postremo, ut disciplinato et debito modo fiat hujusmodi confessio, debent circa eam, honestatem, cautelam et humilitatem servare. Honestatem, ut culpæ narrationem nudo capite, et non ridendo, non circumspiciendo, aut cum manu aliquid faciendo, sed junctis manibus potius, vel aliter honeste dispositis, exequantur. De cautela dictum est in capitulo præcedenti, quam in hoc præcipue habeant, ut se paucis verbis expediant, et in culpa sua nullum alium quam seipsos involvant : quod et cautelam et puritatem concernit. Humilitatem habere debent in gestu corporis et in verbis : in gestu quidem, ut ad terram, juxta fratrum consuetudinem, se prosternant humiliter; in verbis autem, ut verba subjectionis et pœnitentiæ nullam sint omnino notam superbiæ vel impatientiæ continentia. Quando in capitulo vel extra nimis austere, vel minus juste suo judicio, super aliquo arguuntur, non turbentur animo; sed potius pro fratrum diligentia circa ipsos, qui quos amant, arguunt et castigant[3], et exercitio virtutis oblato, in Domino gaudeant et exultent, ad verba et verbera propter Christum gratanter et humiliter parati sustinenda. Et licet fratres professi aliquando propter infirmos provide duxerint abstinendum, ne pro qualibet offensa reprehendant eos indifferenter, aut nimis superbe, quamvis pie, ut si quid in eis reprehensibile viderint, suo consultius denuncient instructori : ipsi tamen fratres novitii ab omnibus corripi, et ab omnibus erudiri affectent. « Qui non vult corripi, non vult corrigi,» ait quidam[4]: « Admoneberis, inquit, libenter, reprehende-

Culpa quomodo agnoscenda.

[1] Scilicet ad offic. capituli, post primam. — [2] *Prov.*, XVI, 21. — [3] *Apoc.*, III, 19; *Prov.*, III, 12; *Hebr.*, XII, 6. — [4] August., *de Correpl. et Grat.*, c. V; Senec., lib. *de Virtut.*, c. *de Contin.*

ris patienter. » Probata siquidem patientiæ virtus, reddet eos Deo et fratribus gratiosos. Culpam suam nullo modo defendant. Nimirum, ut ait beatus Gregorius [1], quæ defenditur culpa, geminatur. Sed si sentiunt se immunes, satisfactione semper, quantumcumque fuerint innocentes, humiliter præoblata, possunt innocentiam suam, cum reverentia tamen, corripienti ostendere, si requisiti fuerint, aut permissi. Unde S. Franciscus [2] : « Beatus servus qui non est velox ad se excusandum, et humiliter sustinet verecundiam et reprehensionem de peccato, ubi non commisit culpam ! »

CAPUT XI.

De disciplina quoad positionem boni.

Congruit jam de disciplina quoad positionem boni aliquid tangere : et primo de disciplina circa informationem cordis, ad quam est lectio illuminans intellectum, et oratio accendens affectum ; secundo circa exercitationem, ad quam divinum spectat officium ; tertio circa exercitationem operis, ad quam spectat altaris ministerium.

CAPUT XII.

De disciplina circa cordis informationem : et primo de oratione.

Instent orationi ferventer [3] : non solum in oratorio, verum etiam ubicumque fuerint, cum ipsi sint templum Dei [4] ; aut certe in lectis occulte, ac sine perceptibili sibilo. Quippe tanto securior, quanto secretior existit oratio [5]. Et quasi capitulum sibimet ipsis tenentes, in quo proficiant vel deficiant, quotidiana secum discussione perquirant. De vocatione sua, et innumeris beneficiis Salvatoris, gratias ei debitas tota mentis devotione solventes, quod inchoaverunt bonum, ab eo perfici instantissima oratione deposcant [6]. Nec solum pro se, verum etiam pro aliis tam vivis quam mortuis orent, et quasi quoddam *Memento* sibi constituant. Poterit oraturus primo de laude Dei incipere ; hinc impensa sibi beneficia memorare ; deinde necessitates quas patitur, et defectus exponere ; postremo humiliter postulare. Ordo tamen et modus, quem Spiritus sanctus suggerit, est servandus in oratione, et qui affectui magis sapit. Ad orandi studium meditatio provocat et informat [7]. Hugo dicit [8] : « Sic orationi sancta meditatio necessaria est, ut omnino perfecta esse oratio nequeat, si eam meditatio non comitetur, aut præcedat. Nam et hi, qui mala sua considerare negligunt, aut nihil petendo facile per ignorantiam falluntur, aut certe minus, quam oportet, digne petendo, per desidiam tepescunt. Quanto homo magis mala sua intelligit, tanto amplius suspirat et gemit. Primum ergo necesse est ut si prudenter et utiliter Deum orare volumus, animum nostrum jugi meditatione exerceamus ; et in consideratione miseriæ nostræ discamus, quid nobis necesse sit petere ; et in consideratione misericordiæ Dei nostri, quo desiderio debeamus postulare. Istis duabus alis, scilicet miseria hominis, et misericordia Dei Redemptoris, oratio sublevatur. Sit autem semper devota, quæ opportunitate juvetur, frequentia foveatur. Devotionem intentio, diligentia, puritas et affectio probant [9]. Tota mentis intentio, a curis exterioribus revocata, orationis vigilantiæ est applicanda, ne aliquid aliud, præter id solum, quod precatur, animus cogitet. Unde Isidorus [10] : « Non est labiorum, sed cordis oratio. [11] Dum orant, sic semetipsos considerent, tanquam præsentatos Domino majestatis. Negligentes autem orationes, nec ab ipso homine impetrare valent, quod volunt. » Et [12] : « Non in multilo-

[1] Greg., *Moral.*, lib. IV, c. XXV, al. XXVII, n. 49, et lib. XXXIII, c. XXIV, al. XXVIII, n. 50, quoad sensum. — [2] S. Franc., in *Admonitione ad Frat.*, ubi de correptione, part. I, firm. trium ord., fol. 20, col. 2. — [3] *Rom.*, XII, 12. — [4] I *Cor.*, III, 9. — [5] Bern., in *Speculo monach.* — [6] S. Bened., in Prolog. *Regulæ.* — [7] S. Basilius ita orandum docet, *Constitut. mon.* c. II. — [8] Hug. a S. Vict., *Instit. mon. de mod. orandi*, c. I. — [9] Ex eodem, ibid. — [10] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. VII, sect. 5. — [11] Ibid., sent. 37. — [12] S. Bened. *Regul.*, c. XX.

quio, sed in puritate cordis et compunctione lacrymarum, nos exaudiri sciamus. Et ideo brevis debet esse et pura oratio, nisi forte ex affectu inspirationis divinæ gratiæ protendatur. » Quanto vero timore, fervore et reverentia sit Domino supplicandum, insinuavit qui docuit nunquam sine gemitu esse orandum. Opportunitas loci et temporis, quietis, motuum internorum, dispositæ affectionis et otii ad orandum non transeat otiosa. Qui opportunitatem deserit, opportunitas eum fugit. Isidorus[1] : « Oratio privatis locis opportunius funditur, cum Deo tantum teste depromitur.[2] Proderit ergo aliquando ad obtinendam compunctionem, si ita semoti fuerint, ut puras manus ad cœlum levando, etiam suam interdum (*a*) audiant vocem. » Nonnunquam etiam ad sublevandam intentionem, in cœlum suspiciant, ut corpus pariter et animus tendatur ad Dominum; et ibi sit cor, ubi est thesaurus[3] suus Dominus Jesus Christus. Cæterum mane et vespere tempus est orationis opportunum : quod penitus peculiari vacuum oratione, si vacat, culpabiliter præteritur[4]. « Maxime autem cum profundum nocturnus sopor indicit silentium, tunc plane liberior erit puriorque oratio, nullo tunc turbata clamore, nulla aspicientis laude tentata. » Sic mentis tranquillitas, et quædam spontanea quandoque animi promptitudo, imo inspiratio quæ se offert, otiique libertas non innoxie negliguntur : quæ etiamsi desierint, labore sunt quodam ac studio comparanda, psalmorum, hymnorum, sanctarum meditationum, et genuflexionis instantia, devotionis est spiritus excitandus. Otium si desit, sicut ad cibum corporis, ita quoque ad refectionem animæ est vendicandum. Sicut enim carnalibus cibis alitur homo exterior, sic devotis orationibus homo interior pascitur et nutritur. Porro devotus quisque vix opportunitate fraudatur : Deum enim, quem ex animo quærit, ubique invocans invenit. Ignavus autem et tepidus, nec in ipso valet oratorio orandi affectum invenire. Plorat in convivio Magdalena[5], nec etiam præsentia eam impedit convivarum; in ipso autem templo desipit ipse Pharisæus[6]. Est autem frequenter orandum, quia oratio est hostis flagellum, peccatoris subsidium, proximi solatium, Dei sacrificium. Frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit[7]. In oratione datur voluntas bona. Oratio frequentata est munitio animæ. Quamobrem post horas canonicas, antequam oratorium exeant, aliquid laudis vel orationis gratuitum Deo munusculum offerant, quem frequenter per negligentiam in officii debiti exhibitione offenderunt. Assuescant huic consuetudini sanctæ frequenter insistere et constanter, motusque animi refugos discant Deo vel paululum applicare.

Frequenter orandum.

CAPUT XIII.

De lectione.

Lectionibus quoque divinis est anima nutrienda : idcirco illis qui primo circa divinum officium addiscendum (prout infra dicetur) extiterint, diligenter per instructionem imbuendi, scriptura est aliqua ex sacra pagina, ad morum informationem conveniens, providenda, potius spiritualis consolationis habendæ, quam studii gratia. Novorum studium fratrum in orationis instantia, in divini exercitio officii, et fratrum obsequiis maxime debet esse. In lectione itaque, si qua sibi permitti contigerit, non magis quærant scientiam quam saporem.[8] « Hauriendus est sæpe de lectionis serie affectus, et formanda inde oratio, quæ lectionem nonnunquam interrumpat. » Hoc enim modo divina lectio lecta confert intelligentiam salutarem. Et scientia quæ pro virtute despicitur, per virtutem postmodum melius invenitur[9]. Certis

De lectione est oratio formanda.

[1] Isid., *de Sum Bon.*, lib. III, c. VII, sect. 5. — [2] Ibid., sect. 37. — [3] *Matth.*, VI, 21. — [4] Bern., *in Cant.*, serm. LXXXVI, n. 3. — [5] *Luc.*, VII, 38.— [6] *Luc.*, XVIII, 11. — [7] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. VII, sect. 1. — [8] Guill. a S. Theodoric., *de Vit. solit. ad fr. de Monte Dei*, c. X, n. 31, inter Oper. S. Bern., tom. II, edit. 1690. — [9] Hug. a S. Vict., *Instit. mon.*, c. VIII, de instit. novit.

(*a*) *Suppl.* non.

autem horis, certæ lectioni vacandum est. Fortuita lectio et quasi casu reperta non ædificat, sed reddit instabilem animam. Cœptis est ingeniis immorandum, et assuefaciendus est animus. Fastidientis est stomachi multa degustare.[1] « De quotidiana lectione, aliquid quotidie in ventrem memoriæ dimittendum est, quod fidelius digeratur, et sursum revocatum crebrius ruminetur : quod proposito conveniat, quod intentioni proficiat, quod detineat animum, ut aliena cogitare non libeat. »

CAPUT XIV.

De divino officio in generali.

Quæ sint memoriter discenda.

Restat de officio, prout est in addiscendo, deinde prout est in exequendo, videre. Addiscendum est divinum officium, maxime in principio diligenter. Et licet de totali officio, et ordinis ejus usu seu forma, notitiam habere oporteat; sunt tamen quædam communia, scilicet officium B. Mariæ Virginis, et mortuorum; commune de sanctis, cum psalmis, hymnis, et cæteris omnibus ad illud spectantibus, lectionibus tantum exceptis : Prima, Completorium, et *Pretiosa*, capitula et preces : suffragia horarum ferialium, absolutiones et benedictiones, quæ in matutinis dicuntur, hymni feriæ, Laudumque psalmi, et cantica; benedictio quoque mensæ cum gratiis, necnon et psalmi Primæ dominicalis, omnes etiam psalmi a centesimonono usque ad ultimum, nisi totum, quod magis expedit, discatur psalterium, sunt corde tenus addiscenda, et menti per exercitium arctius imprimenda. In sabbatis quoque et præcipuarum solemnitatum vigiliis, prævidendum est divinum officium, tam in littera, quam in nota. Quoties autem extra chorum cantatur, propter honestatem, et ne orantibus vel studentibus fratribus impedimentum præstetur, vocem in cantu deprimi decet. Et post refectionem. præcipue in verbis modestiam congruit observare. Ante sumptum cibum, ut inquit[2] Hugo, magis hilares esse convenit, ne ipsa nostra abstinentia gravis et molesta videatur; post vero, magis modestos et tacitos, ne, per gulæ vitium, crapula nos inflasse videatur.

CAPUT XV.

De disciplinæ officii in choro.

Ad disciplinam in divino officio cum in ecclesia dicitur, observandam, reverentia specialis, diligentia quoque et honestas præcipue requiruntur. Reverentia tam interior, quam exterior, est habenda. Interior, ut cum timore et humilitate, tamquam Deo visibiliter præsente, psallamus. De hoc ait B. Benedictus[3] : « Ubique (inquit) credimus divinam esse præsentiam : maxime hoc sine dubitatione aliqua credimus, cum ad divinum opus assistimus, ideo semper memores simus, quod ait Propheta[4] : *Servite Domino in timore*. Consideremus qualiter oporteat nos in conspectu divinitatis et angelorum ejus assistere, et sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ. Reverentia exterior in hoc attenditur, ut devote inclinetur, et quando standum fuerit, stetur; fiat etiam prostratio, quando fuerit facienda : de quorum disciplina infra tangetur. Est et reverentiæ, ut in officio ad ea, quæ more agente singulariter unus dicit, ut puta collectas, versiculos, et alia quoque hujusmodi, caput nudet; nempe quæ ab uno dumtaxat in ecclesia de more dicuntur, nudato capite etiam habent dici extra chorum. Orandum est secundum Apostolum[5] capite non velato, saltem ubi aliquid solemni distinctione profertur. Nudi quoque reverentia capitis, vel verticis, devota quædam in officio veneramur. Verum irreverens quisque nec solemnia, nec alia devota discernit. Diligentiam in officio probat strenuitas quædam prudensque sollicitudo, habens circa necessaria providentiam, et contra impedimenta cautelam. Strenuitas

[1] Guill. a S. Theod., ubi sup. prox. — [2] Hug., *Instit. mon. ad Novit.*, c. IV. — [3] S. Bened., *Regul.*, c. XIX. — [4] *Psal.* II, 11. — [5] I *Cor.*, XI, 7.

corporis inertiam fugat torporis, nec dormitationes, quas pigritia nutrit, patitur. Quippe

Intenta supplicatio,
Dormire cor mundum vetat [1].

Dormitatio in officio tunc maxime imputatur, et omissi dicitur restitutione officii redimenda, quando manum in sinu tenendo, vel segniter appodiando, ei occasionem quis præstat, aut surrepentem viriliter non repellit. Providentia respectu rerum providendarum et dicendarum attenditur : ut videlicet libri, et alia necessaria ad officium, præparentur tempore opportuno ; legenda quoque et cantanda studiose ante prævisa, quando et quomodo sint dicenda, dicantur. Debitus legendi et cantandi modus est, ut nec nimium festinetur, nec nimia fiat, aut inæqualis protractio : sed cum pausantibus statim pausetur, ut vox unius vix inter alios discerni possit. Cautela denique est necessaria, ut eorum, quæ divinum impediunt officium, occasiones vitentur.

Modus lectionis.

Eapropter dum officium quis dicit, non debet studere, aut per libros respicere, aut alicui, si vitari possit, occupationi vacare, sive in lampadibus præparandis, sive in quibusdam aliis, quæ usque post officium commode differri possunt. Indignum quoque in divino officio, venandis vermiculis et mactandis intendere, quibus palam in oratorio digitos, aut ligna fœdare frons inverecunda non metuit. Honestas in choro, in exteriorum actuum gravitate, in corporis decenti et uniformi dispositione accipi potest. Sane *in populo gravi* [2] laudatur Deus : gravitas autem inquietudinem, dissolutionem et tumultum excludit. Inquietudo in motu membrorum consistit : sive capitis in circumagendo, sive oculorum in circumspiciendo per chorum, vel alibi, ubi potius ad librum pro psalmis vel aliis veraciter decantandis, vel ad terram pro vagis arcendis respectibus, mentis non mediocriter vagationem causantibus, urgendi sunt; sive manuum in fricando, vel volvendo curiose librorum folia, vel aliud superflue faciendo ; sive pedum in discurrendo, ut si quis oratorium frequenter exeat aut per chorum frivolis occasionibus inventis discurrat. Tunc enim etiam utilia sunt aliquoties differenda, propter vitationem discursus. Dissolutio vero in verbis, aut risu (quibus in choro vanissimum est dissolvi), et in cantu considerari potest : ut si quis punctos in nota nunc diminuens, nunc pro suo libitu addens, muliebriter frangat, aut in falsetum extollat : quod est cunctis et maxime novis fratribus omnino impertinens. Nunquam in choro altius cæteris cantent, sed communem psallentium vocem teneant. Ridiculum etiam, si altiori cæteris voce quis cantans, post dictionem vel syllabam, ab illa vocis altitudine recidens, vel eam per interpolationes resumens, non continuet quod incœpit. Tumultus in choro per vocis susurrium, per importunitatem spuendi, seu excreandi, seu per impetuosam elevationem vel depositionem sedilium fieri solet. Quam turpe sit in choro susurrium, palam est : nescit tamen indisciplinatus et levis lubricam linguam a sibilis vel mussitationibus cohibere. Vitanda quoque est in conventu, seu congregatione, oratio sibilosa. Inepta namque oratio, quæ una plures, et sæpe deterior impedit meliores. Est etiam caute vitandum, ne dum singulariter aliqua dicuntur in choro, ut collectæ, capitula, etc., notabilis spuendo et excreando sonitus fiat, usquedum capitula ipsa, collectæ, vel lectionis periodus compleatur. Circa hoc etiam, dum prædicatur aut legitur, similis est opportunitas observanda. Sedilia vero debent non passim cum pede, sed cum manu elevari, et caute deponi, ne aliquis ex hoc sonitus in domo Dei audiatur. Congrue tamen lectionem vel epistolam incœpturus expectet, quousque consedentibus fratribus, sedilium si quis fuerit tumultus, quieverit. Ad hæc honesti fratres, in corporis dispositione, decenter et uniformiter sint in choro : decenter, quod

Dissolutio in choro vitanda.

[1] Prudent., *Hymn.* fer. 3, ad Laud. — [2] *Psal.* XXXIV, 18.

sine vaga dispositione vel turpi; vaga, ut quando chorum ingressi, vel intrante vel astante conventu, nunc segniter resident, nunc stantes quidem hac et illac membrorum, ut languentium, incongrua quadam exagitatione se gyrant, nunc statuæ instar stallo affixi, et e regione dispositi, velut sui obliti, nec ad altare demissis, ut decet, luminibus, ante inceptum officium, oraturi se vertunt, vel alias irreligiose disponunt; sed nudato etiam aliquando capite, circumquaque, ut cervus in saltu, vel ruralis in theatro, gyrovagando respectibus, oculos in advenientium vel coastantium vultus infigunt, suoque indisciplinato intuitu collateralium orationem, quam ipsi negligunt, etiam impediunt. Turpis autem erit, si sint ibi molliter aut remisse se in stallis suis brachiis tibiisque resolutis, notabiliter incurvando, aut in partem unam penitus ut possunt protenso, in alteram corpore accubando, ita ut lecti mollitiem quærere videantur; aut dum ad altare veris, super lignum quod stallum dividit, se inclinant extensione scapularum, vel capite anterioris stalli spatium occupando, et tergum ad retro stantem socium protendendo, aut dum sedent pedes suos usque ad scabellum formæ contiguum licentius extendendo. Notabilis tibiarum extensio vel dilatatio, dum sedetur, minus honesta est. Indecens ergo quæ vaga et turpis est dispositio, imo utrobique deformitas, sed maxime in officio, conventu assistente vitanda. Honestos enim per omnia exigit mores, conventualis honestas. Uniformitas est in prostratione et inclinatione specialiter (quamquam in aliis generaliter) observanda. In prostratione, ut non alius subtus formam chori, et alius super sedile; sed omnes supra dictam formam se prosternant, et operto capite silenter orent, ne impediant circumstantes, manu ad genas accubitando nunquam applicata, aut brachiis extra eamdem formam extentis, sed super istam honeste et humiliter dispositis. In inclinatione, ut uniformiter apud omnes sit tempestiva, devota, sufficiens et honesta.

Uniformitas in choro.

Inclinatio ut fieri debeat.

Tempestiva quidem, ut inclinaturus surgendo, et elevando sedile, tempus vel paululum inclinationis præveniat : ut verbi causa, quando post psalmum fuerit inclinandum, ultimi versus fine jam accedente, surgatur, quatenus deinde libere inclinetur : vel certe inclinationem, sedis aptatio subsequatur. In inclinatione vero debet devotio apparere, ut fiat humiliter et profunde. Non est devoti, sed pigri, rigido stante corpore, tenui motu corporis inclinare. Etenim corpus, depressis aliquantulum renibus, ne capiti coæquetur, adeo demittendum, ut ipsum fere super genua, brachiis interpositis reclinetur. Alioquin inclina, si nosti facilius, humiliter tamen et profunde. Extra chorum tamen, et aliquando forte in choro, in officio plane et sine cantu dicto, minor sufficere videtur inclinationis profunditas. Sunt qui culpabili admodum remissione traducti, hunc reverentiæ cultum Domino subtrahentes, evacuant, dum aut resident prorsus usque post factam memoriam Trinitatis, aut tunc etiam surgunt, et sedili elevando intendunt, quando fuerat inclinandum, aut ex negligentiæ vitio non inclinant. Quanti tamen sit hæc noxa detrimenti, beata Dei genitrix seniori cuidam in choro psallentium fratrum indicasse refertur : quæ inclinantibus ad sanctæ memoriam Trinitatis, suum ipsa filium singulis offerebat; quemdam vero minime inclinantem, verso ab eo vultu, velut hac gratia indignum pertransibat. Sufficiens, seu etiam perfecta debet esse inclinatio, ut ab ea citius debito non surgatur. Honor quidem Patri et Filio et Spiritui sancto, sine differentia exhibendus est. Honestas quidem in corporis, manuum et habitus decenti dispositione consistit. Et quantum ad habitum, ut maxime caputio caveatur, ne operta fronte super oculos defluat cum inclinatur. Proderet ad unitatem servandam, de communi officio notitiam habere. Pulchra valde uniformitas in congregatione et conventu fratrum, ubi debent et mores et animi convenire. Unanimes uniformitas in fratrum conventu decet,

quæ in moribus plurium unitiva, uniformes ordinat et decorat.

CAPUT XVI.

De disciplina officii extra chorum.

Si quando extra chorum officium dixerint, diligentiam nihilominus et honestatem prædictam debent, in quibus poterunt, studiose servare : ut dimissis omnibus quæcumque in manibus fuerint, stantes cum reverentia, juxta traditionem ecclesiasticæ disciplinæ, præterquam ad lectiones in Matutinis, vel quando alias Creatori suo debitas cum devotione laudes exsolvent, flectentes genua, vel inclinantes, pro tempore cum timore Dei. Si quando eos ad sedendum debilitas evidens, vel nimia lassitudo compellat, saltem ad inceptionem officii, ad invitatorium, hymnos et orationem dominicam, et a capitulo in ante surgere non omittant. Si etiam in lecto ægritudinis decumbant, reverentiam nihilominus aliquam faciant, prout possunt. Sanctus Hieronymus, qui tanta legitur[1] lassitudine fatigatus, ut etiam in stratu suo jacens, funiculo trabe suspenso, manibus apprehenso, supinus erigeretur, ut scilicet officium monasterii, prout poterat, exhiberet, dum exhaustis viribus senex nec senectuti parcit, nec debilitati blanditur, desidem juniorum, quibus corporis vires utcumque sufficiunt, irreverentiam, imo dignam derisione desidiam, signis arguit, et confundit. Alius pro lentarum tædio febrium, completorium in lecto exsolvere assuetus, fertur per angelum reprehensus audiisse : « Completorium sub cocco, nec fructus, nec utilitas. » Sane in officio Dei curanda ubique magnopere reverentia et honestas, cum ubique sit eadem ejus, cui tunc loquimur et astamus, deitas et majestas. Tanto enim amplius reverentiæ et diligentiæ studium divino debetur officio, quanto id Deo immediatius exhibetur. Cura officii diligens, maxima status integritas; neglectus officii, maxima vitæ corruptio, maxima religionis deformitas. Nemo Dei se æstimet servum, si Dei potissimam negligat servitutem, quæ, appropriato vocabulo, *Dei servitium* nuncupatur. Debent dicere officium distincte, continue, integre et ordinate : distincte, ne verbum masticando, vel exiliter proferendo, vel nimium festinando, dicenda confundant; continue, ut interruptiones in eo non fiant interloquendo, nisi urgente necessitate : et hoc quidem psalmo, vel oratione, vel quocumque alio, quod tunc fuerit dicendum, completis, nisi psalmus vel oratio, quem interrumpi oportuit, continuo a capite resumatur, aut inter psalmum, et psalmum mora notabilis fortasse fiat. Parisiis, ut fertur, cum quidam Theologus unius horæ canonicæ incœpisset officium, superveniente Episcopo ad loquendum cum eo, caput sine locutione inclinans, horam incœptam, Episcopo expectante, finivit : quam deinde dilationem colloquii, ne moleste ferret, admonuit, causam subinferens, quod majori Domino loquebatur. Quidam propter interruptiones in officio factas, gravissimo afflictus purgatorio memoratur. Integre dicant, ut de dicendis nihil omittant. Proinde si plures fuerint, qui simul officium dicant, et unus vel duo juxta laudabilem consuetudinem psalmos, antiphonas, hymnos, et responsoria voce pronuntient altiori, non putent sibi sufficere quod ab aliis dicitur; sed omnia quæ ad suam pertinent partem, ac si essent in choro, sub silentio integre dicant : cum officium extra, eamdem quam intra, integritatem requirat. Ordinate denique officium in substantia, tempore, et modo, et omnibus exequi studeant. Postpositiones, implicationes, variationes facile non admittant. Honeste tamen *Pretiosa*, vel aliud extraordinarie aliquando dicitur, dum tamen

Servus Dei non est, qui ejus negligit servitutem.

Officium divinum ut persolvendum sit.

[1] Habetur in vita S. Hieronymi, incerto auctore descripta. Factum ita narrat Marianus Victorius : Sigibertus, qui nonaginta et octodecim annos eum vixisse asserit, corpus laboribus ita confectum Hieronymum habuisse scribit, ut nisi fune manibus apprehenso, qui ad hoc ei de trabe pendebat, surgere de lecto non potuisse testatur. » *Vit. D. Hieron.*, in præliminio ejus *Epistolarum*, Paris. 1578.

idipsum suo tempore minime negligant. Quis autem sine grandi conscientiæ scrupulo, proprium officii ordinem, sibique religionis sanctione impositum, pro alienis quibuslibet prætermittat, aut qualibet variatione deformet? Quis nisi vanissimus et imprudens, pro certis dubia, pro authenticis vana, pro necessariis curiosa inducat? Sint igitur sanctorum officii conditorum devota et stabili ordinatione contenti : nihil eorum vel communi ordinis institutioni præponant, quantumlibet serium et devotum; nec desipientium more stultorum Græcorum glorias æmulentur. Insipienti enim non nisi sua placent : omnis stultitia laborat fastidio sui. Tempus quoque congruum servent, nec facile præter necessitatem diurnas horas, sive Primam, sive Completorium saltem canonicum, sive alias, in nocturnas convertant. Fuerunt qui hoc quarumdam obtentu traditionum defenderunt, ordinationem ecclesiasticam officii, confusione temporis irritam facientes. Quando fuerint duo vel plures, quasi chorum sibi constituant, et psalmos atque hymnos accipiant alternatim, ut est consuetudinis conventui. Congruus ordo est in omnibus, ubique, provide disciplinato servandus. Ordinatum animum, ordinis decor et condecet et condelectat. Inordinati vero est animi etiam in exterioribus ordinem non curare : et tamen ordinationis exterioris religio, attentionem excitat et affectum.

CAPUT XVII.

De altaris ministerio curando.

Altaris ministerium ob reverentiam corporalis præsentiæ Salvatoris, munditiæ, reverentiæ, diligentiæ, honestatis, et circumspectionis studium speciale requirit. *Mundamini*, ait Propheta [1], *qui fertis vasa Domini.* Haud dubium, hoc de ministris altaris convenienter intelligi, quibus spiritualis et corporalis munditia est habenda. Spiritualis, ut nullus de peccato conscientiam habens læsam, vel somno pollutus nocturno, ad tangendum sacra vasa, vel ad ministrandum, antequam fuerit confessus, accedat. Nec debet celebraturus confessionem privatam, quæ ante celebrationem de quotidianis offensionibus fieri consuevit, usque ad altare differre. Corporalem quoque munditiam requirit corporalis præsentia Salvatoris. Idcirco ministri altaris non solum antequam se ad ministrandum induant, verum etiam postquam fuerint omnino parati, expeditis communibus, ad calicis ministerium accessuri, suas iterum lavent manus. Hoc enim semper debent cavere cautissime, ne communibus manibus, aut manicis suis, vel post immediatum rerum contactum, calicem, aut qui ad ipsum pertinent pannos, vel corporalia tangant; sed si lineam tunicam, quam rochetum vocant, vel superpelliceum cum strictis manicis, vel aptum aliud non habuerint indumentum, calicem præparandum, et in fine Missæ plicandum sacerdoti relinquant. Reverentiam debent ministri altaris tam ad sacerdotem, quam ad ministerium et res etiam de propinquo ad ipsum ministerium pertinentes habere. Circa sacerdotem, ut quando secum altari assistunt, per aliquantulam capitis inclinationem, et sui elongationem ab eo, ac per humilem debiti exhibitionem officii, reverentiæ signum ostendant. Si vero sederit, et ipsi tantum in superpelliceis fuerint, nequaquam juxta ipsum in sedilibus, videlicet coæqualibus sedi ejus, sed ad scabellum ejus potius, si aptus fuerit locus, vel alibi sedeant. Venerentur eum decoro, ut convenit, comitatu, et maxime quando se vertit ad populum, ei adsint; quem ubique ut in officio, sic et eo expleto in vestiarium revertentem deducant, ut acies ordinata, ad altare, deinde si opus fuerit, reversuri. Ministerio reverentiam exhibent, si motu debito, et habitu ipsi ministerio convenienti, assistant et ministrent. Aliter enim non sine nota irreverentiæ ministratur : ut si quis, quamvis diaco-

Mu tia d mir trum taris

Sacer tes nor dos.

[1] *Isa.*, LII, 11.

nus, vel sacerdos, in superpelliceo ad Missam ministrans, corporalia super altare, præsente sacerdote vestibus sacris induto, replicet aut componat; si quis non habens superpelliceum cum strictis manicis, vel aliud idoneum indumentum, corporalia et calicem tractare aut panem et vinum in communi habitu ministrare præsumat; si quis hostiam in communi eligat loco, vel electam reponat, quæ in pyxide manu sua mundissima est potius eligenda, et electa super patenam ipsam, vel super corporalia decentius reponenda. Nec audiendi sunt illi, qui ad mensam Domini non aliam, quam ad mensam corporis, curant munditiam, super pannos qui libris ad secretarum vel pallarum custodiam supponuntur, calicem passim vel consecrandam hostiam reponentes. Singularem hostiæ cultum, singularis decet munditia. Ad res quoque necessarias, ut sunt corporalia, panni calicis, ipse calix, et missale, est reverentia adhibenda, quam munditiæ studium maxime probat. Hujus intuitu, pannus omnis suspectus, aut quem color impedit ablui, a corporalibus arcetur et calice. In pyxidibus hostiarum mundissimus sacculus lineus hostias contineat. Similiter et calices mundis sacculis lineis involvantur. Quisquis ergo ad altaris utensilia sacra reverentiam munditiæ curat, circa ipsa operosius studeat. De communibus libris, si quos aliquando propter officium, inevitabili forte necessitate cogente, poni super altare contingit, omnino caveant, ne corporalia vel pannos calicis aliquo modo tangant. Cum corporalibus vel calicis ipsius mappula, nunquam labia vel oculos tangant, devotionis alicujus obtentu. Calix cum summa tractetur munditia: quando de loco ad locum defertur, non super librum aut vestimentum, sed alte in manu mundissima, vel repositorio portetur : nec extra repositorium ipsum, præterquam super altare, vel in alio loco mundissimo, teneatur. Missale in loco reponatur honesto : et si nonnunquam illud extra ecclesiam, vel alias quam ad Missam teneri contingat, panno aliquo mundo præter suam camisiam involvatur. Denique reverentiam in ministerio habitus decens, cura munditiæ, et in executione maturitas attestantur. Reverentia simul et cautela munditiæ, communes corporis vestes prohibent ab altari. Et si in his plurium opponas ineptias, habet æmulos plurimos vitium, rarissimos disciplina. Non a pluribus, sed ab honestioribus forma sumenda est. Ad hoc tam celebrans, quam minister, circa officium suum, magnam debent diligentiam adhibere. Sacerdos quidem circa pronuntiationem dicendorum et agendorum in Missa, ne defectum faciat, (*a*) in dicendis formam, seu modum ordinis in celebrando postponens, alia auctoritate sua introducat. Oblationi calicis aquam ipse infundat, quod a nullo sine ipsius jussione est præsumendum. Debet etiam circa custodiam munditiæ manuum et pannorum esse intentus : manuum, ut eas ad tangendum communia, vel carnem nudam, sive in facie, sive alibi non apponat, nisi eas continuo lavaturus; pannorum, ut nunquam ad indudumenta sacerdotalia, maxime ad infulam [1] nares emungat, vel aliter ea quoquo modo deturpet. Ministris vero diligentia debet esse circa ea quæ necessaria sunt celebranti, et circa munditiæ custodiam ac conservationem (*b*) vasorum et pannorum pertinentium ad altare. Ministrorum est, ut præinduti celebraturum cum diligentia præparent, ejusque indumenta post officium plicent : et quæ ipsi sacrum ministerium exequenti opportuna fuerint, hora, tempore et loco congruis offerant. Nunquam ad Missam privatam, legendi vel orandi gratia, solo vel sedibus se totaliter prosternant, nec latitent post cortinas; sed palam coram altari, non tamen a latere celebrantis assistant, versus eum, circa quem tunc oculus debet esse, aspectum quasi continue directuri; non tamen in faciem ejus, maxime post Canonis inceptio-

Corporalia sint munda.

Calix reverenter tractandus.

Ministrorum officium.

[1] Infula filamentum sacerdotis, quod nobis dicitur amictus.

(*a*) *Suppl.* neve. — (*b*) *Cæt. edit.* conservationis.

nem, intendant. Nec ei, præsertim a parte libri, nimis appoprient (*a*), aut circa ipsum aliquem tumultum faciant. Summa quietis tranquillitas est necessaria celebranti. Vasa et pannos munde tractent apud eos, et teneant. Si pannus calicis ad terram ceciderit, nullo modo, antequam lotus fuerit, iterum calici apponatur. Circa finem Missæ calicem plicaturi, ipsum cum aqua post vinum recenseant (*b*), ne pannos inficiat adhærentes. Nunquam super altare vinum et aquam ad mundationem, vel alias, si vitare potuerint, ministrent. Si tamen ob incuriam sacerdotis oporteat, subtus ampullas, quæ vinum et aquam continent, manum, ad retinendum guttas, ne super altaris pannos cadere possint, apponant : super quos etiam pannos, nec ipsæ reponendæ sunt ampullæ. Ad hoc debet, qui ministrat ad Missam, superpellicium, si habuerit, conservare : ne cum eo aliquatenus nares emungat, vel sudores a facie, vel alias undecumque detergat; nec ipsius manicas, maxime ad pulverem, super ligna, lapides, vel super terram exponat. Quod tamen si nonnunquam per aliquorum negligentiam accidit, cavere debent ne corporalia, calicem, aut pannos ejus, cum ipsius superpellicii manicis tangant. De aliis indumentis, quoties ea plicant, sollicite caveant, ne unquam manicæ terram tangant, vel usque ad ipsorum vestimentorum fimbrias descendere permittantur; sed sive tunicæ lineæ, sive quæcumque alia indumenta plicantur, manicæ semper longe a fimbriis collocentur. Debent iterum ministri altaris propter vasorum et vestium (ut dictum est) conservationem attendere, ne calicem, quando reponunt, stricte ligent, quia sæpe per hoc deterioratur non modicum, et paulatim obtusus conquassatur. Vasa quoque altaris et utensilia in locis suis diligenter, ut convenit, præparata reponant. Vestimenta etiam plicare non negligant et aptare, nisi pro aliquo celebraturo ea quis dimitti requirat. Sed quid horum expressionibus immoror? In omnibus enim quæ ministerium Dei contingunt, speciali nimirum diligentia opus est. Si agendis ministeriis terreni regis studiosissimam homines curam impendunt, quantam putas æterni Regis ministeriis impendendam? Cæterum si ministri altaris intendere debent honestati, multo amplius tamen per omnem modum sacerdotes qui celebrant. Postquam ergo fuerint vestibus sacris induti, cum magna debent maturitate incedere, et præcipue cum altari assistunt, gravitatem in motu et gestibus, laudabili curiositate servare. Nunquam genuflexuri, quamdiu sacerdotali casula sunt induti, nisi temporibus ab Ecclesia institutis. Super altare quoque se non appodient inhoneste, nec manus suas hac et illac inordinate deducant. Quando se vertunt ad populum, non erigant oculos, ut videant assistentes. Denique circumspectos decet eos esse, specialiter circa corporalium dispositionem et custodiam, circa calicis collocationem, circa Domini corporis consecrationem, sanguinis susceptionem, et mundationis industriam. Circa corporalia, ut ipsis super altare replicatis, usque ad anteriorem ipsius altaris oram, sit spatium competens, ne super eadem manus suas, aut manicas indumenti teneant, Calicem ante oblationem super corporalia nunquam ponant, sicut post oblationem fieri consuevit : sed ipsum usque ad oblationis tempus, ad corporalium teneant latus. Circa consecrationem inter cætera solerter provideant, ut cum hostia fuerit consecranda, ita parum et caute in principio eam levent, quasi scutum sibi de manibus (depresso aliquantulum pollice) facientes, ut, si fieri potest, ante consecrationem a circumstantibus videri non possit, ne a simplicibus adoretur, qui quanto citius eam viderint in manibus sacerdotis, incaute nondum consecratam adorant. Cum autem consecratio fuerit consummata, hostiam sine mora notabili duabus manibus, quantum expedit, ut ab hominibus possit videri, cum omni reverentia elevantes, tam in elevando, quam in

Corporalia quomodo plicanda.

Jam conservatur fabrica missa Romana novi.

(*a*) *Cæt. edit.* approprient. — (*b*) *Al.* abluant.

reponendo, debitam maturitatem servent (*a*); nec post vel ante elevationem osculentur eamdem. Si super altare viaticum celebrant, consecrationem facturi manum cum hostia consecranda super ipsius altaris viatici lapidem teneant, ne fiat consecratio juxta, et non supra ipsum. Circa sumptionem calicis caveant, ne ipsum sumendo, vel calicem exguttando, per nimiam extractionem, tumultum quemdam vel sibilum cum labiis faciant, aut post sumptionem digitos lambant. Erit etiam tutum, si, dum sanguinem sumunt, calicem tenentes cum dextera decenter, et patenam cum sinistra supponant, sanguinem, si quid effundi contingeret, recepturam. Super quam si frangi corpus Dominicum, aut reponi contingat, ipsa deinde vino et aqua, vel altero illorum sufficienter debet infundi. Incongruum et indignum, ut patena, post Christi corpus sanctissimum, communi tactui pateat non mundata, et rebus quibuslibet, licet mundis, sine differentia exponatur. Si sentis aliter, credo, ut post patenæ vel calicis, aut corporalium tactum, non sunt manus communicandæ communibus, ante factam post tactum hujusmodi lotionem. Si calicis petatur mundatio pro infirmis, primam nullatenus aut secundam perfusionem exponant; sed prius semper mundationibus solitis perfectis, aliud denuo vinum calici apponatur petentibus indulgendum.

CAPUT XVIII.

De disciplina circa ea, quæ ad corpus sunt.

Habito de disciplina circa spiritualia, sequitur de ipsa circa corporalia. Et primo circa ea, quæ in nobis sunt; secundo circa ea, quæ extra nos sunt respectu eorum quæ in nobis sunt. Primo videndum est de disciplina respectu totius corporis, quantum ad gestum; secundo, respectu partium corporis, quantum ad actum. Et primo, respectu linguæ, quantum ad duo opera naturæ, in quibus congruit officium linguæ, scilicet quantum ad loquelam et gustum; secundo, respectu manuum, ut in exercitio manuali; tertio, respectu pedum, ut in incessu; quarto, respectu membrorum omnium, quantum ad aliqua ipsorum officia. Deinde circa ea, quæ extra nos sunt: primo quantum ad ea, quæ de prope, ut est vestis et habitus; secundo quantum ad ea, quæ de longe, ut sunt officinæ.

CAPUT XIX.

De disciplina in gestu.

Circa disciplinam in gestu (qui modus, et figuratio membrorum et corporis dicitur) duplex est custodia adhibenda. Prima est, ut unum membrum alterius officium non usurpet, aut ejus ministerium sui admixtione confundat. Si os loquitur, caput non agitetur, manus non moveatur, et sic de aliis: ut dum alterum membrum operatur, alterum quietum omnino permaneat; aut si opera ejus necessaria illi esse cognoscitur, ad operandum ordinate moveatur. Secunda disciplinæ custodia est in gestu, ut quodlibet membrum in eo, quod facit, debitum modum teneat, nec temperantiæ limitem, aut honestatis formam excedat: hoc est, ut in paucis exemplis probemus, ridere sine apertione dentium; videre sine defixione oculorum; loqui sine extensione manuum, sine contorsione labiorum, sine agitatione capitis, sine elevatione superciliorum; incedere sine modulatione gressuum, sine ventilatione brachiorum, sine gesticulatione scapularum; jacere sine dejectione membrorum; sedere sine alterutra superjectione pedum, et sine alterutra accubatione laterum, sine divaricatione seu dilatatione crurium, sine extensione vel agitatione tibiarum. Nempe honestum et humilem fratrem femori suram imponere, vel pedes palam cancellare non decet. Arcendi, sicut in publico, ita et in secreto sunt gestus inepti. Gestus denique religiosi debet esse humilis, severus et gra-

Gestus religiosorum quales esse debeant.

[1] Ex Hugone a S. Vict., *Instit. mon. ad Novit.*, c. XII, sub fin. — (*a*) *Cæt. edit.* servet.

vis : est enim reprehensibilis gestus, si superbiam, si mollitiem, quæ nunc per lascivam hilaritatem, nunc per nimiam dejectionem infatuat, aut si etiam levitatem prætendat. Turpis in humilitatis professore superbia. Fœda prorsus in humili habitu gesticulatio fastuosa. Sic non est viri muliebrem habere mollitiem, puerili levitate. Gravitatis modestia multam affert servata moribus honestatem, neglecta maculam et contemptum. Mortificata secundum Apostolum [1] super terram membra, gestus debent mortificatos habere.

CAPUT XX.

De disciplina in modo loquendi.

Sermo sit modestus et humilis.

[2] Disciplina loquendi tam in modo et provida, quando loquendum sit, discretione, quam in verborum religiositate attenditur. Modus in gestu et sono considerari potest. Loquentis gestus debet esse modestus et humilis, sonus demissus et suavis. Modestiam debet habere gestus loquentis : ut nec inordinate, nec turbulente inter loquendum membra moveat, nec oculorum nutibus, labiorum contractione, vel altero non decenti alterationis modo, vultus honestatem deformet, aut faciem ipsam mollitie quadam resolvat humilitatis ostentu ; sed in eadem vultus constantia semper permanens, severitatem benignam et constantem, et quodam modo rigidam benignitatem prætendat. [3] In facie siquidem hominis speculum disciplinæ relucet : cui tanto major custodia est adhibenda, quanto minus quod in ea fuerit peccatum celari potest. Vetat quoque loquentem gestus modestia, ne se hominibus notabili quadam supplicationum profunditate incurvet, aut ejus cui loquitur vultui nimis instet : ne inhoneste quidem in ejus faciem halitus aspiratione insufflet, aut halitu ipso, post vinum potatum, sensum maxime narium offendat. Loquentis halitus vultui auditoris, et naribus, vitiose prorsus ingeritur. Debet etiam gestus humilitatem, modestiam, ac vultus hilaritatem prætendere. Sonitus debet esse demissus pariter et (*a*) suavis, quia clamositas et verborum asperitas, locutionem religiosi plurimum quidem et dedecet et deturpat. Discretio præterea, quando loquendum sit, necessaria est, quia [4] *ex ore fatui etiam parabola reprobatur, quia non dicit eam in tempore suo.* Sapiens quando loquendum, et quando tacendum sit, prudenter considerat. Est autem junioribus fratribus fere semper inter seniores usque ad interrogationem tacendum. *Adolescens*, ait Scriptura [5], *loquere in tua causa vix*, cum necesse fuerit. *Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum.* Silet etiam *a bonis* [6] Propheta. Ergo quamvis de bonis, sanctis, et ædificationum eloquiis, perfectis discipulis rara conceditur loquenti licentia. [7] « Nam loqui et docere, magistrum condecet ; tacere et audire discipulo convenit. » Loquente alio nunquam loquantur, aut verba loquentium quovis pacto interrumpere præsumant. Nec mordaci vel importuno insultu, sociorum locutionem impugnent. Stultorum enim hæc sunt, qui nec linguæ parcere, nec sociis deferre noverunt. Si qui etiam mutua se collatione impetunt, per impositionem silentii, et aliam pœnam condignam merito reprimuntur. Religiositas debet in locutione servari, ut sit sermo veridicus et purus, sit dulcis et honestus. De veritate sermonis Sapiens dicit [8] : *Ante omnia verbum verax præcedat te.* Non solum igitur mendacia, et quæ criminosa sunt, verum etiam locutiones hyperbolicas, et aliqua duplicitate notabiles, penitus vitent. Loquentes de dubiis aut futuris, nunquam absolute loquantur ; sed in hujusmodi omnibus semper conditionem apponant. Præcisa enim de indifferentibus verba, religio non consentit. Non est alicujus viventis arbitrio

Raro quendum

Sermo verus

[1] *Coloss.*, III, 5. — [2] Ex Hugone, ubi sup., c. XVII, in princip. — [3] Ibid., c. XII, in med. — [4] *Eccli.*, XX, 22. — [5] Ibid., XXXII, 10, 11. — [6] *Psal.* XXXVIII, 3. — [7] S. Bened. *Reg.*, c. VI. — [8] *Eccli.*, XXXVII, 20.

(*a*) *Cæt. edit. deest* et.

de contingentibus negare vel asserere absolute. Non facile de auditis sententient, licet veritatem sentire se putent. Sint ad responsionem tardi, ne per inconsiderationem falsum aliquod, vel indisciplinatum proferant verbum. Debent etiam pure loqui, ut in eorum verbis nec jactantia, nec detractio, vel malitiæ alicujus, aut vanitatis admixtio valeat inveniri. Nunquam de scientia, vel sæculi statu se jactent. Erubescant dicere de absente, quod cum charitate non possent dicere coram ipso. Unde sanctus Benedictus [1] : Murmurare aut conqueri nesciant; « nec murmurationis malum, pro qualicumque causa, in aliquo qualicumque verbo vel significatione appareat. » In verbis suis aut litteris, si quas aliquando dirigunt, puerilibus vel adulatoriis non utantur blanditiis; sed tanquam religiosi, suam breviter et veraciter intentionem exponant. Honestatem habet locutio, si et illius qui loquitur, et illorum quibus vel de quibus fit sermo, conveniat dignitati. Otiosa vero, joculatoria, juratoria, contentiosa, maledica, vel alia sæcularia verba, nec pura sunt quidem, nec religiosæ conveniunt dignitati. « Nugæ, ut ait sanctus Bernardus [2], inter sæculares sunt nugæ, in ore sacerdotis, (aut religiosi) blasphemiæ. Interdum si incidant, ferendæ fortassis, referendæ nunquam. Os talibus aperire illicitum, assuescere sacrilegium (*a*) est. Fœde ad cachinnum moveris, fœdius moves. » Dissuesce a vaniloquio linguam, qui ad profectum religionis aspiras. Processurus in publicum, præmuni teipsum : et animo statue a verbis inanibus abstinere. Provide tibi, antequam prodeas, aliquid unde, si expedierit, sermo texatur. Familiare prudenti consideratione omnia prævenire : confert ad singula fuisse præmunitum. Si dignum quippiam relatione non habes, tace. Tutius et humilius audis, quam loqueris. Non affabilitas opportuna, sed loquacitas otiosa damnatur. Jurare vero nunc per caput, nunc per sanctos, vel alio quovis modo, Christi, qui ait [3] : *Sit sermo vester: Est est; non, non,* discipulo minime congruit. Rursus indignum penitus servis Dei, muliercularum more contendere. Si resistentiæ incidant verba, cedendum continuo resistenti. [4] *Honor est homini qui separat se a contentionibus.* Nunquam discendi, ut dicitur, gratia, litigent, scientes ad se verborum contentiones nullo modo deinceps pertinere. Non potest esse, quin contentio aliquid, quod contra conscientiam dicatur, extorqueat. Ergo inter Dei servos collatio, non altercatio debet esse. Perversum est, maxime si ausu damnabili ad injuriosa vel maledica verba, quæ secundum Apostolum [5] a Dei regno excludunt, os religiosi laxetur, aut diaboli nomen ad invectionem assumat, vel in communi locutione frequentet.[6] « Sunt quædam quæ levissima putarentur, si non in Scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis enim dicentem, *Fatue,* fratri suo, reum gehennæ putaret, nisi hoc Veritas expressisset? » Pessimum hunc loquendi usum, quasi pro affabilitatis solatio, salutis adversarius introduxit : ut per eum modicæ occasionis accessu stultis illudens, eos frequenter in gravis lapsum offensæ impulsu leviori præcipitet, et status dignitatem colluvie sordidationis vilificet. Pudeat eos rumigerulos esse, aut verborum sæcularium delatores. Nihil inter socios seminent, quod infirmos animos dissolvere valeat, aut turbare. Reus est Deo et ordini, qui temerario diffidentiæ verbo *conscientiam percutit infirmorum* [7]. Præterea, sive fratri, sive extraneo, sive magno, sive parvo loquantur, semper in ore verbi dulcedinem habeant, *omnem ad omnes,* secundum Apostolum [8], *mansuetudinem ostendentes.* Nunquam, suæ prætextu constantiæ vel zeli, cum communitatis injuria, in verba contumeliosa prorumpant. Sæpe enim meritum immoderata

Sermo religiosi gravis esse debet.

Tutius audire quam loqui.

Contendere non decet religiosos.

Rumigeruli non sint.

Sermo dulcis.

[1] S. Bened. *Regul.*, c. XXXIV. — [2] Bern. *de Consid.*, lib. II, c. XIII, n. 22. — [3] *Matth.*, V, 37. — [4] *Prov.*, XX, 3. — [5] I *Cor.*, VI, 10. — [6] Aug., *Enchirid.*, c. LXXIX, n. 21. — [7] I *Cor.*, VIII, 12. — [8] *Tit.*, III, 2.

(*a*) *Apud ipsum Bern., edit. Paris.* 1690, sacrilegum.

lingua confundit : turpisque defensio, quæ injuriis utitur. Habet fastus pro constantia impetum, pro ratione injurias ; sed [1] *lingua eucharis in bono homine abundabit.*

CAPUT XXI.

De disciplina circa comestionem.

Debent etiam cum timore Dei comedere, disciplinam semper tam in modo se habendi, quam in cibo servantes : vitantes nihilominus quasdam minus decentes sæcularium consuetudines super mensam. Placet vel pauca de singulis exempla subnectere, quæ ad similium considerationem transmittant. Honeste se debent habere, ut dum comedunt aut bibunt, sedeant : bibentes cum duabus manibus scyphum teneant : membrorum agitationem, et quarumdam anhelationum vel labiorum tumultum, quæ animi notant intemperantiam, vitent : oculos a circumspectione, linguam a locutione cohibeant.

Oculi custodiendi in mensa. Silentium servandum.

[2] Oculorum custodia inter epulas propterea necessaria est, quia non decet ibi præcipue ut vagos habeant oculos, neque curiose et (ut amplius dicam) impudenter, quæ apud alios aguntur, circumlustrando prospiciant ; sed ut potius pudice demissis luminibus, ea tantum quæ sibi ante posita sunt, attendant. Loqui vero seu mussitare ad mensam, ubi silentium est servandum, turpe vitium est. Declinanda mussitatoris societas : qui licet legis honestate (*a*) prohibitus, linguæ tamen volubrum non valet retinere. Si quando etiam extraordinarie bibunt, sive adsint, sive non adsint extranei, quamdiu bibitur, sileant. Culpanda nimis verborum multiplicatio juxta potum. In cibo, tam in qualitate, quam in quantitate ipsius, quam etiam in modo, moraque ac frequentia, comedendi disciplinam servent. In qualitate, ut nunquam pretiosa vel delicata, nunquam ciborum aut præparationum diversitates affectent. Promptum ad delicata palatum, curiositas quædam, honestatis postpositiva, declarat : ut, verbi gratia, si quis ex vitio meliora de communi eligat portione, ut quod in pane sapidius, vel in aliis viderit melius, ipse sibi accipiat : si majora panis fragmenta sumat, minoribus, si adsunt, licet minus delicatis, sine rationabili causa dimissis, cum panis, vel res alia, quanto magis ad integritatem accedit, tanto ad mensam ipsam valeat honestius reportari : si ad majorem saporis delectationem in pane inveniendam, ipsum inordinate frangendo, circumcidendo, vel micatenus excrustando deformet : si vinum cum aqua temperare non curet : si longum et interpolatum faciat haustum : si salsam communem panis appositione consumat ; aut eam incongrue totam, vase transverso vel circulari venatione vendicet, cum sit magis in medio intingendum. Sicut enim apud honestos quosdam in sæculo imputatur, si corrosionibus ossium curiosius insistas, aut carnes per magnos notabiliter bolos, præter exigentiam scindas vel edas, aut dum scindis, scissum immediate morsellum, antequam in communi loco posueris, percipias (*b*), a meta communi juxta vulgare proverbium non curando discrepas (*c*) ; aut tactu, more palponis, electum post tactum relinquas, vel simile quippiam actites : sic religiosis est indecens, si in his quæ sibi pro tempore conveniunt cibis, notam gulositatis non vitent. Si quando eos jejunii tempore, vino confecto vel simplici (*d*), ante comestionem vel post, herbis seu speciebus infirmitas uti coegerit, occulte hujusmodi, si potuerint, sumant, ne simplices idem sibi ipsis absque sufficienti necessitate licere putantes, ad solvendum jejunium suo incitentur exemplo. Est insuper diversitas respectu cibi et præparationum vitanda. Nihil ad mensam speciale apportent, vel in mensa requirant, præter sal et aquam, quæ possunt semper cum honestate requiri. Privandus communibus est, qui

Specialia in mensa non sunt quærenda.

[1] *Eccli.*, VI, 5. — [2] Hug., *Instit. mon. ad Novit.*, c. XVIII.

(*a*) *Leg.* lege honestatis. — (*b*) *Al.* præripias. — (*c*) *Forte legendum* discrepare. — (*d*) *Item* simplicibus.

specialia in communitate usurpat. Communibus igitur discant esse contenti. Os suum ad omnia, quæ alii comedunt, assuescant, ut, si fieri potest, nullum omnino repudient seu abominentur cibum. [1] Grande vitium, si potagium et communia respuas, ut in specialibus lautius procureris. Porro modo mollia, modo dura, modo frigida, modo frixa, modo elixa, prægnantes solent appetere mulieres; « providenter (*a*) autem [2] sobrieque conversanti, satis est ad omne condimentum sal cum pane. » Debent etiam excessum in cibis, et maxime potus quantitatem, vitare, ut crapula vel satietas nimia non subrepat. « Nihil sic contrarium omni Christiano, quomodo crapula, » ait sanctus Benedictus [3]. Amplius quoque qualiter, hoc est, quam decenter, munde ac temperate sit comedendum, attendant. Decentiæ detrahit, qui cibum in ore habens, vel scyphum in manu detinens, loquitur; qui manu armata cultellum habente, cibum ori ministrat; vel ei nondum expedito a cibo poto nihilominus ingerit; aut dum bibit vel comedit, caput tenet in caputio profundatum. Munditiam debet ad proprium et sociorum cibum, et ad mensam ipsam, super quam comeditur, observare. Munditiæ simul ac decentiæ gratia caveant, ne in paropside, scypho, vel ovo, præmorsum aliquid iterum comesturi reponant. Fœde tuorum reliquias dentium alicui cibo immisces. Nunquam scyphum digitis potagio vel alio quolibet madidatis accipiant; aut pollicem poculo immergant; nec super potum, in scypho vel super cibum quemlibet sufflent. Indecenter agitur, si digitos quis immittit potagio, et offas vel olera nudis articulis cochlearis vice piscatur : si superfluitates piscium, et similia, ex ore projicit super mensam, vel nuces alii quam sibi frangit cum dentibus : si quis tussit aut sternutat, non aversa facie a mensa; raro enim hoc fit sine qualicumque emissione reliquiarum oris : si nudam manum in mensa naribus emungendis, vel carni nudæ scalpendæ apponit, vel manum ipsam ad vestimenta detergit. Cavendum quoque, ne quis ante faciem circumstantium fratrum, pro sale et aliis necessariis, quæ a fratribus tradi possunt, manum extendat super mensam, et eorum cibum manicis seu habitu suo tangat. Scindendus etiam panis pectori, seu vesti communi, non est sine interpositione tobaliæ applicandus. Munditia mensæ requirit, ut mensale nequaquam frequenti vel superflua detersione cultelli vel manuum deturpetur, purgandis maxime dentibus nullatenus exponendum. Fœdum enim et vile, mappas et manutergia fratrum communia, dentium fricatione fœdare. Qui conventualia dehonestat, committit utique in conventum. Temperantiam manducandi, ait Hugo [4], intelligimus in eo, si homo tractim, et non cum nimia festinatione comedat. Festinatio in inchoatione et prosecutione comestionis attenditur, quando videlicet in initio mensæ statim, absque orationis alicujus præambulo, ad cibum manus extenditur; aut cum quadam voracitate comeditur; si prius ori cibum ministras, quam alio sumpto fueris expeditus. Cæterum per morosam comestionem congregationem detinere ad mensam, aut si quando extra conventum bibitur, juxta potum moram contrahere, non est decens. Hinc per Sapientem sobrio dicitur [5] : *Cessa prior causa disciplinæ.* In comedendi et bibendi frequentia, servanda est diligenter temperantiæ disciplina. Sane post refectionem ad potum redire, aut per diem in domo ex vitiosa consuetudine, aut quod turpius est, post completorium bibere, non mediocris vitii notam habet. Honestius ad mensam quantum indiges bibis, quam bibendo per diem meribibuli morem geris. Fructus, vel aliud quodcumque, extraordinarie sæcularium more comedere, patens gulositatis indicium, siquidem extra duas vices in die,

Mapparum usus.

Sine festinatione edendum.

Post completorium non bibendum.

[1] Hug., *Instit. mon. ad Novit.*, c. XIX. — [2] Bern., *ad Robert. nepot. suum*, epist. I, n. 11. — [3] S. Bened. *Regul.*, c. XXXIX. — [4] Hug., *Instit. mon. ad Novit.*, c. XXI. — [5] *Eccli.*, XXXI, 20.

(*a*) *Apud Bern., edit.* 1690 prudenter.

nisi necessitate cogente, in domo vel extra comedere, puerorum, imo pecudum est. Senex legem in vicibus comedendi non servans, fertur per angelum asino comparatus. Ad collationem tempore jejunii faciendam, duabus tantum vel tribus, si indiges, bibere vicibus, temperantiæ congruit et honestati. Studet sobrius quamdam temperantiæ legem in ipsis etiam necessariis observare. Denique quorumdam sæcularium in faciendis coinvitationibus, in poculis, in fragmentis, et hujusmodi, consuetudines vitent ad mensam. Non se invicem facile coinvitent; sed comedat vel bibat unusquisque pro suæ arbitrio voluntatis, quantum necessitati suæ melius sibi notæ quam alii, viderit expedire. Congrue tamen senior verecundantes forte, vel nimium abstinentes juniores invitat. Sapor et potagium prægustata, vilium quoque seu quorumlibet ciborum reliquiæ, ut ovum unum, tantillumve pitantiæ, si ventre jam satiato supersit, indecenter commensalibus, maxime senioribus ingeruntur. Encænia per mensam non mittant. A fragmentis et reliquiis caveant; sed de pane et aliis ita sibi provideant mensurare (*a*), ut coram se vix micas relinquant. In potagio tamen aliquid interdum honeste relinquunt, id sibi paupeperum et temperantiæ gratia subtrahentes. Verum et si quid forte reliquere, non tamen ut paterfamilias ad erogandum congerere permittuntur. Pro sociis, aut vix aut nunquam, maxime circa finem refectionis, panem vel aliud scindant, aut potum in scypho ponant, nisi saltem quantum ipsi soli comedere vel bibere valeant, si alii, quibus hæc offerunt, non acceptant. Numquam pro buccella, ut dicitur, panem tunc integrum scindant, præsertim si apud socios fractum inveniant. Si scyphum communem habuerint, qui voluerit bibere, non amplius de potu apponat, quam possit bibere una vice. Inter reliquias quæ aliquando fiunt, inutile aliquid vel nocivum, ut quæ de nuce, ovo, castaneaque projicimus, aliaque hujusmodi, nullo modo relinquant. Murilegos vel aves ad mensam non pascant, cum nec in refectorio debeant sustineri. Possunt cum dictis et similia circa comestionem attendi. Verumtamen sunt nonnulla, quæ licet communiter vitiosa putentur, interdum tamen inter domesticos in spiritu charitatis sine vitio exercentur.

In collatione bis vel ter bibendum.

Fragmenta non facienda aut reliquiæ.

Fele non permittantur in refectorio.

CAPUT XXII.

De disciplina in opere manuali.

Ad disciplinam circa exercitium operis manualis, quod manuali opere corporaliter exercetur, servandam, necessaria est discretio, diligentia et honestas. Est habenda discretio circa opus, ut quod faciendum est, discrete fiat. Discernendum est primo, ut utili operi necessarium, bono quoque melius, et meliori optimum præferatur. Juvare fratrem, cum indiget, multum utique operi peculiari præponderat. Rursum celebrare volenti juvamen subtrahere, majorem pluribus aliis offensam esse, quis ambigit? Est enim discernendum quod opus quo tempore fiat. Nonnulla siquidem in festis diebus non fierent, quæ in profestis bene fieri possunt. Videtur in operibus distinguendum. Sunt enim exercitia quædam, quæ necessitati quotidianæ inserviunt: ut est ciborum præparatio necessariorum ad diem, utensilium, coquinæ ablutio, et consimilia, quæ omni tempore fieri solent. Sunt quædam alia, quæ in diem alteram differri possunt, ut est scribere in quaterno, tunicam virgis excutere, caput abluere, cæteraque alia a quibus est diebus Dominicis et festis præcipuis abstinendum, ob sacri reverentiam temporis. Festi namque dies per honestum quietis otium, alii vero dies per laboris debiti exercitium honorantur. De quo Hugo[1]: «Quantum, inquit, addit decoris diebus festivis quies vacationis, tantum ornamenti confert cæteris diebus studium boni operis: ita ut in illis quisquis noluerit esse quietus, index

Festi dies ut sint agendi.

[1] Hug., *Instit. mon. ad Novit.*, c. IV.

(*a*) *Cæt. edit.* mensurate.

suæ vanitatis, et in istis qui non fuerit laboriosus, testis pigritiæ. Carnales siquidem mentes ne vel in illis diebus quiescant, vanitas exagitat, ne vel in istis in bono opere se exerceant, pigritia ligat. » Deinde quasi concludens subjungit : « Quapropter non negligenter habenda est in bono opere discretio temporum : quia sicut malum opus nullo tempore laudabile est, ita etiam bonum opus quodammodo reprehensione dignum judicatur, si tempore opportuno factum non est. Diligentia in opere ex promptitudine operantis, et devota fidelique operandorum executione dignoscitur. Diligentiæ hujusmodi promptitudo, non in opere manuum tantum, sed in conventuali quolibet maxime locum habet. Quicquid pertinet ad conventum, id præcipuo diligentiæ studio est agendum. Sint ergo præcipue ad conventualia exequenda promptissimi. Nunquam tarde ad opus Dei, vel ad mensam occurrent. Unde sanctus Benedictus [1] : « Ad horam divini officii, mox ut auditum fuerit signum, relictis omnibus quæ in manibus fuerint, summa cum festinatione curratur : cum gravitate tamen, ut non scurrilitas inveniat fomitem. Ergo nihil operi Dei præponatur. Ad mensam autem qui per negligentiam non occurrerit ante versum, ut simul omnes dicant versum et orent, et sub uno omnes ad mensam accedant, qui per negligentiam aut vitium non occurrerit, et sic usque ad secundam vicem correptus emendare neglexerit, (juxta ipsius sancti decretum) a communis est mensæ participatione arcendus : ut solus a communi consortio sequestratus reficiatur, sua ei de vino, si fuerit habiturus, portione sublata. » Digne quidem a communi refectione repellitur, qui se per vitium a communi oratione secludit. Absit a servis Dei vitiosæ hujus consuetudinis turpitudo, ut conventuale aliquod, divinum præsertim officium, alterius prætextu cujuslibet, tardo accessu vel citiore abscessu, propter opera dehonestent. Ut enim tardus accessus, sic ante horam recessus, sine gravi præsumptus necessitate arguitur. Impatientis et vani signum est hominis, in communibus anticipare recessum, nec opus Dei posse in choro usque ad finem expectare. Si monachum, sancto narrante Gregorio [2], post completum officium continuo recedentem visus est dæmon ab oratorio retrahere, quid de his, qui nec ipsius expletionem officii præstolantur? Haud dubium conventualis ubilibet decorem integritatis negligere, inexcusabile prorsus remissionis est vitium : ad vitium autem vix occasio deerit, si quælibet admittatur. [3] Omnes denique fratres labores non ex sola consuetudine, *ut vitula Ephraim* (*a*) *docta diligere trituram*, sed ex animi devotione sectentur, ut in communibus sit fervoris affectio specialis. Conventualem vitam ut sanctissimam, imo angelicam, toto affectu animi amplexantes, ei tam continua quam devota prosecutione adhæreant (*b*). Quantum ad officium, mensam et alia, vix nisi coacti a conventus congregatione recedant. Tantam Deus conventui efficaciam contulit bonitatis, ut ibi augmentum suscipiat boni bonus, aut veniam mali malus. Multa in conventu bona præsentibus conferuntur, absentibus subtrahuntur. Saul [4] ad conventum psallentium prophetarum accedens, propheta efficitur; extra conventum factus, pervertitur. Thomas discipulorum absens conventui, visionis Dominicæ consolatione fraudatur [5], quam ad collegium reversus assequitur. Discipuli pariter congregati Spiritum sanctum accipiunt [6]. In conventu Dominus habitat, et requiescit. Ibi devotos quoque uberioris gratiæ pabulo refocillat : ibi quamplures negligentiæ personales, in divino maxime officio subrepentes, congregationis communione supplentur : ibi quod suis quisque non potest, aliorum meritis obtinere meretur. Cæterum licet ad majora domus officia, videli-

Ito accurrendum ad ommunitatem.

Vita conventualis angelica est.

In conventu Dominus requiescit.

[1] S. Bened., *Regul.*, c. XLIII. — [2] Greg., *Dialog.*, lib. II, c. IV. — [3] *Ose.*, X, 11. — [4] I *Reg.*, X, 11. — [5] *Joan.*, XX, 24, 26. — [6] *Act.*, II, 2.

(*a*) *Cæt. edit.* Effraim. — (*b*) *Item* adhærent.

cet hospitalariæ, refectorii, infirmariæ, lectionis ad mensam, et hujusmodi principaliter et continue fienda, novitios fratres assumere provida religionis consuetudo non habet; si tamen quando contingat eis aliquod hujusmodi officiorum vel ad horam committi, magna debent devotione suscipere, et ad faciendum ea mansuete, velociter (*a*), acceptabiliter, integre ac circumspecte, magnam debent diligentiam adhibere. Mansuete, hoc est, sine murmure et displicentiæ signo. *Fili*, ait Sapiens[1], *in mansuetudine opera tua perfice.* Est in opere bono necessaria strenua velocitas, de qua Sapiens dicit[2] : *In operibus tuis esto velox.* Velocitas ac maturitas non removet gravitatem, sed vitium tarditatis excludit. Est etiam acceptabiliter operandum, ut quibus ministratur, prout honeste fieri poterit, satisfiat. Optabat Apostolus[3] et orari rogabat, *oblatio sua fieret acceptabilis in Jerusalem sanctis.* Magnus profectus est ei, cujus ministerio multi læti facti Deum laudant. Integritas in opere bono requiritur, ut non diminute, non ad evasionem, vel quasi ad oculum, sed perfecte, ut res exigit, fiat. Circumspectio in obsequiis, prout officiorum requirit varietas, est habenda : quod per exemplum in uno officio melius patet. Si quando refectorarii vicem gerant, quæ ministranda fuerint tempore congruo et modo debito præparata ministrent, et religiose distribuant : ne in mensa defectus vel circa ministerium suum minus expediens aliquod accidat, provisuri. Ministrentur itaque necessaria tempestive. Turpe est, si, propter unius defectum, tota congregatio expectet. Sicut igitur omnia, sive fructus, sive sapores, sic et alia comedentibus congrue apponenda, priusquam fratres ad mensam intraverint, provide apponantur. Conferendorum collatio successiva conventum sæpius detinet, et id quidem imputandum negligentiæ ministrorum. Ad mensam vero quicquid apponitur, præparatum, ut decet, reficientibus offeratur. Nuces si dandæ fuerint, prius frangantur. Herbæ crudæ si apponendæ fuerint, mundentur : et sic de aliis observetur. De omnibus quæ apponuntur, sua cuilibet, si fieri potest, portio singulariter tribuatur. Sunt rurigenæ qui nec a Prælatis discreta, vel a senioribus aut extraneis, forte (*b*) distinguant. Communia maxime, ut sal et aqua, mensæ non desint, quæ in primis providus ministrator apponit. Aqua non solum pro temperando vino, imo sæpe pro aliis necessaria est in mensa. Cochlearia quoque sunt ad omne potagium opportuna, ne cum digito piscari oporteat, et ne, juxta Hugonem[4], in eodem jure et manus ablutionem, et ventris refectionem videatur quærere. Murilegos vel aves, quæ tenentur alicubi contra araneas, nullatenus esse in refectorio, dum fratres reficiuntur, patiantur; nec enim hoc est expediens, vel bene factum. Sic et in aliis circa istud vel aliud quodcumque sibi impositum officium, sint (*c*) intenti. Scriptum est enim[5] : *Cuncta cum diligentia facite.* Et iterum[6] : *Agite diligenter, et erit Dominus vobiscum in bonis.*[7] *Sic agetis in timore Domini, fideliter et corde perfecto.* Honestas in operatione servatur, si omnia, quæ aguntur, cum maturitate ac religiositate quadam exerceantur, et in omnibus nitor inveniatur munditiæ : hoc enim religiosum maxime decet.

Operandum velociter.

Portio sua cuique apponatur.

Munditia decet religiosum.

CAPUT XXIII.

De disciplina in incessu.

Disciplinam circa incessum, penes modum et discretionem in ambulando considerent. Honestus enim modus requirit, ut non impetuosis et fractis gressibus ambulent; nec erecta cervice, non prominenti pectore, seu etiam inclinato super humerum capite, aut vagabunde pendentibus manibus : quæ omnia vel levitatem, vel superbiam, vel remis-

[1] *Eccli.*, III, 19. — [2] Ibid., XXXI, 27. — [3] *Rom.*, XV, 30, 31. — [4] Hug., ubi sup., c. XXI. — [5] II *Paral.*, XIX, 7. — [6] Ibid., 21. — [7] Ibid., 9.

(*a*) *Cæt. edit.* volenter. — (*b*) sorte. — (*c*) sunt.

sionem, vel hypocrisim sapiunt. Debent etiam in eundo discretionem habere, ne de illorum numero censeantur, de quibus dicitur per Prophetam [1] : *Non est judicium in gressibus eorum.* In eorum gressibus non invenitur judicium, qui eundo necessitatem vel ordinem non attendunt. Necessitas discursum inutilem, ordo inordinationis confusionem excludit. Discursum igitur per domum, per hortum et extra domum, qui magnum est instabilis mentis indicium, caute vitet. In domo, ne scilicet per officinas de loco ad locum, de fratre ad fratrem inutiliter evagentur, aut loca rumoribus audiendis vel collocutionibus apta frequentent; sed in locis sibi concessis, ut sunt ecclesia, cellæ, capitulum, si extranei affuerint, vel aliis locis, si qua sibi fuerint specialiter deputata, cum silentio residentes. Officinis privatis, puta ubi cibaria præparantur, infirmi vel hospites recreantur, aut fratrum congregationi, vel comedentibus et bibentibus se nullatenus ingerant non vocati. Erubescant præcipue ad reficientium mensam accedere, vel eis nisi pro evidenti ministerii necessitate assistere. Effrontis est hominis, non erubescere comedentes. Verumtamen si quando eos loca sibi non concessa, necessitas adire compulerit, ad ostium pulsare aliquantulum possunt, ut aliquis egrediatur ad eos, vel ut ipsi vocati securius et honestius intrent. In hortum non eant absque licentia, nisi eos vel ab aliquo professo mitti contigerit, aut vocari : ad loca sua, postquam ab eo recesserint, vel ejus negotium fecerint, quam citius reversuri. Verumtamen eorum instructor juxta superiorum dispositionem, nunc hos, nunc illos, aut etiam omnes simul ad spatiandum in horto, causa recreationis vel alicujus bonæ collationis, poterit per se vel per alium fratrem professum, cum expedire viderit, vocare. Tempore probationis domum exire, propinquos suos visitare non curent : nec enim *inter cognatos et notos* [2] Dominus invenitur. Unde Bernardus [3] : « Quomodo te, bone Jesu, inter meos cognatos inveniam, qui inter tuos minime es inventus? » Si quando domum, quamvis de superioris licentia, exeunt, nihilominus tamen idipsum significent suo instructori : quod et de suis aliis notabilibus factis observent. Ordo circa incessum est religioso in conventu specialiter servandus : ut in processionibus fratrem sibi collateralem attendat, ut chori sui partem in refectorio et in claustro, cum pro gratiis ad ecclesiam itur, in omni teneat loco : nec se ad chorum alium, vel in refectorio, vel in claustro, seu alibi transferat, nisi causa rationabili perurgente. In ecclesia vero inter pulpitum in medio chori positum et altare, dum maxime ibi aliquid dicitur, non facile transeat; nisi forte alibi liber non pateat transitus : et tunc ab ipso pulpito transiens, et inclinans, ne pulpitum videatur venerari, non ante ipsum directe, sed a latere decentius inclinabit. Est et ordo reverentiæ et decentiæ in incessu, ut non passim seniorem junior antecedat, aut quando vitari facile potest, frequentes et nimis propinquos ei transitus faciat ante ipsum. In ecclesia quoque inter ministros altaris, subdiaconum videlicet, diaconum et sacerdotem in officio suo solemniter celebrantes, nec non et ante fratres infra deambulatorium sedilium et formarum, minus honeste præter necessitatem transitur. Sed illud deambulatorium intraturi, ad vacua debent sedilia per introitum sedilibus ipsis propinquiorem accedere, nisi ob aliquam personarum reverentiam, si forte intermediæ fuerint, sit aliter faciendum.

Non vagandum per conventum.

CAPUT XXIV.

De disciplina in gestu membrorum.

Est in aliis membrorum corporis, sive oculorum, sive oris, sive brachiorum manuumque officiis disciplinæ studendum : de quibus adhuc aliqua breviter supponentur. Amatores igitur honestatis, oculos ab inor-

Oculorum custodia.

[1] *Isa.*, LIX, 8. — [2] *Luc.*, II, 44. — [3] Bernard., *ad Thom.*, epist. CVII, n. 13, quoad sensum.

dinata evagatione et exaltatione in mensa, et in choro præcipue, diligenter custodiant. Scriptum est enim [1] : *Oculi stultorum in finibus terræ ;* et [2] : *Dilatatio cordis exaltatio oculorum.* [3] « Levat quidem Propheta [4] oculos ut petat auxilium ; Dominus [5], ut impendat. Tu quoque, si locum, causam et tempus considerans, tua vel fratris necessitate oculos levas, non solum non culpo, sed plurimum laudo : hoc enim excusat miseria, illud commendat misericordia. Sin alias, non Prophetæ, non Domini, sed Dinæ [6], aut Evæ [7], imo potius Satanæ te imitatorem dixerim. » Non sint in risu faciles, nec in voce clamosi. Cachinnus præcipue gravitatem religiosi plurimum dehonestat. Vile prorsus est religiosum virum, ut puerum cachinnare. Non licet religiosum virum dissolutis labiis risum proferre, sed hilari vultu cordis hilaritatem prætendere. In datione pacis labia semper claudant, quibus apertis turpiter exhibetur. Nares non in aliorum aspectu, sed ad partem cum duorum tantum aut trium appositione digitorum emungant. Seorsum etiam spuendum est, maxime in conventu fratrum ; ne loca publica, sive in choro, sive alibi sputo fœdentur, et adstantium oculi offendantur. Pudet quosdam in ipso chori deambulatorio, ad pedes suos palam fratribus spuere, nec pudere. A notabilibus corporis seu membrorum extensionibus, quæ cum oscitationibus, vel alias, non sine quadam inhonestate fieri solent, omnino abstineant. Tunc enim sunt corpus et brachia comprimenda, ne cum hujusmodi pigritia extendantur. Honesto incongruum viro, pigra membra distensione resolvi. Dissolutiones fugiant manuales : grandia namque causant pericula, soletque luctus ludo accidere corporali. Et post comestionem præcipue se a jocositate notabili, et multiloquio studeant temperare. Siquidem, licet omni tempore dissolutionis levitas sit vitanda, post refectionem tamen, vel alias, cum solo fratre, et iterum coram conventu turpius agitur. Turpissima est dissolutio in conventu. Ad hæc alium quempiam præter necessitatem ad cingulum vel manum accipere, flores, fructus, vel baculum in manu otiose gestare, cingulum inter digitos volvendo rotare, honestati non consonat, imo lasciviæ signum quodammodo prætendit. In lotione manuum, quando de vase manuali aqua recipitur, vas ipsum nunquam a parte superiori, præcipue manibus distillantibus, sed per ansam potius, vel a latere, vel a fundo accipiant, ne guttis manuum aqua residua sordidetur. In lecto se honestissime jacendo componant : « nec resupini jaceant, nec, genua levando, calcaneos jungant ad tibias [8]. » Hæc et similia non sunt, ut minima, temere aspernanda. Clara nonnunquam conversationis insignia, quædam in minimis obfuscant ineptiæ. Plerumque modicis paulatim per incuriam subrepentibus maculis, tota morum congeries inquinatur.

Risus religiosi.

CAPUT XXV.

De disciplina circa habitum servanda.

Disciplina in habitu potest tam circa pannum, quam circa formationem, et munditiæ conservationem attendi. Circa pannum : ut non sit pretiositate, mollitie et subtilitate notabilis. Vestis pretiositatem etiam mulieribus Petrus [9] interdicit. Porro [10] *qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* Inter divites palatii, et pauperes claustri, debet esse differentia. « Mollia vestimenta [11] animi mollitiem indicant. » Molles (ait quidam) mollia quærunt. Subtilitas et nitor reprehenditur in bysso divitis epulantis [12]. Nimia panni subtilitas, etsi non pretiosa, nihilominus tamen in proposito pœnitentiæ vitiosa. Sit curæ novitiis pannorum pretiositatem, subtilitatem, et incongruam religioni mollitiem non

[1] *Prov.*, XVII, 24. — [2] Ibid., XXI, 4. — [3] Ex Bern., *de Grad. Humilit.*, c. X, n. 29. — [4] *Psal.* CXX, 1. — — [5] *Joan.*, VI, 5. — [6] *Gen.*, XXXIV, 1. — [7] Ibid., III, 6. — [8] Ex *Formul. honest. vitæ*, inter Oper. Bernardi, n. 9. — [9] I *Petr.*, III, 3. — [10] *Matth.*, XI, 8. — [11] Bern., *Apolog. ad Guill. abb.*, c. X, n. 26. — [12] *Luc.*, XVI, 19.

curare. Vereantur et renitantur, ut possunt, mutari ipsorum sanctorum de vestium vilitate censuram, et vitiosam consuetudinem induci. «In signum sunt panni tui, Domine Jesu[1]; sed in signum cui a multis usque hodie contradicitur[2].» Honesta exigit vestimentorum formatio, ut non sint nimis lata vel stricta. Amplitudo vel longitudo vestimenti superflua, sive in manicis, sive in caputio, sive in collario caputii, est admodum fugienda. Sed nec aperturis quibusdam circa cingulum, vel alibi, aut curiositatibus aliis quibuscumque est habitus deformandus. Coaptatio quædam religioso decens, quædam indecens. Indecens est, si præter morem religionis fuerit curiosa, ut, verbi gratia, si caputii collarium quadam in gyro replicatione, juxta mundanorum consuetudinem, coaptetur, aut curiose ipsum replicetur caputium circa genas. Decens est, quando non curiositati, sed honestati deservit, ut videlicet vestis honeste portetur, et honeste pro loco et tempore disponatur. Ut honeste portetur, succingenda est æqualiter et decenter. Si enim ex una parte notabiliter pendere permittatur, vel in aliis præparatio debita omittatur, fatuitatem, vel negligentiam, vel hypocrisim sapit. Aptanda est vestis maxime circa pectus per applicationem ad collum, ne collum ipsum usque ad pectus, vel interiores panni hominum aspectui exponantur, quod irreligiosum est valde. Cavendum est circa portandi modum, ne quis pereffluat : ut si os sub caputio, vel mentum abscondat; si dominarum more tunicam a lateribus tenendo incedat, aut manum in sinu tenens tunicæ manicam exterius pendere permittat. Quando enim manum in sinu vel ad horam ponere cogit necessitas, a manu altera præsumpta tunica cautius est tenenda, ne pendeat indecenter, ut manum in sinu teneri vix a proxime astantibus percipi valeat. Ambas autem manus in sinu tenere quam irreligiosum sit, palam omnibus est, cum unam vel diu teneri vix excusat ipsa necessitas. Emortui est corporis, membrorumque officia exequi non valentis, manicas non regere defluentes. Et quidem cum interius a sua custodia solvitur mens, et membra foris ad omnem actum inordinate moventur, et tam in vestibus, quam in aliis disciplinæ cura negligitur, incompositio corporis qualitatem indicat mentis. Sunt et alia circa modos portandi vitanda. Sunt (inquit quidam) stulti, qui quodam officioso artificio, vestimenta sua circa se componunt. Alii, jactando et ventilando pannos suos, levitatem mentis suæ ex ipsa sui habitus mobilitate ostendunt. Alii incedentes sinuoso syrmate terram verrunt, et lumbis dependentibus, imo retro consequentibus caudis, in similitudinem vulpium vestigia sua obducunt, et quocumque perrexerint, quasi turbo tempestatis pulverem concitant. Dispositio habitus aliquando ratione operis, aliquando ratione consortii variatur, respectu quorum habenda est consideratio disciplinæ. Ad exercitium operis tam propter expeditionem, quam propter custodiam munditiæ, honesta, prout res exigit, præparatio vestis requiritur, ut scilicet, quantum necesse fuerit, succingatur. Manicæ vero retrahantur, et prout expedierit, componantur, ne super manus, vel super rem ipsam quæ tractatur, recidant indecenter : præcipue ad privatas custodiendæ sunt manicæ diligenter. Dispositio hujusmodi tolerabilis, imo commendabilis est in privato, quæ tamen in publico, maxime coram extraneis, non est decens. Quando ergo coram extraneis aut coram conventu proceditur, quantum res patitur, ad dispositionem communem est habitus, tam in manicis, quam in aliis revocandus. Caput si nudum fuerit, caputio congruit operiri. In omni siquidem publico loco, sive chorus, sive refectorium, sive alius fuerit locus, fratrum congregatione præsente, et multo magis inter extraneos, operto decenter capite, religiosus incedat, nisi ob reverentiam alicujus ministerii vel personæ aliter sit agendum. Non est ta-

Vestis compositio.

[1] Bern., *de Natal. Dom.*, serm. IV, n. 1. — [2] *Luc.*, II, 34.

men caputium sive coram fratribus, sive coram extraneis, nimis in capite sine rationabili causa profundandum. Operta sub caputio facies quamdam hypocrisis notam infert, et aliorum in se oculos sua singularitate convertit. Decet ergo caput in publico, non faciem operiri. In lotione quoque pedum, ille cui pro Christo tale ministerium exhibetur, operto si potest commode capite, humiliter et sine multiloquio debet esse, et charitatis obsequium cum timore ac devotione suscipere. Nec debet quis ibi vel alibi tibias nimis exponere, sed magis tunica circumcingere diligenter. Turpe est enim religiosis personis carnium nuditate occurrere. Cavet omnis honestus ne ejus unquam appareat caro nuda, nisi quantum compulerit necessitas manifesta. De sancto Antonio legitur [1], quod cum necesse haberet fluvium transvadere, rogavit socium suum, ut paululum a suo separaretur aspectu, ne suam invicem corporis nuditatem uterque conspiceret. Recessit socius ; nihilominus tamen ille seipsum, cum nudare se vellet, erubuit. Ipsum tamen, hæc cogitantem, in alteram fluvii ripam virtus divina transposuit. Hanc haud dubium honestatem Dominus acceptavit. Pannos quoque interiores, et quæ ultra communem seu regularem formam, sive in vestibus, sive in aliis indulgentur, quantum necessitas patitur, occultari oportet. Unde nec almutia palam extra caputium religiose portantur. Restat de usus habitus continuatione, et munditiæ in eo conservatione videre. Usus habitus, prout habitus pro speciali signo religionis accipitur, continuus debet esse : ut religiosus frater non sit vel modicum sine ipso, nisi necessitas evidens eum cogat. Sæcularis personæ nuditas, et religiosus sine habitu comparantur. Cavendum etiam ne habitus, dum sedetur, aut genuflectitur, aliquam inquinamenti maculam contrahat. Et si quam propter aliquam causam aliquando contraxerit, vel propter sudorem, mundificari citius debet, maxime si in loco fuerit apparenti. Propter hoc immunditia illa quæ in oris caputii circa genas contrahitur ex sudore, debet cum diligentia removeri. Fœda est religio, quæ innititur fœditati. Culpatur quidem et cultus munditiæ nimius (*a*) et neglectus.

De lotione pedum.

Habitus non deponendus umquam.

[1] Id refert S. Athanasius in *Vit. S. Anton.* — [2] Aug., *Regul. ad serv. Dei*, n. 7, al. 3.

CAPUT XXVI.

De disciplina in officinis inter fratres.

Denique in officinis, maxime in refectorio, in oratorio, dormitorio, cæterisque quæ consuevit frequentare conventus, etiam ad latrinas disciplinate se habeant et quiete. Nunquam per susurrium et tumultum, occasione operis alicujus, fratres orantes, studentes, aut quiescentes impediant. « In oratorio nemo aliquid agat [2], nisi ad quod factum est, unde et nomen accepit. Unde si forte aliquid etiam præter horas statutas, si eis vacat, orare voluerint, non eis sint impedimento, qui ibi aliquid agendum putaverint.» Cum per dormitorium fratribus quiescentibus vadunt, non plane, imo quasi furtive incedant. Parando lectum, vel alio quovis modo, quiescentes reprehensibiliter inquietant. Surgentes a lecto, ipsum decenter operiant, ne velut irrationabilium cubile remaneat imparatus. De privatis loqui si cui turpe videtur, turpius noverit ibi turpe aliquid committi. Ibi non congruit, ut quasi mox gelicidio perituri, amictus accessorii sarcinam deferant. Ibi religiosus cum summo silentio et operto profunde capite debet esse. Ibi confabulari, et præter necessitatem hac et illac capite discooperto respicere, religiosorum esse non dixerim, sed scurrarum. Ibi servanda in manuum et vestis dispositione honestas. Ibi honestus quisque diligenti opera cavet, ne per ipsum, aut per ejus incuriam aliquis offendatur. Ibi cavendum est eis, ne stantes urinent, vel a loco minus honeste recedant. Sed nec per hortum est facile urinandum, vel alibi ubi a sociis, aut ab

Oratorium

(*a*) *Cæt. edit.* nimis.

aliis videri possint : quia, ut ait quidam, multa possunt honeste fieri, quæ non possunt honeste videri. De singulis ad disciplinam per singulas officinas et loca spectantibus, vix aut nunquam singulariter posset edisseri. Ad multa tamen haberi potest disciplinæ consideratio ex prædictis. In ostiis aut officinarum, aut ubi fratrum communis est transitus, maxime circa privatarum introitum, unde ad necessaria euntes et redeuntes respici possunt, nunquam honesti fratres faciant stationem. Quando etiam intrant et exeunt, officinarum secretiorum ostia post se claudant, ne supervenientes extranei, et intrantes, fratres inveniant imparatos. Nunquam extraneos, licet familiares, ad visitandum officinas invitent. Si quando tamen ad aliquorum instantiam eas ostendere permittantur, domos tantum communiores, non intra per singula loca, seu angulos peragrando : sed ab ostiis expedite, quantum honestas permiserit, ostendentes, quidquid eorum aspectui subtrahere poterunt, subtrahant et furentur. Non est religio, ubi omnibus omnia patent. In locis communibus, ubi fratrum occurrerit frequentia, nullo modo detineant adventantes. Infirma hæc parvulis exprimens, grandium oscilla non vito : sed ubi proficit, parviducendus est illusor.

CAPUT XXVII.

De modo conversandi in omni loco sæcularium.

Nunc videndum est qualiter in villa, itinere, ecclesia, domo, locutione, et comestione sit novis fratribus inter extraneos conversandum. Si quando exeunt domum, habenda est eis custodia disciplinæ respectu societatis et sui. Societas, et solatium, et honestas religiosæ convenit dignitati. Propter hoc in villa, præcipue senioris, cum quo fuerint, vestigiis semper inhærentes, se ab eo etiam sub uno tecto nullatenus separent, quin ad minus videri semper ab ipso libere possint. Seipsos autem quantum ad circumspectionem, locutionem, habitus et membrorum dispositionem in disciplina contineant. *Non circumspiciant in vicis civitatis* [1], ut Sapiens docet : [2] *avertant oculos suos, ne hauriant vanitates*, et a sæcularium collocutionibus prudenter abstineant. Manus suas religiose componant. Nunquam inter homines discooperto capite, vel almutiati, vel alias indisciplinate incedant. Sed nec sæcularium vel religiosorum domos subito, eis ignorantibus, introeant; sed vocando ab ostio, vel pulsando, seu alias quoquomodo propositum seu voluntatem ingrediendi pronuncient. *Vir eruditus*, ait Sapiens [3], *foris stabit*. Sed nec sine ductore per sæcularium domos, vel per religiosorum officinas est vagandum.

CAPUT XXVIII.

De modo conversandi in itinere constitutis.

Si fuerint extra domum in itinere constituti, et quantum ad societatem, et quantum ad seipsos caute se debent et religiose habere. Quantum ad societatem, debent sibi a mulieribus, a scurris, et ratione periculi, a personis de maleficio notatis attendere. Talium personarum societas singularis, religiosis viris, nisi forte ad horam pro salutis animæ causa, non convenit. Debent se tamen prudenter a consortiis hujusmodi segregare. Ipsi autem fratres in itinere se ab invicem non debent nimis disjungere, quin ad minus mutuo se videre et audire facile possint. Non est tutum aut decens religiosis, quos congruit binos ire, alterum ab altero longius separari : talisque separatio eis in periculum, et occurrentibus cedit in scandalum. Quantum ad seipsos, debent in factis et verbis disciplinate se gerere. In factis debet honestas, devotio et discretio apparere. Propter honestatem dissolutiones, tam manuales quam alias, quæ cursitando vel aliter quomodolibet fieri possunt, penitus vitent. Multa enim

[1] *Eccli.*, IX, 7. — [2] *Psal.* CXVIII, 37. — [3] *Eccli.*, XXI, 26.

ex hoc inconvenientia (ut expertum est) possunt sequi, hominibus frequenter, de quibus non advertitur, videntibus quæ aguntur. Non sunt brachia notabiliter denudanda, nec vestes nimium succingendæ, vel aliter irreligiose tenendæ. Cæterum ad devotos pertinet fratres ecclesiis, quando transeunt juxta ipsas, nec non et crucibus, devotis inclinationibus reverentiam exhibere; cœmeteria vero absque oratione pro defunctis nullatenus pertransire. Discretionis est, agenda quæque prævia deliberatione metiri, et non agenda cavere : quia qui de futuro nihil præmeditatur, in omnia incautus incidit. Moderandus est per senioris consilium labor itineris, ne spiritum devotionis extinguat. Audienda est Missa, sanctæque exhortationis pro populo, si affuerit, sermo fiendus. Et ante omnia semper in primis divini pensum officii devote solvendum, ne fratres se magis cursores quam religiosos exhibeant, et contra religionis propositum de accessorio principale facere convincantur. In solemnioribus festis est ab itineratione cessandum. Cavenda est per vias dormitio, tanquam periculosa et indecens : nec est tarde vel apud infames hospitandum personas. Disciplinam verborum debent attendere tam in materia, quam in sono. Si occurrerint homines, debent eos humiliter salutare. Seniorum erit coitinerantibus, et his cum quibus aliquando loqui contigerit, aliquid ad ædificationem vel consolationem proponere; peccantes in eorum præsentia non rigide, sed cum modestia et humilitate corripere, et ad bonum per rationes et dulcem allocutionem inducere, et quodammodo *omni creaturæ*[1] sanctum *Evangelium prædicare*. Sanctus Philippus eunuchum in itinere baptizavit[2]. Beatus Martinus latronem secum itinerantem convertit[3]. Si vero non affuerint homines, de Deo verba fratrum convenit esse : ipse namque[4] itinerantibus et loquentibus de se discipulis, itinerationis factus est comes. Tunc exempla patrum, vel alia quævis bona, quæ vel accendant affectum, vel saltem instruant intellectum, sunt ad laboris alleviationem narranda. Turpissimum est nescire tempus nisi frivolis et fabulosis narrationibus detinere. « Væ tacentibus de te, Domine[5], quoniam loquaces muti sunt. » Solent fratres litanias, psalmos pœnitentiales, canticum graduum et similia, aut simul, aut singulariter frequentare, et maxime ante tertiam, aut certe in sanctis meditationibus occupari. Denique quoties mutuæ collationis verba interveniunt, sonum omnino decet esse demissum. Proinde clamosam locutionem, quæ nunquam decet religiosam personam, penitus vitent, maxime inter fruteta et nemora existentes, siquidem, juxta vulgare proverbium, nemus aures, et campus seu planities oculos habere[6] dicuntur. Ab omnibus ergo quæ coram sæcularibus dicere nolunt, in locis dumosis et nemorosis omnino abstineant, nisi forte aliquid quasi sub silentio et latinis verbis dicere velint. Miserabiles confusiones quibusdam minus cautis, pluries ex hoc accidisse feruntur. Non cantent in itinere, maxime in cantu sæcularium cantionum, aliqua licet bona, cum laici non intelligant nisi sonum. Et præter hæc religiosum non decet in cantu extraordinarie vocem efferre. Si qui forte dissolutiones, aut clamosas disputationes, verborum altercationes, vel alia, quæ offensionis materiam extraneis dare possunt, vitare inter homines negligunt, nequaquam eos timoratos dixerim, aut zelum religionis habere. Qui religionis suæ scandalo non occurrit, honori proprio detrahit et saluti. Qui fidelis religionis est filius, nequaquam ejus scandalum parviducit.

Ecclesiis caput inclinandum.

Missa audienda ante omnia, et absolvendum officium divinum.

Ubi sit hospitandum.

De D loquer dum i itiner et orar dum.

Nem aures cam oculo haben

N canta dum itiner

CAPUT XXIX.

De modo conversandi in ecclesiis sæcularium.

Pervenientes ad religiosorum vel sæcula-

[1] *Marc.*, XVI, 15. — [2] *Act.*, VIII, 38. — [3] Sulpit. Sever., *Vit. S. Mart.*, c. IV. — [4] *Luc.*, XXIV, 15. — [5] Aug., *Conf.* lib. I, c. IV. — [6] Hujus proverbii meminit Bernardus, *ad Henric. Senon.*, epist. XLII, c. VI, n. 21.

rium loca, cum ad ecclesiam, si in loco fuerit, veniunt, in ingressu ecclesiæ illum secum versiculum memorantes [1] : *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo,* et nudato capite signum crucis super se cum reverentia facientes, ante altare, vel in alio loco orationi congruo ad quem declinaverit senior, prosternere se humiliter debent. Ubi quantum Deus dederit devote orantes, pariter ab oratione surgentes, procedere poterunt ad ea, quæ necesse habuerint juxta propositum exequenda. Ecclesiam namque, sicut evangelici et ecclesiastici viri, semper prius, si commode possimus, visitare debemus : sanctorum Patrum qui nos in ordine præcesserunt, imo ipsius Salvatoris exemplo, quem beatus Evangelista Matthæus, Hierusalem civitatem ingressum, refert [2] templum Domini adiisse. Super quem locum dicit Expositor [3], quod ingressus urbem, primo templum adiit, dans formam religionis, ut quoquo imus, primum domum orationis, si ibi est, adeamus. Missarum etiam solemniis vel alias divino officio cum extraneis assistentes, gerant se humiliter et honeste. Non stent in sedibus suis velut magnates, aut quasi laici lassi, de officio non curantes; sed ad librum, si necesse fuerit, honeste poterunt accedere officiantes, cum maturitate tamen ac modestia tam in voce quam in gestibus observata, humiliter juvent. Quod si propter evitandum discursum ad librum non duxerint accedendum, nihilominus tamen communia quæ noverint poterunt cum aliis honeste sine nimia vocis exaltatione cantare. Ad cantandum autem aliquid sequestratum, sicut est *Alleluia*, responsorium, vel aliud quodlibet, nequaquam cum sæcularibus se combinent, si vitare poterunt bono modo. Tunc etiam non solum in prædictis, verum etiam in honesto se habendi modo, quantum ad disciplinam aspiciendi, loquendi, habitus et uniformitas, honestatisque custodia est habenda. Reprehensibile est ibi vagis circumspicere oculis, aut collocutionibus, dum Missæ officium celebratur, intendere, quod tunc etiam sæcularibus clericis jus canonicum interdicit; aut per aliquam rem, habitus sæcularitem prætendere. Unde ibi non decet caputium inter homines extrahi, nisi ad Evangelium, vel ad alia pro quibus ex approbata consuetudine communiter fieri consuevit. Denique propter uniformitatem, dum intersunt officio, solliciti sint circa duo. Unum est, ne diversitate sua, in his quæ ab honestate non discrepant, alios scandalizent : ut videlicet ad *Magnificat* in Vesperis, ad *Quicumque vult* in Prima, vel ad alia hujusmodi, cæteris cum reverentia stantibus, ipsi non sedeant, licet illud officium tunc ipsi non dicant. Aliud est, ut in stando, sedendo, et se prosternendo sint invicem uniformes, ut pariter stent, sedeant et se prosternant. Qui cor unum et animam unam debent habere, difformes exterius non debent esse. Uniformitas morum, uniformitatem juvat et indicat animorum. Senioris consuetudini debet se socius humiliter conformare. Religiosorum morem cum eis officiantes servamus; cum aliis, inclinationum ritus ignaris, festivo tempore ad omnes collectas vultu ad altare verso cum reverentia stantes, ad beatæ Virginis et Sanctorum duntaxat, qui speciali ex more veneratione coluntur nomina, inclinamus. In feria vero simus ad omnes orationes prostrati. Ad præfationem semper, et quando dicitur *Agnus Dei*, moris est stare. Verumtamen si quando apud extraneos duxerint celebrandum, modum ordinis sui in celebrando uniformitatis occasione non varient, nec ipsum dimittant, nisi aliter facere cogat necessitas, ne velut instabiles et modum proprium non habentes, cum variis ecclesiarum consuetudinibus temerarie varientur. Possunt tamen in benedictionibus post Missam, juxta morem patriæ faciendis, et in omnibus hujusmodi quæ modo non præjudicant regulari, ecclesiarum in quibus fuerint, consuetudines observare.

Ecclesia omnium primo adeunda.

Seniori se conformet junior.

[1] *Psal.* v, 8. — [2] *Matth.*, xxi, 12; *Joan.*, ii, 14. — Gloss. ord. *in Matth.*

CAPUT XXX.

De disciplina in hospitio servanda.

In hospitii domo cum fuerint, studeant se in omnibus gerere humiliter ac prudenter circa custodiam disciplinæ : humilitatem erga personas in conversatione ostendant, personis majoribus humiliter deferant, personis humilioribus et pauperibus, tanquam confratribus suis, socialiter et benigne loquantur. Conversatio quoque signum aliquod superbiæ non prætendat. Nunquam ad prima se ingerant loca, nec tamen ad ea vocati prorsus refugiant, senioris tamen fratris, quem præponere debent, semper in omnibus honore servato. Quod honori, vel certe deliciis deservire videtur, humiliter utique declinatur, et honesta modestia recusatur. Ubi autem senioris, aut sociorum accedit instantia, cedere magis, quam diutius repugnare, oportet. Parendo potius, quam obstinatius repugnando, servatur humilitas. Reprehensibilis difficultas, ubi palam nutui obviatur senioris. Lectos sæcularium non ascendant indifferenter per diem, nec familiam hospitii obsequiorum exactione molestent. Decet pauperes paucis esse contentos : ipsique necessitati est pro loco et tempore detrahendum. Nunquam hospitum familiaritas, vel alicujus affinitatis propinquitas præsumptionem inducat : ut in domo præcipere, curiosa quærere, aut de factis domus, vel familiæ indagandis, vel disponendis, se iterum intromittere velint, qui propriæ rei familiaris curam, ut Deo servirent liberius, abjecerunt. Prudentiam quidem necessariam habent, ut sint in sui custodia circumspecti. Unde Apostolus[1] : *In sapientia*, inquit, *ambulate ad eos, qui foris sunt*. Et Dominus[2] : *Cavete*, inquit, *ab hominibus*. Caute ergo in disciplinæ censura non solum in publico, verum etiam in privato se habeant. « Nullum, ait quidam[3], putaveris locum sine teste. » Narrabat quidam frater, se in quibusdam sæcularium domibus, occultas deprehendisse fenestras, per quas ea quæ in domibus illis existentes agebant, ipsis non percipientibus, poterant aperte videri. In æstate meridiano tempore dormitionis jacentes, aliquod, si possunt, super habitum operimentum, saltem usque ad cingulum habeant, ne, quando dormiunt, eos indecenter quidem inter homines discooperiri contingat. Erubescenda nimis quibusdam ex hoc accidisse feruntur. Habenda ubique prudentiæ circumspectio et cautela circa personas, loca, negotia, et res, si quas habuerint reponendas. Circa personas, ut se nimis hominibus non committant, quantumcumque familiares fuerint, aut propinqui. Attendant sibi in omnibus quæ dicunt aut faciunt. *Spiritualis* ille[4] qui *omnia dijudicat, et ipse a nemine judicatur*, omne opus suum trina quadam consideratione præveniet[5] : primum quidem, an quod possit liceat; deinde, an deceat; postremo, an expediat. In omnibus semetipsos *sicut Dei ministros* exhibeant[6]. Sint in aspectu, gestu et omni actione sua serii, religiosi et modesti, sicut decut sanctos. Verumtamen modus quidam est religionis : superstitiosum ideo esse nimis non oportet. Dabit congruum inter homines modum discretio personarum. Status et qualitas hominum differens differentiam exigit conservari. Habet se prudens cum differentibus differenter, cum omnibus tamen caute. Erit simplex, non stolidus; humilis, non dejectus; mansuetus, non blandus ; hilaris, non lascivus; affabilis, non vaniloquus, aut scurrilis. Quinimo interest sapientis, sic, si res exigat, a rigore interdum remitti, ut modum tamen modestiæ nec in ipsa remissione dimittat. Potest gravitatis censura remitti pro tempore, non dimitti. Imputanda tamen remissio, ubi nulla decentiæ vel utilitatis intentio. Prudens Domini servus, utilitatis fructum ex sua novit remissione afferre. Ad hoc quo-

Parendo servatur humilitas.

Nullus sine teste locus.

Considerandum an liceat, an deceat, an expediat.

[1] *Coloss.*, IV, 5. — [2] *Matth.*, X, 17. — [3] Senec., lib. *de Morib.* — [4] I *Cor.*, II, 15. — [5] Bern., *de Consid.*, lib. III, c. IV, n. 15. — [6] II *Cor.*, VI, 4.

niam attendenda est honestis congrua personarum honestas, honestioribus semper adhæreant. Mulierum, tam propinquarum quam aliarum, caute, prout poterunt, societatem declinent, earumque familiare nimis obsequium et tactum omnino refugiant. Nulla ratione sustineant, quod pedes sibi a muliere laventur. Nudam autem manum mulieris tangere, vel ad ejus caput vel corpus ubilibet absque necessaria et evidenti causa manum extendere, ab omni prorsus religionis honestate quis dubitat alienum? Quando religiosus cum muliere sedet aut loquitur, manus suas occultare et ad se retrahere debet, quas etiam, quandocumque cum personis extraneis loquitur, simul junctas, et velut invicem colligatas, vel alias religiose decet haberi. Locutio disciplinam requirit. Nunquam mulierem, quantumcumque sibi affinitate conjunctam, sive sororem, sive neptem, quantumcumque pueriles, sed nec facile matrem propriam osculentur. Fugiant omnino fœminea oscula milites Christi, cum osculum etiam viris offerri non deceat, nisi forte ubi de proprio patre vel aliis honestis personis, moris exactu, sine scandalo vitari non potest. Religionis personam, religionis honestas os indifferenter osculis communicare non patitur. Denique periculo animæ mulierum habetur societas [1]. Igitur (ut docet quidam sanctus) ubique gustanda est cum mulieribus, non continuanda præsentia; sed quasi transeunter fœminis exhibenda est accessio quodammodo fugitiva. « Tutius est non posse perire, quam juxta periculum non perisse [2]. » Illum autem nec castum dixerim, nec honestum, qui mulierem aut tangere, aut tactum ejus admittere non abhorret. Quomodo enim tangere licet, quod intueri non licet? Ad custodiendam cordis munditiam exterior quoque sensuum disciplina est servanda. Loca igitur quæ periculi vel suspicionis materiam dare possunt, caute declinent: nec soli cum muliere in locis hujusmodi, vel ad modicum morentur. Domina quædam, ut fertur, cum duo religiosi ad ejus domum divertissent, alterum seorsum vocavit in cameram, quasi secreto aliquid sibi locutura: quem ingressum mox ad turpitudinem provocans, asseruit firmiter se continuo contra ipsum quasi ei violentiam inferentem, nisi statim sibi acquiesceret, clamaturam. Tunc doctus a Domino frater, antequam mulier in vocem clamoris prorumperet, ad fratrem consocium, qui cum pluribus personis in atrio domus erat, alta voce clamavit librum sibi continuo afferri requirens: sicque adveniente fratre, necesse habuit mulier ab hujusmodi nefaria sollicitatione cessare, et frater hominum confusionem evasit. Nonnulli ob causam similem confusi turpiter, et verberati graviter fuisse dicuntur. *Qui autem cavet laqueos* [3], *securus erit:* qui autem non cavet, est aut stultissimus, aut perversus: nec est ejus excusatio admittenda. De nocte si per domos hospitum ad necessaria exeunt, simul quidem et cum lumine ut filii lucis eant. Cæterum de mundanis sæcularium negotiis expediendis, religiosus temerarie se non debet intromittere. Si de animæ negotio agitur, apponendum est quidem et petendum consilium ab his qui habent officium et peritiam consulendi. Alias non est militantis Deo, se iterum occasione propinquorum, vel amicorum sæcularibus implicare negotiis, quæ mundo moriens abdicavit. Impius est, qui animæ suæ pro parentibus suis est crudelis. Sed nec sæcularium litteræ ad portandum vel præsentandum alicui præcipi debent: nisi de ipsarum tenore opus forsitan aliquod pietatis habente constiterit. Nec veris religiosis expedit, quod verborum etiam sine litteris pro negotiis hujusmodi bajuli fiant, vel internuntii. Sed si super talibus requirantur, hoc per alios quos deceat fieri replicent. Circa rerum custodiam, sive libros, sive alia secum detulerint, nequaquam negligentes existant: sed

Mulierum tactus et obsequia non admittenda.

Mulierum colloquia vitanda.

Similiter idem confirmat S. Bernardinus Senensis.

Impius est qui propter parentes crudelis est animæ suæ.

Fratres non sint nuntii aut litterarum bajuli.

[1] Vid. tom. XIV, *Legend. S. Francisci*, c. v. — [2] Hieron., *de vitando susp. Contubern.*, epist. XLVII, col. m. 296. — [3] *Prov.*, XI, 15.

omnia, libros præcipue, antequam illa deponant de manibus, vel de sinu, certæ fidelique personæ commendent, quæ a suibus et canibus qui libros, ut experientia docuit, destruunt, et coopertura non obstante corrodunt, custodiat diligenter. Ipsæ quoque personæ quibus res hujusmodi committuntur, sunt super his instruendæ. Noctibus tamen consultius, propter pericula, in loco certo et propinquo habentur. Nam quidam quos recommendaverat libros, repentino superveniente incendio, perdidit.

CAPUT XXXI.

De disciplina verborum inter sæculares.

Disciplina in verbo est junioribus et novis, præcipue inter extraneos, observanda, ut tarde, caute ac demissa voce loquantur. Tarde, ut usque ad interrogationem taceant, interrogati responsionem seniori relinquant; nisi forte in speciali super levibus, maxime ad propriam necessitatem spectantibus, ut de cibo et potu, et similibus requirantur. De talibus potest quisque pro se, non tamen pro socio sine ipsius assensu respondere. Communem requirit assensum responsio, quæ de communi necessitate profertur. Caute, ut cum præmeditatione loquantur : ut primo bis ad limam, quam semel ad linguam veniat sermo : maxime si seniore forte occupato, de ordine, de personis absentibus, de rumoribus, vel de notabilibus aliis requirantur. [1] De factis ordinis, ut de modo jejunandi, de silentio, vel de aliis requisiti se novos in ordine dicant, seniorem requirendum prætendant, ne forte dum sapienter et bene respondere se putant, stultum aliquid et quod omnino dici non oporteat, dicant. Secreta ordinis quantumcumque religioso vel familiari non revelent, nec statutum aliquod publicent, nisi quod forte commode celari non potest. Idipsum autem non statutum, non præceptum, sed tantum ordinis intra domum consuetudinem vocent, ut per eorum responsum tentionis debitum excludatur extra domum : ne sæculares, si quando contrarium viderint, reputent fratres sui ordinis transgressores : cum tamen multa possint licite ex ordinis, vel superiorum dispensatione mutari. Ordinem nostrum, nunquam ad particularia descendendo, sed si necesse fuerit in generali solum, absque aliorum ordinum collatione vel obtrectatione, commendent. Pessimus laudandi modus, seipsum cum aliorum injuria prædicare. Pessima vitii corruptela detractio, quæ animam maculat, Deum offendit, proximum scandalizat. Et quia ut scriptum est [2]: *Sermo obscurus in vacuum non ibit, et tumultus murmurationum non abscondetur*, his, coram quibus detrahitur, scandalum excitatur. « Constat autem [3], ubi veritas, et veritas necessaria, in causa non est, nec licite scandalum quodlibet posse a quolibet committi, nec juste præcipi, nec innoxie consentiri. » Si de personis absentibus, præsertim religiosis, sinistri aliquid suggeratur, semper pro absentium parte loquentes, nullo modo ad favendum detractoribus inclinentur. Accidit aliquando quosdam magis ad tentandum, quam ex animo de his obloqui. Narrabat, ut fertur, senior quidam fide dignissimus, ad se quandoque sæcularem venisse, qui adversus quosdam religiosos plurimum invehi videbatur. Cui frater viriliter se opponens, eum, quoties advenit, eadem semper constantia repulit, et incusatos pro viribus excusavit. Miratus oblocutor benevolam senioris constantiam, aperuit tandem se id ad probandum de mutua illorum ordinum charitate fecisse, adjiciens se ordini senioris istius, qui pro aliis advocabat, cum quodam prius incusati ordinis fratre ob causam similem oblocutum fuisse : fratrem autem illum oblocutionis verba, in primis aliquantulum, deinde vero remissius refellentem, tandem obloquenti cessisse : super quo idem sæcularis non modicum offensus, apud illos non esse charitatis veritatem asseruit, qui

Bis ad limam antequam ad linguam sermo veniat.

Secreta ordinis non revelanda.

Absente semper excusandi.

[1] Bern., in *Speculo Mon.* — [2] *Sap.*, I, 10. — [3] Bern., *ad Adam.*, Epist. VII, n. 9.

ad invicem detractionem admittere non curassent. Denique religiosus non est, qui detractionibus pascit, aut pascitur alienis. Caveant etiam, ne sint rumorum, licet bonorum et verisimilium, delatores. Religiosos viros passim rumigeros esse non decet. Falsitas quæ frequentissime rumoribus inest, vel quæ per secundarios relatores apponitur, primis earum auctoribus imputatur. Hinc est [1] :

Detractio minime religioso admittenda.

Rumores fuge, ne incipias novus auctor haberi.

Sermo religiosi qualis.

Sint in locutione honesti et serii, nec se in sæcularibus et ad risum moventibus verbis sæculares ostendant. Servum Dei, de Deo loqui decet, ut fiat, quod scriptum est [2] : *Si quis loquitur, quasi sermones Dei;* alioquin verba vana mentis aperiunt vanitatem. *Ex abundantia cordis os loquitur* [3]. Circa vocis sonum in locutione attendant, ut, prout tactum est alibi [4], sit demissus pariter et suavis. Vitiosissimus plane religioso loquendi modus, si notabiliter suam in loquela communi vocem exaltat. Sufficiat ei, quod proxime ei astantes possint loquentis intelligere verbum. Sapientis est loqui suaviter et demisse. Nox autem amplioris (*a*) vocis depressionem requirit. Nox est tempus silentii et quietis. In nocte maxime post completorium, in alta, ut prius, verba erumpere, silentii gravitate neglecta, sæcularium est religionis non curantium honestatem. Proinde honesti fratres, ubicumque fuerint, religiose semper, in quibus poterunt, ac si essent in fratrum collegio, cum silentii sui observatione permanebunt.

CAPUT XXXII.

De disciplina comedendi inter sæculares.

Præcipue decet, ut cum extraneis comedentes honeste se habeant : ut nec in cibo, nec in modo comedendi, vel mora, aut in aliis quæ disconveniunt super mensam, ut est verborum multiplicatio, aut exterior corporis vel habitus dispositio inhonesta, possint de irregularitate notari. Circa cibum attendant, quod, propter quantitatem vel qualitatem, de gulæ vitio judicari non possint. De primo Sapiens ait [5] : *Utere quasi homo frugi his, quæ tibi apponuntur, ne, dum multum manducas, odio habearis.* Unde inter sæculares non expedit appositam semper portionem totam comedere, aut penitus evacuare scutellam; ne forte magis id homines voracitati quam necessitati attribuant. Inter cætera est habenda semper temperantia circa potum. Turpissimum enim est, si de nimia potatione notentur. Religionis quivis insignia præferens, meribibuli nomen ignominiose sortitur. Hoc vitium hominem coram Deo et hominibus vilem reddit. Ad notam hujus vitii fugiendam, cavere debent, ne post refectionem, etiamsi vinum sæpius offeratur, frequenter bibant; aut postquam in communi potatum est, seorsim sine urgente necessitate potum in privato requirant; nec omnino quod potus, ubi dormitur, remaneat, patiantur. Post cœnam non sunt ad verba et pocula vigiliæ protrahendæ. Vigilare ad ignem, sitim provocat, et bibitare compellit, gravat corpus, exhaurit spiritum, tempus in verbis pene imperceptibili subductione consumit, tempestive ad orationem surgere, officii debitum devote, ut expedit, solvere non permittit. Et qui sero sobrietatis non observat sententiam, mane frequenter suspenditur a divinis. Usitatum est hosti, homines ad prunas seducere. Ad prunas Dominum sprevit Joakim [6], negavit Petrus [7]. Et ne nobis de nocturna prædicatione ad prunas propter fructum vel interrogationes hominum, blandiamur, ad prunas Joakim quidem audit sermones Domini, sed contemnit; ad prunas Petrus, de Christo interrogatus, offendit. O quoties est serotinis necessaria verbis correptio matutina! Mane prædicant docti, sero concionantur indocti. Et in his omnibus ho-

Potus sit parcus.

Producere vigilias vespertinas dehortatur.

[1] Cato. — [2] I *Petr.*, IV, 11. — [3] *Matth.*, XII, 34. — [4] Sup., c. XX, pag. 468, col. 1. — [5] *Eccli.*, XXXI, 19. — [6] *Jerem.*, XXXVI, 22 — [7] *Joan.*, XVIII, 18.

(*a*) *Forte legendum* ampliorem.

nestius alibi, quam ad ignem et pocula, prædicatur. Si hominum instet devotio pro exemplis, senioris intererit providere, ut narratione una, paucis, vel aliis, si expedit, verbis, instantiæ satisfiat. Verumtamen mutat interdum causa consilium, nec lex imponitur unctioni. Vitanda tamen vigilia, quæ occasionem verbis aut potationi ministrat. Qui vitium cavere desiderat, vitii occasionem præcaveat. Studeant ergo in cibo et potu sobrietatem servare, sicut servi Dei et religiose viventes.[1] « Sicut omnes cupiditates carnis abstinentia resecantur, ita omnes virtutes edacitatis vitio destruuntur.[2] Immundi spiritus se ibi injiciunt, ubi amplius vident cibum et potum. » Circa secundum multum attendere sibi debent, ne videlicet cibos appetant delicatos[3]. *Qui vinum et pinguia diligit, nunquam* in virtutum possessione *ditabitur*. Horum quidem permittitur usus, abusus et concupiscentia prohibetur. Semper itaque placeat eis lautioribus parcere cibis. De grossioribus cibis, et facili vel valde temperato potu, necessitati utcumque satisfieri potest, quamquam et ipsa necessitas inter homines sit arctanda. Qui de religione censetur, modestiam debet religionis habere, ut sit in temperantia speculum aliorum. *Spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus*[4]. Felix abstinentia, quæ palato imperat delicato. Debet vas cœlesti gratiæ mancipatum, a sæculi illecebris abstinere. Non erubescant aquam pro vino petere, si habuerint, temperando; quin potius erubescere debent, si vinum biberint nimis forte. Aquam requirere, et minus lymphato vino, vel modicum semper pro bibentis necessitate apponere, Deo placet, proximum ædificat, religiosum honestat, animæ simul et corpori est salubre. Verum quam turpe sit pauperibus hominibus cibaria quærere lautiora, et appositis non esse contentos, de modo præparandi cibum disponere, aut quomodo præparetur requirere, potum vel cibum aliquem in speciali laudare, ut de eisdem amplius apponatur, aut suas inter extraneos medicinas ostendere, quis sanæ mentis ignorat? Modus quoque honestus est in comedendo habendus, ut non ardenter, aut cum nimia festinatione comedatur, vel alias indecenter. Moram in mensa facere, religiosum non est. Caveant one, aliis a comestione cessantibus, ipsi comedendo vel loquendo mensam detineant, cum non sit hominum, sed magis pecudum, super mensam ruminando diutius immorari. Possunt tamen, qui necesse habent, caute cum modestia sibi in principio mensæ, aliis communiter comedentibus, providere. Ad hoc, « ubique, ut ait Sanctus[5], frenanda est lingua præceps, maxime in convivio; ne scilicet ad loquendum superflue, vel indiscrete relaxetur. »[6] «Taciturnitas, ait Hugo, inter epulas idcirco necessaria est, quoniam lingua, quæ in omni tempore ad peccatum prona labitur, periculosius tamen, cum per crapulam inflammata fuerit, ad loquendum relaxatur. » Discretionem quoque in verbis, eadem ibi ratio persuadet. Super mensam autem cum socio loqui, aut, coram illitteratis, latinis ibidem vel alibi verbis uti, dominum quoque domus, vel alios quoscumque, ad comendendum vel bibendum frequentius invitare non decet. Subit animo quod quædam matrona cuidam frequenter invitanti dixisse fertur : Fuisti, inquit, asinarius ruralium et imperitorum, qui sæpe asinos provocare novissent ? esse proprium innuens his, qui invitationes personis discretionem habentibus inculcare solent. Oportet etiam disciplinam in corporis et habitus dispositione servare, ut comedentes se non appodient super mensam, vel accubitando, vel alio quocumque modo inordinato se gerant. Dum comedunt, caput in caputio nulla ratione profundent, sed aperta comedant facie. Cæterum religiosos et pauperes de mensa aliena viventes de portione sibi

Cibi delicatiores non appetendi.

In mensa non diu morandum.

Taciturnitas in mensa.

[1] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. VIII, c. XLII, sent. 10. — [2] Ibid., c. XLIV, sent. 3.— [3] *Prov.*, XXI, 17.— [4] I *Cor.*, IV, 9. — [5] Bern., *de Consid.*, lib. IV, c. VI, n. 22. — [6] Hug., *Instit. mon. ad Novit.*, c. XXVIII.

apposita encænia familiæ faciendo, patrisfamilias in domo gerere vices, canes vel murilegos de mensa pascere benedicta, a quo nonnulli etiam abstinent sæculares, non congruit. Principalis hucusque incisio nil his notæ impingens, qui sub institutionibus aliis militant, aut pro diversis locis, et diversitate causarum, diversa ordinant instituta. Honesta quidem et sancta omnis traditio, quæ per prudentiam seniorum in timore Dei communiter traditur, communiter observatur. Profecto ex communi surgit institutione religio : honestas ex ordinatione causatur. Omne ordinatum decorum esse necesse est.

PARS SECUNDA

Pura confessio cor mundum Deo faciat habitaculum.

Principali hujus opusculi particula expedita, secundaria hæc pauca epilogat, et supplet quædam, ut qualiter novi discipuli Christi ad Deum, ad se, ad proximum, et ad res etiam quas aliquando servare vel tractare contingit, se habeant : quibus differentiarum indiciis de sua conversione discernant, qualiter denique ipsi ad professionem recepti se gerere debeant, vel breviter in aliquibus instruantur.

CAPUT PRIMUM.

De ordinatione respectu Dei.

Ante omnia cor suum per puram confessionem mundatum, dignum Deo habitaculum præparent : illud excolant, illud exornent, nihil ibi vel ad horam residere, quod dilecti sui oculos offendere valeat, patiantur. Tentationes et cogitationes malas humiliter et pure confiteri non differant. Veretur hostis consilium suum ingerere non celanti. Providendum est eis, ut qui jam sunt superni Regis milites annotati, secum omnino firment et statuant, se usque in finem ei fideliter servituros : nec ullis ab eo tentationibus, tribulationibus et angustiis deinceps recessuros. *Juravi*, ait Propheta [1], *et statui custodire judicia justitiæ tuæ.* Religionem sanctam, ad quam eos Dominus sua miseratione vocavit, ferventissimo ac fidelissimo studeant amore diligere, et ei, tanquam speciosissimæ ac Deo dilectissimæ sponsæ, fide inviolabili adhærere. Quæcumque sibi, sive prospera, sive adversa contigerint, Deum semper devotis efferant laudibus, ut sive cespitent, sive cadant, sive aliam quamcumque molestiam seu læsionem incurrant, semper in ipsorum ore resonet divina laus, semper vel *Benedictus Deus,* vel *Ave Maria,* vel aliquid quod ad laudem Dei pertineat, dicant. Et hoc in consuetudinem ducere studeant, nulla unquam negligentia omittendum. Quidquid speciositatis vel delectabilitatis in creaturis invenerint, quidquid circa statum humanæ conditionis vel dispositionis acciderit, totum semper assumant in materiam laudis Dei, et de omnibus, quæ occurrerint, devote studeant cogitare. In ipso suarum omnium operationum initio Dominum invocare, et suam ad ipsum intentionem dirigere assuescant. Instent orationi frequenter, quæ novam in horto Domini plantulam fovet, provehit et confirmat. Discant ergo una saltem diei vel noctis hora, tempus et otium vendicare, quando ad se reversi, mentisque *cubiculum* [2] introgressi, orent in abscondito Patrem suum, et in *corde contrito et humiliato* [3] universorum Domino familiariter adstent. Mane autem adstabat Propheta Domino [4], quia [5] *qui mane vigilaverit ad Deum, inveniet eum.*

In omnibus prosperis et adversis Deus laudandus.

Intentio actionum omnium feratur in Deum.

Recollectio non omittenda.

[1] *Psal.* CXVIII, 106. — [2] *Matth.*, VI, 6. — [3] *Psal.* L, 19. — [4] *Psal.* V, 5. — [5] *Prov.*, VIII, 17.

Subripienda erit carni, etsi forte non semper, sæpe tamen somni requies matutini, cum illa hora Christus resurrexit[1]. Tunc est tempus *allidendis ad petram parvulis*[2], mortificandæ carni, et recreando spiritui opportunum. Tunc spirituales aviculæ[3] dulcem Deo in cordis organo exhibent melodiam. Ad hæc et aliæ temporis et quietis opportunitates, quæ occurrunt, minime negligendæ sunt. Post horas canonicas non statim oratorium exeant; sed in oratione aliquantulum subsistentes, qualiter opus Dei peregerint, cogitent : an tepide, vel ferventer : et defectus, si quos ibi commiserint, tunc emendent, gratiæque devotionis se offerant infundendæ, quam si Dominus dederit, non repellant. Hoc autem in omni oratione observent, ut quod orantes dicunt, ex animo semper dicant: non enim vocibus, sed rebus agitur apud Deum. Porro qui ad orationem est negligens, suæ nimirum ingratitudinis et tepiditatis est testis. Frustra profectus virtutum sine oratione speratur. Ad ea igitur, quæ ad cultum Dei pertinent, magno et prompto corde accingantur. Ad divinum officium, audito signo, statim omnibus occupationibus omissis, accelerent. Si in lectis fuerint, statim surgant, nec ultimum aliquatenus signum expectent. Oratione namque aliqua utiliter prævenitur officium. Qui sic ex studio prævenit, in benedictionibus meretur dulcedinis majoris devotionis et gratiæ ad ipsius executionem præveniri. Ecclesiam intraturi, manus, si necesse habuerint, lavent. Vestes, maxime in die, religiose componant, ne irreverenter aut indecenter introeant aulam Dei. In ecclesia Deo psallentes, Creatorem suum totis viribus cum reverentia debita laudent. Officium suum in choro et extra, non perfunctorie quidem, simiaticis, ut aiunt, labiis, sed devote semper et integre dicere studeant, nec aliam ei occupationem admisceant. Cessent manus, oculorum evagatio reprimatur, ut mens, ab exteriori cura penitus libera, soli valeat Deo vacare. Dies vel hora quæ negligenter officiata pertransierit, nequaquam ulterius poterit revocari, cum præsertim temporis sequentis officium suam nihilominus diligentiam et devotionem requirat. Nec sibi de gratuitis orationibus blandiantur, si circa necessarias, quæ primo loco habendæ sunt, desidiosi extiterint. Denique juxta sancti[4] verbum, « pure semper (*a*) ac strenue debent laudibus divinis intendere : » pure quidem, ut dum psallunt, nihil aliud cogitent quam quod psallunt ; strenue vero, ut sicut reverenter, ita et alacriter Deo assistant : non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præscindentes verba dimidia, non integra transilientes : non fractis et remissis vocibus muliebre quiddam balba de nare sonantes; sed virili, ut dignum est, sonitu et affectu voces sancti Spiritus depromentes. Reverentiam in officio honesta corporis dispositio, quæ mentis devotionem non mediocriter promovet, attestatur. In choro non stent in stallis suis molliter, aut quasi fractis renibus resoluti. Quando post psalmum, vel hymnum, sanctæ Trinitati reverentia exhibetur, humiliter et decenter inclinent. Tunc enim tardius surgere, segniter ac difformiter inclinare, ut quando, corpore quidem sufficienter demisso, vultus tamen indecenter erigitur, oculis erratice circumlatis, imperfecte quoque, ad memoriam Trinitatis, inclinationis venerationem exsolvere, quasi sit honoris differentia in personis, irreverentiæ arguit et teporis. Etiam extra chorum stent ad officium, præterquam ad lectiones et officium mortuorum. Specialiter tamen lectionibus plane dictis, de Domina tantum exceptis, irreverentes et pigros se noverint, si debitas Deo laudes sedendo vel jacendo exsolvant, nisi necessitas evidens cogat. Si quando per viam officium dixerint, etsi non vacat continue dum illud dicunt ab

Proponit aviculas imitandas mane summo, et vespere ante somnum canti tantes.

Orandum ex animo.

Officium divinum quam devotissime persolvendum.

Reverentia est opus in officio divino.

[1] *Marc.*, XVI, 2. — [2] *Psal.* CXXXVI, 9. — [3] Ambros., serm. XLIII, et *Hexaem.*, lib. V, c. XII, n. 39. — [4] Bern., *in Cant.*, serm. XLVII, n. 8.

(*a*) *Cæt. edit.* ac semper.

itineratione quiescere, saltem ad collectam præcedentium collectivam, quando omnino tota est in Deum intentio colligenda, in uno sistant loco : imo si tempus exegerit et locus permiserit, cum reverentia genu flectant, ut in oratione communi totum officium venerentur. Dispositio corporalis honesta, devotionis provocat affectum et designat. Non frustra sanctus Martinus, « oculis ac manibus in cœlum semper intentus orasse » describitur[1]. Intrinsecos motus gestus exterior attestatur. Quamvis extra conventum, conventualis in omnibus disciplinæ non servetur distinctio; in omnibus tamen religiosi operibus, religionis debet vestigium relucere. Debent ergo ad opus Dei corpus honeste disponere, ad collectam et Trinitatis memoriam vel modicum inclinare, ordinem in prosequendo servare, occupationem et interruptionem vitare. Ad Missas, postpositis omnibus, tanto majori promptitudine ac devotione ministrent, quanto Deo ibi familiarius servitur. Calicem et corporalia si tetigerint, reverenter et mundissime tractent : manusque post tactum hujusmodi, antequam apponant communibus, lavent. Corpus Dominicum recepturi, ante, ut decet, ampliori confessionis, orationis, et tam a cibis quam verbis temperantiæ studio, acceptum Deo satagant hospitium præparare. Infusam autem ob tanti hospitii gratiam, reverentiam in gratiarum actione attendant.

Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri.

CAPUT II.

De ordinatione respectu sui.

Cæterum fervorem sanctum, et quamdam debent magnanimitatem assumere, ut ad virtutum exercitia strenui ac devoti, opera bona frequenter supererogare contendant. « Tunc enim[2] vitia fideliter extirpata discedunt, si virtutibus cedant. Alioquin vel subsidunt ad tempus ejecta, vel redeunt, nisi virtutes in locis vitiorum quæ fuerint depulsa, successerint. » Non proderit omnia reliquisse, nisi virtutum passibus tota Christum intentione sequamur. Quid juvat expeditum esse ad cursum, nec currere? exisse ad opus, et operis oblivisci? Non intrantibus vineam, sed operantibus merces datur[3]. Et cum in usu virtutum omnium perfecti esse non valent, in aliqua saltem se studeant specialiter exercere, et illam quanta possunt perfectione observare. Fervorem novitiorum non decent illæ misericordes in seipsis discretiones, et discretionum dispensationes faciles : quia indulgentiæ suo judicio non sunt admittendæ, nec tamen recusandæ sunt alieno. A seipso in seipsum, rigida debet esse censura et districta severitas; ad regentem vel consulentem, lenis et obediens in omnibus humilitas. Si alterum desit, vel in deside et tepido non spero cursus perseverantiam, vel in præcipitio timeo ruinam. « Sint occultatores virtutum, sicut alii vitiorum[4]. » Non tamen in principio ardua sive multa præsumant, nec sine licentia aliquid notabile attentent; sed a minoribus virtutibus paulatim ad majores ascendant. *Hæreditas ad quam festinatur in principio*[5], *in novissimo benedictione carebit.* Communem ordinis observantiam sequantur : perfectioni in silentio et in aliis institutis plenius obtinendis insistant; a qua nec exemplari levium, vel negligentium aliquorum dissolutione divertant. Optima religiosi perfectio, perfecte communia quæque conventualia servare. Porro hic religionem offendit, qui religionis violat instituta. « Turpis omnis pars[6], universo suo non congruens. » Cavet vir constans et honestus, ne consuetudinem ordinis temerarius violator existat. In victu et moribus, novitatis nota, et singularitatis erit diversitas fugienda. Ante omnia caveant, ne pro inchoato jam bono subrepat superbia, ut se aliis præ-

In seipsum rigidum, in alios lenem esse oportet.

Perfectio summa religiosi, communia perfecte observare.

Superbia summopere fu-

[1] Sev. Sulp., *ad Bassul.*, epist. III, versus fin. — [2] Prosp., *de Vit. contempl.*, lib. III, c. III. — [3] *Matth.*, XX, 8. — [4] Senec., *de Virtutib.*, c. de continentia. — [5] *Prov.*, XX, 21. — [6] August., *Conf.*, lib. III, c. VIII, n. 15.

gienda novitis.

ferant, et se aliquid esse putent. Perit omne quod agitur, si non sollicite in humilitate custoditur. Exteriorum gestuum disciplinam non negligant. Disciplina[1] cervicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, frenat gulam, iram sedat, format incessum. » Sit ergo aspectus verecundus et simplex, risus sine cachinno, vox sine clamore, incessus sine tumultu. Erecto vel discooperto passim capite, manibus dissolutis vel habitu non incedant. Sit eis grata non scurrilitas, seu curiosa urbanitas, sed sancta quædam rusticitas, salva semper modestia honestatis. Sint ad loquendum tardi, et in voce demissi, et in congregationibus aut seniorum præsentia, vix nisi pro præsenti necessitate vel interrogati loquantur. Non sint disputatores, nec facile de auditis, præsertim seniore præsente, sententient. Stulti sicut sunt in sensu leves, ita et in verbo præcipites. Infra tempus probationis cum extraneis, sive religiosi, sive alii fuerint, absque licentia et dato sibi socio non loquantur. Religionis initium est linguæ frenum.[2] *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, hujus vana est religio.* Rem aliquam, licet parvam, sicut acum, sive aliud, occulte, hoc est, sine licentia recipere vel habere, quasi furtum abhorreant. Superfluitatem in cibis et vestibus, et in aliis quibuscumque constanter despiciant, paupertatem et parcitatem quamdam in omnibus quæ ad corpus pertinent, amplexantes. Vitiosæ consuetudini viriliter et ferventer resistant, nec eam in his quæ gulæ vitium sapiunt, succrescere patiantur. Extra communem refectionem ad comedendum et bibendum vix eos inflectat ipsa necessitas. Sæpe quod necessitatis esse videtur, est vitii. Ultra duas vices in die, puerorum seu pecudum more comedere, potum extraordinarie frequentare, religionis temperantiam et decorem evidenter offendit. Quæ, rogo, religio, quæ paupertas, si mox ut esuris, mox ut sitis, volito pares, satias appetitum, nec eum usque ad statutam horam scias compescere? Si quando tamen extra horam exactus necessitate quis bibit, sedendo et socio præsente id faciat. Non decet ut stando, aut sine teste bibas. Si plures fuerint, omnes dum bibitur sileant : statimque ut biberint, surgant cum aliqua laude Dei. Reprehensibilis admodum confabulatio, vel mora superflua juxta potum. Nunquam otio torpeant, sed semper aut lectioni, aut orationi, vel officio addiscendo, aut aliis non quæ ipsi elegerint, sed quæ injuncta fuerint facienda, intendant. Spiritum tamen devotionis exteriores non exhauriant actiones. Devotus frater nunquam totus comedat, totus dormiat, aut totus in exterioribus occupetur : sed sive comedat, sive aliud faciat, sanctum in animo aliquid semper volvat, unde spiritus recreetur.[3] « In somnum quoque iturus, semper aliquid in memoria secum deferat, in quo placidé quidem obdormiat, quod nonnunquam juvat somniare, et vigilantem excipiens, in statum hesternæ intentionis restituat. » Lectum intraturus pro diurnis offensis orationem semper aliquam faciat, veniam petat, pectus percutiat; crucisque munitus signaculo, suum Deo spiritum humiliter recommendet : qui a somno surgens, cum aliquanta se denuo laude consignet.[4] « Quod si forte eum luxuriæ pompa concusserit, recordetur dilectum suum positum super lectum doloris, et universum stratum ejus in carnis infirmitate versatum[5], hæc dicens in corde suo : Dominus meus pendet in patibulo, et ego voluptati operam dabo? Sicque invocato nomine Salvatoris, et sæpius geminando nomen salutis, cessabit quassatio. »

Religionis initium, linguæ frenum.

Extra communem refectionem nihil sumendum.

Otiar dun num quan

[1] Bern., *ad Sophiam virg.*, epist. CXIII, n. 5. — [2] *Jac.*, I, 26. — [3] Guill. a S. Theodor., *ad fratr. de monte Dei*, c. XI, n. 34, inter apocryph. Oper. S. Bern., tom. II, edit. Paris. 1690. — [4] *Formul. honest. vit.*, n. 9, ibid. — [5] *Psal.* XL, 4.

CAPUT III.

De ordinatione circa proximum.

Ad hæc, qualiter se habere ad proximum debeant, Hugo docet[1] : « Superioribus, inquit, obedientiam, timorem, obsequium et venerationem exhibere debemus; cum æqualibus pacem et concordiam custodire, invicem obsequio, beneficio et honore prævenire; in omni actione et verbo, superiorem eis locum tribuere; et si quando fortassis in aliquo negotio præire eos cogantur, cum omni humilitate et reverentia, quæ facienda sunt non præcipere, sed demonstrare; et si eos præcedere contingat, cum alacritate et devotione, quasi ex necessitate subjecti, obedire. Inferioribus semper beneficium et auxilium impendere, venerationem non exigere, societatem atque æqualitatem amare. Majoribus, ait, debemus per timorem subdi, æqualibus per charitatem obsequi, minoribus per æqualitatem coæquari. » Igitur devoti fratres seniores suos revereantur ut dominos, diligant ut parentes. Qui præsunt in Domino, sunt, secundum Apostolum [2], amplius in charitate habendi. Sane, juxta Hugonem [3], reverentia sine amore servilis est, et amor sine reverentia puerilis judicari debet. Propterea docet Sanctus [4], ut « transeunte majore minor surgat, et det ei locum sedendi. Non præsumat, inquit, minor considere, nisi præcipiat ei senior suus. » Prior hic ponit conversio, vel gradus officii seniorem, quanquam et ætas sit juxta legem Domini honoranda. Sic enim scriptum est [5] : *Coram cano capite surge, et honora personam senis.* Discretio tamen caute, pro loco et tempore, ac sine reverentiæ congruæ detrimento, venerationem modificat. Habendus est modus in omnibus, nec vitiosam quidem superstitionem admittens, nec, superstitionis evitandæ prætextu, humilitatis aut morum sanctionem evacuans. Obedientiæ se totos subjiciant. Sit homo interior totus Deo, sit exterior totus Prælato subjectus. Quidquid superior eis vel præpositus, vel instructor injunxerit, quasi divinitus imperatum, statim ut veri obedientiæ filii devote adimpleant. Quidquid statuerit, inviolabiliter servent, scienterque aliquid transgredi sacrilegium putent, et salutare credant quidquid ille præceperit. [5] « Perfecta obedientia est in incipiente maxime indiscreta, id est, non discernere quid vel quare præcipiatur; sed tantum ad hoc niti, ut fideliter et humiliter fiat quod a majore præcipitur. » Novitium prudentem incipientem et sapientem, in cella diu posse consistere, et in congregatione durare, est impossibile. *Stultus* igitur [7] *fiat, ut sit sapiens.* Secure per omnia obeditur, ubi contra Deum nihil præcipitur. Discant ergo voluntates proprias frangere, alienoque judicio et imperio ambulare. « Nulla ars, ait Sanctus [8], absque magistro discitur. Ad illud, inquit, tendit oratio, ut tuo doceam te arbitrio non vivendum, sed vivere debere in monasterio sub unius disciplina patris, consortioque multorum; ut ab alio discas humilitatem, ab alio patientiam; hic te silentium doceat, ille mansuetudinem; non facias quod vis; subjiciaris cui non vis; lassus ad stratum venias, ambulansque dormites, et necdum expleto somno surgere compellaris. » Nihil absque instructoris conscientia faciant, vel quocumque eant, cui ab (*a*) aliis etiam superioribus demandata sibi significent. In quibus sufficit ipse (*b*), semper ejus licentia sint contenti : pro his quæ inferioris sunt, non passim recurritur ad majorem. Fratres omnes et se invicem honore et obsequio prævenire, et eorum (*c*) defectum in officiis humilioribus implere contendant. Seniores fratres versiculos dicere, de lumine servire, librum ad officium tenere, vel hujusmodi humilia in choro et extra, quantum in se fuerit, non

Seniores honorandi.

Quidquid a prælato præcipitur, quasi divinitus imperatum servetur.

Sine conscientia instructoris nihil agendum.

[1] Hug., *Instit. mon. ad Novit.*, c. v, in init. — [2] I *Tim.*, v, 17. — [3] Hug., ubi sup. — [4] S. Bened., *Regul.*, c. LXIII. — [5] *Levit.*, XIX, 32. — [6] Guill. a S. Theod., *ad frat. de monte Dei*, c. V, n. 14, ubi sup. — [7] I *Cor.*, III, 18, — [8] Hieron., *ad Rustic. mon.*, epist. IV, pag. m. 46, B. C. — (*a*) *Leg.* quibusvis. — (*b*) sufficiunt ipsi. — (*c*) aliorum.

permittant. Omnibus se subjicientes propter Deum, non quod sibi utile putant, sed quod aliis, amplexantes, omnibus libenter obediant, omnibus satisfaciant, prout possunt, « ut in omnibus quibus utitur transitoria necessitas [1], superemineat quæ permanet charitas. » Quidquid agunt, fidelissime cum diligentia faciant, et tanquam Deo, non quasi hominibus servientes. Non æstiment alios fratres, qui diutius in ordine laboraverunt, secum ex æquo laboribus occupandos, præsertim cum de se humiliter sentientes, pie debeant credere, quod sancti viri plus Deo placeant quiescentes, quam ipsi quantumlibet laborantes. Erubescant se nescire, quod in obsequiis religiose (*a*) est sciendum. Quod igitur nesciunt, statim exercitio magistrante addiscant. Sint præcipue ad serviendum communitati promptissimi. Si lumen in ecclesia, in officinis, aut aqua in fratrum lavatorio desit, continuo de his et similibus necessitati provideant. Ad obsequium advenientium fratrum, qui sicut angeli, imo sicut Christus in eis veniens, sunt suscipiendi, cum omni devotione festinent. Et quia fratribus hospitibus, secundum quod religionis honestas et consuetudo requirit, prius orandum est, quam fratribus socientur in pace, quam cito ab oratione surrexerint, ad eorum deosculandas manus, maxime si fuerint sacerdotes, devote occurrant et humiliter genuflectant. Nullum fratrem puro appellent nomine, nec, nisi fuerit patriæ consuetudo, tuisent. Nulli prorsus, quantum in eis est, materiam præstent molestiæ alicujus; sed omnia quæ necessaria et utilia æstimant, bono pietatis et charitatis componant. Quid pace honestius? quid unitate jucundius, aut commodius socialitate? quid charitate melius, aut pretiosius invenitur? Gloriosissimum quidem et potissimum liberalis animæ et conscientiæ bonæ indicium, pacem proximi custodire; omnem, quantum possibile est, fratrum scandali occasionem vitare; verecundari, si socium vel per surreptionem offendis. Si quem adversum se fratrem motum, vel leviter, senserint, quiescere nesciant, quousque ipsum humili studuerint satisfactione placare. Ad extraneos si quando procedunt, in verbis eorum, incessu et habitu, modestia fulgeat disciplinæ : breviter et pauca loquantur, caput decenter operiant, manus abscondant, mulieris omnino quantumlibet propinquæ osculum, et nudæ manus contactum penitus vitent. Pro personis quæ in domo, vel in via, fratrum se orationibus recommendant, statim post earum abscessum orationem faciant specialem. Defunctis fratribus, audito eorum transitu, quam citius possunt subveniant, et debitum saltem obsequium solvere nulla occasione postponant. Talia siquidem non absque pertimescendæ offensæ periculo negliguntur.

Fratres hospites cum charitate excipiendi.

Pacem cum hominibus habere, liberalis animi et bonæ cons-

cienti indi cium

Or dum mox p illis q prece efflagi verint.

CAPUT IV.

De rerum custodia.

Res quas tenent, præcipue libros, munde teneant et honeste. A tactu libri nudam cohibeant manum ; quæ licet munda, quia tamen porosa, ipsum facile inficit et deturpat. Turpe est nudos paginarum marginibus imprimere digitos, vel ipsos, vel certe laternam super librum legendo deducere. Semper pannus, si adsit, digito supponatur. Alioquin ita caute tangant et leniter, ut tangentes quasi non tangere videantur. Librum superflue apertum non teneant, vel incaute relinquant. Firmacula, libro paulum stricto, si violentia laxentur, apponent : violentiam sonitus probat. Indignus est libro, qui negligit custodire. Solent incurii quidam libros digitis, et vestes præcipue in manicis munde servandas, sordibus et pulveribus, vel rebus quas tractant, pene indifferenter exponere; ipsas vero (*b*) extremæ frequenter vilitati expositas, vix valent a sociorum cibo, vix ab altari, vix ab ipsis calicis mappulis prohibere. Qui ipsis placere sordibus cupiunt, custodiæ

Libri c riose s vandi.

[1] Aug., *Regul. ad serv. Dei*, n. 8, al. 34.

(*a*) *Leg.* religioso. — (*b*) *Suppl.* manus.

curam curiositatis condemnant infamia; suæque vitium incuriæ, virtutis specie colorare nituntur. Gravia hæc homini erudito. Qui munditia gaudet, honestatis pulchritudine delectatur.

CAPUT V.

De profectu et defectu Novitiorum, sive differentia conversorum.

Bonorum novitiorum genus.

Accedit hinc Neophytorum conversio differens intuenda. Sunt enim quidam tractabiles, simplices, devoti, timorosi, qui nihil sibi Christo carius æstimantes, voluntates proprias ei sacrificant, voluntarie prompti ad nutum, nutu citius obedire. Ad difficilia quælibet propter Christum æquanimiter perferenda parati, suæ quoque integritatis solliciti, cor suum per puram confessionem et assiduam orationem mundare non negligunt. Sunt in exteriori conversatione disciplinati et humiles : student se in omnibus officiosos et amabiles exhibere. Siquidem [1] « studere propter Deum amari, charitati servire est. » Hi vero sunt Altissimi filii, fideles sanctæ religionis propagines, fratrum lætitia, consociorum solatium, sui gloria instructoris. Nam [2] « gloria patris est filius sapiens. » Sunt et alii duræ cervicis, disciplinæ insusceptibiles, mansuescere nescientes, tepidi, curiosi, superbi, qui quam *suavis est Dominus* [3], non gustantes, sæculari duntaxat deposito habitu, non affectu, quoniam adhuc in moribus, in verbis, in gestibus, et propriarum pertinacia voluntatum, sæculo fidem servant, ut, monstro mirabilius, sub religiosa veste hominem videas sæcularem. Hi sunt filii diffidentiæ, adulterina plantatio, fructus inutiles et acerbi, sociorum onus et scandalum, sui afflictio et confusio instructoris, juxta illud [4] : *Ira patris filius stultus*, et [5] : *Confusio patris de filio indisciplinato.* Ponenda sunt pauca torporis, curiositatis et superbiæ prædictorum indicia, ut cognita devitentur. [6] « Cautior in bonis ambulas, si et (*a*) mala non lateant. » [7] « Tepidus in conversione otiosa verba et vanas cogitationes noxias esse non conspicit. » [8] « Vitatis grandibus, reliqua omnia vix reputat imputanda; hebetati cordis ipse ad conscientiam de offensis, ut timoris filialis ignarus, timoratos et conscientiæ puritatem amantes, fatuos et superstitiosos sententiat. » Quod [9] « si a torpore mentis evigilaverit, ea quæ levia existimabat, quasi horrenda atque atrocia pertimescit. » [10] « Vacuus gratia et tepidus, quod est gratiæ, seu minus necessariæ tentionis, quod disciplinæ, quod morum, quod virtutis perfectio conciliat, negligens, illud difficile, vel certe superfluum arbitratur, ægreque doctrinam ad talia patitur, doctorem nimis perfectum ironica irrisione pronuncians. » Nempe [11] *stultus sui patris disciplinam irridet*, ut pateat quod juxta Sapientem dicitur [12] : *Compedes in pedibus stulto doctrina.* [13] *Animalis homo non percipit quæ sunt spiritus Dei.* Tepidus, in conversione remissus, publicos mores et doctoris monita negligit, ea quæ Dei sunt languide operatur. Si quod inchoat bonum, vix perficit : tarde ad divinum officium, et quæque conventualia occurrit. Otio gaudet, labore vel modico læditur : et facile se infirmum, vel ad modicum se fatigatum prætendit; sed et amore privato se diligens, quæ carnis sunt sapit, et prosequitur ex affectu. Aliorum quoque defectibus, non virtutibus hærens, si quid minus vel negligenter actum inspexerit, illud in exemplum ad suæ velamen tepiditatis assumit. Ficta ei et indevota confessio : rara et brevis compunctio. [14] Insipida et sine attentione oratio, incircumspecta et sine ædificatione lectio : obedientiæ morosa et sine devotionis affectu vix aliqua-

Improborum indicia.

[1] Bern., *ad Oger.*, epist. XC, n. 1. — [2] *Prov.*, X, 1, quoad sensum. — [3] *Psal.* XXXIII, 9. — [4] *Prov.*, XVII, 25. — [5] *Eccli.* XXII, 3. — [6] Bern., *de Consid.*, lib. II, c. VII, n. 14. — [7] *De modo bene vivendi, ad Soror.*, c. VI, n. 16, inter apocr. Oper. S. Bern., tom. II. — [8] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. X, sent. 2. — [9] *De modo bene viv.*, ubi sup. — [10] Isid., ubi sup. — [11] *Prov.*, XV, 5. — [12] *Eccli.*, XXI, 22. — [13] I *Cor.*, II, 14. — [14] Isid., ubi sup., sent. 1.

(*a*) *Forte legendum* te.

lis impletio. Multos enim remissa conversio in pristinos errores reducit, ac vivendi torpore resolvit, ut nonnunquam *ex ore Domini evomantur* [1]. Curiosus non curanda curat, necessaria negligit; et sui oblitus, aliena considerat, notat et explorat. Si quod insonuerit verbum, anhelat sollicitus ad sciendum; et honestate postposita, id ab invitis, et celare forsan volentibus, inverecunde requirit. Locis sibi non concessis, congregationi et collocutionibus fratrum se ingerit non vocatus. Cum eum abesse putaveris, adest impudens lateri, adest auri, ut nec secretum valeas occultare sermonem. Observat angulos, vagis circumspicit oculis, hæret ad singula quæ occurrunt, communes obsidet transitus, supervenientium et forensium gaudet occursu, rumoribus et sæcularibus verbis hauriendis et referendis intendit, res sibi non deputatas curiose revolvere non requiescit. Litteras etiam alienas, si casu apertas inveniat, inspicere non veretur: quas tamen licet apertas, quomodolibet inventas, vix aliquis nisi superior licite inspicit, vel aliis inspiciendas exponit. Rerum quoque apparatus, cura superflua, curiositatis vitium clamat. Signa vero superbiæ Prosper enumerans [2]: «Hos, inquit, dolens enuncio, quos jam conversos superbia occulte captivat. Hi, ait, seniorum suorum non observant imperata, sed judicant de suis negligentiis. Objurgati, aut rebellant insolenter, aut murmurant. Simplicitatem spiritualium fratrum irridenter exagitant, præferri se etiam melioribus impudenter affectant. Obsequia delata fastidiunt, negata pertinaciter quærunt. Natales moribus anteponunt : juniores suos elati despiciunt, conferri sibi aliquos posse (*a*) non credunt. Non servant in obsequio reverentiam, in sermone modestiam, in moribus disciplinam. Habent in intentione pertinaciam, in corde duritiam, in sermocinatione jactantiam. Sunt in humilitate fallaces, in jocatione mordaces, subjectionis impatientes, temerarii in audiendo (*b*), clamorosi in loquendo, fastidiosi in advertendo (*c*), præsumptuosi in docendo, effrenati (*d*) deformiter in cachinnando. Hæc sunt, » infert, « superbiæ grassantis indicia. » Superbus se ad omnes propriæ voluntatis impulsus accommodat; nec se aliis, sed alios sibi applicare contendit : facile sibi fieri contumeliam judicat, ad quam irrogandam est validus, ad tolerandam infirmus. Et se grande aliquid esse putans, deferre sociis dedignatur. Legibus subdi, et propriam cognoscere culpam erubescit. Et licet juxta ordinis mores se regere nesciat, in suis oculis tamen sapiens et perfectus. Ad aliorum instructionem, suæ præsertim opinioni contrariam, stomachatur. Reprehensus offenditur : nunc causam, ut insufficientem, vel frivolam, nunc monitoris modum calumnians; ut si persuadere aliquid velis, instabit quod modus artem, monitio studium exigat : quo fit ut hujusmodi allegationum obsitus spinis, sicut ericius, vel irrefragabili ratione, vel auctoritate non capiatur. Fit igitur ad obtemperandum difficilis, et ad correctionem impatiens, adeo interdum, ut se discipulum abnuens, ipsum etiam deputatum sibi refugiat instructorem. Hæc omnia servi Dei quasi pestem mortiferam detestantes, perfecte ad Dominum convertantur, juxta illud Deuteronomii [3] : *Perfectus eris et sine macula cum Domino Deo tuo.* [4] *Væ duplici corde, et peccatori terram ingredienti duabus viis.* Si quis vero, sufficienter expectatus et monitus, mores corrigere ac religionis formam induere negligit, præsertim si rebellis aut contentiosus extiterit, non est proficientium numero aggregandus. [5] *Infidelis si discedit, discedat*, ne una ovis morbida contagione mortifera totum gregem contaminet. Per-

Litteræ alienæ non legendæ

Signa superbiæ.

[1] *Apoc.*, III, 16. — [2] Prosp., *de Vit. contempl.* lib. III, c. VIII. — [3] *Deut.*, XVIII, 13. — [4] *Eccli.*, II, 14. — [5] I *Cor.*, VII, 15.

(*a*) *Ita apud Prosp.*, *Bibl. max. Patr.*, tom. VIII, pag. 73, col. 2, E; *cæt. edit. deest* posse. — (*b*) *Apud Prosp.*, *ubi sup.*, audendo. — (*c*) *Item* videndo, *atque etiam* audiendo. — (*d*) *Apud Prosp. ubi sup.*, efferati.

versus et insolens non nisi in onus religionis et dissolutionem admittitur.

CAPUT VI.

De noviter professis in ordine.

Ad professionem admissis sit quam maxima cura, ne defluant. [1] « Perfecti quique magna se discretionis subtilitate conspiciant, ne ad deteriora unquam vel in opere, vel in cogitatione delabantur. » [2] « Si curare parva negligimus, sensibiliter seducti audenter etiam majora perpetramus. » Susceptam etiam examinis tempore disciplinam, prudens non abjicit; imo nec suum continuo, quasi jam sibi sufficiens, deserit instructorem. Eget rectore novitius, eget novus directore professus. Vanus et fictus, ut instructoris curam evaserit, insolescit, assumit cornua, fit præsumptuosus et audax, et quasi vacca lasciviens, a prima informatione declinat. Cessat oratio, tepet devotio, confessio peccatorum negligitur : ut putes eum aut sui oblitum, aut non habere peccatum. Facit quidem dilata confessio, ut negligens mundus appareat, licet non existat : dum culpas absorbet, oblivio absolvit. Multiplicantur, dum non curantur, offensæ : multiplicatæ, ne discernantur et corrigantur, impediunt. Multitudo peccatorum impedit, ne videantur. Unde piger tunc est maxime vitiosus, cum vitia non agnoscit. Sic [3] *filia fatua in deminoratione erit.* [4] *Justorum* autem *semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem.* Professi ergo profiteantur profectum, præsumptionem proscribant. Dabit ad hoc humilitatis et paupertatis constantia perseverans affectum, et curarum abjectio terrenarum, exercitatio charitatis, et quæ complectitur omnia, considerationis attentio. Summa religiosi virtus humilitas, quæ ipsum curat, perficit et conservat. Sine humilitate nulla virtus, nulla perfectio aut acquiritur, aut servatur. Virtutum siquidem bonum quoddam ac stabile fundamentum est humilitas. Nempe si nutet illa, virtutum aggregatio non est nisi ruina. Et quoniam [5] « ad humilitatem humiliatio via est, » non erubescant humilia, nec humilitatis officia facile respuant, nec imposita recommendent. Omnis ab eis præsumptionis audacia proscribatur. Antiquioribus fratribus in ordine deferant. ac semper eorum respectu se juniores et novitios reputent. Ad exteriora, vel honoris alicujus officia, provehi non affectent. Multos propera nimis promotio a virtutum jam profectu per vitium elationis dejecit. « Qui mundum deserunt, ait sanctus [6], ad exteriora officia vehi non debent, nisi per humilitatem diutius in ejusdem mundi contemptu solidentur. » Et quia novorum et juniorum tentatio solet esse facile superbire, nescire modum humilitatis servare, et si forte in aliquo præsint, officii metas excedere, ac de minimis grandia jactare, attendant sibi super his vigilanter. [7] « Non potest intimo conscientiæ testimonio (*a*) gloriari veraciter, nisi qui extrinsecas gloriolas perfecte respuerit. » Paupertas in omnibus placeat, ne iterum sive in libris, sive in aliis, rerum se velint sarcinulis onustare. Perfecta rerum abjectio a cura expedit mentem, ab infectione affectum. Nemo in Christi expeditione liberior nihil habente. Si aliquibus egeant, studeant parcitati. Super omnes divitias divitem facit paupertas. Hæc quoque in victu, et in his quæ carnis sunt, maxime amplectenda. Non est evangelici pauperis gaudere superfluis, luxibus indulgere, et quod nec divites possunt, semper velle in omnibus abundare, nec penuriam scire pati [8]. Familiaritates superfluas fugiant. « Esto, ait quidam [9], omnibus benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus. » Et

Rara confessio quid efficiat.

Humilitas summa virtus religiosi

Propera promotio a virtutum dejicit profectu.

Juniorum tentatio est superbia.

Paupertas commendatur.

[1] Gregor.. *in Ezech.*, hom. IX, n. 15. — [2] Gregor., *Moral.*, lib. X, c. IX, al. XI, n. 21. — [3] *Eccli.*, XXII, 3. — [4] *Prov.*, IV, 18. — [5] Bernard., *ad Oger.*, epist. LXXXVII, n. 11. — [6] Greg., *Moral.*, lib. VIII, c. XXIX, al. XLVII, n. 78. — [7] Bern., *ad Henric. Senon.*, epist. XLII, c. III, n. 11. — [8] *Phil.*, IV, 12. — [9] Senec., *de quat. Virt.*, c. *de Continentia.*

(*a*) *Apud Bern.* tanto puritatis intimæ bono.

sanctus : « Tria, inquit, religiosum quemlibet decent, pauca loqui, paucos habere familiares, et multum orare. » Ubi multi familiares, ibi multæ locutiones, et sibili singulares. Si familiarem admittis, si quem ætas, mores, discretio et honestas insignit et commendat. Familiaritas si fuerit ordinata, non erit blanda, improba, puerilis. Est modesta quædam in sancta familiaritate severitas, est et justitiæ rectitudo, ut nullatenus vitium foveatur, nec pro amico proximus offendatur. *Noli*, ait Sapiens [1], *pro amico inimicus fieri proximo*. Sæcularium denique familiaritas indiscreta, religiosi quietem multipliciter inquietat. Nullius gratiam munusculis comparent. Si quid forte alicui vel causa exacti necessaria, prius religionis lege licentia præobtenta, obtulerint, honestas rei, et utilitas pretii, religiosorum et pauperum xenium esse probent. Non frequentent propinquos, nec exterioribus se implicent curis; sed salutis propriæ memores, agendæ potius pœnitentiæ vacent. Non cadat a mente professio ; sed semper ad quid venerint, cogitent. Pensent quod de quibusdam ait S. Gregorius : « Sæpe, inquit [2], nonnulli apertæ pravitatis vias deserunt, sanctitatis habitum sumunt : sed mox ut prima limina bene vivendi contigerint, obliti qui (*a*) fuerint, affligi jam per pœnitentiam de consummatis nequitiis nolunt. Laudari de inchoata justitia appetunt : præesse etiam cæteris melioribus concupiscunt. » Et post pauca : « In rebus, ait, multiplicibus occupati atque ipsa occupatione confusi (*b*), non solum perpetrata minime deplorant, sed adhuc quæ deplorentur exaggerant. » Secundum Apostolum [3] : *Nemo, militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit.* De sancto [4] legitur, quod quanto magis se ab humanis curis et colloquiis sequestrabat, tanto illi vicinior et propinquior Deus erat. Vitanda maxime colloquia mulierum. Non potest toto corde habitare cum Domino, qui mulierum accessibus copuletur. Charitatis obsequia libenter impendant. Charitas, semper reddita, semper detinet debitorem. Hæc autem quomodo negetur amicis, quæ etiam debetur inimicis? Postquam vel orationi vacaverint, vel ad studium se dederint, ad serviendum fratribus surgant; et si necesse fuerit, officiales nunc hunc, nunc illum, discrete tamen et prout oportuerit, juvent : ut, secundum apostolicam doctrinam et vitam [5], manibus suis laborantes quod bonum est, aliorum fratrum etiam corporaliter, si fieri potest, participantes laboribus, in charitatis semper exerceantur operibus, et cibum corporis non absque labore comedant corporali, ut hæc sancta consuetudo ipsos in humilitate custodiat, in fraterna dilectione et omni perfectione confirmet. Qui communibus instant, suisque obsequiis alios portant, sunt corporali simul et spirituali suffragio supportandi. Merito singuli pro his orant, qui pro communitate laborant. In spiritualibus bonis Martha participet cum Maria, quæ utique sunt sorores [6], et [7] æqua sit *pars descendentis ad prælium et permanentis ad sarcinas, et æqualiter* (*c*) *dividant*. Qui nobis corporaliter obsequuntur, juste sortem in necessariis spiritualiter assequuntur. Rursum communitatis operibus, familiaria nemo præponat. [8] « Charitas, de qua scriptum est [9] : *Non quærit quæ sua sunt,* sic intelligitur, quæ communia propriis, non propria communibus anteponit. » Considerationi denique ante omnia et in omnibus vigilandum, quæ ad finem et directionem attendit. Finis, ad quem nostra tendit professio, regnum Dei, vel potius ipse Deus. Directio, qua illic (*d*) tenditur, mentis est puritas, ad ipsum principaliter directiva. Hærendum jugiter his duobus. Necesse est enim mentem considerare quo recurrat, cuique principaliter inhæreat.

Observa tria quæ religiosos decent.

Munusculis nullius gratia comparanda.

Fratres laboratores adjuvandi

Communitati operibus omnibus præferendis.

Finis professionis nostræ Deus. Directio quem vel potius mentis puritas.

[1] *Eccli.*, VI, 1. — [2] Greg., ubi sup., c. XXVIII, al. XLVII, n. 77. — [3] II *Tim.*, II, 4. — [4] De Joanne abbate, in *Vit. Patr.*, lib. I, c. I, circa med. — [5] I *Cor.*, IV, 12. — [6] *Luc.*, X, 39. — [7] I *Reg.*, XXX, 24. — [8] Aug., *Regul.*, n. 8, al. 24. — [9] I *Cor.*, XIII, 5.

(*a*) *Cæt. edit.* quid. — (*b*) *Al.* confisi. — (*c*) Vulg. *Similiter*. — (*d*) *Leg.* illuc.

Non hærentem enim, per singulas horas atque momenta pro incursuum varietate mutari, atque, ex his quæ extrinsecus accidunt, in illum statum reformari qui primus occurrerit, necesse est. Hinc est, quod multos pro Christi amore maxima contemnentes, pristinum tamen affectum in minimis retinentes, pro graphio videmus, acu vel calamo, commoveri. Irascuntur mobiliter et inflantur, velut qui non habent apostolicam charitatem. Qui si contemplationem mundi cordis fixam tenerent (*a*), nunquam pro parvis rebus admitterent, quod ne pro magnis ac pretiosis incurrerent opibus, easdem penitus abjicere maluerunt (*b*). Unde liquet perfectionem non statim facultatum, seu dignitatum abjectione contingi, ubi non fuerit charitas illa, cujus Apostolus [1] membra describit, quæ in sola cordis puritate consistit. Nam quid est non æmulari, non inflari, non irritari, et reliqua, nisi cor perfectum atque mundissimum Deo offerre, et intactum a cunctis perturbationibus custodire? Quidquid ergo nos ad hanc puritatem potest dirigere, tota virtute sectandum est. Quidquid autem ab hac potest retrahere, quamvis necessarium et utile videatur, ut perniciosum et noxium devitandum. Sine via tendentibus, labor est itineris, non profectus. Operantur et servant quam maxime puritatem perfecta humilitas et expeditio mentis a terrenis. Erit denique ut purus animus pura Deum oratione frequentet, frequentando gustet, gustando probet [2] *quam suavis est Dominus*. Erit denique ut divino inebriatus amore, totam in Deum considerationem inflectat, toto in ipsum desiderio pergat, nihil ei sit dulcius, nihil jucundius in hac vita, quam vacare et videre [3] quoniam ipse est Deus, quod est in partibus considerationis potissimum. Affecta sic anima comprehendit, complectitur, et stringit, et tenet, dicens [4] : *Tenui eum, nec dimittam.* Puritas itaque via est regia, per quam ad Sponsi amplexus, per quam tandem ad patriam pervenitur. Per hanc tandem veri Israelitæ *de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion* [5], desiderii gressu indeclinabili gradiuntur ; Christum super omnia diligunt, nihil ejus amori præponunt in via, quem habituri sunt mercedem in patria. Et nunc ego, qui licet admodum imperfectus et rudis, per obedientiam tamen erudiendis simplicibus aliqua hæc documenta congessi, pulchrum depingens hominem, pictor fœdus : eos supplex per Dominum obsecro, ut me, sibi etsi minus proficuum, tamen benevolum attendentes, in orationibus suis mei meminerint peccatoris : quatenus, eis orantibus, meorum veniam peccatorum assecutus, in potentias Domini una cum eis merear introire, ipso misericordiarum Domino id præstante, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Aug., *Regul.*, per totum. — [2] *Psal.* XXXIII, 9. — [3] *Psal.* XLV, 11. — [4] *Cant.*, III, 4. — [5] *Psal.* LXXXIII, 8.

(*a*) *Forte leg.* Qui si contemptum mundi corde fixum. — (*b*) *Loc. corrupt. forte leg.* amitterent, quod vel pro magnis ac pretiosis, siquidem occurrerent, opibus prorsus abjicere noluerunt.

REMEDIUM DEFECTUUM RELIGIOSI [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Tredecim capita, quibus constat hoc Opusculum, repetuntur paucis immutatis supra [2] hoc eodem tomo in Opusculo, quod inscribitur, *Stimulus amoris* : decem scilicet priora capita, in secunda parte *Stimuli amoris*, cap. I; undecimum caput, in prima parte ejusdem, cap. II, in fine; duodecimum et decimumtertium, in tertia parte, cap. III et XIII. Et revera saluberrima documenta sunt, quibus religiosus et sibi, et aliis, proficere possit.

PRÆFATIUNCULA.

Simplicissimo animo hesterna luce ad me accedebas, frater Roberte, et quomodo Deo placere posses, suppliciter expostulabas. Consolabar verbo serioso, zeloso et operoso, satisfacere volens voto tuo. Cum ergo crevissent verba, crevit devotio tua sancta. Tribus horis elapsis, me fatigato, et lingua cessante, respondebas : Dic, Pater; ego libenter audio. Usus ego admonitionis et discretionis remedio, largam reportavi lacrymam et ejulatum magnum, obedientiæque meæ necessitatibus constrictus, visitationis opus prosequi cogebar. Omnino conturbatus discedebas. Media autem nocte, ut solitus sum, misereri mihi Deum Creatorem meum intimis præcordiis flagitabam : occurrit mihi textus *Matthæi* [3], ut non offerrem Deo laudes matutinas, quin prius reconciliatus tibi, te consolarer secundum gratiam a Deo datam. Breve ergo hoc verbum tibi obsigno, quo consolatus et perfecte conversatus, tibi proficuus, et aliis exemplaris efficiaris. Hoc autem breve verbum toti huic congregationi pro remedio defectuum, et incremento profectuum, derelinquo. Quod et in tredecim partes distinguo.

Primo, studeat frater quilibet, quantum potest, se vilissimum reputare, et indignum omni beneficio Dei. Ipse sibi displiceat, soli Deo placere cupiat, ab aliis velit vilis, et non humilis, reputari. Et quod ipse sit vilis, ex summa Dei clementia recognoscat, gratias agens quod tam vilem hominem, et promptum ad omne malum, et tardum ad omne bonum, dignatur sibi in servum sumere, et quod majus est, in filium adoptare. Non ergo reputes magnum, quod Deo servis; sed maximum reputa, quod ipse dignatur te habere servum suum. Cap.

Secundo, de nullo, nisi de peccato, et ad peccatum inducente, et a bono retrahente, frater doleat; imo de qualicumque alia tribulatione, injuria et afflictione gaudeat, tribulantes instantissime diligat, et specialem orationem pro ipsis faciat, Deo inde copiosas gratias referat, et ad hoc se insufficientem Cap. I

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, 35, part. II; edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, pag. 669; edit. Ven., an. 1611, 6; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, pag. 651; edit. Ven., an. 1754, tom. XIII, pag. 227. — [2] Infra vero in hac nostra editione. — [3] *Matth.*, V, 24.

esse recognoscat : quia [1] *quem Deus diligit, castigat :* nam ipsæ tribulationes ad Deum nos ire compellunt.

Cap III. Tertio, nihil de temporalibus nisi strictam necessitatem requirat, aut quocumque modo appetat ; sed Christo Domino in omni dejectione corporalis consolationis se conformare studeat. Et hoc maximum debet reputare, quod Rex regum et Dominus dominantium Christus sic vilem servum suis ornamentis dignatur induere, et sibi lutum fœdum assimilare. Ideoque quanto videt se ditiorem, et pluribus corporis consolationibus abundare, tanto debet intimius et profundius contristari, cernens se eo magis a Christi similitudine elongari.

Cap. IV. Quarto, in bonis et indifferentibus, alterius, quam suam, potius studeat adimplere voluntatem ; imo semper in exterioribus actionibus studeat abnegare, aliorum beneplacita affectans cum omni vigilantia in licitis adimplere : et hoc circa omnes, maxime circa suos superiores studeat observare.

Cap. V. Quinto, nullum quantumcumque miserum despiciat ; sed potius erga omnes materno moveatur affectu , ut sic omnibus compatiatur intime, sicut mater compateretur unico filio suo. Omnes eorum miserias reputet suas, et omnibus sicut sibiipsi, si potest, subveniat. Omnes enim pauperes ut patronos revereri debet : nam ipsi sunt [2], qui alios *recipiunt in æterna tabernacula.*

Cap. VI. Sexto, nullum judicet de peccato, cum ignoret, quod divina gratia in anima operetur. Si autem aliquem per signa evidentia convincit peccatorem, plus de peccato illius doleat, quam si corpori proprio mors imminneret. Recogitet animam, sic lethaliter vulneratam, pretiosiorem corporibus universis : et ideo, sicut corpus meum a morte, sic, imo magis, deberem proximum meum cum omni diligentia custodire, et a peccato retrahere, oratione, exhortatione et exemplo.

Cap. VII Septimo, bonum proximi diligat ut suum : et sicut mater in bonis filii jucundatur, sic ipse bonis omnium jucundari debet, et maxime de spiritualibus, et ad spiritualia inductivis. Sicut etiam sua, sic et aliorum bona procurare debet, et procurata promovere. Semper de proximo plura bona credat, quam intueri valet.

Octavo, nihil præter Deum diligat, ut in omnibus Deus sincere sine socio diligatur : nec alliciat quantacumque sanctitatis alicujus aut beneficiorum immensitas, ut aliquem diligat amore singulari ; sed divina charitate omnium bona et omnes in Deum referat, et propter Deum meliorem plus diligat. Potest tamen beneficia beneficiis rependere, orationes ad Deum fundendo. Cap. VIII.

Nono, quidquid egerit, quibuscumque etiam negotiis implicetur, Deum in corde suo semper memoriter retinere studeat, et honorem Dei semper omnibus anteponat. Sed ad hoc præcipue nitatur, ut Deum sic præsentem cogitet, ac si ipsum, qui essentialiter, potentialiter et præsentialiter ubique est, in sua essentia videret : sicque eum timeat et revereatur, et intenso amore in ipsum referatur, et sic eo, ut potest, in via fruatur, ut in eo, et non in alio, requiescat. Cap. IX.

Decimo, si dicta assequi potest, maxima Dei beneficia esse cognoscat ; reminiscatur nihilominus cæterorum Dei beneficiorum : primo, quod eum sua insignivit imagine ; secundo, quod naturam humanam assumpsit, et pro ipso mori dignatus est ; tertio, quod in præsenti se præbet in cibum, et in futuro in præmium. Quod ut percipiat in via, aspiciat ipsum in crucis patibulo, et sic ei compatiatur, ac si Christi vulnera in suo corpore sustineret. Præcipue autem doleat, tot animas tam immenso beneficio frustrari. Sic igitur Christum cogitando, ardenti amore dicat orationem sequentem. (Matri etiam Christi omnem, quam potest, exhibeat reverentiam, et dicat : Dulcissime Jesu, dignare donare mihi misero peccatori, Matri tuæ digne servire.) Cap. X.

Domine Jesu Christe, meum cor vulneribus tuis saucia, et tuo sanguine inebria Cap. XI.

[1] *Hebr.*, XII, 6. — [2] *Luc.*, XVI, 9.

mentem meam : ut quocumque me vertam, semper te videam crucifixum ; et quidquid aspexero, mihi appareat sanguine rubricatum ; ut sic totus in te tendens, nihil præter te valeam invenire, nihil nisi tua vulnera valeam intueri. Hæc sit mihi consolatio, Domine mi, tecum mori, et tibi compati : hæc intima mea affectio continue meditetur. Non quiescat cor meum nisi in te, bone Jesu, quia mihi semper mala erunt sine te : tu enim es virtus Omnipotentis.

Cap. XII. Multum mirari debemus, quomodo homo semel degustans dulcedinem Dei, potest aliquatenus ab eo separari ; quomodo non obliviscatur omnium ex ebrietate vini cœlestis ; quomodo possit comedere, bibere et dormire, etc. ; quomodo possit aliquid aliud nisi suum benignissimum Dominum intueri, et in eo summa dulcedine oblectari, dum ipsum in omnibus sciat esse, et eum in omnibus valeat invenire, ut in omnibus requiescat ipsum contemplando et amando. O [1] *quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde !* [2] *O quam suavis est spiritus tuus in* eis ! O quanta amaritudine repleri deberet animus, qui etiam ad momentum a tanta dulcedine sequestratur !

Cap. XIII. Si de prædestinatione aut præscientia Dei diabolus tibi aliquam tentationem immiserit, sic ei respondeas : Quidquid sit de me, certum est te esse damnatum ; si autem et ego damnabor, et post hanc vitam Deum meum habere non debeo, habebo per totum tempus vitæ præsentis, et tanto ardentius, quanto brevius novero me habiturum. Momentum igitur temporis non omittam, quin secundum posse meum totaliter fruar ipso, et semper in ipso delectabor, ex quo in futuro sua præsentia privabor. Et tu, diabole, si tecum esse oportet, scias quod tamdiu in Dei servitio perseverabo corde, ore, opere, omni membro, omni momento, quamdiu possum. Quod si quis sic Deo adhæreret, cæteras consolationes reputaret absinthium. His ergo præmissis, inferas te non damnari, quia omnino sua judicia contrariantur damnationi, ut patet in omnibus regulis sancti Evangelii. Observatis enim prædictis, impossibile est me damnari. Aut certe ibo ad matrem et magistram misericordiæ Virginem Mariam, quæ non misereri non potest ; et petam ab ea, ut Filium inclinet ad parcendum peccatis meis. Nam ipsa propter peccatores Mater Dei effecta, et ipse Filius Dei propter redimendos voluit esse Filius hominis. Unde proprium est amborum misereri et parcere, nec propter me tam nobiles proprietates derelinquunt. Quod si prædestinatus sum, et æternam vitam cum angelis possidere debeo, ex nunc angelicam vitam ducam, et cantabo [3] : *Pars mea Dominus, propterea expectabo eum.* Hæc enim pars dignissima perditur per unum vilissimum mortale peccatum ; ideo fortissimo studio hæc sunt custodienda. Sic ergo conclude diabolo : Quidquid futurum est, non desistam a Dei servitio ; et væ tibi, qui non vis tanto Domino ministrare !

[1] *Psal.* LXXII, 2. — [2] *Sap.*, XII, 1. — [3] *Thren.*, III, 24.

ALPHABETUM

RELIGIOSORUM INCIPIENTIUM [1]

Ama paupertatem, sis vilibus contentus,
Bonis semper actibus jugiter intentus.
Cave multiloquium, studeas silere,
Deum omni tempore præ oculis habere.
Esuriem amplectere, gulam refrænando,
Fratrumque convivia segniter sectando.
Gaudere cum gaudentibus, cum flentibus plorare,
Humilibus consentiens, majores honorare.
In omnibus obediens, Prælatoque parebis,
Karitatem insuper cum omnibus tenebis.
Lumbos stringe lubricos Domini timore,
Mundans cordis oculum casto cum pudore.
Nihil servans proprium, nudum sequens Christum,
Onus leve sufferens, mundum vincens istum,
Passum Christum recole corde gemebundo,
Resistendo vitiis, orando ferventer.
Sacramentum sumere debes reverenter.
Tu motum mentis comprime, iram mitigando,
Vanaque colloquia sollicite vitando.
Christo frui cupiens, cellam frequentabis.
Jesum super omnia sic dulciter amabis,
Zelo Dei fervens charitatis igne.
Et in te peccantibus ignoscas benigne.

Non nomen, sed factum, non verbum, sed adjectum (*a*), *facit beatum.*

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, 24, part. II; edit. Rom., an. 1596, tom. II, part. IV, 564; edit. Venet., an. 1611, 31, tom. II; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, 548; edit. Venet., an. 1754, tom. XIII, 15.

(*a*) Forte legendum *adjectivum.*

ALPHABETUM RELIGIOSORUM [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Lectionibus quibusdam brevibus juxta ordinem alphabeti digestis, Religiosos instituit S. Bonaventura, ideoque tractatus iste Alphabetum Religiosorum inscribitur; cujus brevitas cum summa utilitate conjuncta ad vitam secundum Deum instituendam plurimum valet. Quod autem huic proximum[2] est opusculum carminibus a litteris Alphabeti incipientibus dispositum in gratiam itidem Religiosorum incipientium idem Auctor composuit, ut titulus ipse præ se fert.

Vias tuas, Domine [3], *demonstra mihi, et semitas tuas edoce me.* Obsecro te, Deus meus, doce me vias bonæ vitæ pro salute animæ meæ.

Lect. I. Ama nesciri, et pro nihilo reputari. Hoc tibi salubrius est, et utilius, quam laudari ab hominibus.

Lect. 2. Benevolus sis omnibus bonis et malis, et nulli onerosus.

Lect. 3. Custodi cor tuum ab evagatione, os tuum ab otiosa locutione, et ceteros sensus sub rigore disciplinæ.

Lect. 4. Dilige solitudinem et silentium, et invenies quietem magnam et conscientiam bonam. Ubi enim multitudo, ibi frequentes strepitus, et magna distractio cordis.

Lect. 5. Elige paupertatem et simplicitatem, et cum paucis sis contentus, et non facile murmurabis.

Lect. 6. Fuge hominem, et sæculi rumores : quia non potes esse satis Deo et hominibus, æternis et transitoriis.

Lect. 7. Gratias age Deo semper, corde et ore, qualitercumque tibi succedit in gravamine et odore. Nam Deus omnia provide dispensat in mundo, vero et recto judicio ab æterno.

Lect. 8. Humilia te in omnibus, et sub omnibus, et invenies gratiam ab hominibus, eris quoque Deo acceptus, et hominibus dilectus, et diabolus fugiet citius, propter humilitatis virtutem sibi valde contrariam.

In omni opere bono habeas intentionem puram ad placendum Deo, qui inspector est cordis, et diligit justos et puros. Lect.

Karissimos reputa amicos et patronos, qui te premunt et vituperant : si enim recte sapis et consideras, lucrum inde acquires; nam prosunt tibi in bono, qui obsunt in malo. Lect. 1

Labore et dolore, cum gemitu et fletu, acquiritur regnum Dei; deliciis et honoribus perditur paradisus. Lect. 1

Magnum donum Dei est, pauperem esse in hoc mundo propter Christum, et infimum tenere locum; magna superbia altum petere gradum. Ad alta semper diabolus suadet, honores ambire, fugere despectum, ut cadat ascensor ejus retrorsum, cum ad breve dominatus fuerit pauperum. Minima dona permagna reputa : eris et dignus majora accipere. Lect. 1

Neminem spernas, nulli noceas, afflicto et egeno condoleas, et nunquam te extollas. Lect. 1

Omne tempus cum Deo utiliter expendas : nihil enim pretiosius tempore, in quo promereri potes regnum Dei in perpetuum. Omnibus quoque te amabilem, benignum et affabilem Lect. 1

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, part. II; edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, pag. 564; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, pag. 548; edit. Ven., an. 1754, tom. XIII, pag. 13. — [2] Præcedens in hac nostra editione, ut modo videre licuit. — [3] *Ps.* XXIV, 4.

sine dissolutione exhibeas. Omnia bona ad laudem Dei referas, et sine consilio et deliberatione nihil facias.

Lect. 15. Primo semper quære in opere tuo an Deo placeat, vel displiceat; nec timore, nec amore age contra conscientiam tuam. In dubiis ad Scripturam, et obedientiam prælati tui recurre, nec tibi ipsi nimis confide. Prius disce tacere, quam loqui, potiusque velis instrui, quam docere. Tutius enim est velle latere, quam apparere.

Lect. 16. Quæcumque ad te non pertinent, de his non judices, nec te intromittas, ut semper pacem habeas. Qui communia sectatur, et singularia vitat, magis diligetur, et citius ad bonum finem perveniet. Qui tempestive facit quod debet, lætior postea erit.

Lect. 17. Revertere ad interiora cordis tui, et claude ostia oris tui, ne vagari incipias per varia desideria mundi consilio diaboli. Nocent mala audita, tentant pulchra visa, turbant illata vituperia. Recede ergo ab omni iracundo, indocto, dissoluto, et mane in silentio cum Deo.

Lect. 18. Sobrius esto in victu, modestus in vestitu, providus in verbis, honestus in moribus, maturus in consilio, fortis in adversis, humilis in opprobriis, et humilis in prosperis, gratus in beneficiis, hilaris in despectibus, patiens in doloribus, discretus in omnibus agendis.

Lect. 19. Time Deum offendere in minimis negligentiis, et defectibus tuis. Noli præsumere in bonis, nec desperare in adversis. Timor Dei facit recedere a peccato, et sollicitat in bono opere, ut bonum bene fiat. Totum te Deo committe, et quod tibi est grave, fiet cito portabile. Pax tua in patientia multa. Levis est omnis tribulatio pro vita æterna.

Lect. 20. Vende Deo omnia commoda tua, et dabit tibi solatia meliora, gratia adveniente in una hora. Nemo ditior, nemo liberior eo, qui se ad omnia Deo dat; et Christum amando emit, qui mundum cruce redemit.

Christus sit vita tua, lectio tua, meditatio tua, locutio tua. Ipse desiderium tuum, lucrum tuum, tota spes tua, et merces tua. Si aliud quæris quam pure Deum, damnum patieris, laborabis, et requiem non invenies. Lect. 21.

Hymnos et Psalmos canere, monachorum est et clericorum, quibus congaudent angelorum chori, laudantes Deum jugiter in regno cœlorum. Servire carni mors, cibus vermium, nidus dæmonum, vita peccatorum, fomes morborum, corruptio corporum, inquinatio morum, perditio bonorum, acquisitio multorum malorum et dolorum. Servire Deo, beatitudo animæ, sanitas corporis, prudentia spiritus, vita cœlestis. Dulces hymnos Deo cantat, qui in tribulatione sua Deum semper laudat. Initium et finis omnis boni religiosi, Deum corde amare, ore laudare, et fratrem suum exemplo ædificare. Lect. 22.

Zachæe frater, descende de altitudine sæcularis scientiæ, veni et disce in schola Dei viam humilitatis, et mansuetudinis, et patientiæ (*a*), per quam possis Christo docente ad æternæ beatitudinis gloriam secure pervenire. Amen. Lect. 23.

Scribe, monache, Alphabetum istud in corde tuo, quasi in libro vitæ, et per singulos dies chartulam tuam inspice, et bonis moribus assuesce. Pauca sunt verba, sed magna sunt mysteria et perfectorum opera. Ornant exterius, et quietant interius. A contemptu et suiipsius abnegatione incipit vita boni religiosi monachi, et proficit usque ad contemplationem Dei. Conclusio.

(*a*) *Edit. Ven. add.* et.

DE SEX ALIS CHERUBIM [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Hoc modo (*S. Bonaventuræ S. R. E. Cardinalis, Episcopi Albanensis, de sex alis Cherubim Tractatus, qui tamen ab aliquibus Alano adscriptus fuit*) (*a*) prænotatur Opusculum istud in omnibus impressis. Alanum autem de Insulis Joannes Trithemius in suo de Scriptoribus ecclesiasticis Catalogo, ejus auctorem agnoscit, et Opusculum *De sex alis Cherubim* inscribit. Cujuscumque vero auctoris sit, continet brevem et sanam doctrinam de compunctione, confessione, satisfactione, carnis munditia, mentis puritate, Dei et proximi dilectione.

De prima ala.

Prima ala est confessio. Confessio duplex est. Est enim confessio laudis, juxta illud [2]: *Confitemini Domino, quoniam bonus; quoniam in æternum misericordia ejus.* Et est confessio criminis; unde dicitur [3] : *Confitemini alterutrum peccata vestra.*

Hæc confessio peccati accusatoria manifestatio est. Hæc propriæ infirmitatis, et ignorantiæ et malitiæ, compungente conscientia, lugubris enarratio est.

Hujus alæ penna prima est veritas, quæ omnem excludit simulationem. Vera namque, non ficta, non simulata debet esse confessio.

Secunda penna integritas est, quæ decurtationem excludit et divisionem. Integra enim debet esse confessio, non decurtata, non divisa. Decurtatio aliquid occultat, reservat enim sibi, quod pœnitet peccasse, sed non omnino. Aliquid enim retinet, in quo homines delectentur. Sed infidelis impietas est, ab illo, qui justus et justitia est, diminutam sperare veniam : sed et vulnus unum sufficit ad mortem. Divisio autem omnia, sed non uni revelat. « Quidam enim sunt, ut ait beatus Augustinus [4], quos omnino pœnitet peccasse, sed verecundia ducti, dividunt apud se confessionem, ut diversa diversis sacerdotibus velint confiteri, et quæ uni celant, alii manifestanda conservant (*b*), quod est quodammodo laudare se, et ad hypocrisim tendere, et semper venia carere, quam per frusta putant invenire (*c*). » Omnia igitur, et uni, præsertim criminalia confessione revelanda sunt : nec solum actiones pravæ, sed et circumstantiæ earum, id est locus, tempus, modus, numerus, persona, et si quæ sunt similia, non negligenter reticenda, sed diligenter per confessionem explicanda sunt. Multa namque inter locum et locum, tempus et tempus, modum et modum, numerum et numerum, personam et personam distantia est. Consuetudinis quoque perseverantia, quæ ad tempus respicit, numerique multiplicatio Dei patientiam exacerbat, divinamque in se provocat ultionem. In persona autem, sexus, ætas, scientia, conditio, necessitudo et ordo, studiose pensanda, et expresse manifestanda sunt. Qui confitetur, in singulis immoretur.

Tertia penna est firmitas, quia fortis et firma debet esse confessio. Hæc firmitas decem, quæ confessionem impediunt, expellit, quæ sunt illa : pudor, timor, contemptus presbyteri, desperatio, præsumptio, perversitas, ignorantia,

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, part. II, 45 ; edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, append., pag. 684; edit. Ven., an. 1611, 49; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, pag. 665 ; edit. Ven., an 1756, tom. XII, pag. 93. — [2] *Psal.* CXVII, 1. — [3] *Jac.*, V, 16. — [4] Imo auctor, quisquis ille sit, libri *de vera et fals. Pœnit.*, c. XV, n. 31, quoad sensum, inter Oper. S. Aug., Append., tom. VI.

(*a*) Cæt. edit. deest titulus ille. — (*b*) *Edit. Bened.* reservant. — (*c*) *Item* ad quam per fr. put. pervenire.

oblivio, negligentia, et necessitas, quæ sola excusabilis est. Pudori autem fortitudinis virtus, periculi quod immineret, nisi revelentur peccata, necessitatem pensans, viriliter resistat. Timorem vero, quem pœna injungenda incurrit, patientiæ fructus expellat. Contemptum quoque presbyteri reverentia, veneratio et dilectio Christi vicario debita, penitus evacuet. Desperationem etiam divinæ misericordiæ benignitas excludat. Præsumptionem autem divinæ justitiæ districta severitas extirpet. Perversitatem vero fidei ratio exterminet. Sed et ignorantiam providentia devitet; oblivionis tenebras, viarum et operum studiosa perscrutatio, et in memoriam revocatio illustret. Torporem autem et negligentiæ teporem fervor spiritus evellat, et destruat. Necessitatem vero nulla omnino præveniat negligentia.

Quarta penna est humilitas, quæ typhum superbiæ excludit. Mens humilis, lingua humilis, vultus humilis debet esse confitentis. *Superbis* enim [1] *Dominus resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Quinta penna est simplicitas. Hæc propriam infirmitatem, propriam ignorantiam, propriam accusat malitiam, nihil defendens, nihil excusans, nihil attenuans. Vera igitur, integra, firma, humilis et simplex debet esse confessio : vera, sine simulatione; integra, sine diminutione; firma, sine titubatione, hæsitatione et desperatione; humilis, sine jactantia, sine præsumptione, et sine alterius comparatione; simplex, sine defensione, et sine excusatione. Hæc est prima ala cum pennis suis.

De compunctione cordis.

Confessionem sequitur satisfactio : has duas alas format et creat compunctio. In omni actione pœnitentiæ hæc tria probantur esse necessaria, nempe compunctio, confessio, et satisfactio. Compunctio autem turbat, confessio accusat, satisfactio confortat. Compunctio morbi occasionem investigat, confessio manifestat, et satisfactio curat. Compunctio mala enumerat, confessio condemnat, et satisfactio emendat. Compunctio apostema pungit, confessio saniem exprimit, et satisfactio cataplasma apponit. Compunctio vulnus invenit, confessio aperit, satisfactio vero sanitati restituit. Compunctio autem est cordis contritio; sed quæ alligat contrita, animæ amaritudo, et quæ miræ dulcedinis suavitatem generat. Scriptum est [2] : *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra*: et alibi [3] : *In cubilibus vestris compungimini.* Compunctionem duplex causa creat, timor scilicet, et spes. Timor causa inchoativa est, spes vero consummativa. Timor, quam mire homo a Creatore suo sit conditus, quam gratuito nutritus, quam in substantia rectus et in conditione ditatus, cæteraque bona, quæ Conditor ei contulerit, et quæ ipse bonis ipsius mala rependerit, subtiliter enumerat. Si contra districtum est judicium, animam turbat. Timor igitur, culparum modum et numerum examinans, justitiæ quoque divinæ rigorem, districtionemque judicii futuri attendens, animum pungit, et pungendo peccatum expellit. Unde hæc timori, virtus (*a*) expulsiva; hanc præstat et corroborat spes confortativa. Vanus enim timor est, quem non fiducia firmat. Timentibus Deum nihil deest. Si spes defuerit, nihil boni adest. Scriptum est [4] : *Quam magna multitudo dulcedinis*, etc. *Perfecisti eis, qui sperant in te.* Nulla tamen erit, nisi a spe fuerit propinata. Est igitur contritio cordis ex timore; fructus autem laboris est spes. Sed unde spei via confortativa? Ex promissione divina. Audi Scripturam [5] : *Spera in Domino, et pasceris in divitiis ejus.* Item [6] : *Spera* (*b*) *in Domino, et ipse faciet.* Item [7] : *Non deserit* (*c*) *Dominus sperantes in se.* Item [8] : *Beati omnes qui confidunt in eo.* Si ergo times ut puniaris, spera in Domino ut ei reconcilieris. Si times Deum, quia potest perdere in gehennam, spera in eo, quoniam [9] *non vult mortem peccatoris* (*d*). Si times, quia sapiens novit abscondita, spera, quia [10] *illuminabit abscondita tenebrarum.* Si times, quia nihil impunitum relinquit, spera, quia [11] *redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.* Quemadmodum igitur timor compunctionis prævenit et comitatur virtutem, ita spes provehitur (*e*) et ad fructum reconciliationis perducit. Per timorem ergo compunctio suscitatur; per spem, optatæ reconciliationis gratia meretur. Ait enim [12] : *Quacumque hora ingemuerit peccator, salvus erit.* Gemitum tamen timor importat, salutem promeretur spes. Quid ergo, et unde, et ad quid sit cordis compunctio, breviter declaratum est.

[1] *Jac.*, IV, 6; *Prov.*, III, 34, quoad sensum. — [2] *Joel.*, II, 13. — [3] *Psal.* IV, 5. — [4] *Psal.* XXX, 20, 21. — [5] *Psal.* XXXVI, 3. — [6] Ibid., 5. — [7] *Judith*, XIII, 17. — [8] *Psal.* II, 13. — [9] *Ezech.*, XXVIII, 32. — [10] I *Cor.*, IV, 5. — [11] *Psal.* CXXIX, 8. — [12] *Ezech.*, XXXIII, 12, quoad sensum. — (*a*) *Leg.* timoris virtus. — (*b*) Cæt. edit. *sperabo.* — (*c*) Vulg. *deseruit*· — (*d*) Vulg. *morientis.* — (*e*) *Leg.* provehit.

De secunda ala.

Satisfactio est injunctæ pœnitentiæ expletiva executio, vel peccatorum condigna correctio: secundum namque qualitatem delicti, mensura correctionis pensanda est. *Agite* (*a*), inquit [1], *fructus dignos pœnitentiæ.* Aliud est enim ipsa pœnitentia, aliud fructus pœnitentiæ. Sicut aliud est arbor, et aliud fructus ejus; sic aliud est pœnitentia, aliud fructus ejus. Pœnitentia est dolor præteriti, quando doles te fecisse quod malum est. Quando ergo improbas et damnas mala tua, pœnitentiam habes. Si displicet tibi quod fecisti, pœnitentiam agis. Pœnitentia est facti improbatio; fructus pœnitentiæ est delicti correctio. Sed quia, pro mensura delicti, correctionis mensura pensanda est, ideo fructus pœnitentiæ dignos facere oportet. Sed si in correctione minor est afflictio, quam in culpa delectatio fuerit, non est dignus fructus pœnitentiæ tuæ. Sed dicis mihi: Quomodo scire possim, quando condigna sit pœnitentia mea? Quia hoc scire non potes, ideo necesse habes semper pœnitere. Satisfacere potes, nimis facere non potes: melius est ut plus facias, quam minus. Idcirco sollicitus esto, satage, da operam, studium impende, ut culpa sit cum fine, devotio sine fine. Tamen, ut aliquando peccatrix conscientia consoletur, positus est modus et mensura pœnitentiæ exterioris, ut, illa expleta vel perfecta, fiduciam habere incipias, et facta quadam præsumptione in spe misericordiæ, de indulgentia et remissione peccatorum confidas, et tanto verius, quanto utique sincerius injunctam pœnitentiam expleveris.

Hujus alæ penna prima est peccati abrenuntiatio, quæ claudit januam diabolo. Peccatis abrenuntiare, est a malo declinare. *Declina,* inquit [2], *a malo* vanitatis, a malo iniquitatis, a malo malignitatis, et a malo impietatis, juxta illud Psalmi [3]: *Non sedi cum concilio vanitatis, et cum iniqua,* etc. *Odivi ecclesiam malignantium,* etc. Hæc quatuor vitia quatuor generant affectiones, scilicet amorem sui, amorem mundi, fraternum odium, et remissum amorem Dei. Prima affectio vanitatem, secunda iniquitatem, tertia malignitatem, quarta vero generat impietatem. Vanitas in se reciprocatur; iniquitas reflectitur in proximum; malignitas in fratrem extorquetur; impietas in Deum extenditur. Vanus et vecors est, qui quærit quæ sua sunt. Iniquus, (*b*) ut in multitudine divitiarum suarum glorietur, et avaritiæ saccum impleat, quæ proximorum sunt, vi et dolo sibi adsciverit vel acquisiverit. Malignus, qui, etiam cum non possit, nocere cupit. Impius, qui Deum vel non credit, vel si credit, contemnit.

Secunda penna est lacrymarum effusio: hæc peccatorum vulnera lavat et mundificat.

Tertia penna est carnis maceratio: hæc vulnerum loca tergit et siccat.

Quarta penna est eleemosynarum largitio: hæc alligat contrita, fracta consolidat, et omnia sanat.

Quinta penna est orationis devotio: hæc sanat et conservat.

De tertia ala.

Tertia ala est carnis munditia; caro munda est, quam non coinquinat luxuria. Luxuria omnium virtutum eradicat germina.

Hujus alæ penna prima est visus pudicitia: hæc petulantiam excludit, hæc circumdat oculum, ne concupiscat alienum, ne videat ad concupiscendum mulierem. Cujus ergo erga fœminarum formas lascivus et curiosus oberrat aspectus, iste et mente est impudicus.

Penna secunda est auditus castimonia. Castæ sunt aures, quæ voces non recipiunt obtrectantis; maledici et blasphemi verba non audiunt; falsis criminationibus, mendacio, irritationi, impudicis canticis et dextralibus (*c*) non patent; obturantur et clausæ sunt, ne judicium sanguinis audiant; nihil obscœnum recipiunt, sed ab omni cœno corruptionis aversæ sunt.

Tertia penna est olfactus modestia. Si qui (*d*) odorem capit bonum, et operibus misericordiæ suavitatis odorem requirit, hujus modesta est odoratio. Qui vero primis unguentis delibutus incedit, hujus odoratus non virtutis, sed fœtoris spirat odorem. Hujus enim suavitatis odor immanissimi vitii fœtor est.

Quarta penna est gustus temperantia: hæc gulæ et ebrietatis subruit immoderantiam. Væ illis, [4] *quorum Deus venter est, et gloria in confusione eorum, qui terrena sapiunt,* etc. Unde Gregorius: « Dum venter a satietate non restringitur per concupiscentiam carnis, simul omnes

[1] *Luc.*, III, 8. — [2] *Psal.* XXXVI, 29. — [3] *Psal.* XXV, 4, 5. — [4] *Phil.*, III, 19.

(*a*) Vulg. *Facite.*— (*b*) *Suppl.* qui *vel* si. — (*c*) *Fortasse legendum* sermonibus. — (*d*) *Leg.* quis.

virtutes obruuntur. » Unde legitur[1], quia *princeps coquorum destruxit muros Hierusalem.* Muros Hierusalem princeps coquorum destruxit, quia animæ virtutes, dum ventri indulgetur, periclitantur. De crapula et ebrietate Dominus ait[2]: *Videte, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et superveniat in vos dies repentina.* Ebrietas est parens litium, furoris mater, et petulantiæ deformis est magistra. Hanc qui habet, se non habet: hanc qui habet, homo non est: hanc qui habet, peccatum non facit, sed ipse est peccatum. Ebrietas est dæmon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria, illecebrosa honestatis injuria. Hanc nullus noverit Christianus.

Quinta penna est tactus sanctimonia. Peccati sordes ne contrectet manus Christiani; nihil immundum tangat caro ejus, si tetigerit. Si singula quæque membra in officiis mandatorum Dei deserviant, munda dicenda sunt. Si vero ultra præscriptas, sive divinitus datas luxuriant leges, immunda dicenda sunt vel reputanda, et hæc pudenda sunt. Et hoc puto esse, quod Apostolus dicit[3]: *Sicut enim exhibuistis membra vestra servire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.* Sit ergo oculus pudicus, auris casta, odor modestus, gustus sobrius, et tactus sanctus, etc.

De quarta ala.

Ala quarta est puritas mentis. Hujus alæ penna (*a*) prima est affectus sinceri rectitudo. Affectus desiderii tui sit rectus, et sit sincerus. Rectus erit, si id appetas, quod appetere debes; sincerus vero, si eo modo, quo honestatis virtus suadet. Amnon[4] sororem suam dilexit: affectus amoris rectus fuit; sed quia non eo modo, quo debuit, sororem dilexit, ideo affectus iste sincerus non fuit.

Penna secunda est mentis in Domino delectatio. Scriptum est[5]: *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.* Hanc pennam creat et format virtus contemplationis. De hac Dominus dicit[6]: *Maria optimam partem elegit,* etc.

Tertia penna est munda et ordinata cogitatio. Nihil immundum mens concipiat; sed et mundam conceptionem loco et tempori accommodet discretio.

Quarta penna est voluntatis sanctitudo. Angeli pacem de cœlo detulerunt[7] *hominibus bonæ voluntatis.*[8] *Non est pax impiis, dicit Dominus.*[9] *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est,* etc. O quam desiderabile est nomen pacis, quam firmat religionis christianæ stabile fundamentum! Bene autem, cum diceretur, *Gloria in excelsis Deo,* adjunctum est: *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis;* quia cum illis angeli societatem habere festinant, quorum mentibus puritatem bonæ voluntatis inesse considerant. Illos secum, post absolutionem carnis, ad contemplationem veræ pacis subvehere lætantur, quos, in carne commorantes, omnia quæ agunt, aut loquuntur, de radice bonæ voluntatis proferre conspiciunt. Tales namque etsi infirmitas forte aliquando, vel ignorantia, a perficienda bona operatione quam cupiunt, retardant; tamen ante summi arbitri oculos, integritas, quam vel corde vel mente tenet bona voluntas, eos excusat.

Quinta penna est simplex et pura intentio. De hac Dominus dicit[10]: *Si oculus tuus non fuerit simplex, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Per oculum intentionem, per corpus signat actionem. Locus enim iste Evangelii sic intelligendus est, ut noverimus omnia opera nostra non esse munda et placere in conspectu Dei, nisi fiant simplici corde, id est intentione superna, sive oculo charitatis, quia[11] *plenitudo legis charitas,* Oculum igitur debemus hic accipere ipsam intentionem, qua facimus quidquid facimus: quæ si simplex et pura fuerit, et illud aspiciens quod aspiciendum est, omnia opera nostra, quæ secundum eam operamur, necesse est ut bona sint. Quæ opera omnia totum corpus appellavit, quia Apostolus dicit *membra,* quædam opera quæ improbat, et mortificanda præcipit[12]: *Mortificate ergo membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, avaritiam,* etc., talia mala. Non ergo quid quisque faciat, sed quo animo faciat, considerandum est. Fructus enim operis totus consistit in simplicitate intentionis. Quidquid igitur gerendum esse cogitatio nostra suggesserit, omni scrupulo retractantes, atque in nostri pectoris trutina collocantes, æque libratione justissima perpen-

[1] IV *Reg.*, XXV, 8, secundum græcam editionem, ἀρχιμάγειρος; juxta Vulgatam vero, *princeps exercitus.* — [2] *Luc.*, XXI, 34. — [3] *Rom.*, VI, 13. — [4] II *Reg.*, XIII, 1. — [5] *Psal.* XXXVI, 4. — [6] *Luc.*, X, 42. — [7] *Luc.*, II, 14. — [8] *Isa.*, XLVIII, 22. — [9] *Psal.* CXVIII, 165. — [10] *Matth.*, VI, 22. — [11] *Rom.*, XIII, 10. — [12] *Coloss.*, III, 5.

(*a*) *Cæt. edit.* pennæ.

damus, an plenum sit honestate communi, an Dei timore sit grave, an integrum sensu, an humana ostentatione, an aliqua voluntatis præsumptione sit leve, an meriti ejus pondus inanis cenodoxia non imminuerit, vel arriserit gloria : et sic ad examen publicum trutinantes, id est, ad prophetarum et apostolorum actus et testimonia conferentes, vel tanquam integra atque perfecta, et illis compensanda teneamus, vel tanquam imperfecta atque damnosa, nec illorum ponderi consonantia, omni cautione atque diligentia refutemus.

De quinta ala.

Quinta ala dilectio proximi est. Hujus penna prima est, nulli nocere verbo, vel opere. De qua scriptum est [1] : *Quod non vis tibi fieri, ne facias alteri.* Hanc pennam format virtus innocentiæ. Innocens est qui, etiam cum possit, nulli vult nocere. *Quis ascendit,* inquit [2], *in montem Domini? Innocens manibus.* Quis innocens manibus ? [3] *Qui non fecit proximo suo malum. Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus.* Quis est iste malignus, nisi diabolus ? Qui nulli vult nocere, tempore excluso motum primum sentit amoris.

Penna secunda est omnibus prodesse verbo vel opere. [4] *Frater fratrem adjuvans, civitas munita et fortis* (*a*). Hanc pennam suscitat, et provehit in culmen perfectionis, quæ nulli nescit condescendere, virtus misericordiæ. *Beati,* inquit [5], *misericordes.* Qui omnibus studet prodesse, vivum calorem veri spirat amoris.

Tertia penna est, rerum propter amicum consumptarum detrimenta non tantum non deflere, sed libertatis (*b*) fortitudine non sentire ; de beneficiorum in usus fratrum collatorum magnitudine semper gaudere in corde. Qui sentit, computator est, non largitor. Qui non gaudet, dolet. De hac penna scriptum est [6] : *Qui negligit damnum propter amicum, justus est ; iter autem avari decipiet eum.*

Quarta penna est, animam pro fratre ponere. Quid est animam ponere pro fratre ? Pro temporalis etiam proximi salute propriam voluntatem deserere, et in articulo necessitatis pro æterna salute fratris mortis discrimina lubenter subire. De hac scriptum est [7] : *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Major non ebulliret fervor amoris.

Quinta penna est in his perseverare : hanc perficit virtus perseverantiæ. Finis, non pugna, coronat. Qui perseverat, cessare nescit.

De sexta ala.

Sexta ala est dilectio Dei. Hæc, ut aliæ, quinque pennas habet.

Primam harum habet, qui aliud quam Deum non concupiscit. Hæc est mobile hujus amoris.

Secundam pennam habet, qui propter Deum sua distribuit ; qui partem retinet, partem vero tribuit. Hæc est calidum hujus amoris.

Tertiam pennam habet, qui propter Domini amorem nihil sibi reservat, sed omnia relinquit. Hæc est acutum hujus amoris.

Quartam pennam habet, qui propter Deum seipsum abnegat. Seipsum abnegat, qui suam deserit, ut Domini solam faciat voluntatem. Hæc est fervidum hujus amoris.

Quintam habet pennam, qui in his perseverat. *Qui perseveraverit,* inquit [8], *usque in finem, hic salvus erit.* Hæc est incessabile hujus amoris.

Hæc (*c*) sunt alæ de quibus Psalmista ait [9] : *Sub umbra alarum tuarum protege me, a facie impiorum qui me afflixerunt.* Item [10] : *In umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.* Hæ sunt pennæ de quibus idem Psalmista ait [11] : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et requiescam? Volabo,* inquit, terrena deserens, cœlestia appetens : et *requiescam,* vera libertate æternaque fruens beatitudine. Amen.

[1] *Tob.*, IV, 16, quoad sensum. — [2] *Psal.* XXIII, 3, 4. — [3] *Psal.* XIV, 3, 4. — [4] *Prov.*, XVIII, 19. — [5] *Matth.*, V, 7. — [6] *Prov.*, XII, 26. — [7] *Joan.*, XV, 13. — [8] *Matth.*, X, 22. — [9] *Psal.* XVI, 8, 9. — [10] *Psal.* LVI, 2. — [11] *Psal.* LIV, 7.

(*a*) Vulg. *civitas firma.* — (*b*) *Leg.* liberalitatis. — (*c*) *Leg.* Hæ.

MEDITATIONES VITÆ CHRISTI[1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Hoc Opusculo, cui titulus est : *Meditationes Vitæ Christi*, spiritualem filiam S. Bonaventura instruit, ut ad actuosas omnes, luminosasque virtutes progressiones faciat. Quod ut melius præstet, Christi Domini vitam, tanquam lucidissimum ac nitidissimum speculum, ei ob oculos ponit, ad quod vitam suam moresque componat, atque in ejus semper meditatione versetur. Jugis enim et assidua vitæ Christi meditatio, quæ continet virtutum omnium perfectionem, contra vana et caduca mentem roborat; contra tribulationes et adversa fortificat; contra hostium insidias ac blandimenta fallacia erudit : ita ut his instructa præsidiis et documentis, nec vi hostium opprimi, nec fraude decipi unquam possit. Intentum vero Auctoris ex proœmio patet, et infra etiam ex capite nono, dum nec omnia, quæ Christus fecit, quemquam meditari posse, nec scripta esse affirmat, atque ita Christi Domini gesta se narraturum pollicetur, quemadmodum contigerunt, vel contigisse credibile est secundum imaginarias quasdam repræsentationes, ut ipse ait, quas animus diversimode percipit. Quod non esse a sacra Scriptura alienum in proœmio itidem egregie demonstrat. Dividitur autem Opusculum generatim in partes sex : prima est de iis, quæ incarnationem Domini præcesserunt; secunda, de ipsa incarnatione; tertia, de Christi nativitate; quarta, de toto Christi Domini vitæ cursu ; quinta, de ejus sanctissima passione et morte; sexta, de Christi resurrectione, et ad cœlos ascensione, ac de Spiritus sancti missione. In his vero meditandis Auctor ita se gerit, ut a capite primo usque ad decimum octavum meditationes prolixe tractet. Deinde vero rem gestam prout narrant Evangelistæ, proponit, existimans quamlibet Christi actionem nobis sufficere ad plenam meditationem et instructionem. Quod si nonnunquam aliqua in meditationem adducit, quæ humilia nimis et puerilia videntur, non propterea contemnenda sunt, aut parvipendenda; quia, ut Auctor ipse capitibus quartodecimo et quintodecimo docet, utilia sunt valde, et nos ad majora transmittunt. Quod enim stultum Dei, sapientius est hominibus, et quod infirmum, potentius. Disponit vero suas meditationes juxta singulas hebdomadæ dies, ut quid in singulis meditari de Christo utile sit, quisque intelligat. Sanctorum quoque Patrum auctoritatibus Opusculum conspersum est, præsertim S. Bernardi; cujus rei rationem capite trigesimosexto reddit Auctor his verbis : « Ideo libenter Bernardi verba in hoc Opusculo intersero, et adduco, quia non solum spiritualia sunt, et cor penetrantia; sed et decore plena, et ad Dei servitium excitantia. » Ex quibus constat, quam dignus sit iste tractatus Sancti Bonaventuræ doctrina, pietate et devotione.

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, part. II; edit. Vatic., an. 1596, tom. VI, pag. 349; edit. Ven., an. 1611, tom. II; edit. Lugd., an. 1647, tom. I, pag. 350; edit. Ven., an. 1754, tom. XII, pag. 379.

PROŒMIUM

Inter alia virtutum et laudum præconia de sanctissima virgine Cæcilia legitur, quod Evangelium Christi absconditum semper portabat in pectore. Quod sic intelligi debere videtur, quod ipsa de vita Domini Jesu in Evangelio tradita, quædam sibi devotiora præelegerat, in quibus meditabatur die ac nocte, corde puro et integro, attentione præcipua et ferventi, et cum plena circulatione reincipiens iterum et dulci ac suavi gustu ruminans, ea in arcano pectoris sui collocabat. Simile tibi suadeo faciendum. Super omnia namque inter spiritualis exercitii studia, hoc magis necessarium magisque proficuum credo, et quod ad celsiorem gradum perducere possit. Nusquam enim invenies, ubi sic doceri possis contra vana blandimenta et caduca, contra tribulationes et adversa, contra hostium tentamenta et vitia, sicut in vita Domini Jesu, quæ fuit absque omni defectu perfectissima. Ex frequenti enim et assueta meditatione vitæ ipsius adducitur anima in quamdam familiaritatem, confidentiam et amorem ipsius, ita quod alia vilipendit et contemnit. Insuper fortificatur et instruitur quid facere, quidve fugere debeat.

Vitæ Christi meditatio frequens quantum animæ prosit.

Dico primo quod jugis meditatio vitæ Domini Jesu roborat et stabilit mentem contra vana et caduca; ut patet in prædicta beata Cæcilia, quæ ita cor suum repleverat de vita Christi, quod in ipsam vana intrare non poterant : unde in pompa nuptiarum existens, ubi tot vana geruntur, cantantibus organis, ipsa stabili corde soli Deo vacabat, dicens : « Fiat, Domine, cor meum, et corpus meum immaculatum, ut non confundar. »

Secundo fortificat contra tribulationes et adversa, ut patet in Martyribus. Circa quod sic dicit Bernardus [1] : « Inde tolerantia martyrii provenit, quod in Christi vulneribus tota devotione versetur, et jugi meditatione demoretur. In illis stat martyr tripudians et triumphans, toto licet lacerato corpore, et rimante latera ferro. Ubi ergo tunc anima Martyris? Nempe in vulneribus Jesu, et vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. Si in suis esset visceribus, scrutans ea, ferrum profecto sentiret, dolorem non ferret, succumberet et negaret. » Hucusque Bernardus. Inde est quod non solum martyres, sed et confessores in tribulationibus et infirmitatibus suis tantam patientiam habuerunt, et tota die habent. Si legas de beato Francisco, et de beata virgine Clara matre ac ducissa tua, poteris invenire, quomodo in multis tribulationibus, penuriis et infirmitatibus, non solum patientes, sed etiam hilares existebant. Item quotidie videre potes in ducentibus sanctam vitam : hoc ideo, quia ipsorum animæ nec erant, nec sunt in eorum corporibus, sed in Christo ex devota meditatione vitæ ipsius.

Tertio dico, quod docet circa gerenda, ut nec hostes nec vitia irruere vel fallere possint; hoc ideo, quia perfectio virtutum repetitur ibidem. Ubi enim virtutes excelsæ paupertatis, eximiæ humilitatis, profundæ sapientiæ, orationis, mansuetudinis, obedientiæ, patientiæ, cæterarumque virtutum exempla et doctrinam sic invenies, sicut in vita Domini virtutum? De hoc sic breviter ait Bernardus [2] : « Incassum proinde quis laborat in acquisitione virtutum, si aliunde eas sperandas putet, quam a Domino virtutum : cujus doctrina, seminarium prudentiæ; cujus misericordia, opus justitiæ; cujus vita, speculum temperantiæ; cujus mors insigne est fortitudinis. » Hucusque Bernardus. Qui ergo eum sequitur, errare non potest, neque falli. Ad cujus virtutes imitandas et adipiscendas, ex frequenti meditatione cor accenditur et animatur. Deinde illuminatur virtute, ita quod virtutem induit, et a veris falsa discernit : adeo ut plures fuerint illiterati, qui magna et profunda Dei mysteria cognovere. Unde credis quod beatus Franciscus ad tantam virtutum copiam, et ad tam luculentam intelligentiam Scripturarum, ad tam etiam perspicacem notitiam fallaciarum hostium et vitiorum pervenerit, nisi ex familiari conversatione et meditatione Domini sui Jesu? Propterea sic ardenter afficiebatur ad ipsam, ut quasi sua pictura fieret. Nam in cunctis virtutibus, quam perfectius poterat, imitabatur eamdem, et tandem complente ac perficiente Jesu per impressionem sacrorum stigmatum, fuit in eum transformatus totaliter. Vides ergo ad quam excelsum gradum meditatio vitæ Christi perducit. Sed et tanquam fundamentum efficax ad majo-

S. Franciscus tæ Christi meditator assiduus

[1] Bern., *in Cant.*, serm. LXI, n. 7, 8. — [2] Ibid., serm. XXII, n. 11.

res contemplationis sublimat gradus : quia ibidem invenitur unctio, quæ paulatim purificans et elevans animam, docet de omnibus, de quibus non est sermo ad præsens.

Nunc autem te in ipsas vitæ Christi meditationes aliqualiter introducere cogitavi : sed vellem, quod hoc a magis experto magisque docto acciperes, quia in talibus maxime insufficiens sum. Verumtamen judicans melius fore aliqua utcumque dicere, quam penitus tacere, experiar impotentiam meam, et familiariter tecum loquar, rudi et impolito sermone : tum ut melius possis, quæ dicuntur, capere, tum ut non aurem, sed mentem studeas inde reficere. Non est enim in ornatis sermonibus, sed in Domini Jesu meditationibus insistendum. Ad quod etiam Hieronymi doctrina inducimur, dicentis : « Sermo rudis usque ad cor penetrat; politus autem pascit aures. » Spero autem, quod ruditati tuæ conferet aliquid mea modicitas : sed et in hoc magis spero, quod si te in his exercitari sedula meditatione volueris, ipsum Dominum, de quo loquimur, magistrum habebis. Non autem credas, quod omnia quæ (*a*) ipsum dixisse, vel fecisse constat, meditari possimus, vel quod omnia scripta sint : ego vero ad majorem impressionem, ea sic, ac si ita fuissent, narrabo, prout contingere vel contigisse credi possunt, secundum quasdam imaginarias repræsentationes, quas animus diversimode percipit. Nam et circa divinam Scripturam meditari, exponere et intelligere multifarie, prout expedire credimus, possumus, dummodo non sit contra veritatem vitæ, justitiæ et doctrinæ, et non sit contra fidem et contra bonos mores. Cum autem me narrantem invenies : « Ita dixit vel fecit Dominus Jesus, » seu alia, quæ introducuntur; si illud per Scripturam probari non possit, non aliter accipias, quam devota meditatio exigit. Hoc est, perinde accipe, ac si dicerem : Mediteris quod ita dixit vel fecit Dominus Jesus; et sic de similibus. Tu autem, si ex his fructum sumere cupis, ita te præsentem exhibeas his quæ per Dominum Jesum dicta et facta narrantur, ac si tuis auribus audires et oculis ea videres, toto mentis affectu diligenter, delectabiliter et morose, omnibus aliis curis et sollicitudinibus tunc omissis. Quare te precor, dilecta filia, ut hunc laborem meum, quem ad laudem Domini Jesu, et tuum profectum, et meam utilitatem assumpsi, lætanter suscipias; et lætantius, devotius, et sollicitius te exerceas in eodem. Initium de incarnatione sumendum est, sed quædam ipsam præcessisse meditari possumus, tam in cœlis circa Deum et angelos suos beatissimos, quam in terris circa Virginem gloriosissimam, quæ mihi videntur primitus explicanda. Et ideo de ipsis videamus.

Quomodo circa divinam scripturam et dicta et facta Salvatoris meditari debemus.

CAPUT PRIMUM.

De sollicita pro nobis intercessione angelorum.

Cum per longissima tempora ultra spatium quinque millium annorum miserabiliter jaceret genus humanum, et nullus propter peccatum primi hominis ascendere posset ad patriam beatissimi angelici spiritus, compatientes tantæ ruinæ et de sua restauratione solliciti, licet etiam pluries, primo tamen adveniente plenitudine temporis, devotius et instantius taliter supplicaverunt Domino procidentes in facies suas ante thronum ejus simul omnes congregati, et dixerunt : Domine, placuit majestati vestræ, et rationalem creaturam, scilicet hominem, creare propter vestram bonitatem, ut ipse esset hic nobiscum, et ut nobis ex ipso nostrarum contingeret restauratio ruinarum. Sed ecce pereunt omnes, et nemo salvatur, et in tot annorum curriculis hoc videmus, quod de omnibus hostes nostri triumphant, et de ipsis non nostræ ruinæ, sed tartareæ speluncæ replentur. Ut quid ergo, Domine, nascuntur ? Quare traduntur bestiis animæ confitentes tibi ? Et si secundum justitiam vestram hoc fiat, tamen misericordiæ tempus est. Et si primi parentes vestrum mandatum incaute transgressi sunt, subveniat misericordia vestra. Mementote, quod ad similitudinem vestram creastis eos. Aperite, Domine, misericorditer manum vestram, et implete misericorditer. Oculi omnium spectant ad vos, sicut oculi servorum ad manus dominorum suorum, donec misereamini et subveniatis remedio salutari humano generi.

(*a*) *Cæt. edit. add.* per.

CAPUT II.

De contentione inter misericordiam et justitiam, veritatem et pacem.

His dictis, Misericordia pulsabat viscera Patris, ut subveniret, secum Pacem habens; sed contradicebat Veritas, habens secum Justitiam. Et inter eas magna controversia facta est, prout narrat beatus Bernardus pulchro et longo stylo[1]. Sed ego succincte, ut potero, referam summam. Frequenter enim ipsius dicta melliflua intendo adducere; sed plerumqne cum exceptione, propter prolixitatem vitandam. In hoc ergo loco est dicti sui summa. Dicebat Domino Misericordia: Numquid in æternum projicies, Domine, aut oblivisceris misereri? Et hoc ei longo tempore susurrabat. Respondit Dominus: Vocentur sorores vestræ, quas contra vos paratas videtis, et eas pariter audiamus. Quibus vocatis, incœpit Misericordia: Eget miseratione divina creatura rationalis, quoniam misera facta est, et miserabilis valde; venit tempus miserendi, et jam præteriit. E contra Veritas: Oportet, Domine, implere sermonem quem locutus es. Totus moriatur Adam, cum omnibus qui in eo erant, quando prævaricando pomum gustavit. Dixit Misericordia: Ut quid ergo, Domine, me fecisti? Scit enim ipsa Veritas, quod ego perii, si nunquam misereberis. E contrario ipsa Veritas: Si prædictam tuam sententiam prævaricator evaserit, periit et veritas tua, et non permanet in æternum. Fuit ergo hæc quæstio missa ad Filium. Ipsa autem Veritas et Misericordia coram eo eadem dicebant, et addebat Veritas Fateor, Domine, quod bono zelo movetur Misericordia; sed non secundum justitiam, quæ potius prævaricatori vult parcere quam sorori. At Misericordia: Tu neutro parcis, et tanta indignatione sævis contra prævaricatorem, ut involvas pariter et sororem. Sed nihilominus Veritas fortissime allegat: Domine, contra te ista quæstio intorquetur, et est cavendum, ne verbum Patris evacuetur. Dixit Pax: Parcite vobis a verbis istis; virtutum non est honesta contentio. Vides controversiam magnam, et rationes fortes et efficaces. Non videbatur quomodo circa hominem possent et misericordia et veritas conservari. Scripsit autem Rex sententiam, quam Paci, quæ propinquius ei stabat, dedit legendam, sic continentem: Hæc dicit: Perii, si Adam non moriatur. Et hæc dicit: Perii, si non misericordiam consequatur. Fiat mors bona, et habeant utræque quod petunt. Obstupuerunt omnes in verbo sapientiæ, et consenserunt quod moriatur Adam, misericordiam consequendo. Sed quærunt quomodo mors potest fieri bona, cum horribilis sit ipsi auditui. Respondit Rex: Mors peccatorum pessima, sed mors sanctorum pretiosa, et janua vitæ. Inveniatur, qui ex charitate moriatur, non obnoxius morti: et sic mors non poterit tenere innoxium, sed faciat in ea foramen, per quod transeant liberati. Placuit sermo. Sed ubi talis poterit inveniri? responderunt. Rediit ergo Veritas ad terram, et Misericordia remansit in cœlo. Nam juxta Prophetiam[2]: *Domine, in cœlo misericordia tua usque ad nubes.* Et circuit orbem terrarum: Et[3] *nemo mundus a sorde, nec infans unius diei.* Sed a misericordia perlustratur cœlum, et neminem invenit, qui sufficientem ad hoc habeat charitatem. Omnes enim servi sumus, et qui cum bene fecerimus, dicere debemus illud Lucæ[4]: *Quia inutiles servi sumus.* Et cum nullus inveniretur, qui majorem charitatem haberet, ut animam suam pro servis inutilibus poneret, redeunt ad constitutam diem anxiæ (*a*) plurimum. Non invento quod desiderabant, dixit Pax: Vos nescitis quidquam, nec cogitatis[5]: *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Sed qui dedit consilium, feret auxilium. Intellexit hoc Rex, et ait[6]: *Pœnitet me fecisse hominem.* Pœnitentiam me agere oportet pro homine quem creavi. Et vocato Gabriele, dixit: Vade[7], *dic filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit.* Hucusque Bernardus. Vides ergo, quam magni periculi fuit et est peccatum, et quam magna difficultas est remedium invenire. In hoc ergo consenserunt prædictæ virtutes præcipue in persona Filii: nam persona Patris aliqualiter videtur terribilis et potens; et sic suspicari quodammodo potuissent Pax et Misericordia. Persona vero Spiritus benignissima est; et sic suspicari poterant Veritas et Justitia. Unde persona Filii tanquam media accepta est ad hoc remedium faciendum: hoc autem non proprie, sed appropriate intelligas. Tunc ergo impletum est illud propheticum[8]: *Misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et*

[1] Bern., *de Annunt.*, serm. 1. — [2] *Psal.* XXXV, 6. — *Job.*, XIV, 4, juxta septuaginta duo interpr. — [4] *Luc.*, XVII, 10. — [5] *Psal.* XIII, 2. — [6] *Gen.*, VI, 7. — [7] *Zach.*, IX, 9. — [8] *Psal.* LXXXIV, 11.

(*a*) *Cæt. edit.* anxie.

pax osculatæ sunt. Et hæc de his quæ in cœlis contingere potuerunt, possumus meditari.

CAPUT III.

De Vita Mariæ Virginis, et septem petitionibus ejus.

Circa Virginem, ex qua incarnatio facta fuit, meditari possumus vitam ipsius. Unde scire debes, quod [1] dum esset trium annorum, fuit a parentibus oblata in templum, et ibi stetit usque ad decimum quartum annum. Quid autem ibi fecerit, scire possumus ex revelationibus suis, factis cuidam suæ devotæ; et creditur, quod fuit sancta Elisabeth, cujus festum solemniter celebramus : in quibus hæc inter alia continentur. Cum (inquit) pater meus et mater mea me dimiserunt in templo, statui in corde meo habere Deum in patrem : et devote ac frequenter cogitabam, quid possem facere Deo gratum, ut dignaretur mihi dare gratiam suam, et feci me doceri legem Dei mei. Ex omnibus tamen præceptis divinæ legis, tria præcepta præcipue servavi in corde meo, videlicet : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex omnibus viribus tuis.* Item : *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*. Item : *Habebis odio inimicum tuum.* Ista (inquit) servavi in animo meo, et statim omnes virtutes comprehendi, quæ in ipsis continentur; et ita volo te facere. Anima autem aliquam virtutem habere non potest, si Deum toto corde non diligat. Ab isto enim amore descendit omnis gratiæ plenitudo, sine qua nulla virtus in animam (*a*) descendit, nec perseverat in anima; sed fluit ut aqua, nisi suos inimicos, id est, vitia et peccata habuerit odio. Qui vult ergo suam gratiam habere et possidere, oportet eum cor suum ad amorem et odium ordinare. Volo ergo te facere, ut faciebam ego. Surgebam enim semper in noctis medio, et pergebam ante altare templi, et tanto desiderio, et tanta voluntate, et tanta affectione, quanta poteram et sciebam, petebam gratiam ab omnipotenti Deo observandi illa tria præcepta, et omnia alia mandata legis. Et sic stando ante altare, septem petitiones Domino faciebam, quæ sunt hæ :

Septem petitiones B. Mariæ Virginis.

Primo enim petebam gratiam, qua possem implere dilectionis præceptum, scilicet ipsum diligere ex toto, etc.

Secundo petebam gratiam, qua possem diligere proximum secundum voluntatem et beneplacitum suum, et ut faceret me amare omnia, quæ ipse amat et diligit.

Tertio petebam, ut me faceret odire et fugere omnia, quæ odit.

Quarto petebam humilitatem, patientiam, benignitatem, et mansuetudinem, et omnes virtutes, per quas efficerer gratiosa ante conspectum suum.

Quinto petebam, ut faceret me videre tempus, in quo esset nata illa beatissima Virgo, quæ debebat Filium Dei parere; et ut conservaret oculos meos, ut possem eam videre; linguam, ut possem eam laudare; manus, ut possem ei servire; pedes, ut possem ire ad servitium suum; genua, ut possem adorare Dei Filium in gremio suo.

Sexto petebam gratiam obediendi mandatis et ordinationibus Pontificis templi.

Septimo petebam, ut templum et universum populum suum ad servitium suum conservaret.

His auditis, dixit ancilla Christi : O dulcissima Domina, non eratis vos gratia et virtutibus plena? Respondit B. Virgo : Pro firmo scias, quod ita me reputabam ream, et vilissimam, et gratia Dei indignam sicut tu. Propterea petebam sic gratiam et virtutes. Et iterum : Filia, tu credis, quod omnem gratiam quam habui, habuerim sine labore; sed non est ita. Imo dico tibi, quod nullam gratiam, donum vel virtutem habui a Deo sine magno labore, continua oratione, ardenti desiderio, profunda devotione, multis lacrymis, et multa afflictione, dicendo, cogitando semper placita sibi, sicut sciebam et poteram, excepta sanctificationis gratia, qua sanctificata fui in utero matris. Et addidit : Pro firmo scias, quod nulla gratia descendit in animam, nisi per orationem et corporis afflictionem. Postquam autem dedimus Deo quæ per nos possumus, licet sint pauca, ipsa venit in animam, secum ferens ista (*b*) altissima dona, quod videtur anima in seipsa deficere, et perdit memoriam, et non recordatur se fecisse, vel dixisse aliquid Deo gratum, et tunc videtur sibi ipsi vilior et despectior, quam unquam fuerit. Hucusque de dictis revelationibus.

Beatus vero Hieronymus de vita ipsius scribit : « Hanc sibi regulam B. Virgo statuerat, ut

[1] Damasc., *de Fid. orthod.*, lib. IV, c.xv; Niceph., *Eccles. Hist.*, lib. I, c. VII.

(*a*) *Cæt. edit.* aliquam. — (*b*) *Leg.* ita.

a mane usque ad horam tertiam orationibus insisteret; a tertia usque ad nonam, externo opere se occuparet; a nona vero iterum ab oratione non recedebat, quousque dum illi Angelus appareret, de cujus manu escam accipere solebat, et melius in Dei opere et amore proficiebat. Fiebat, ut in vigiliis inveniretur prior, in sapientia legis Dei eruditior, in humilitate humilior, in carminibus Davidicis elegantior, in charitate gloriosior, in puritate purior, in omni virtute perfectior. Erat enim constans et immobilis, et cum quotidie melius transisset, hanc irascentem nullus vel vidit vel audivit. Omnis sermo ejus ita erat gratia plenus, ut cognosceretur in lingua ejus Deus. Semper in oratione et in scrutatione legis Dei permanebat. Et erat sollicita circa socias suas, ne aliqua ex eis in ullo sermone peccaret, ne aliqua in risu vocem suam exaltaret, ne aliqua injurias aut superbiam contra parem suam exerceret. Sine intermissione benedicebat Deum; et ne forte in salutatione sua a Dei laudibus tolleretur, si quis eam salutabat, illa pro salutatione sua, *Deo gratias*, respondebat. Denique primum ex ipsa exiit, ut dum salutantur hominis sancti, *Deo gratias* dicant. De esca quam de manu Angeli accipiebat, ipsa reficiebatur : quam vero a pontificibus templi accipiebat, pauperibus erogabat. Quotidie videbatur ei Angelus loqui, et quasi charissimæ sorori vel matri obtemperabat ei. » Hucusque Hieronymus.

In quartodecimo autem anno fuit beata Virgo Maria desponsata Joseph per divinam revelationem, et rediit in Nazareth; quod qualiter fuerit factum, invenias in legenda de nativitate sua. Et hæc sunt quæ ante incarnationem Domini Jesu possumus meditari : ipsa rumines bene, et delecteris in eis, toto affectu ea memoriæ commendando, et opere adimplendo, quia devotissima sunt. Nunc ad incarnationem veniamus.

CAPUT IV.

De incarnatione Christi.

Postquam autem [1] *venit plenitudo temporis*, vel deliberasset quomodo ordinavit summa Trinitas humano generi provideri per incarnationem Verbi [2], *propter nimiam charitatem* suam, qua ipsum genus humanum diligebat, commovente eum misericordia sua, et nihilominus ad instantiam supernorum spirituum, et beata Virgo Maria rediisset Nazareth; vocavit Deus omnipotens Gabrielem Archangelum, et dixit ei : Vade ad dilectissimam filiam nostram Mariam desponsatam Joseph, super omnes creaturas nobis charissimam : et dic ei, quod filius meus concupivit speciem suam, et sibi eam elegit in matrem. Et roga eam, ut ipsum lætanter accipiat : quia per eam salutem totius generis humani operari decrevi, et oblivisci volo injuriæ mihi factæ. Attende hic et recordare, quæ tibi in principio supra dixi, ut discas omnibus, quæ dicuntur et fiunt, te exhibere præsentem. Hic ergo imagigineris, et aspicias Deum, ut potes, quia incorporeus est : sed aspice eum tanquam magnum dominum, sedentem in solio excelso, vultu benigno, pio et paterno, quasi reconciliare volentem, sive reconciliatum esse, hæc verba dicentem, et Gabrielem facie hilari et jucunda, flexis genibus et inclinato vultu timoroso et reverenti, ambasiatam Domini sui attente suscipientem. Surgens igitur Gabriel jucundus et gaudens, volitavit ab altis, et in humana specie in momento fuit coram Virgine Maria, in thalamo domunculæ suæ manente. Sed nec sic volavit, quin prævenireturr a Deo, et sanctam ibi Trinitatem invenit, quæ prævenit nuntium suum.

Incarnatio Verbi fuit opus totius Trinitati

Scire namque debes, quod excelsum incarnationis opus totius Trinitatis fuit, licet sola persona Filii fuerit incarnata; quemadmodum si tunicam induenti, duo ex lateribus ejus stantes adjuvarent eum, et tunicæ manicas tenerent. Nunc ergo et hic bene aspice, et tanquam ipsi facto præsens existeres, intellige omnia quæ dicuntur et fiunt. O qualis fuit et nunc est in meditatione tua illa domuncula, ubi tales sunt, et talia exercentur! Nam licet ubique sit sancta Trinitas, tamen ibi nunc aliquo singulari modo esse mediteris, ratione singularis operationis. Ingressus ergo Gabriel paranymphus fidelis ad Virginem Mariam, dixit [3] : *Ave, gratia plena; Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Ipsa vero turbata, nihil respondit. Non fuit turbata turbatione culpabili, nec de visione Angeli, quia eos sæpe videre solita erat : sed, juxta verba Evangelii, turbata fuit in sermone ejus, cogitans de novitate talis salutationis, non enim sic eam consueverat salutare. In qua salutatione cum videret se tribus commendari, non poterat humilis Domina non turbari. Commendabatur enim quod esset gratia plena, et quod Dominus

[1] *Gal.*, IV, 4. — [2] *Ephes.*, II, 4. — [3] *Luc.*, I, 28 et seq.

erat secum, et quod erat benedicta super omnes mulieres : at humilis non potest sui commendationem sine rubore et turbatione audire. Turbata ergo fuit ex verecundia honesta, et virtuosa. Cœpit etiam timere, an hoc esset verum : non quod non crederet angelum vera loqui, sed ex eo quod proprium est in humilibus, quod non examinant suas virtutes, sed defectus potius ruminant, ut sic semper proficere possint reputantes magnam virtutem parvam, et parvum defectum magnum valde. Tanquam ergo prudens et cauta, pavida et pudorosa nihil respondit. Quid enim respondisset? Disce et tu exemplo suo tenere silentium, et taciturnitatem amare, quia magna et utilis valde talis virtus est. Nam ipsa bis prius audivit, quam semel responderet. Abominabile enim est, virginem esse loquacem. Angelus enim causam suæ dubitationis cognoscens, dixit : *Ne timeas, Maria,* nec verecunderis de laudibus, quas dixi tibi, quia sic est : nec solum ipsa gratia plena, sed eam toti generi humano recuperasti, et reinvenisti a Deo. Nam *Ecce concipies, et paries Altissimi filium*, qui te elegit in suam matrem, salvabit omnes in eum sperantes. Tunc ipsa respondit, non tamen confitendo, nec negando commendationes præfatas, sed de alio certificari volens, de modo plus dubitabat, scilicet ne perderet virginitatem suam. Quæsivit ergo ab Angelo hujus conceptionis modum, dicens : *Quomodo fiet istud,* quia virginitatem meam firmissime Domino meo devovi, ne in perpetuum hominem cognoscam? Et Angelus : Fiet per operationem Spiritus sancti, qui te singulari modo replebit, et ejus virtute concipies, salva tibi virginitate tua, et *ideo* filius tuus *vocabitur filius Dei*. Nihil enim ei est impossibile. Nam *Elisabeth cognata tua* cum esset senex, et *sterilis*, jam sunt sex menses, quod filium virtute Dei concepit.

Intuere hic pro Deo, et meditare, qualiter tota Trinitas est ibi expectans responsionem et consensum hujus suæ filiæ singularis, amanter et delectabiliter aspiciens verecundiam ejus, et mores et verba; et etiam qualiter Angelus diligenter et sapienter inducit eam, et ordinat verba sua, stans inclinatus et reverens coram Domina sua, vultu placido et sereno, fideliter exequens ambasiatam suam, et attente observans verba Dominæ, ut possit congrue respondere, et super hoc opere mirifico perficere Domini voluntatem. Et qualiter etiam Domina stat timorate ac humiliter, facie pudorosa, præventa ab Angelo, et ex improviso in verbis istis non extollitur, neque se reputat. Et cum audit magnalia de se, qualia alicui nunquam dicta fuerunt, totum divinæ gratiæ ascribebat. Disce ergo ejus exemplo esse pudorosa et humilis, quia sine his virginitas parum valet. Gaudet prudentissima Virgo, et auditis verbis Angeli consensit. Et, ut in suis revelationibus continetur, profunda devotione genuflexit, et junctis manibus dixit : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Tunc Filius Dei statim totus et sine mora intravit uterum Virginis, et ex ea carnem assumpsit, et totus remansit in sinu Patris. Potes autem pie imaginari, qualiter ipse Filius tanquam obedientiam et laboriosam legationem suscipiens, Patri se inclinavit, et recommendavit, et in eodem instanti anima creata et infusa fuit; perfectus homo secundum omnia corporis lineamenta, sed parvulus valde, ita quod in utero postea naturaliter crescebat, ut alii, sed non fuit dilata infusio animæ, vel membrorum distinctio, ut in aliis. Erat enim perfectus Deus, sicut perfectus homo, et ita sapiens et potens, ut est modo. Gabriel autem tunc cum Domina sua similiter genuflexit, et parum post cum ea surgens, se iterum inclinans usque ad terram, et valefaciens ei, disparuit, et ad patriam rediens hoc narravit, et fuit ibi novum gaudium, et novum festum, et exultatio magna nimis. Domina vero tota inflammata, et in amore Dei magis solito succensa, sentiens se concepisse, genibus flexis gratias egit de tanto dono, humiliter et devote supplicans eidem, ut eam dignaretur instruere, ita quod in his, quæ circa filium suum facienda occurrerent, faceret sine defectu.

Sine pudore et humilitate virginitas parum valet.

Considerare autem debes, quanta est hodierna solemnitas, et jubilare in corde tuo, et agere dies lætitiæ. Inaudita est enim usque modo a sæculis, nec unquam fuerat. Talis namque hodie est solemnitas Dei Patris, qui nuptias fecit filio suo in desponsatione humanæ naturæ, quam hodie Filius sibi univit inseparabiliter. Hodie est et solemnitas nuptiarum Filii, et dies natalis ejus in utero; sed postea erit ex utero. Hodie est solemnitas sancti Spiritus, propter hoc opus mirificum et singulare ipsius incarnationis, quod eidem attribuitur : et hodie incœpit ostendere benignitatem singularem humano generi. Hodie est solemnitas gloriosa Dominæ nostræ, quæ a Patre in filiam, et Filio in matrem, et Spiritu sancto in sponsam est recognita

et assumpta. Hodie est solemnitas totius cœlestis curiæ, quia inchoatur eorum reparatio. Hodie est multo magis solemnitas humanæ naturæ : quia ejus salus incœpit et redemptio, et totius mundi reconciliatio, et sublimata est atque deificata. Hodie novam obedientiam suscepit Filius a Patre, de nostra peragenda salute. Hodie a summo cœlo egrediens [1], *exultavit ut gigas ad currendum viam*, et se reclusit in horto uteri virginalis. Hodie etiam factus est unus ex nobis, et frater noster, et cœpit peregrinari nobiscum. Hodie de cœlo lux vera descendit, ad tollendas et fugandas nostras tenebras. Hodie panis vivus qui dat vitam mundo, decoquitur in virginalis uteri clibano. Hodie [2] *Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis.* Hodie clamores et desideria patriarcharum et prophetarum exaudita sunt et impleta. Clamabant desiderio inenarrabili et dicebant [3] : *Emitte agnum, Domine*, etc. Et iterum [4] : *Rorate, cœli, desuper.* Et iterum [5] : *Utinam dirumperes cœlos et descenderes.* Et iterum [6] : *Domine, inclina cœlos tuos et descende.* Et iterum [7] : *Domine, ostende nobis faciem tuam*, etc. Et talia multa, de quibus tota Scriptura est plena. Nam hodiernam diem vehementissime expectabant. Hodie est principium et fundamentum omnium solemnitatum, et initium totius nostri boni. Nam usque nunc indignatus est Dominus contra genus humanum, propter transgressionem primorum parentum ; sed amodo videns Filium hominem factum, non ulterius irascetur. Hodie dicitur [8] esse *temporis plenitudo.* Vides admirabile opus, et quam solemnissimum factum sit istud : totum est delectabile, totum jucundum, totum desiderabile, et cum omni devotione suscipiendum, in jubilatione, lætitia et exultatione ducendum, et omni veneratione dignissimum. In his ergo meditare, in his delectare, et jucundaberis, et forte ostendet tibi Dominus ampliora, etc.

CAPUT V.

Quomodo beata Virgo visitavit Elisabeth, et quomodo Magnificat et Benedictus facta fuerunt.

Post hæc recogitans Domina verba Angeli, quæ dixit de consobrina sua Elisabeth, eam visitare proponit ad congratulandum eidem, ac etiam serviendum. Ivit ergo una cum Joseph sponso suo a Nazareth ad domum ipsius, quæ distabat a Hierusalem per quatuordecim vel quindecim milliaria, vel circa. Non ergo retardatur asperitate, vel longinquitate viæ, sed [9] cum festinatione ivit, quia nolebat diu in publico videri. Et sic non erat ex conceptu filii aggravata, ut aliis mulieribus contingit. Non enim fuit Dominus Jesus onerosus matri. Conspice ergo hic quomodo vadit sola cum sponso suo Regina cœli et terræ; et non eques, sed pedes; non ducit frequentiam militum vel baronum, non camerariarum et domicellarum comitivam. Vadunt autem cum ea paupertas, humilitas et verecundia, omniumque virtutum honestas. Est et Dominus secum, magnam et honorabilem comitivam habens, sed non sæculi vanam et pomposam. Cum autem intravit domum, *salutavit Elisabeth*, dicens : Salve, soror mea, Elisabeth. Illa vero exultans et tota exhilarata, et accensa Spiritu sancto surgit, et amplexatur eam tenerrime, et clamans præ gaudio, dixit : *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* etc. Cum enim Virgo salutavit Elisabeth, repletus est in utero Joannes Spiritu sancto, repleta est etiam et mater : nec prius repletur mater quam filius, sed filius repletus replet et matrem, non quidem in anima matris aliquid efficiendo, sed per Spiritum sanctum aliquid in ea fieri promerendo, eo quod in ipso Spiritus sancti gratia affluentior refulgebat, et prior gratiam sensit. Et sicut illa Mariam, sic ille adventum Domini sensit. Et ideo *exultavit*, et illa prophetice locuta est. Vide quanta virtus sit in verbis Dominæ, quia ad eorum pronunciationem confertur Spiritus sanctus. Sic enim abundanter ipsa erat plena, quod ejus meritis ipse Spiritus sanctus etiam alios replebat. Respondit autem Maria ad Elisabeth, dicens : *Magnificat anima mea Dominum*, etc., totum ibidem complens canticum jucunditatis et laudis. Deinde se ad sedendum ponentes, Domina humillima ad inferiorem locum se ponit ad pedes Elisabeth : sed illa incontinenti exurgens, et hoc non patiens, erexit eam, et pariter consederunt. Quærit autem Domina de modo suæ conceptionis, et Elisabeth de modo suæ : et hæc sibi invicem narrant lætanter, et laudant Deum de utraque conceptione, et in gratiarum actione consistunt, et agunt dies lætitiæ. Et stetit ibidem Domina quasi mensibus tribus, ministrans et serviens ei

Quar sit ir verbi B. M riæ vi tus.

[1] *Psal.* XVIII, 6. — [2] *Joan.*, I, 14. — [3] *Isa.*, XVI, 1. — [4] *Isa.*, XLV, 8. — [5] *Isa.*, LXIV, 1. — [6] *Psal.* CXLIII, 5. — [7] *Psal.* LXXIX, 4. — [8] *Gal.*, IV, 4. — [9] *Luc.*, I, 39 et seq.

in omnibus quæ poterat humiliter, reverenter, et devote, quasi oblita se matrem Dei esse, et totius mundi reginam. O qualis domus, qualis camera, qualis lectus, in qua et quo pariter commorantur et requiescunt tales matres talibus filiis fœcundatæ, Maria et Elisabeth, Jesus et Joannes. Sunt et ibi magnifici senes, scilicet Zacharias et Joseph. Adveniente ergo tempore suo peperit Elisabeth filium, quem Domina levavit a terra, et diligenter aptavit, ut expediens erat. Parvulus autem ipsam quasi intelligens aspiciebat, et cum eum matri porrigere vellet, caput ad eam vertebat, et in ea solum delectabatur, et ipsa lætanter colludebat eidem, et osculabatur jucunde. Considera magnificentiam Joannis. Nullus unquam talem bajulam habuit. Multa alia magna privilegia reperiuntur de ipso, quibus non insisto ad præsens. Die autem octavo circumcisus est puer, et vocatus est Joannes. Et tunc apertum est os Zachariæ, et prophetavit, dicens : *Benedictus Dominus Deus Israel*, etc. Et sic in domo illa hæc duo cantica pulcherrima, scilicet *Magnificat* et *Benedictus*, facta fuerunt. Domina vero stans post aliquam cortinam, ne videretur ab hominibus qui convenerant ad circumcisionem Joannis, auscultabat attente ad canticum illud, in quo de filio suo fiebat mentio, et omnia conferebat in corde suo sapientissime. Tandem valefaciens Elisabeth et Zachariæ, ac benedicens Joanni, redit ad domum suæ habitationis in Nazareth. In qua reversione paupertatem ejus ad mentem (*a*) revoca. Redit enim ad domum, in qua nec panem, nec vinum, nec alia necessaria est inventura. Sed nec possessiones habebat, nec pecuniam. Stetit his tribus mensibus apud illos forte opulentos : nunc autem redit ad paupertatem suam, et ut propriis manibus laborando victum procuret. Compatere sibi, et in amorem paupertatis accendere.

S. Joannis Baptistæ privilegium.

CAPUT VI.

Quomodo Joseph voluit dimittere Mariam, et quomodo Deus permittit suos tribulari.

Cum autem simul habitarent Domina et sponsus ejus Joseph, et crescente Jesu in utero matris perpendens Joseph ipsam gravidam esse, doluit ultra modum. Attende hic bene, quia multa pulchra discere poteris. Si dubitas quare Dominus voluit matrem suam habere virum, cum semper vellet eam virginem esse; respondetur : Propter tria, ut scilicet ne gravida infamaretur, ut viri ministerio et societate frueretur, et diabolo partus Filii Dei occultaretur. Conspiciebat ergo Joseph conjugem suam semel et pluries, et dolebat et turbabatur, et eidem vultum ostendebat turbatum, et oculos avertebat ab ea tanquam a mala, suspicans eam ex adulterio concepisse. Vides quomodo Deus permittit suos tribulationibus vexari, et tentari ad ipsorum coronam. Cogitabat autem eam occulte dimittere. Vere de hoc dici potest, quod ejus laus est in Evangelio. Dicitur enim ibi, quod erat [1] *vir justus*, magnæ namque virtutis erat. Cum enim communiter dicatur, quod quasi summæ verecundiæ, doloris et furoris sit viro adulterium uxoris, tamen ipse virtuose se temperabat, et accusare nolebat, patienter hanc magnam pertransibat injuriam; non se vindicans, sed pietate victus, credere volens, occulte volebat eam dimittere. Sed nec Domina pertransivit absque tribulatione; perpendebat enim et videbat eum turbatum, et de hoc etiam ipsa turbabatur. Humiliter tamen tacebat et occultabat donum Dei. Potius volebat reputari vilis, quam ipsum sacramentum Dei propalare, et de se aliquid loqui, quod ad jactantiam putaretur pertinere. Rogabat autem Dominum, ut ipse remedium apponere dignaretur, et hanc sibi et viro suo tribulationem auferret. Vides quam magna tribulatio et anxietas erat eis; sed Dominus providit utrique. Misit ergo angelum suum, qui dixit Joseph in somnis, quod uxor ejus de Spiritu sancto conceperat, et ut confidenter et gaudenter staret cum ea. Unde, tribulatione cessante, redit consolatio magna. Sic et nobis contingeret, si in tribulationibus patientiam habere sciremus : nam Deus post tempestatem tranquillum facit. Nec dubitare debes, quia non permittit eas ad suos venire, nisi pro utilitate eorum. Quæsivit Joseph de hac conceptione mirifica, quæ ei Domina diligenter narravit. Remanet ergo et stat Joseph gaudens cum sua conjuge benedicta. Et ultra quam dici possit, eam casto diligit amore, et curam ipsius fideliter gerit, et Domina cum eo confidenter moratur, et in sua paupertate lætanter vivunt. Stat ergo Dominus Jesus reclusus in utero usque

[1] *Matth.*, 1, 19 et seq.

(*a*) *Cæt. edit.* ad invicem.

ad menses novem, more aliorum. Stat benigne ac patienter sustinet, et expectat tempus debitum. Compatere sibi, quod ad tantam humilitatis profunditatem devenit. Multum ergo deberemus hanc affectare virtutem : nec unquam deberemus ad elationem, vel ad nostri reputationem tumescere, quando tantum se inclinavit Dominus majestatis. Et de hoc secundo beneficio hujus tam prolixæ pro nobis reclusionis, nunquam ei digne possemus satisfacere. Sed saltem corde hoc cognoscamus, et gratias eidem toto affectu agamus, quod nos ex aliis assumere dignatus est, ut vel hoc modicum rependamus eidem, ut reclusi stemus ad servitium suum. Ipsius quippe beneficium est hoc, non nostrum meritum, et quidem permaximum, multumque acceptabile ac venerabile est. Non enim ad pœnam, sed ad tutelam reclusi sumus, et in arce religionum tutissima collocati, ad quam hujus nequissimim undi venenosæ sagittæ, vel tumultuosi maris procellæ, nisi nostra temeritate, attingere non poterunt. Conemur ergo toto posse, mente reclusa et abstracta ab omnibus caducis, eidem cordis puritate vacare, quia corporalis reclusio nihil aut parum sine mentali prodest. Eidem etiam Domino Jesu in hoc compatere, quod est in continua afflictione, et fuit a suæ conceptionis primordio usque ad mortem, ex eo, scilicet quod Patrem, quem summe diligebat, cognoscebat propter idola relinqui a peccatoribus, et inhonorari, et ex compassione, quam habebat ad animas ad imaginem suam creatas, quas cernebat miserabiliter, quasi universaliter damnati, et erat sibi major pœna, quam fuerit passio corporalis. Nam propter hanc tollendam sustinuit illam. Vides quam pulchra fercula hic tibi propinata sunt : si vis eorum sentire dulcedinem, ea rumina diligenter, et sæpe.

SECUNDA FERIA

CAPUT VII.

De Nativitate Christi, et aliis.

Adveniente autem novem mensium termino[1], *exiit edictum* ab imperatore, *ut describeretur universus orbis*, scilicet quilibet in civitate sua. Cumque Joseph ire vellet in civitatem suam, scilicet Bethleem, et sciret instare tempus partus suæ conjugis, duxit eam secum. Vadit ergo iterum Domina hoc longo itinere. Nam Bethleem est prope Hierusalem per quinque vel sex milliaria. Ducunt autem secum bovem et asinum, et vadunt sicut pauperes mercatores bestiarum. Cum autem fuerunt in Bethleem, quia pauperes erant, nam multi concurrerant pro eadem causa, hospitium invenire non potuerunt. Compatere hic Dominæ, et conspice ipsam delicatam et juvenem, quindecim enim erat annorum, ex longo itinere fatigatam, et cum verecundia inter gentes conversantem, quærentem ut quiescat, et non invenit : omnes licentiant eam et socium ejus, et sic coguntur divertere ad quamdam viam coopertam, ubi homines tempore pluviæ divertebant. Ibidem Joseph, qui erat magister lignarius, forte aliqualiter se clausit. Nunc autem diligentissime inspice omnia, maxime quia referre intendo quæ ab ipsa Domina revelata et ostensa fuerunt, prout a quodam sancto nostri ordinis fide digno habui, cui puto revelata fuisse.

Cumque venisset hora partus, scilicet in media nocte dominicæ diei, surgens virgo appodiavit ad quamdam columnam, quæ ibi erat; Joseph vero sedebat mœstus, ex eo forte quod non poterat quæ decebant parare. Surgens ergo et accipiens de fœno præsepis, projecit ad pedes Dominæ, et vertit se in aliam partem : tunc Filius Dei æterni exiens de matris utero, sine aliqua molestia vel læsione, in momento, sicut erat in utero, sic fuit extra uterum super fœnum ad pedes matris suæ. Et mater incontinenti se inclinans, recolligens eum et dulciter amplexans, posuit in gremio suo et ubere de cœlo pleno, et Spiritu sancto edocta, cœpit lavare sive linire ipsum per totum cum lacte suo : quo facto involvit eum in velo capitis sui, et posuit eum in præsepio. Et nunc bos et asinus flexis genibus posuerunt ora super præsepium, flantes per nares ac si ratione utentes cognoscerent, quod puer sic pauperrime contectus, calefactione, tempore tanti frigoris, indigebat. Mater vero flexis genibus adoravit, et gratias agens Deo, dixit : Gratias tibi ago, Domine sancte Pater, qui filium tuum mihi dedisti, et adoro te, Deus æterne, et te filium Dei vivi et meum. Joseph autem similiter adoravit eum, et accipiens sellam asini, et extrahens de ea cussinellum de lana sive bora, posuit juxta præsepe, ut Domina super eo sederet. Ipsa ergo se posuit ibi ad sedendum, et sellam posuit sub-

[1] *Luc.*, II, 1 et seq.

tus cubitum, et sic stabat Domina mundi, tenens vultum suum super præsepe, innixa oculis et toto affectu super dilectissimum filium suum. Hucusque de revelatione.

His ergo sic ostensis, disparuit Domina, et remansit Angelus, et dixit eidem laudes magnas, quas etiam ille mihi dixit, sed nec discendi, nec scribendi aptitudinem habui. Vidisti ortum sacratissimi principis; vidisti simul et partum reginæ cœlestis, et in utroque arctissimam paupertatem potuisti conspicere multis necessariis indigere. Hanc virtutem altissimam Dominus reinvenit. Hæc est illa evangelica margarita [1], pro qua emenda omnia sunt vendenda. Hæc est totius spiritualis ædificii proprium fundamentum : nam cum sarcina temporalium rerum spiritus ad Deum non potest ascendere. De qua dicebat beatus Franciscus : « Paupertatem, fratres, noveritis esse spiritualem viam salutis, tanquam humilitatis fomentum, et perfectionis radicem, cujus est fructus multiplex, sed occultus. » Magna ergo nobis est verecundia, quod eam non amplectamur toto posse, sed oneramur superfluis, quando mundi Dominus, et Domina mater ejus eam sic strictissime et studiosissime servaverunt. De qua sic dicit Bernardus [2] : « Abundabat in terris hæc species, et nesciebat homo pretium ejus. Hanc itaque Dei Filius concupiscens descendit, ut eam eligat sibi, et nobis quoque sua æstimatione faciat pretiosam. Adorna thalamum, scilicet (*a*) humilitate et paupertate. In his complacet sibi pannis, et Maria testimonium perhibente, his sericis delectatur involvi : et abominationes Ægyptiorum immola Deo tuo. » Hucusque Bernardus. Idem in sermone Nativitatis, qui incipit : *Benedictus Deus, et pater* [3] : « Denique populum suum consolatur. Vis nosse populum ejus? *Tibi derelictus est pauper* [4], ait homo secundum cor Dei. Sed et ipse in Evangelio : *Væ vobis*, inquit [5], *divitibus, qui habetis hic consolationem vestram.* Quid enim consoletur eos, qui suam habent consolationem? Non consolatur Christi infantia garrulos : non consolantur Christi lacrymæ cachinnantes : non consolantur panni ejus ambulantes in stolis : non consolantur stabulum et præsepe amantes primas cathedras in synagogis. Vigilantibus pastoribus annuntiatur gaudium lucis, et eis natus dicitur esse Salvator : pauperibus atque laborantibus; non vobis divitibus, qui vestram habetis consolationem, et vestrum dominium (*b*). » Hucusque Bernardus. Potuistis etiam attendere in utroque profundissimam humilitatem in hac ipsa nativitate; non enim sunt stabulum dedignati, non bestias, non fœnum, et cætera vilia. Hanc virtutem in omnibus actibus, tam Dominus, quam Domina perfectissime servaverunt, et nobis commendaverunt. Nitamur ergo omni, quo possumus, studio ipsam amplecti, quia sine ipsa non est salus; nulla enim operatio nostra cum superbia Deo placere potest. Nam secundum beatum Augustinum [6] : « Superbia fecit angelos dæmones; humilitas facit homines angelis similes. » Et Bernardus [7] : « Qualem putas necesse est hominem inveniri (*c*), qui repudiati locum angeli sortiatur? Semel turbavit superbia regnum illud, concussit muros, etiam prostravit ex parte, et parte non modica. Quid ergo? Numquid non odit civitas illa, et vehementer hujusmodi pestem abominatur? Certi estote, fratres, eum qui superbis non pepercit angelis, nec hominibus parciturum. Non est contrarius sibi ipsi. » Hucusque Bernardus. Potuistis etiam attendere in utroque, maxime in puero Jesu, non parvam cordis afflictionem, de qua sic dicit Bernardus [8] : « Nasciturus itaque Dei Filius, cujus in arbitrio erat quodcumque vellet eligere tempus, eligit quod molestius est præsertim parvulo, et pauperis matris filio, quæ vix pannos haberet ad involvendum, præsepe ad reclinandum. Et cum tanta esset necessitas, nullam audio pellium fieri mentionem. » Et infra : « Christus utique, qui non fallitur, elegit quod carni molestius est. Id ergo melius, id utilius, id potius eligendum : et quisquis aliud doceat vel suadeat, ab eo tanquam a seductore cavendum. » Et infra [9] : « Et tamen, fratres, ipse es promissus olim per Isaiam [10] *parvulus, sciens reprobare malum, et eligere bonum.* Malum ergo voluptas corporis; bonum vero afflictio est : siquidem et hanc eligit (*d*), et illam reprobat Puer sapiens, Verbum infans. » Hucusque Bernardus. *Vade, et tu fac similiter* [11], discrete tamen,

Paupertas.

[1] *Matth.*, XIII, 46. — [2] Bern., *in Vigil. Nativ. Dom.*, serm. I, n. 5. — [3] Ibid., *in Nativ. Dom.*, serm. V, n. 5. — [4] *Psal.* X, 14. — [5] *Luc.*, VI, 24. — [6] Imo auctorem lib. *de Salut. Docum.*, c. XVIII, inter Oper. August., Append., tom. VI. — [7] Bern., pro Dominic. I Nov. *de verb. Isa.*, *Vidi Dom.*, serm. II, n. 3 — [8] Id., *de Nativ. Dom.*, serm. III, n. 1. — [9] Ibid., II, 2. — [10] *Isa.*, VII, 15. — [11] *Luc.*, X, 37.

(*a*) *Leg.* thalamum tuum, Sion, sed. — (*b*) *Al.* et væ divinum. — (*c*) *Cæt. edit.* invenire. — (*d*) *Item* elegit.

ut non excedas posse tuum. Et de his virtutibus alias poterit dici; redeamus ad domum nativitatis.

Nato itaque Domino, angelorum multitudo ibi existens suum Deum adoraverunt, et confestim ad pastores iverunt, qui erant ibi prope forte per milliare, nuntiantes eis ipsam nativitatem et etiam locum. Exinde ascenderunt in cœlum cum canticis et jubilis, concivibus suis ea similiter nuntiantes. Tota igitur superna curia exhilarata, magnoque facto festo et laudibus, et gratiarum actionibus Deo Patri exhibitis, venerunt omnes, quotquot ibi erant, successive per ordines suos videre faciem Domini Dei sui, et adorantes eum cum omni reverentia, et etiam matrem ejus, laudem eidem et cantica personabant. Quis enim eorum, auditis novis, remansisset in cœlo, quin visitasset Dominum suum sic humiliter constitutum in terra? In nullo eorum hæc superbia cadere potuisset. Et ideo dicit Apostolus [1] : *Et cum introducit primogenitum in orbem terrarum, dicit : Et adorent eum omnes angeli Dei.* Hæc meditari de angelis jucundum puto, qualitercumque se habuerit veritas. Veneruntque pastores et adoraverunt eum, referentes quæ audierant (*a*) ab angelis. Mater vero prudentissima, omnia quæ de ipso dicebantur, conservabat in corde suo; illi autem gaudentes abierunt. Genu flecte et tu, qui tantum distulisti, et adora Dominum Deum tuum, et postea matrem ejus, et reverenter saluta sanctum senem Joseph. Deinde osculeris pedes pueri Jesu jacentis in lecto, et roga Dominam, ut eum tibi porrigat vel permittat accipere. Accipias eum inter brachia tua, retine, et intuearis faciem ejus diligenter, ac reverenter deosculare, et delectare in eo confidenter. Hoc facere potes, quia ipse ad peccatores venit pro eorum salute, et cum eis humiliter conversatus, et tandem se ipsis dimisit in cibum. Unde benignitas sua patienter se tangi pro tuo velle permittet, nec imputabit præsumptioni, sed amori. Semper tamen cum reverentia et timore hæc facias, quia ipse sanctus sanctorum est. Postea redde ipsum matri : et conspice diligenter, quam studiose et sapienter gubernat (*b*) eum, lactat, ac cætera ei facit obsequia. Ita et tu adjuva eam, si potes; in his delectare, jucundare, ac sedulo meditari memento, et quantum potes famuleris Dominæ et puero Jesu, et intuearis faciem ejus sæpe, in quam desiderant angeli prospicere. Semper tamen, ut dixi, *cum reverentia et timore* [2], ne patiaris repulsam; reputare enim te debes indignam talium conversatione.

Meditari debes etiam cum gaudio, quanta sit hodierna solemnitas. Hodie namque natus est Christus, et sic vere est dies natalis Regis æterni, et Filii Dei vivi. Hodie [3] *filius datus est nobis, et puer natus est nobis.* Hodie sol justitiæ, qui erat in nubilo, clare refulsit. Hodie Spiritus sanctus, Ecclesiæ electorum caput, processit de thalamo suo. Hodie desideratam faciem ostendit, *forma speciosus* [4] *præ filiis hominum.* Hodie factus est ille hymnus angelicus : *Gloria in excelsis Deo.* Hodie *pax hominibus* est annuntiata, ut in eodem hymno continetur. Hodie, etiam cantat Ecclesia [5], *per totum mundum melliflui facti sunt cœli, et in terra canunt Angeli.* Hodie primitus [6] *apparuit benignitas et humanitas Salvatoris Dei nostri.* Hodie adoratus est Deus in similitudine carnis peccati. Hodie illa duo miracula contigerunt, quæ superant omnem intellectum, et sola fides apprehendere potest, scilicet quod Deus nascitur, et Virgo parit. Hodie aliorum miraculorum claruit multitudo. Denique omnia, quæ dicta sunt de incarnatione, quasi hic clarius elucescunt : ibi inchoata, hic manifestata. Unde nunc illa, et istis meditationibus ista conjuge. Merito ergo est dies illa jubilationis, et gaudii, et lætitiæ magnæ nimis. Nam Romæ de quadam taberna dicta emeritoria (quia milites ibi spatiando, et emendo necessaria, ea quæ stipendiis suis meruerant, expendebant) fons olei largissimi emanavit de terra, et per totum diem largissimo rivo fluxit. Et circulus ad modum cœlestis arcus circa solem in toto orbe apparuit. Et Romæ statua aurea, quam Romulus in suo palatio posuerat, quæ prophetabatur non cadere donec virgo pareret, statim ut Christus natus est, corruit. In quo loco Calixtus Papa Ecclesiam Sanctæ Mariæ, quæ nunc dicitur trans Tiberim, constituit.

CAPUT VIII.

De Circumcisione et fletu Domini.

Octavo autem die circumcisus est puer. Duo autem magna hodie facta sunt : unum, quia

[1] *Hebr.*, I, 6. — [2] *Hebr.*, XII, 28. — [3] *Isa.*, IX, 6. — [4] *Psal.* XLIV, 3. — [5] *In Nativ. Dom.*, Noct. 1, resp. 2, et in Vesp. 2, *ad Magnif.*, antiph. — [6] *Tit.*, III, 4.

(*a*) *Cal. edit.* audierunt. — (*b*) *Item* gubernabat.

manifestatum est nomen salutis, quod ab æterno sibi impositum erat, et ab Angelo vocatum priusquam in utero conciperetur, hodie fuit declaratum et nominatum [1] : *Et vocaverunt nomen ejus Jesum.* Jesus autem dicitur Salvator, quod est [2] *nomen super omne nomen.* [3] *Nec est enim*, ut apostolus Petrus ait, *aliud nomen sub cœlo, in quo nos oporteat salvos fieri.* Secundum quod hodie factum fuit, quia incœpit Dominus Jesus suum sacratissimum sanguinem pro nobis effundere. Tempestive enim cœpit pro nobis pati; qui peccatum non fecit, pro nobis pœnam hodie portare incœpit. Compatere tu ei, et plora cum illo, quia hodie fortiter ploravit. Nam in solemnitatibus multum gaudere debemus propter nostram salutem; sed multum compati et dolere propter suas angustias et dolores. Audistis in nativitate quantam afflictionem habuit et penuriam; et inter alia hoc etiam fuit, quod quando mater posuit eum in præsepio, ad caput ejus potuit quemdam lapidem interposito forte fœno, ut habui a fratre nostro qui vidit, et adhuc ille lapis apparet ad memoriam ibidem muratus. Credas quod libentius posuisset pulvinar, si habuisset; sed cum aliud non haberet quod poneret, cum cordis amaritudine posuit illum lapidem. Audis et hodie, quia sanguinem suum fudit. Fuit enim caro ipsius cum cultello lapideo incisa. Nonne ergo compatiendum est ei? Ita: sic certe et matri. Ploravit ergo puer Jesus hodie, propter dolorem quem sensit in carne sua : nam veram carnem et passibilem habuit, sicut cæteri homines. Sed eo plorante, credisne quod mater potuerit lacrymas continere? Ploravit ergo et ipsa, quam plorantem Filius stans in gremio ejus aspiciens, parvulam manum suam ad os, et vultum ejus ponebat, quasi nutu rogans eamdem, ne ploraret: quam enim tenerrime diligebat, a ploratu cessare volebat. Similiter et mater, cujus viscera totaliter commovebantur in dolore et lacrymis filii, et nutu et verbis consolabatur eum. Intelligebat enim tanquam prudentissima voluntatem ejus, quamvis nondum loqueretur. Et dicebat : Fili, si vis me a ploratu cessare, cessa et tu. Non enim possum, te plorante, non plorare. Et tunc ex compassione matris, filius a singultibus desistebat. Mater vero et ipsius, et suos oculos tergebat, et vultum vultui applicabat : lactabat eum, et omnibus quibus poterat modis consolabatur. Et sic faciebat quoties plorabat : quod forte sæpe puerorum more faciebat, ad ostendendum miseriam naturæ humanæ, quam vere assumpserat, et ad occultandum se, ne a diabolo cognosceretur. Cantat namque de ipso Ecclesia [4] : *Vagit infans inter arcta*, etc. Hodierno autem tempore cessat circumcisio corporalis, et habemus baptismum, qui est majoris gratiæ et minoris pœnæ. Sed debemus habere circumcisionem spiritualem, et omnia superflua rejicere, hoc est quod paupertatem commendat : nam verus pauper est vere spiritualiter circumcisus. Et hanc secundum Bernardum [5] paucis verbis tradit Apostolus, dicens [6] : *Habentes victum et vestitum, his contentisimus.* Spiritualis etiam circumcisio debet esse in omnibus sensibus corporis nostri; videndo, audiendo, gustando, tangendo parcitate (*a*) utamur, et maxime in loquendo.

Loquacitas, vitium pessimum.

Loquacitas est vitium pessimum, et Deo et hominibus odiosum, et displicibile; unde debemus esse circumcisi lingua, id est pauca et utilia loqui. Signum levitatis est multum loqui : unde silentium est virtuosa res, et non sine causa in religionibus ordinatum. Et circa hanc materiam, sic dicit Beatus Gregorius [7] : « Ille loqui veraciter novit, qui prius bene tacere didicerit : quasi enim quoddam nutrimentum Verbi, est censura silentii. » Idem alibi [8] : « Qui in (*b*) sensu leves sunt, et in locutione præcipites erunt : quia quod levis conscientia concipit, levius (*c*) protinus lingua promit (*d*). » De hoc etiam dicit Bernardus sermone de Epiphania, qui incipit, *In operibus Domini* [9] : « Jam vero de lingua quis nesciat, quam multum inquinaverit nos, per vaniloquia et mendacia, per detractiones et adulationes, per verba malitiæ sive jactantiæ? Pro his omnibus necessaria est hydria quinta, silentium scilicet, custos religionis, in quo est fortitudo nostra. » Idem alibi [10] : « Otiositas mater nugarum est, et noverca virtutum. Inter sæculares (*e*) nugæ sunt, in ore sacerdotum blasphemiæ. Sed et si nugæ incidunt, interdum ferendæ fortasse sunt; sed

[1] *Luc.*, II, 21. — [2] *Philp.*, II, 9. — [3] *Act.*, IV, 12. — [4] In Dominic. Pass., ad matut. Hymn. — [5] Bern., *in Circumc. Dom.*, serm. I, n. 4. — [6] I *Tim.*, VI, 8. — [7] Greg., *in Ezech.*, hom. XI, n. 3. — [8] Id., *Moral.*, lib. V, c. XI, al. XIII, n. 30. — [9] Bern., in Dom. I, post octav. Epiph., serm. II, n. 7. — [10] Id., *de Consid.*, lib. II, c. XIII, statim a princ.

(*a*) *Cæt. edit.* paucitate. — (*b*) *Cæt. edit. deest* in. — (*c*) *Al.* levior. — (*d*) prodit. — (*e*) *Add.* nugæ.

referendæ nunquam. Consecrasti enim os Evangelio : illicitum jam talibus aperire illud. »

CAPUT IX.

De Epiphania, sive apparitione Domini.

Die autem tertiodecimo puer Jesus manifestavit se gentibus, id est Magis, qui gentiles erant. Attende circa diem istum, quia vix invenies aliquod festum sic ab Ecclesia solemnizatum et multiplicatum in antiphonis, responsoriis, et sermonibus, et aliis, quæ ad solemnitatem pertinent, sicut illud : non quod sit majus omnibus aliis, sed quia multa et magna tali die facta sunt per Dominum Jesum, et maxime circa ipsam Ecclesiam.

Primum est, quia hodie ipsa Ecclesia recepta est ab eo in persona Magorum : quia Ecclesia ex gentibus congregata est. Nam die natalis sui apparuit Judæis in persona pastorum, qui Judæi non receperunt verbum Dei, nisi pauci (*a*) ex ipsis : hodie vero apparuit gentibus, et hæc est Ecclesia electorum. Unde festum hodiernum est proprie festum Ecclesiæ, et fidelium christianorum.

Secundum, quia Ecclesia est hodie desponsata ab eo, et eidem vere conjuncta per baptismum, quem tali die suscepit, scilicet revoluto vigesimo nono anno. Et ideo lætanter cantatur [1] : *Hodie cœlesti sponso juncta est Ecclesia*, etc. Nam in baptismo desponsantur animæ Christo, qui a suo baptismo sumpsit virtutem, et animarum baptizatarum congregatio vocatur Ecclesia.

Tertium, quia tali die, scilicet revoluto anno post baptismum, fecit primum miraculum ad nuptias : quod etiam ad Ecclesiam et spirituales nuptias potest adaptari. Videtur etiam postea fecisse tali die miraculum de multiplicatione panum et piscium : sed prima tria Ecclesia hodie repræsentat, illud autem non. Vides ergo quam venerabilis est dies illa, quam Dominus elegit ad tot magnifica et mirifica. Considerans ergo Ecclesia tot magna beneficia, hodie sibi a suo sponso exhibita, grata existere volens, exultat, jucundatur et jubilat, et hunc diem magnifice solemnizat.

Dicamus ergo de primo, quia de aliis sermo erit secundum ordinem vitæ ipsius Christi. Sed de primo opere, scilicet de Magorum adventu ad Christum, non est intentionis meæ narrare moralitates et expositiones, quæ sic diligenter per sanctos traditæ sunt. Qualiter ergo venerunt Magi ab Oriente Hierosolymam, et quid inter eos et Herodem actum sit, et de ductu stellæ, et quare talem oblationem fecerunt, et de aliis hujusmodi, legas textum Evangelii, et sanctorum expositiones, et invenies. Ego enim in hoc et in aliis vitæ Christi actibus intendo, ut in principio tibi dixi, aliquas meditationes tangere, secundum quasdam imaginarias repræsentationes, quas anima diversimode percipere potest, secundum quod gesta fuerunt per ipsum, vel sicut fuisse credi possunt. De expositionibus autem, raro intromittere me cogitavi : tum quia ad hoc insufficiens sum, tum etiam quia nimis esset longa materia. In præsenti ergo negotio sis præsens, et conspice bene singula, quia, ut alias tibi dixi, in hoc est tota vis harum meditationum.

Venerunt ergo isti tres reges cum multitudine magna et honorabili comitiva, et sunt ante illud tugurium in quo natus est Dominus Jesus. Domina sentit strepitum et tumultum, et accipit puerum. Intrant illi domunculam, et genuflectunt, et adorant Dominum puerum Jesum reverenter. Honorant eum ut Regem, et adorant ut Dominum. Vide quam magna fuit eorum fides. Quid enim erat credere, quod ille puerulus sic viliter indutus, cum paupercula matre inventus, et in loco sic abjecto, sine societate, sine familia, sine omni ornatu, esset rex et Deus verus? Et tamen utrumque crediderunt. Tales duces, et talia primitiva nos oportebat habere. Stant ergo genuflexi coram eo, colloquuntur cum Domina, vel per interpretem, vel per seipsos : quia sapientes erant, et forte linguam hebraicam sciebant. Quærunt ab ea de conditionibus istius pueri. Domina narrat : et illi omnia credunt. Conspice bene ipsos, quia reverenter, et curialiter loquuntur, et audiunt. Conspice et Dominam, quia cum rubore in verbis, et oculis ad terram demissis, ac cum verecundia loquitur, non delectatur loqui nec videri. Dominus tamen dedit ei vigorem in hoc magno opere : quia illi repræsentabant universam Ecclesiam futuram ex gentibus. Conspice et puerum Jesum : nondum loquitur, sed stat cum maturitate et gravitate, tanquam intelligens, et benigne, respicit illos, et isti multum delectantur in eo, tam

[1] In Epiph. Dom., *ad Magnif.*, antiph.

(*a*) *Cæt. edit*, pauca.

visu mentali tanquam intus edocti et illuminati ab eo, quam corporali, quia speciosus erat præ filiis hominum. Tandem consolatione magna recepta, offerunt eidem aurum, thus, et myrrham, aperientes thesauros suos, et ponentes aliquem pannum vel tapetum ante pedes Domini Jesu obtulerunt, scilicet quilibet illorum illa tria in maxima quantitate præcipue de auro. Alias enim pro parva oblatione non oportuisset aperiri thesauros, quia parva de levi habuissent ad manus senascalli eorum. Et tunc reverenter et devote osculati sunt pedes ejus. Quid, si tunc puer sapientissimus, ut eos magis consolaretur, et in amore suo roboraret, porrexisset etiam ad osculandum manum? Signavit etiam eos, et benedixit. Illi ergo se inclinantes et valefacientes, cum magno gaudio recesserunt, et *per aliam viam reversi sunt in regionem suam.* Quid autem de auro isto factum putas, quod erat sic magni valoris? Numquid Domina reservavit sibi, vel depositum fecit? vel numquid emit domos, agros et vineam? Absit; non curat de talibus paupertatis amatrix. Zelans ergo Domina fortiter pro paupertate, et intelligens filii voluntatem, tam intus docentis, quam foris signa ostendentis, quia vultum forte avertebat ab auro, et vilipenderat, totum infra paucos dies pauperibus erogavit. Grave enim erat sibi sarcinam tenere, vel deferre. Unde sic ista totaliter expenderat, quod quando intravit in templum, non habuit unde unum agnum emeret, quem offerret pro filio, sed emit turtures vel columbas. Unde rationabile est credere, quod magna fuit oblatio Magorum, et quod Domina zelans paupertatem, quia plena charitate, dedit eam pauperibus.

B. Virgo Maria aurum a Magis oblatum pauperibus erogavit.

Paupertas.

Vides præconium paupertatis, et in duobus hic attende. Primo, quia hodie puer Jesus eleemosynam recepit ut pauper, et etiam mater sua. Secundo, quia non solum non curabant acquirere, vel congregare; sed etiam quæ dabantur, retinere nolebant, semper in eis crescebat desiderium paupertatis. Sed numquid circa humilitatem aliquid attendisti? Si bene advertitur, etiam humilitatis cernitur profunditas. Sunt enim qui se viles et abjectos reputant in animo suo, et in oculis suis non extolluntur: sed non sic esse volunt in oculis aliorum, nec patiuntur vilipendi ab aliis, vel derideri, et suam vilitatem, vel defectus nolunt aliis innotescere, ne vilipendantur: Non sic fecit hodie puer Jesus omnium Dominus, qui et aliis suis et sua vilia patere voluit, et non parvis aut paucis, sed magnis et multis, scilicet regibus, et sociis eorum quampluribus; et in tali casu et tempore, in quo multum erat timendum. Nam cum illi venirent ut invenirent Regem Judæorum, quem etiam Deum esse putabant, dubitare poterant, ne talibus de ipso visis, reputantes se fatuos et delusos, recederent sine fide et devotione; sed non dimisit humilitatis amator, dans nobis exemplum, ne sub specie alicujus apparentis boni, recedamus ab humilitate: et quod discamus etiam in aliorum oculis viles et abjecti velle apparere.

Humilitas.

CAPUT X.

De mora Dominæ apud Præsepe.

Expeditis igitur Magis, et versus patriam suam regressis, et totis eorum oblationibus erogatis, adhuc stat Domina mundi cum puero Jesu, et nutritore suo sancto sene Joseph apud præsepe, in illo locello patienter usque ad quadragesimam diem, ac si esset quædam mulier alia de populo, et puer Jesus esset homo purus, et indigeret legis observatione.

Sed quia nolebant prærogativas singulares, legem observabant ut cæteri. Non sic faciunt multi, qui in communi congregatione degentes, sibi speciales prærogativas exigunt fieri, et ab aliis, tanquam honorabiliores, volunt in talibus discerni: sed hoc non patitur humilitas vera. Stabat ergo Domina more aliarum, dictam diem expectans ingressura in templum. Stabat vigilans et attenta super custodia dilecti filii sui. O Deus! cum quanta sollicitudine et diligentia ipsum gubernabat, ne in minimo esset dejectus. Cum quanta etiam reverentia, et cautela, et quo timore ipsum contrectabat, quem sciebat esse Deum suum et Dominum suum, flexis genibus accipiebat, et imponebat eum in cunis! Cum quanta etiam jucunditate et confidentia, et auctoritate materna, ipsum amplexabatur, osculabatur, stringebat dulciter, et delectabatur in eo, quem sciebat esse filium suum! Quam sæpe curiose intuebatur eum in vultu, et singulis partibus ejus sacratissimi corporis! quam seriose ac pudenter tenella membra fascia componebat! Sicut enim fuit humillima, sic fuit et prudentissima: unde in singulis officiis et obsequiis, vigilanti et dormienti sedule ministrabat, non solum infantulo, sed grandævo. O quam libenter eum lactabat! Vix fieri potuit,

quin magnam, etiam aliis fœminis inexpertam dulcedinem in talis filii lactatione sentiret. Sed et de sancto Joseph refert Bernardus se credere, quod et puerum Jesum super genua sua tenens, eidem frequenter arrisit.

Stante ergo Domina apud præsæpe, sta et tu cum ea juxta præsepe; et delectare frequenter cum puero Jesu, quia virtus exit ab ipso. Quælibet anima fidelis, et maxime religiosa persona, a (a) die Nativitatis Domini usque ad Purificationem, deberet saltem semel in die, apud prædictum præsepe Dominam visitare, adorare puerum Jesum et Matrem ejus affectuose, meditari de paupertate, humilitate et benignitate ipsorum.

CAPUT XI.

De Purificatione B. Virginis.

Adveniente autem quadragesima die, prout in lege statutum erat, exivit Domina cum puero Jesu, et Joseph, et iverunt de Bethleem in Hierusalem, quæ sunt quinque vel sex miliaria, *ut secundum legem*[1] *sisterent eum Domino.* Vade et tu cum eis, et juva portare puerum, et conspice attente singula, quæ dicuntur et fiunt, quæ devotissima sunt. Adducunt ergo Dominum templi, ad templum Domini. Cumque intrassent templum, emerunt[2] duos turtures, aut duos pullos columbarum, ut offerrent pro eo, sicut pro pauperibus fiebat. Et quia erant pauperrimi, credendum magis de pullis columbarum, quia et pro minori pretio inveniuntur, et ideo in lege ponuntur in ultimo loco, et Evangelista tacet de agno, qui erat oblatio divitum. *Et ecce Simeon justus in spiritu venit in templum,* ut, sicut *responsum acceperat, videret Christum Domini.* Cum autem festinanter veniens vidisset eum, statim cognovit eum prophetico spiritu, et accelerans genuflexit, et adoravit eum inter brachia matris. Puer autem benedixit eum, et aspiciens matrem, inclinavit se, ostendens se velle ad eum ire. Quod mater intelligens, quamvis admirans, porrexit eum Simeoni. Ille autem gaudenter et reverenter in ulnis suis eum recipiens, surrexit benedicens Deum, et dixit: *Nunc dimittis servum tuum, Domine,* etc. De passione ipsius prophetavit. Supervenit et ipsa prophetissa Anna, et adorans eum, similiter de ipso loquebatur. Maria vero de his admirans, *omnia conservabat in corde suo.* Deinde puer Jesus extendens brachia versus matrem, ad eam rediit; postea vadunt ad altare processionem facientes, quæ hodie repræsentatur per universum mundum. Præcedunt alacriter illi duo honorabiles senes, scilicet Joseph et Simeon, tenentes se per manus, et cum exultatione magna jubilantes, et psallentes[3]: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum,* etc. [4]*Fidelis Dominus in omnibus verbis suis,* etc. [5] *Quoniam hic est Dominus Deus noster in æternum et in sæculum sæculi, ipse reget nos in sæcula.* [6] *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.* Sequitur mater portans Regem Jesum; et Anna sociat eam, vadens ex latere, cum reverentia jubilans, et ipsa gaudio indicibili laudans Dominum. Ab istis ergo fit processio, paucis quidem, sed valde magna repræsentantibus, quia de omni genere hominum sunt inter eos de masculis et feminis, senibus et juvenibus, virginibus et viduis. Cum autem pervenerunt ad altare, mater cum reverentia genuflexit, et obtulit dilectissimum filium suum Deo patri suo, dicens: Accipite, pater excellentissime, unigenitum vestrum, quem secundum mandatum vestræ legis vobis offero, quia primogenitus matris est. Sed rogo, pater, ut eum mihi reddatis. Et surgens dimisit ipsum super altare.

O Deus! qualis est oblatio ista! nunquam a sæculo talis facta fuit, nec fiet. Respice bene singula. Stat puer Jesus sedens super altare, sicut quilibet alius puerulus; et facie matura respexit matrem, et alios, et humiliter et patienter expectat quid deinceps fieri debeat. Adducuntur sacerdotes, et redimitur Dominus omnium, tanquam servus, quinque siclis more aliorum. Siclus erat genus monetæ. Quibus a Joseph sacerdoti solutis, mater lætanter reaccepit filium. Accepit etiam de manu Joseph prædictas aves, ut eas offerat; et genuflectens, et tenens eas in manu sua, elevatis oculis et in cœlum porrectis eas obtulit, dicens: Accipite, clementissime Pater, hanc oblationem, et munusculum, et primum donum, quod parvulus vester vobis hodie de sua paupertate præsentat. Sed et puer Jesus manus suas ad aves porrigens, oculos ad cœlum levavit, et nondum loquens, gestibus una cum matre offerebat, et posuerunt

[1] *Levit.*, XII, 6. — [2] *Luc.*, II, 21 et seq. — [3] *Psal.* CXVII, 1. — [4] *Psal.* CXLIV, 13. — [5] *Psal.* XLVII, 15. — [6] Ibid., 10.

(a) *Cæt. edit. deest* a.

eas super altare. Vidisti quales sunt oblatores isti, mater et filius. Numquid potuit talis hostia, quamvis parva, repudiari? Absit; sed potius per manus angelorum fuit in suprema curia præsentata, et valde acceptata, ita quod tota curia jubilans exultavit. Postea Virgo sancta discessit de Hierusalem, et visitavit Elisabeth, volens videre Joannem, priusquam de partibus illis discederet. Vade et tu semper cum ea quocumque ierit, et adjuva portare. Cum ergo venisset ad eam, festum magnum fecerunt, et maxime de pueris suis. Sed et pueri lætabantur adinvicem, et Joannes, quasi intelligens, reverenter se habebat erga Jesum. Accipe et tu reverenter Joannem, quia hic puer magnus coram Domino, si forte benedixerit tibi. Aliquibus autem diebus ibi mora contracta, discedunt volentes ire Nazareth. Si autem in prædictis vis informari de humilitate et paupertate, considerata oblatione et redemptione, ac legis observatione, de facili potes advertere.

TERTIA FERIA.

CAPUT XII.

De fuga Domini in Ægyptum.

Cum ergo pergerent versus Nazareth, nescientes adhuc super hoc consilium Domini, et quod Herodes pararet se ad necem pueri Jesu, *Angelus Domini* [1] *apparuit Joseph in somnis, dicens ei*, ut cum puero et matre fugeret in Ægyptum, quia Herodes volebat animam pueri perdere. Joseph vero evigilans, et excitans matrem, dixit ei. Ipsa incontinenti surgens, nulla mora contracta, voluit iter arripere : concussa enim sunt ad hanc vocem viscera ejus, et circa filii sui salutem nolebat negligens inveniri. Ergo de nocte incontinenti cœperunt ire versus partes Ægypti. Conspice, et meditare prædicta, et infrascripta, et quomodo puerum Jesum dormientem elevant, et compatere ipsis, et attende hic diligenter, quia multa et bona considerare potes in præsenti negotio. Primo considera quemadmodum Dominus in sua persona suscepit aliquando prospera, aliquando adversa. Et cum simile tibi contigerit, non sis impatiens : nam juxta montem invenies vallem. Ecce enim in nativitate sua Christus magnificatus fuit pastoribus tanquam Deus; et post partum parum, circumcisus fuit tanquam peccator : deinde venientes Magi eum plurimum honoraverunt, et nihilominus ipse in stabulo remanens stabat inter bestias, et plorabat, ut cujusdam homunculi filius. Postea præsentatus erat in templo, quem multum extulerunt Simeon et Anna, et nunc ab Angelo dicitur, quod fugiat in Ægyptum. Et de multis aliis poteris in vita sua perpendere, quæ ad nostram instructionem possumus retorquere. Cum ergo consolationem habueris, tribulationem expecta, et e contra. Unde in eis nec extolli, nec frangi debemus. Dat enim Dominus consolationes ad spem sublevandam, ne deviemus; et tribulationem ad humilitatem conservandam, ut cognoscentes miseriam nostram, semper in suo stemus timore. Ad nostram ergo instructionem hæc fecisse meditemur, et etiam ut se diabolo occultaret.

Secundo considera circa Dei beneficia et consolationes, quod qui ea percipit, non debet se præferre non percipienti; et qui non percipit, non dejiciatur animo, nec habenti invideat. Hoc dico, quia angelorum locutiones fiebant Joseph, et non matri, cum tamen longe ea esset inferior. Item et qui percipit, licet non percipiat suo velle, non debet esse ingratus, nec murmurare, cum etiam Joseph, qui tantus erat apud Deum, non palam, sed in somnis tales allocutiones percepit.

Tertio considera, quomodo Dominus permittit suos persecutionibus et tribulationibus vexari. Tunc enim magna erat tribulatio matri et Joseph, cum viderent puerum ad occisionem quæri. Quid enim gravius audire poterant? Et erat eis in hoc tribulatio magna : quia licet scirent eum filium Dei esse, tamen poterat sensualitas eorum turbari, et dicere : Dominus Deus omnipotens, quid opus est, quod iste tuus filius fugiat? Non potes hic eum defendere? Et etiam in hoc erat tribulatio, quod in terram longinquam oportebat eos ire, quam ignorabant, et per vias asperas, cum essent inhabiles ad eundum, Domina propter juventutem, Joseph vero propter senectutem; ipse etiam puer quem portare habebant, vix erat duorum mensium : et peregrinari habebant in terra aliena, et pauperes quasi nihil habentes. Omnia enim ista sunt afflictionis materia. Tu ergo, cum tribularis, patientiam habe, nec credas tibi ab eo privilegium dari, quod nec sibi tribuit, nec matri.

Quarto considera benignitatem. Vides enim

[1] *Matth.*, II, 13.

quomodo, et quam cito persecutionem patitur, et fugam de terra nativitatis suæ, et tam benigne cedit furori illius, quem poterat perdere in momento. Profunda est hæc humilitas, et patientia magna. Nolebat enim sibi vicem reddere, nec offendere, sed fugiendo insidias ejus vitare : sic et nos facere tenemur objurgantibus, scilicet vel reprehendentibus, vel persequentibus non resistere, vel de ipsis vindictam expetere; sed patienter eos portare, et ipsorum furori cedere, et quod plus est, pro eis orare, ut alibi Dominus in Evangelio docet. Fugiebat ergo Dominus ante faciem servi, imo potius servi diaboli. Portabat eum mater tenera et juvenis valde, et sanctus Joseph multum senex in Ægyptum per viam sylvestrem, obscuram, nemorosam, asperam et inhabitatam, per viam etiam valde longam. Dicitur, quod ad iter cursoris sunt duodecim vel quindecim diætæ : pro eis autem fuit forte iter duorum mensium, et plurium. Iverunt enim, ut dicitur, per desertum illud, per quod transierunt filii Israel, in quo steterunt quadraginta annis. Sed quomodo faciebant de victu secum portando? Ubi etiam, et quomodo de nocte quiescebant et hospitabantur? raro enim domos in illo deserto inveniebant. Compatere ergo eis, quia labor difficilis, et magnus, et longus est tam ipsis quam puero Jesu, et vade cum eis, et adjuva puerum portare, et servias in omnibus in quibus potes : non deberet videri nobis labor pro nobisipsis pœnitentiam agere, quo quibus tantus labor ab aliis, et a talibus, et toties est assumptus. De his autem quæ ipsis in deserto et per viam contigerunt, quia pauca authentica inveniuntur, referre non curo. Cum ergo Ægyptum intraverunt, omnia idola ipsius provinciæ corruerunt, sicut per Isaiam [1] fuit prophetatum. Iverunt ergo ad quamdam civitatem, quæ vocatur Heliopolis, et ibidem aliquam domunculam conducentes, habitaverunt ibidem per septem annos tanquam peregrini et advenæ, pauperes et egeni.

Meditatio pia et pulchra.

Sed hic occurrit pulchra, pia et compassiva valde meditatio. Advertas bene quæ sequuntur. Unde enim et quomodo vivebant isti tanto tempore? Numquid mendicabant? Legitur autem de Domina, quod colo et acu quærebat sibi et filio necessaria : suebat ergo et filabat mundi Domina, paupertatis amatrix. Multum per omnem modum isti paupertatem dilexerunt, et eidem perfecte usque ad mortem servaverunt fidem. Sed numquid ibat ipsa per domos petendo pannum, et alia in quibus operaretur? Oportuit enim hoc per viciniam innotescere; alias vacasset a talibus operibus, quia illæ mulieres non poterant divinare. Sed et cum Jesus cœpit esse quinquennis, vel sic, numquid et ipse portabat ambasiatas matris, petendo pro ipsa ea in quibus operari valeret? non enim habebat alium scutiferum. Sed et numquid reportabat opera facta, petens ex parte matris solutionem et pretium? Nonne in talibus erubescebat puer Jesus, filius Dei altissimi, et etiam mater ipsum mittens? Sed quid si aliquoties, dum opus reddidisset, et pretium peteret, mulier aliqua superba, rixosa et loquax, injuriose respondit, opus factum accepit, eum sine pretio expulit, et sic vacuus domum rediit? O quot et quantæ fiunt injuriæ advenis, quas Dominus vitare non venit, sed suscipere! Quid etiam si aliquando domum rediens, et famem patiens more puerorum, petiit panem, nec unde daret, habuit mater? Nonne in his et similibus totaliter concutiebantur viscera sua? Consolabatur verbis filium suum, et opere, ut poterat, procurabat, et sibi forte aliquando subtrahebat de victu, ut filio reservaret. Hæc et his similia de puero Jesu meditari potes; dedi tibi occasionem. Tu vero, sicut videbitur, extendas et prosequaris, sisque parvula cum parvulo Jesu, nec parvipendas talia humilia, et quæ puerilia videntur, meditari de ipso. Videntur enim dare devotionem, augere amorem, accendere fervorem, inducere compassionem, puritatem et simplicitatem conferre, et humilitatis et paupertatis vigorem nutrire, et conservare familiaritatem, et conformitatem facere, ac spem elevare. Nam ad sublimia ascendere non valemus, sed [2] *quod stultum Dei est, sapientius est hominibus, et quod infirmum, potentius.* Videtur etiam talium meditatio superbiam tollere, cupiditatem enervare, ac curiositatem confundere. Vides quot bona inde proveniunt? Sis ergo, ut dixi, cum parvulo parvula, et cum grandescente grandescas, semper tamen humilitate conservata; et sequaris eum quocumque ierit, et intuearis faciem ejus semper. Sed numquid in superioribus attendisti, quam laboriosa fuerit eorum paupertas, et quam verecunda? Et si ex opere manuum victum quærere oportebat, quid de vestimentis dicemus? quid de utensilibus, scilicet lectis, et aliis intra domum opportunis? Numquid duplicia habebant? numquid

Quando si utile contemplationes.

[1] *Isa.*, XIX, 1. — [2] I *Cor.*, I, 25.

superflua? numquid curiosa? Hæc contra paupertatem sunt, et ideo etiamsi habere posset, nollet ea paupertatis amatrix. Sed et numquid Domina suendo, vel alias operando, faciebat amore quorumdam opera curiosa? Absit. Faciant hæc quæ tempus perdere non curant : non enim poterat ipsa, in tanta posita egestate, tempus in vanis expendere; sed nec alias fecisset. Est enim periculosissimum vitium, et maxime temporibus nostris. Vis videre quomodo? Attende primo quomodo tempus ad laudem Domini concessum, expenditur contra ipsum in vanis; multum enim plus de tempore occupat, quam expediat, curiosum opus; et hoc malum est valde. Secundo, quia facienti est causa vanæ gloriæ. O quoties aspicit, recogitat et mente revolvit, etiam quando non operatur, et etiam quando debet divinis intendere, ut pulchrum opus faciat, et exinde se reputat, et vult reputari! Tertio, quia ei, cui facit, est causa superbiæ; tali enim oleo ignis superbiæ nutritur, et magis accenditur. Sicut enim rudia et grossa sunt humilitatis fomenta, sic ista superbiæ. Quarto, quia est materia retrahendi animam a Deo; nam, juxta beatum Gregorium[1], tanto quis a superno amore disjungitur, quanto inferius delectatur. Quinto, quia est concupiscentia oculorum de tribus unum, ad quæ omnia peccata de mundo reducuntur : ad nihilum enim talia curiosa valent, nisi ut exinde oculi vane pascantur. Quoties autem quis in talibus delectabiliter et vane oculos pascit, tam qui facit, quam qui portat et utitur, toties offendit. Sexto, quia multorum aliorum est laqueus et ruina; nam talia respicientes multis modis offendere possunt, vel malum exemplum habendo, vel delectabiliter aspiciendo, vel simile concupiscendo, vel judicando, vel murmurando, vel detrahendo. Cogita ergo quoties Deus offendi potest, antequam illa curiositas sit deleta : de omnibus autem illis ipse, qui tale opus facit, est causa. Unde etiamsi tibi dicerem, quod talia pro me faceres, vel certissime scires me talibus uti velle; tu facere non deberes, quia nulla de causa peccato consentiendum est, et ab offensa Dei est omnibus modis abstinendum. Quanto ergo magis offendis, si tuo motu ad solam complacentiam facis, volens magis placere creaturæ, quam Creatori! Hæc igitur faciunt, qui sæcularitER vivunt; talia enim sunt ornamenta mundi, blasphemia Dei. Sed qui in puritate conscientiæ vivere intendit, miror quomodo hæc facere audet, et se hac fæce fœdare. Vides quot mala ex tali curiositate proveniunt. Adhuc est aliud malum et pejus, scilicet, quod curiositas directe obviat paupertati. Et ultra omnia prædicta est etiam hoc, quod levis, et vani, et inconstantis animi est indicium. Hæc autem omnia de curiositate dixi, ut tu curiosa devites. Ab ipsis igitur tam faciendis, quam utendis, tanquam a venenoso serpente omnino abstinere curato; non tamen intelligi debet, quin aliquando liceat facere opera pulchra, et potissime in his, quæ divino cultui mancipantur; in quibus tamen omnino ordinata affectio, intentio et delectatio summopere cavenda est, et ab animo sollicite longius propellenda. De hac autem curiositate sic dicit Bernardus[2] : « Spectacula vana, rogo, quid corpori præstant; quidve animæ conferre videntur? Nam certe nihil in homine, cui curiositas prosit, invenies. Frivola prorsus et inanis, ac nugatoria consolatio : et nescio quid illi durius imprecer, nisi (a) ut semper habeat quod requirat, qui jucundæ quietis pacem fugitans, curiosa inquietudine delectatur. »

Curiositatis mala.

Sed redeamus ad Dominam in Ægyptum, a qua digressionem fecimus propter maledictum curiositatis vitium; et conspice ipsam in laboribus suis, suendo, filando, et texendo : quomodo facit ea fideliter, humiliter et sollicite; habens nihilominus diligentissimam curam super filio suo, et super gubernationem domus, nec non vigiliis et orationibus, juxta posse, est semper intenta. Tu ergo toto affectu eidem compatere, et considera, quod non habuit omnino gratis regnum Domina regni. Sed et illud forte contingebat frequenter, quod aliquæ bonæ matronæ, videntes ejus paupertatem, aliqua transmittebant eidem, quæ humiliter et cum gratiarum actione recipiebat. Sed et sanctus Joseph senex aliquid operabatur in arte lignaminis. Undique igitur occurrit compassionis materia, cum qua tandem cum aliquam moram cum ea contraxeris, pete licentiam recedendi, et benedictione recepta primo a puero Jesu, deinde a matre, postea a Joseph, genibus flexis, cum lacrymis et compassione magna vale facias eis : quia tanquam exbanniti et exules a patria sua sine aliqua causa remanent, ad peregrinandum ibidem per septem annos, in sudore sui vultus victuri.

[1] Greg., *in Evang.*, hom. XXX, n. 2. — [2] Bern., *de Convers. ad Cleric.*, c. VIII, n. 14.

(a) *Leg.* quam.

CAPUT XIII.

De reditu Domini ex Ægypto.

Completis septem annis, quibus Deus peregrinatus est in Ægypto [1], *angelus Domini apparuit Joseph in somnis dicens : Tolle puerum, et matrem ejus, et vade in terram Israel. Defuncti enim sunt, qui quærebant animam pueri. Qui accepit puerum et matrem ejus, et rediit in terram Israel. Et cum pervenit ibi, audiens quod Archelaus, filius Herodis, regnaret ibi, timuit illo ire. Et iterum admonitus ab angelo, ivit in Galilæam in civitatem Nazareth.* Fuit autem reditus ejus circa festum Epiphaniæ, scilicet secunda die, prout in martyrologio legitur.

Vides etiam hic, sicut fuit tactum in superiori tractatu, quomodo Dominus dat consolationes et revelationes per partes, et non ita plenas, ut appetitus exposceret. Quod ex duobus in hoc facto perpendere potes, tum quia in somnis, non palam, ut tibi dixi; tum etiam quia non una vice simul, sed per duas vices, ei dixit ad quem locum ire deberet. Et dicit Glossa, quod hoc fecit Dominus, quia ex frequenti visitatione quis certior redditur. Unde qualescumque sunt, nobis debent videri magnæ : et inde simus grati, quia semper ex parte sua facit, quod nobis utilius esse cognoscit.

Nunc autem circa Domini reditum insistamus : circa quem diligenter attende, quia pia est hæc meditatio valde. Redeas ergo in Ægyptum gratia visitandi puerum Jesum, quem cum extra inter pueros forte inveneris, ipse te videns occurret tibi, quia benignus, et affabilis, et curialis est. Tu vero genuflectens, osculeris pedes ejus, et post inter brachia ipsum suscipias, et aliquantulum cum eo quiescas. Tandem forte dicet tibi : Data est nobis licentia redeundi in terram nostram, et cras hinc recedere debemus. Bona hora venisti, quia redibis nobiscum. Cui alacriter respondeas, te ex hoc multum gaudere, et quod eum optas sequi quocumque ierit; et in his collocutionibus delecteris cum eo. Dixi jam tibi, quod hujusmodi, quæ puerilia videntur, meditari multum valent, et postea ad majora transmittunt. Postea ducet te ad matrem, et curialiter honorabit. Tu vero genuflectens, fac ei reverentiam, et sancto seni Joseph, et requiescas cum eis.

Mane sequenti die videbis aliquas bonas matronas de civitate, et etiam homines venientes ad sectandum eos usque extra portam civitatis, propter placabilem et sanctam conversationem ipsorum. Prædixerant enim discessum suum per viciniam per plures dies : primum quia non est conveniens, quod subito quasi furtim inde recederent; secus tamen fuit, quando venerunt in Ægyptum, quia timuerunt mortem pueri. Incipiunt enim recedere, et Joseph cum hominibus præcedit, et Domina sequitur a longe cum matronis. Tu vero accipiens puerum per manum, vade in medio ante matrem, nam ipsum post se non dimittet. Cum autem sunt extra portam, Joseph non se patitur amplius sociari. Tunc vero aliquis ex illis dives compatiens paupertati eorum, puerum vocat ut aliquos ei denarios tribuat pro expensis. Verecundatur puer accipere; tamen paupertatis amore manum parat, pecuniam accipit verecunde, et gratias agit : sic et plures fecerunt. Vocatur etiam a matronis, et similiter faciunt. Nec minus hic mater verecundatur quam filius; verumtamen humiliter gratias eis egit. Vere hic eis compati potes, cum ille cujus est terra et plenitudo ejus, pro se et matre et nutritio suo sic paupertatem arctam elegerit, et in tanta penuria vixerit (*a*). Multum in eis relucet paupertas sanctissima, et nobis amabilem et imitabilem ostendunt. Tandem gratias agentes eis, valefaciunt omnibus, et suum arripiunt iter. Sed quomodo redibit puer Jesus, adhuc tener infantulus? Difficilior enim mihi videtur reditus, quam accessus. Nam quando venit in Ægyptum, ita parvulus erat, quod portari poterat; nunc autem sic magnus est quod portari non prævalet, et sic parvus quod per se ire non potest. Sed forte aliquis ex illis bonis viris dedit vel accommodavit aliquem asellum, super quem ire posset. O puer egregie ac delicate, rex cœli et terræ, quantum laborasti pro nobis, et quam cito cœpisti! Bene Propheta in vestra prædixit persona [2] : *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea.* Penurias magnas, labores arduos, et afflictiones corporis constantissime assumpsistis, habuistis vos ipsos quasi odio pro amore nostro. Certe solus hic labor, de quo nunc tractamus, ad plenam redemptionem sufficere debuisset. Accipe ergo puerum Jesum, et pone super asellum, ac fideliter ducas eum, et, cum descendere voluerit,

[1] *Matth.*, II, 19 et seq. — [2] *Psal.* LXXXVII, 16.

(*a*) *Cæt. edit.* vixit.

lætanter eum in brachiis suscipias, et aliquantulum teneas, saltem quousque veniat mater ejus, quæ aliquantulum tardius sive planius ambulat. Tunc puer ibit ad eam, eritque matri requies magna receptio filii. Vadunt ergo et transeunt per desertum, per quod venerunt, et in ipso itinere sæpe poteris eis compati, habentes parum quietis. Et respice eos fatigatos, et ex labore devictos, tam de die quam de nocte. Cum autem fuerunt prope finem deserti, invenerunt Joannem Baptistam, qui jam ibi pœnitentiam agere cœperat, cum tamen nullum haberet peccatum. Dicitur, quod locus Jordanis, in quo Joannes baptizavit, est ille unde transierunt filii Israel, quando venerunt de Ægypto per dictum desertum, et quod prope illum locum in ipso deserto Joannes pœnitentiam fecit. Unde possibile est, quod puer Jesus inde transiens, in reditu suo invenit eum ibidem. Mediteris ergo, quomodo suscepit eos alacriter; et ibi aliquantulum subsistentes, comederunt cum eo illa cruda cibaria; tandem immensa recreatione spiritus habita, vale fecerunt ei. Tu autem et in adventu et in recessu genu flecte Joanni, deosculans pedes ejus, benedictionem petens, et ei te recommendans; excellens enim et valde mirabilis a cunabulis est puer iste. Ipse enim fuit primus eremita, et principium et via religiose vivere volentium. Fuit ergo purissimus, fuit prædicator permaximus, fuit plus quam propheta, fuit etiam martyr gloriosus. Postea transeuntes Jordanem, appulerunt ad domum Elisabeth, ubi magnum et jucundum festum factum fuit inter eos. Et ibidem audiens Joseph, quod Archelaus filius Herodis regnabat in Judæa, timuit, et admonitus in somnis ab Angelo, iverunt in Galilæam in civitatem Nazareth.

Joannis Baptistæ laus.

Ecce reduximus puerum Jesum de Ægypto, et eo reverso concurrunt sorores Dominæ, et alii consanguinei et amici ad visitandos eos. Ipsi autem in Nazareth quiescunt, et pauperem vitam ducunt. Exinde autem usque ad duodecimum ætatis annum pueri Jesu, aliquid non legitur de ipso. Dicitur tamen et verisimile est, quod adhuc ibi est fons, de quo puer Jesus deferebat aquam matri. Faciebat enim hujusmodi servitia matri humilis Dominus: non enim habebat alium servientem. Potes etiam hic meditari, quod cum matre propria, scilicet sorore Dominæ, veniebat Joannes Evangelista, qui tunc erat annorum quinque. Nam legitur de ipso, quod obiit anno a passione Domini sexagesimoseptimo, ætatis vero suæ anno nonagesimooctavo: et sic tempore passionis Domini habebat triginta et unum annos, cum Dominus haberet triginta tres, vel parum plus. Cum ergo in hoc reditu Dominus esset septem annorum, Joannes erat quinque. Intuere itaque ipsos stantes simul et conversantes, sicut Dominus dabit tibi. Hic enim fuit postea ille discipulus, quem familiarius diligebat Jesus.

Quid fecerit puer Jesus usque ad duodecimum annum.

CAPUT XIV

Quomodo Puer Jesus remansit in Hierusalem.

Cum autem [1] *esset annorum duodecim, ascendit cum parentibus in Hierusalem, secundum consuetudinem et præceptum diei festi,* et durabat per dies octo. Loborabat ergo etiam nunc puer Jesus itineribus longis, et vadit, ut honoret patrem suum cœlestem in festis suis: est enim amor summus inter patrem et filium. Sed major erat ei afflictio, et dolor cordis acerbior, de inhonoratione Patris in peccatorum multiplicium commissione, quam de honore parentis, et exterioris pompæ festi lætitia. Stabat ergo Dominus legis, observans legem, et inter alios conversans humiliter quasi quilibet alius pauperculus. *Consummatis autem diebus festis, recedentibus parentibus, ipse in Hierusalem remansit.* Attende hic bene, et omnibus, quæ dicunt et fiuntur, te præsentem exhibeas: valde enim devota materia et proficua est hæc. Dixi autem jam tibi supra [2] in principio, quod Nazareth, ubi Dominus habitabat, a Hierusalem distat quatuordecim, vel quindecim milliaribus, vel circa. Cum ergo mater et Joseph per diversas vias incedentes, venerunt in sero ad locum, ubi diæta explebatur, et ubi hospitari deberent; videns Domina Joseph sine puero, quem cum ipso rediisse credebat, quærit ab eo: Ubi est puer? Et iste: Ego nescio, non rediit mecum; tecum enim eum rediisse credebam. Tunc illa dolore vehementi concussa, cum lacrymis dixit: Non rediit mecum: video quod non bene filium meum custodivi. Et velociter cœpit ire per domos, et quam decenter potuit, illo sero circuibat, quærens de ipso, et dicens: Vidistis vos filium meum; et vos, vidistisne filium meum? et vix præ dolore et ardore desiderii se sentiebat. Joseph vero sequebatur eamdem cum fletu. Quo non invento, qualem quietem habere po-

Quam magnus fuerit dolor Mariæ et Joseph, pro puero Jesu amisso.

[1] *Luc.*, II, 42 et seq. — [2] Sup., huj. opusc. c. V, p. 506, col. 2.

terant, tu ipse cogita, et maxime mater, quæ ipsum arctius diligebat. Et licet a notis confortaretur, non tamen poterat consolari. Quid enim erat perdere Jesum? Conspice bene ipsam, et vehementer compatere, quia in angustia est anima sua: nunquam ex quo nata fuit usque tunc, fuit in tanta. Non ergo turbemur, quando tribulationes habemus, cum etiam matri non pepercit Dominus. Ad suos enim eas permittit venire, et signa sunt suæ dilectionis; nobis autem expedit eas habere. Tandem Domina in camera se recludens, ad orationem et planctum se convertit, dicens: O Deus et Pater æterne, clementissime ac benignissime, vobis placuit mihi dare filium vestrum: sed ecce perdidi eum, et nescio ubi sit; reddite eum mihi. O Pater, tollite mihi amaritudinem istam, et ostendite mihi filium meum. Respicite, Pater, afflictionem cordis mei, et non ad negligentiam meam: incaute enim me habui, sed ignorans feci. Sed propter bonitatem vestram reddite ipsum mihi, quia sine ipso vivere non possum. O fili dilectissime, ubi es? quid est de te? apud quem nunc hospitaris? Numquid ad patrem tuum rediisti in cœlum? Scio enim quod Deus es, et Dei filius: sed quomodo mihi non dixisses? sed et numquid insidiose ab aliquo es quæsitus? Scio enim quod verus homo es ex me natus, et alias te, ab Herode quæsitum, in Ægyptum portavi. Pater tuus te ab omni malo custodiat, fili mi. Indica mihi, fili mi, ubi sis, et veniam ad te, vel tu redi ad me; parce mihi hac vice, quia nunquam amplius continget mihi, ut te custodiam negligenter. Numquid aliquam offensam feci tibi, fili mi? propter quam ergo causam recessisti a me? Scio quod dolorem cordis mei cognoscis. O fili mi, ne tardes venire ad me. Nunquam ex quo natus es usque modo sine te fui, comedi, vel dormivi, nisi nunc solum. Modo autem sum sine te, et nescio qualiter hoc factum sit: tu scis quia tu es spes mea, vita mea, et omne bonum meum, et sine te esse non possum. Indica ergo mihi ubi tu es, et quomodo te valeam invenire. Talibus et similibus dictis, se mater per noctem angustiabat super dilecto filio suo. Mane vero sequenti die tempestive domum exeuntes, quærebant eum etiam per circumstantia loca: nam per plures vias patebat reditus: sicut qui de Senis vellet redire Pisas, posset ire per Podium Bonichi, et per Colle, et per alia loca. Die ergo sequenti ibant per alias vias, quærentes eum inter cognatos et notos: quo etiam tunc non invento, mater quasi sine spe anxiabatur, et non poterat consolari. Tertia vero die redeuntes in Hierusalem, invenerunt eum in templo sedentem in medio doctorum. Tunc ipsa videns eum, exhilarata, quasi reviviscens genuflexit, et cum lacrymis Deo gratias egit. Puer autem Jesus videns matrem, venit ad eam; quem ipsa inter brachia suscipiens et stringens, et osculans dulciter, ponit vultum ad vultum, et tenens eum in gremio suo aliquantulum cum eo sic requievit: neque enim tunc aliquid præ teneritudine dicere potuisset. Postea respiciens eum, dicit: *Fili, quid fecisti nobis sic? ego et pater tuus dolentes quærebamus te. Et ille: Quare me quærebatis? in his enim, quæ Patris mei sunt, oportet me esse.* Quod *verbum* illi *non intellexerunt.* Dicit ergo ei mater: Fili, volo quod redeamus ad domum nostram; non vis redire nobiscum? Et ille: Ego faciam quod placuerit vobis. Et rediit cum illis Nazareth.

Vidisti ergo afflictionem matris in prædicto negotio. Sed quid fecit prædictus puer in isto triduo? Conspice etiam eum attente, quomodo se reducit ad aliquod hospitale pauperum, et cum verecundia petit se hospitari, et ibidem comedit, et hospitabatur cum pauperibus Jesus pauper. Conspice eum sedentem inter doctores vultu placido, sapienti et reverenti; et audiebat, et interrogabat eos quasi ignorans; quod ex humilitate faciebat, et etiam ne illi verecundarentur super mirabilibus responsis ejus.

Considerare autem potes in prædictis tria valde notabilia. Primum, quia qui Deo vult adhærere, non debet inter consanguineos conversari, sed ab eis discedere: nam et puer Jesus a se dimisit dilectissimam matrem, cum operibus Patris sui intendere voluit; et etiam postea quæsitus, inter cognatos et notos inventus non fuit. Secundum, quod qui spiritualiter vivit, non miretur, si aliquando mente arida remanens, videtur sibi se esse derelictum a Deo, cum etiam matri Dei hoc contigerit. Non ergo mente tabescat, sed diligenter eum quærat in sacris meditationibus et bonis operibus persistendo, et reinveniet eum. Tertium, quod non debet quis esse proprii sensus, vel propriæ voluntatis: nam cum Dominus Jesus dixisset, quod oportebat eum operibus patris intendere, mutavit consilium, et matris voluntatem secutus est, et recessit cum ea et nutritio suo, *et erat subditus illis.* In quo etiam admirari potes hu- Tria notatu digna

militatem ipsius, de qua plenius infra proxime dicemus.

CAPUT XV.

Quid Dominus fecit a duodecimo anno usque ad tricesimum.

Reversus ergo [1] Dominus Jesus a templo, et Hierusalem, cum parentibus suis in civitatem Nazareth, *erat subditus illis,* et habitavit ibidem cum eis, ab inde usque principium tricesimi anni. Nec in Scripturis reperitur, quod in toto isto tempore aliquid fecerit : quod mirabile videtur valde. Quid ergo mirabimur, et imaginabimur ipsum fecisse? Stetitne Dominus Jesus otiosus tanto tempore, ut nihil faceret dignum recitatione et scriptura? Si enim fecisset, cur non fuisset scriptum, sicut reliqua facta sua? Omnino stupor videtur. Sed attende hic bene, quia patenter videre poteris, quod nihil faciendo fecit magnifica. Nihil enim de factis ejus a mysterio vacat. Sed sicut virtuose operabatur, sic virtuose tacebat, quiescebat, et se subtrahebat. Magister ergo summus aliquando docturus virtutes et viam vitæ, cœpit a sua juventute opera facere virtuosa, sed modo mirabili, et incognito, ac retroactis temporibus inaudito : se videlicet reddendo in conspectu hominum inutilem, et abjectum, et insipientem, ut devote et sine omni temeraria assertione cogitari potest. Nulla tamen in hac meditatione tibi affirmo, quæ per auctoritatem sacræ Scripturæ, vel doctorum sacrorum non probantur, ut etiam in principio tibi dixi. Subtrahebat ergo se a consortio et conversatione hominum. Ibat ad synagogam, id est ecclesiam. Stabat multum ibi in oratione, in loco viliori se ponens. Redibat domum : stabat cum matre, et aliquando suum nutritium adjuvabat. Pertransibat eundo et redeundo inter homines, ac si non viderit homines. Mirabantur cuncti, cernentes juvenem tam speciosum nihil facere, quod apparebat laude dignum. Expectabant enim quod magnifica faceret, et opera probi viri. Cum enim puer erat [2], *proficiebat ætate et sapientia coram Deo et hominibus:* sed crescens et perveniens a duodecimo anno usque ad trigesimum et ultra, nulla opera faciebat prætendentia speciem aliquam probitatis et virilitatis. Stupebant vehementer, et deridebant eum, dicentes: Iste est quidam inutilis, ipse est idiota, et homo de nihilo, et stultus et insipiens. Nec etiam litteras discit; et inter gentes in proverbium venit, quod erat grandis et cattivus (*a*). Et hunc vivendi morem sic tenaciter tenebat, et continuabat, quod apud omnes communiter erat vilis, et abjectus reputabatur. Quod bene ante per Prophetam dictum fuit in persona ejus [3] : *Ego sum vermis, et non homo,* etc.

Vides ergo quid faciebat nihil faciendo : reddebat se vilem et abjectum, ut dixi, omnibus. Sed an hoc tibi parum videtur? Ipse quidem non indigebat, sed ego. Certe in operibus nostris nullum majus reputo, nec difficilius cognosco. Ad altissimum gradum mihi pervenisse videtur, qui ad hoc pervenit, ut ex corde, et animo vero, non ficto, ita se vincit ac dominatur animo suo, ac superbo supercilio carnis suæ, quod nolit aliquid reputari, sed sperni ut abjectus et vilis. Majus est hoc, quam vincere urbes, juxta sententiam Salomonis, dicentis [4] : *Melior est patiens viro forti; qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* Usque ergo quod pervenias ad hunc gradum, nihil tibi videaris fecisse. Nam cum in veritate omnes simus *inutiles,* etiam cum omnia bene fecerimus, juxta verbum Domini [5]; quousque in hoc abjectionis gradu non sumus, adhuc in veritate non sumus, sed in vanitate consistimus et ambulamus. Quod etiam Apostolus manifeste ostendit, dicens [6] : *Qui se existimat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* Si ergo quæras, quare Dominus Jesus hoc faciebat? respondeo tibi, non quia indigeret, sed ut nos instrueret. Unde si non discimus, inexcusabiles sumus. Abominabile prorsus est, si se erigit vermiculus, et vermium esca futurus, ubi sic se humilians abjecit Dominus majestatis.

In operibus humanis, quid majus et difficilius.

Si autem absurdum alicui videatur, quod sic inutiliter staret, et quod Evangelistæ multa omiserunt, et similia dicat; responderi potest, quod non erat inutile tantæ virtutis exemplum præbere et facere, imo erat utilissimum, et omnium virtutum rectum ac stabile fundamentum. Sed ex verbis ipsius in *Evangelio* Joannis sic habemus [7] : *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me; et vos testimonium perhibebitis, qui ab initio me-*

[1] *Luc.*, II, 51. — [2] *Ibid.*, 52. — [3] *Psal.* XXI, 7. — [4] *Prov.*, XVI, 32. — [5] *Luc.*, XVII, 10. — [6] *Gal.*, VI, 3. — [7] *Joan.*, XV, 26.

(*a*) *Cæt. edit.* captivus.

cum estis, scilicet prædicatores. Et Petrus in electione sancti Matthæi apostoli dicit[1] : *Oportet ex his viris*, etc., *quo intravit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptismate Jaannis*, etc. Tunc autem [2] *erat incipiens quasi annorum triginta* ; sed nec ipse Joannes ejus præcursor fuisset, si Dominus Jesus prius eo prædicare cœpisset. Item, si prius incœpisset, quomodo non fuisset notus in tot annis a vicinis, qui dicebant [3] : *Nonne hic est fabri filius?* cum postea in parvo tempore *filius David* [4] vocaretur etiam a sociis? Si ergo citius incœpisset, vel aliqua notabilia fecisset, scripta essent, vel saltem aliqua ex eis, nec sic ex toto omnes evangelistæ tacuissent. Hoc autem quod dico, videtur ipse Bernardus sentire, ut habebis in proximo tractatu, in ultima auctoritate [5]. Quocumque (*a*)'se habeat veritas, ego sic meditari pium valde puto. Fabricabat ergo Dominus Jesus, sic faciendo, gladium humilitatis, ut per Prophetam fuerat dictum ei [6] : *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime*. Nullo quippe decentius gladio, quam humilitatis, decebat superbum adversarium jugulare. Nam gladio suæ magnitudinis non legimus quod fuerit usus; sed potius contrarium pro illo tempore, quo maxime indiguisset, scilicet tempore passionis. Idem propheta conquestus est ad Deum Patrem pro Filio, dicens [7] : *Avertisti adjutorium gladii ejus, et non es auxiliatus ei in bello*. Habes ergo quo modo Dominus Jesus [8] *cœpit* prius *facere* quam *docere*; dicturus enim erat : *Discite a me, qui a mitis sum et humilis corde*. [9] Hoc ergo primo facere voluit, et non ficte; sed ex corde faciebat, sicut vere et ex corde humilis erat et mitis. Non poterat in eum cadere simulatio; sed potius in tantum fundavit et profundavit se in humilitate, et vilitate, et abjectione, et sic etiam se in conspectu omnium annihilavit, quod etiam postquam prædicare incœpit, et loqui altissima et divina, et etiam vere miracula et magnifica opera, non reputabant eum, sed vilipendebant et deridebant, dicentes [10] : *Quis est hic? Nonne hic est fabri filius?* et alia similia derisoria et despectiva. Verificatum ergo est, secundum hunc intellectum, verbum Apostoli dicentis [11] : *Exinanivit seipsum formam servi accipiens*, et non solum cujusque servi per incarnationem, sed inutilis servi per humilem et abjectam conversationem.

[1] *Act.*, I, 21. — [2] *Luc.*, III, 23. — [3] *Matth.*, XIII, 55. — [4] Ibid., XXI, 15. — [5] Vid. inf., p. 537-538. — [6] *Psal.* XLIV, 4. — [7] *Psal.* LXXXVIII, 44. — [8] *Act.*, I,

Humilitas in Christi actibus maxime elucet.

Vis ergo videre, quod potentissime hunc gladium sibi accinxerit? Considera singulos actus; semper in eis relucet humilitas. Vidisti in superioribus; reducas bene in memoriam. Habemus in sequentibus, etiam in multis, quod augmentatam usque ad mortem fidem ei servavit, et etiam post mortem, nec non etiam post ascensionem. Nonne in fine lavit pedes discipulorum? Nonne humiliatus est, ultra quam dici posset, crucis patibulum sustinendo? Nonne post resurrectionem glorificatus, vocavit discipulos suos *fratres? Vade*, dicit Magdalenæ [12], *et dic fratribus meis* : *Ascendo ad Patrem meum*, etc. Nonne etiam post ascensionem locutus est Paulo humiliter, quasi ad comparem suum [13] : *Saule, Saule, quid me persequeris?* Nec ibi nominavit se Deum, sed ipsum. Nonne et in sede majestatis suæ consistens, dicturus est in die judicii [14] : *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis?*

Humilitas cur tantopere a Christo amata.

Non sine causa virtutem hanc tantum amavit. Sciebat enim, sicut omnis peccati superbia, sic fundamentum omnis boni et salutis humilitas. Sine hoc fundamento frustra fit ædificium. Unde nec de virginitate, nec de paupertate, nec de aliqua virtute, vel opere, sine humilitate confidas. Hic ergo ipsam fabricavit, id est, ostendit qualiter possit acquiri, scilicet per vilificationem et per abjectionem sui ipsius in suo et aliorum conspectu, et per continuum exercitium humilium operum. *Vade* ergo [15], *et tu fac similiter*, si humilitatem vis adipisci. Oportet enim quod præcedat humiliatio, id est, sui vilificatio, et exercitium vilium operum et humilium. De quo sic ait Bernardus [16] : « Humilitas, ad quam utique ducit humiliatio, totius est spiritualis fabricæ fundamentum. Siquidem humiliatio via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis. Nam si non poteris humiliari, non poteris ad humilitatem provehi. » Idem [17] : « Oportet humiliter sentire de se nitentem ad altiora; ne dum supra se extollitur, cadat a se, nisi in se firmiter per veram humilitatem fuerit solidatus. Et quia nisi humilitatis merito maxima minime obtinentur, propterea qui subvehendus (*b*)

1. — [9] *Matth.*, XI, 29. — [10] Ibid., XIII, 55. — [11] *Philip.*, II, 8. — [12] *Joan.*, XX, 17. — [13] *Act.*, IX, IV. — [14] *Matth.*, XXV, 41. — [15] *Luc.*, X, 37. — [16] Bern., *ad Oger. canon. reg.*, epist. LXXXVII, n. 11. — [17] Id., *in Cant.*, serm. XXXIV, n. 1. — (*a*) *Suppl.* modo. — (*b*) *Al.* provehendus.

est, correptione humiliatur, humilitate meretur. Tu ergo cum te humiliari videris, habeto signum illud in bonum : omnino argumentum est gratiæ appropinquantis. Nam sicut [1] *ante ruinam exaltatur cor*, ita et ante exaltationem humiliatur. Sane utrumque legis, Deum scilicet et [2] *superbis resistere, et humilibus dare gratiam.*» Et post pauca [3]: « At parum est, cum per seipsum nos humiliat Deus, si tunc libenter accipimus, nisi quando et per alium hoc facit, sapiamus similiter. Quamobrem accipe hujus rei mirabile documentum de sancto David. Aliquando maledictum est ei etiam a servo; at ille nec cumulatam injuriam sensit, quia præsensit gratiam. *Quid mihi*, ait [4], *et vobis, filii Sarviæ?* O vere hominem secundum cor Dei, qui se ulciscenti potius, quam exprobranti succensendum vel irascendum putavit. Unde et secura conscientia loquebatur [5] : *Si reddidi retribuentibus,* » etc. Et de hac virtute hæc ad præsens sufficiant.

Et redeamus ad intuendos actus et vitam Domini Jesu speculi nostri, sicut est principale nostrum propositum. Igitur te omnibus præsentem exhibeas, ut sæpius tibi dixi. Et considera illam super omnes alias benedictam familiam parvam; sed valde excelsam paupertatem, et humilem vitam ducentem. Felix Joseph senex quærebat, quod poterat, de arte lignaminis. Domina vero acu et colu pretio laborabat. Faciebat et alia domus obsequia, quæ multa sunt, ut melius nosti : parabat victum sponso et filio, et alia expedientia faciebat, non enim habebat servientem. Compatere ergo sibi, quam sic suis manibus laborare oportet : compatere etiam Domino Jesu, quia ipse eam adjuvabat, fideliter laborabat in his quæ poterat. *Venit* enim, ut ipse ait [6], *ministrare, et non ministrari.* Nonne ergo in ponenda mensula, cubilibus aptandis, et aliis secretioribus domus eam adjuvabat? Intuere ergo eum bene humilia obsequia per domum facientem; nihilominus etiam Dominam intuere. Conspice etiam, qualiter ipsi tres simul comedunt ad unam mensulam per singulos dies, non lautas et exquisitas, sed pauperes et sobrias cœnas sumentes, et qualiter postea colloquuntur, non inania et otiosa verba, sed plena sapientia et Spiritu sancto; nec minus mente reficiuntur quam corpore. Sed qualiter post aliqualem recreationem, ad orationem se convertunt in cubilibus suis : non enim erat eis domus ampla, sed parva. Meditare etiam circa cubicula, scilicet unum pro quolibet eorum, et intuere Dominum Jesum super humum in sero post orationem se componere per singulas noctes tam longissimi temporis, sic humiliter, sic viliter, ut quicumque alius pauperculus de populo. Sic etiam perseveranter quolibet sero in hoc statu deberes eum aspicere. O Deus abscondite ! quare sic affligebatis corpus istud innocentissimum? unius quippe noctis peregrinatio sufficere debebat, ad totius mundi redemptionem. Amor ad hoc compellebat immensus; vehementer zelabatis pro ove perdita, vestris humeris ad cœlestia pascua reportanda. Vos Rex Regum et Deus æterne, qui omnium penuriam sublevatis, omnia subministratis omnibus abundanter, prout exigit cujusque conditio, vobis tantam paupertatem, vilitatem et asperitatem vigilando, dormiendo, abstinendo, comedendo, et aliis vestris omnibus actibus per tam longa temporis spatia reservastis. Ubi ergo sunt quærentes otia corporis, quærentes curiosa ornamenta et varia? Non didicimus in schola hujus magistri, qui talia volumus. Sed et numquid sapientiores eo sumus? Ipse nos docuit verbo et exemplo humilitatem, paupertatem, afflictionem corporis, et laborem. Sequamur ergo summum magistrum, qui nec fallere vult, nec falli potest. Et *habentes*, juxta doctrinam Apostoli [7], *victum et vestitum, his contenti simus,* ad congruentem necessitatem, non superabundantiam; aliis etiam virtutum exercitiis, et spirituali studio, continue, indesinenter, et vigilantissime insistentes, etc.

CAPUT XVI.

De Baptismo Domini nostri Jesu Christi.

Completis ergo vigintinovem annis ætatis suæ, quibus, ut dictum est, sic pœnose vixerat et abjecte, dicit Dominus Jesus matri : Tempus est ut vadam, et glorificem, et manifestem patrem meum, et ostendam me mundo, et operer animarum salutem, pro qua me pater huc misit. Conforteris ergo, mater bona, quia cito redibo ad te. Et genuflectens humilitatis magister petiit benedictionem. Ipsa vero similiter genuflectens, et cum lacrymis eum amplexans, te-

[1] *Prov.*, XVI, 18. — [2] *Jac.*, IV, 6. — [3] Bern., ibid., n. 2. — [4] II *Reg.*, XV, 10. — [5] *Psal.* VII, 5. — [6] *Matth.*, XX, 28. — [7] I *Tim.*, VI, 8.

nerrime dixit : Fili mi benedicte, vade cum benedictione patris tui, et mea ; esto memor mei, citoque redire memento. Sic ergo reverenter se licentians ab ea et nutritio suo Joseph, iter arripuit a Nazareth versus Hierusalem ad Jordanem, ubi erat Joannes baptizans : qui locus distat a Hierusalem decem et octo milliaribus. Vadit autem solus Dominus mundi : nondum enim habebat discipulos. Intuere ergo eum pro Deo diligenter, quomodo vadit solus, pedibus nudis per tam longa itinera, et vehementer eidem compatere. O Domine, quo transitis? Nonne vos estis super omnes reges terræ? O Domine, ubi ergo sunt barones et comites, duces, et milites, equi et cameli, elephantes et currus, harvesii et famuli, et frequentia comitivæ? Ubi sunt qui vos circumdent, et defendant ab irruentibus turbis, ut moris est aliorum regum, et virorum magnorum? Ubi sunt tubarum clangor, instrumentorum sonitus, et vexilla regalia? Ubi sunt qui præcedunt ad hospitia et necessaria præparanda? Ubi sunt honores, et pompæ, quibus nos vermiculi utimur? Nonne, Domine, pleni sunt cœli et terra gloria vestra? quomodo ergo sic itis inglorius? Nonne vos estis cui [1] *mille millia ministrabant* in regno vestro, *et decies centena millia assistebant?* Cur ergo sic solus inceditis, calcando terram pedibus nudis? Sed non estis in regno vestro modo ; quam puto causam : nam [2] *regnum* vestrum *non est in* (a) *hoc mundo. Exinanistis* vosipsum [3], sumendo *formam servi*, non regis. Factus estis sicut unus ex nobis [4], *peregrinus et advena sicut omnes patres nostri*; factus estis servus, ut nos reges fiamus. Venistis enim ut nos ad regnum vestrum adduceretis, viam ponendo ante oculos nostros, per quam illuc ascendere valeamus. Sed quare illam negligimus? Quare vos non sequimur? quare non humiliamus nosipsos? quare honores et pompas, caduca et vana sic avide poscimus et tenemus? Certe quia regnum nostrum est de hoc mundo, nec consideramus nos esse peregrinos, et propterea omnia ista mala incurrimus. O vani filii hominum, cur vana pro veris, caduca pro firmis et certis, temporalia pro æternis acceptamus, et sic studiose amplectimur? Certe, bone Domine, si mente fixa suspiceremus, nos esse peregrinos et advenas, faciliter vos sequeremur, et ex his visibilibus tantum necessaria sumentes, non retardaremus post vos currere [5] *in odorem unguentorum vestrorum.* Essemus enim sine sarcina, et ista transitoria quasi jam transacta reputaremus, et leviter sperneremus. Vadit ergo Dominus Jesus sic humiliter, continuatis diætis, quousque perveniat ad Jordanem. Cum ergo venit ad Jordanem, invenit Joannem baptizantem peccatores, et turbam magnam, quæ illuc concurrerat ad prædicationem ipsius. Habebant enim eum quasi Christum. Dicit ergo ei Dominus Jesus : Rogo te, ut me cum istis baptizes. Joannes vero intuens, et eum spiritu cognoscens, timuit et reverenter dixit [6] : *Domine, ego a te debeo baptizari.* Cui Dominus Jesus : *Sine modo : sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Non dicas hoc modo, nec me divulges, quia nondum venit tempus meum; sed me baptiza. Nunc enim est tempus humilitatis, et ideo implere volo omnem humilitatem.

Attende ergo tu etiam hic de humilitate, nam locus est de ipsa tractandi, et debes scire, quod sicut in hoc loco dicit glossa, humilitas habet tres gradus. Primus est subdere se majori, et non præferre se æquali. Secundus est subdere se æquali, et non præferre se minori. Tertius et summus est subdere se minori : et hunc gradum hic tenuit Christus, et ideo omnem humilitatem implevit. Vides quomodo augmentata est ejus humilitas a præcedenti tractatu. Subjecit enim hic se servo, se vilificat, et servum suum justificat et magnificat. Sed in alio considera quomodo crevit humilitas. Nam usque modo conversatus est humiliter quasi inutilis et abjectus; hic etiam peccator voluit apparere. Peccatoribus enim prædicabat Joannes pœnitentiam, et baptizabat, et Dominus Jesus inter eos et coram eis voluit baptizari. Hic autem, quantum ad hoc, sic dicit Bernardus [7] : « Inter populares turbas ad baptismum Joannis advenit. Venit tanquam unus de populo, qui solus erat sine peccato. Quis eum crederet Filium Dei? quis putaret Dominum majestatis? Valde quidem humilias te, Domine, nimis absconderis; sed Joannem latere non poteris. » Hucusque Bernardus. Licet idem dici posset de circumcisione, quia ibi voluit apparere peccator; tamen hic plus, quia hic coram turba publice, ibi occulte. Sed nonne hic timendum fuerat, cum ipse admodum vellet intendere ad prædi-

Tres humilitatis gradus.

[1] *Dan.*, VII, 10. — [2] *Joan.*, XVIII, 36. — [3] *Philip.*, II, 8. — [4] *Psal.* XXXVIII, 13. — [5] *Cant.*, I, 3. — [6] *Matth.*, III, 14 et seq. — [7] Bernard., *in Epiph.*, serm. I, n. 6.

(a) Vulg. *de.*

candum, ne sperneretur tanquam peccator? Sed non propterea dimisit humilitatis magister, quin profundissime se humiliaret. Ipse ergo voluit apparere quod non erat, in abjectionem et despectum sui, semper nos instruendo : e contra nos volumus apparere quod non sumus in laudem et gloriam nostram. Si quid enim in nobis videtur esse probitatis, ostendimus; defectus vero celamus, cum simus peccatores et mali. Qualis humilitas nostra? Audi super hoc non me, sed Bernardum qui ait [1] : « Est humilitas, quam charitas format et inflammat; et est humilitas, quam nobis veritas parit, et non habet calorem. Atque hæc quidem in cognitione, illa in affectu consistit. Etenim si tu temetipsum intus ad lumen veritatis, et sine dissimulatione inspicias, et sine palpatione dijudices, non dubito quin humilieris et tu in oculis tuis factus vilior tibi, ex hac vera cognitione tui; quamvis necdum fortasse illud esse patiaris in oculis aliorum. Eris ergo humilis, sed de opere interim veritatis, et minime adhuc de amoris infusione. Nam si veritatis ipsius, quæ te tibi veraciter atque salubriter demonstravit, sicut splendore illuminatus, ita affectus amore fuisses; voluisses procul dubio, quod in te est, eamdem de te omnes tenere sententiam, quam ipse apud te veritatem habere cognoscis. Sane *quod in te est* (*a*) dixerim, quoniam plerumque non expedit innotescere omnibus omnia quæ nos scimus de nobis, atque ipsa veritatis charitate et charitatis veritate vetamur palam fieri, quod noceat agnoscenti. Alioquin si privato amore tui tentus, detines pariter intra te judicium veritatis inclusum, cui dubium est minus te veritatem diligere, cui proprium præfers vel commodum vel honorem? » Et infra [2] : « Tunc si jam apud temetipsum humiliatus fueris necessaria illa humilitate, quam scrutans corda et renes Veritas sensibus ingerit animæ vigilantis, adhibe voluntatem, et fac de necessitate virtutem, quoniam nulla est virtus sine convenientia voluntatis. Tunc autem fiet illud, si nolis aliter apparere foris, quam te invenis intus. Alioquin time, ne de teipso legas [3] : *Quoniam dolose egit in conspectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium. Pondus*, inquit [4], *et pondus abominatio est apud Deum.* Quid enim? Tu te depretiaris in secreto apud teipsum, veritatis trutina ponderatus, et foris alterius pretii mentiens majori te pondere vendis nobis, quam ab ipsa accepisti? Time Deum, et noli hanc rem pessimam facere, ut quem humiliat veritas, extollat voluntas. Hoc enim est resistere veritati, hoc pugnare contra Deum. Magis autem acquiesce Deo, et sit voluntas subdita veritati, nec tantum subdita, sed et devota. *Nonne Deo*, inquit [5], *subjecta erit anima mea?* [6] At parum est esse subjectum Deo, nisi sis et omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Abbati tanquam præcellenti, sive Prioribus ab eo constitutis. Ego plus dico, subdere paribus, subdere et minoribus. *Sic enim decet nos*, inquit [7], *implere omnem justitiam.* Vade et tu ad minorem, si vis in justitia esse perfectus, defer inferiori, minori te inclinato. » Hucusque Bernard. Idem sic dicit [6] : « Quis justus, nisi humilis? Denique cum se manibus Baptistæ servi Dominus inclinaret, et ille expavesceret majestatem : *Sine*, inquit [7], *sic enim decet nos implere omnem justitiam;* consummationem perfectæ (*b*) justitiæ in humilitatis perfectione constituens. Justus ergo humilis. » Hucusque Bernardus. Hæc autem justitia in hoc apparet in humili, quia redditur unicuique jus suum : non sumit alienum, sed honorem dat Deo, et sibi retinet vilitatem. Hoc vero melius cognosces, si consideraveris injustitiam elati, qui bona Domini sibi attribuit. De quo idem Bernardus sic dicit [9] : « Sicut de magnis bonis mala oriri solent, cum facti eximii de bonis Domini utimur donis tanquam non datis, nec damus gloriam Deo; ita profecto qui maximi videbantur pro accepta gratia, pro non reddita minimi reputantur apud Deum. Ego autem parco vobis. Usus sum modestioribus vocibus, *maximo minimoque*, sed quæ sentio, non expressi. Discrimen involvi, ipse nudabo : *optimum pessimumque* dixisse debueram. Nam vere et absque dubio eo quisque pessimus, quo optimus est, si hoc ipsum quo optimus est, ascribat sibi : nempe pessimum hoc. Quod si dicat quis : Absit, agnosco [0], *gratia Dei sum id quod sum*; studeat autem captare (*c*) gloriam pro gratia quam accepit, nonne fur est et latro? Audiat qui hujusmodi est [1] : *Ex ore tuo* (*d*) *te judico, serve nequam.* Quid nequius servo usur-

[1] Bern., *in Cant.*, serm. XLII, n. 6. — [2] Ibid., n. 8. — [3] *Psal.* XXXV, 3. — [4] *Prov.*, XX, 10. — [5] *Psal.* LXI, 2. — [6] Bernard., ibid., n. 9. — [7] *Matth.*, III, 15. — [8] Bern., *in Cant.*, serm. XLVII, n. 7. — [9] Ibid., serm. LXXXIV, n. 2. — [10] I *Cor.*, XV, 10. — [11] *Luc.*, XIX, 22.

(*a*) Cæt. edit. deest *est*. — (*b*) *Al.* profecto. — (*c*) *Cæt. edit.* optare. — (*d*) Cæt. edit. deest *tuo*.

pante sibi gloriam domini sui? » Hucusque Bernardus. Vides quomodo perfectio justitiæ in humilitate consistit; et non surripit honorem Deo, nec sibi attribuit quæ non debet. Certe nec lædit proximum : non enim dijudicat eum, nec alicui se præfert humilis ; se minorem omnibus reputat, et locum novissimum eligit sibi. De quo idem Bernardus sic dicit[1] : « Quid scis, o homo, si unus ille, quem forte omnium vilissimum atque miserrimum reputas, cujus vitam sceleratissimam, ac singulariter fœdissimam horres, et propterea illum putas spernendum, non modo præ te, qui forte jam sobrie, et juste, et pie vivere te confidis, sed etiam præ cæteris omnibus sceleratis, tanquam omnium sceleratissimum : quid scis, inquam, si melior et te et illis, mutatione dexteræ Excelsi in se quidem futurus sit, in Deo vero jam sit? Et propterea non mediocrem, non vel penultimum, non ipsum saltem inter novissimos eligere locum nos voluit. Sed *recumbe*, inquit[2], *in novissimo loco*, ut solus videlicet omnium novissimus, sedeas, teque nemini, non dico præferas (*a*), sed nec comparare præsumas. » Hucusque Bernardus. Hæc humilitatis virtus multiplicibus auctoritatibus commendatur in eodem Bernardo. Dicit enim[3] : « Magna mater et sublimis virtus humilitas, quæ promeretur quod non docetur : digna adipisci quod non valet addisci : digna a Verbo, et de Verbo concipere, quod suis ipsa verbis explicare non potest. Cur hoc? Non quia sit meritum, sed quia sic est placitum coram patre Verbi sponsi animæ Jesu Christi Domini nostri, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. » Idem[4] : « Humilitas est virtus, qua homo verissima sui cognitione, sibi ipsi vilescit. » Idem alibi[5] : « Sola virtus humilitatis læsæ est reparatio charitatis. » Idem alibi[6] : « Sola profecto non solet gloriari, non novit præsumere, contendere non consuevit humilitas. Non contendit judicio, non prætendit justitiam, qui vere humilis est. » Porro humilitas Deo nos reconciliat, Deo placet in nobis. Idem[7] : « Semper solet esse divinæ gratiæ familiaris virtus humilitatis. » Nimirum conservandæ humilitatis gratia divina solet pietas ordinare, ut quanto quis plus proficit, eo minus se reputet profecisse. Nam usque ad extremum exercitii spiritualis gradum, si quis profecerit, aliquid ei de primi gradus imperfectione relinquetur, ut vix primum sibi videatur adeptus. Idem[8] : « Pulchra permixtio virginitatis et humilitatis. Nec mediocriter placet illa anima, in qua humilitas commendat virginitatem, et virginitas exornat humilitatem. Sed quanta putas veneratione digna est, in qua humilitatem exaltat fœcunditas, et partus consecrat virginitatem? Audis virginem, audis humilem. Si non potes virginitatem humilis, imitare humilitatem virginis. Laudabilis virtus virginitas; sed magis humilitas necessaria. Illa consulitur; ista præcipitur. Ad illam invitaris; ad istam cogeris. De illa dicitur[9] : *Qui potest capere, capiat*. De ista dicitur[10] : *Nisi quis efficiatur sicut parvulus iste, non intrabit in regnum cœlorum*. Illa ergo remuneratur; ista exigitur. Potes denique sine virginitate salvari; sine humilitate non potes. Potest, inquam, placere humilitas, quæ virginitatem deplorat amissam; sine humilitate, audeo dicere, nec virginitas Mariæ placuisset. *Super quem*, inquit[11], *requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum* (*b*)? etc. Si ergo Maria humilis non fuisset, super eam Spiritus sanctus non requievisset. Si super eam non requievisset, nec imprægnasset. Quomodo enim de ipso sine ipso conciperet? Patet itaque, quia ut de Spiritu sancto conciperet, ut ipsa perhibet[12], *respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ*, potius quam virginitatem. Unde constat, quia ut placeret virginitas, humilitas procul dubio fecit.[13] Quid dicis, virgo superba (*c*)? Maria se virginem oblita, gloriatur de humilitate; et tu negligendo humilitatem, blandiris tibi de virginitate? *Respexit*, ait illa, *humilitatem ancillæ suæ*. Quæ illa? Virgo utique sancta, virgo sobria, virgo devota. Numquid tu castior illa? numquid devotior? numquid tua forte pudicitia gratior castitate Mariæ, ut scilicet sine humilitate placere sufficias ex tua, quod (*d*) illa non potuit ex sua? Denique quanto honorabilior es ex singulari munere castimoniæ, tanto tibi tu majorem injuriam facis, quod ejus in te (*e*) decorem fœdas permixtione superbiæ. »

[1] Bern., *in Cant.*, serm. XXXVII, n. 7. — [2] *Luc.*, XIV, 10. — [3] Bern., *in Cant.*, serm. LXXXV, n. 14. — [4] Id., *de duod. grad. Humilit.*, c. I, n. 2. — [5] Id., *in Nativ. Dom.*, serm. II, n. 6. — [6] Id., *ad Henr. Senon. Episc.*, epist. XLII, sive tract. *de morib. et vit. Episc.*, c. VI, n. 24. — [7] Id., super *Missus est*, serm. IV, n. 9. — [8] Ibid., serm. I, n. 5. — [9] *Matth.*, XIX, 12. — [10] *Matth.*, XVIII, 3. — [11] *Isa.*, LXVI, 2. — [12] *Luc.*, I, 48. — [13] Bern., ibid., n. 6.

(*a*) *Al.* præponas. — (*b*) Vulg. *Ad quem nutem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu?* — (*c*) *Apud Bern.* superbe, *Monachos quippe alloquebatur*. — (*d*) *Cæt. edit.* quæ. — (*e*) *Item* quarto vitæ.

Idem [1] : « Charitas, castitas, et humilitas nullius quidem coloris (*a*) sunt, sed non nullius decoris; nec mediocris decoris, qui (*b*) divinos quoque delectare possit aspectus. Quid castitate decorius, quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, angelum denique de homine facit? Differunt quidem inter se angelus et pudicus homo ; sed felicitate, non virtute. Sed et si illius castitas felicior, hujus tamen fortior esse cognoscitur. Sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis et loco et tempore, statum quemdam immortalitatis gloriæ repræsentat. Sola inter solemnia nuptiarum morem illius beatæ regionis vendicat sibi, in qua neque nubent, neque nubentur, præbens quodammodo jam cœlestis illius conversationis experientiam. Vas interim fragile quod portamus, in quo et crebro periclitamur, tenet castitas in sanctificationem, instar odoriferi balsami, quo condita cadavera incorrupta servantur. Sensus ipsa et artus continet et stringit, ne dissolvantur in otiis, ne corrumpantur in desideriis, ne carnis voluptatibus computrescant . » Et post pauca : « Verum quantalibet venustate sui castitas eminere appareat; sine charitate tamen, nec pretium habet nec meritum. Nec mirum. Quod enim absque illa bonum suscipitur? fides? Sed nec si montes transferat. Scientia? Nec illa, quæ linguis loquitur angelorum. Martyrium? nec illud : *Si tradidero,* inquit [2], *corpus meum, ita ut ardeam.* Nec absque illa quodlibet bonum suscipitur, neque cum illa quodlibet exiguum respuitur. Castitas sine charitate, lampas sine oleo. Subtrahe oleum, lampas non lucet. Tolle charitatem, castitas non placet. » Et post multa, circa medium Epistolæ : « Jam de tribus, quæ proposuimus, sola tractanda est humilitas, quæ duabus præmissis virtutibus in tantum est necessaria, ut absque ista, illæ nec esse virtutes videantur. Nempe ut castitas, sive charitas obtineatur, humilitas meretur : quoniam [3] *humilibus Deus dat gratiam.* Servat humilitas etiam virtutes acceptas, quia nec requiescet Spiritus nisi super quietum et humilem. Servatas consummat : nam [4] *virtus in infirmitate perficitur*, hoc est, in humilitate. Inimicam omnis gratiæ, omnisque initium peccati debellat superbiam, et tam a se quam ab aliis virtutibus superbam illius propulsat tyrannidem ; siquidem cum ex aliis quibusque bonis virium magis suarum capere solet incrementum superbia, sola hæc omnium propugnaculum quoddam, turrisque virtutum, ejus fortiter resistit malitiæ, obviat præsumptioni. » Hucusque Bernardus. Igitur habuisti multa et pulchra de humilitate in tractatu præsenti a verissimo Bernardo atque humillimo. Vide ut ea etiam, quæ de aliis virtutibus tangit, mente intelligas, et opere compleas. Sed jam ad baptismum Domini redeamus. Postquam ergo Joannes vidit Domini voluntatem, obedivit, et eum baptizavit.

Nunc ergo eum bene conspice. Spoliat enim se Dominus majestatis, sicut quilibet alius humunculus, et mergitur in aquis frigidis, tempore frigoris magni : pro nostro amore operatur nostram salutem, constituens sacramentum baptismi, et lavans crimina nostra. Desponsat ergo universalem Ecclesiam, et singulariter omnes animas fideles. Nam in fidei baptismate desponsamur Domino Jesu Christo, dicente Propheta in persona ipsius [5] : *Sponsabo te mihi in fide.* Unde hæc solemnitas et hæc operatio magna, et utilis valde est. Et ideo cantat Ecclesia [6], quod *hodie cœlesti sponso juncta est Ecclesia : quoniam in Jordane lavit Christus ejus crimina.* Et in hoc opere excellentissimo, tota se Trinitas modo singulari manifestavit, et descendit, et requievit Spiritus sanctus super eum in specie columbæ, et vox Patris intonuit : *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* In hoc autem loco dicit Bernardus [7] : « *Ipsum,* inquit, *audite.* » Ecce, Domine Jesu, vel nunc jam loquere, licentiam loquendi habes a Patre. Quamdiu, Dei virtus et Dei sapientia, quasi infirmus aliquis et insipiens, lates in populo? Quamdiu, nobilis Rex, et Rex cœli, fabri filium te pateris appellari, pariter et putari? Etenim Lucas Evangelista testatur [8], quoniam adhuc *filius Joseph putabatur.* O humilitas Christi, quantum confundis superbiam meæ vanitatis! parum aliquid scio vel magis scire mihi videor, et jam silere nescio (*c*). Nam impudenter et imprudenter me ingerens et ostentans, promptus (*d*) ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum. Et Christus cum tanto tempore si-

[1] Bern., *ad Henr. Senon. Archiepisc.*, epist. XLII, sive tract. *de morib. et vit. Episc.*, c. III, n. 8. — [2] *I Cor.*, XIII, 3. — [3] *Jac.*, IV, 6. — [4] *II Cor.*, XII, 9. — [5] *Ose.*, II, 20. — [6] In Epiph. Dom., antiph. *ad Benedictus.* — [7] Bern., *in Epiph. Dom.*, serm. I, n. 7. — [8] *Luc.*, III, 23.

(*a*) *Cæt. edit.* nullius decoris. — (*b*) *Item* quæ. — (*c*) *Apud Bern.* non possum. — (*d*) *Cæt. edit.* promptulus.

lebat, cum seipsum abscondebat, numquid inanem gloriam metuebat? Quid timeret ab inani gloria, qui est vera gloria Patris? Utique timebat, sed non sibi; nobis timebat ab illa (*a*), quibus noverat esse timendum. Nobis cavebat, nos instruebat: tacebat ore, sed instruebat opere; et quod docuit postea verbo, jam clamabat exemplo [1] : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Nam de infantia Domini parum aliquid audio : ex tunc jam usque ad hunc trigesimum annum nihil invenio. Nunc vero jam latere non potest, quia tam manifeste demonstratur a Patre. » Hucusque Bernardus. Et hæc est auctoritas, quam in superiori tractatu allegavi, per quam habes quomodo siluit Dominus Jesus humiliter ad nostram instructionem. Vides ergo ubique redolere humilitatem. De hac libenter tibi loquor, quia magnifica virtus est valde, et ea plurimum indigemus, eoque studiosius quærenda affectuosiusque amanda, quo Dominus in singulis suis actibus tam signanter studuit eam observare.

CAPUT XVII.

De jejunio et tentationibus Christi. Item de reditu ejus ad matrem. De quatuor, quibus pervenitur ad cordis puritatem. De oratione plura bona. De resistendo gulæ. Quare et pro quo Deus fecit mirabilia.

Postquam Dominus Jesus fuit baptizatus, incontinenti perrexit [2] *in desertum* super quemdam montem ibi ad quatuor milliaria vel circa, qui vocatur Quarentana, et jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus, et, juxta Marcum [3], *erat ibi cum bestiis.* Considera ergo hic et attente conspice ipsum : plurium enim virtutum exempla tibi demonstrat. Vadit enim in solitudinem (*b*), jejunat, orat et vigilat; jacet et dormit in plana terra, et humiliter cum bestiis conversatur. Compatere ergo ei, quia semper et ubique, sed hic maxime vita sua pœnosa est, et corporis afflictiva. Ac ejus exemplo disce ab eo in his exercitari. Nam quatuor hic tanguntur, quæ spiritualis exercitii sunt, et mirabiliter se invicem adjuvant, scilicet solitudo, jejunium, oratio, et afflictio corporis. Et per ista maxime pervenire possumus ad cordis puritatem, quæ puritas utique est nimium peroptanda, eo quod in se omnes virtutes quodammodo comprehendit. Continet enim charitatem, humilitatem, patientiam, et cæteras virtutes, et remotionem omnium vitiorum : quia cum vitiis, vel cum defectu virtutis non stat puritas cordis. Et propterea in collationibus sanctorum Patrum traditur [4], quod totum exercitium monachi debet esse ad cordis puritatem habendum; hoc (*c*) enim est per quod homo meretur videre Deum, dicente Domino in Evangelio [5] : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et secundum Bernardum, qui clarior est, ille Deo propinquior. Esse autem clarissimum, pervenisse est. Ad hanc autem habendam, multum valet oratio fervens, et assidua, de qua plenius infra doceberis. Sed oratio cum crapula, vel ingurgitatione corporis, vel ejus mollitie, vel otiositate, parum valet. Et ideo requiritur jejunium, et afflictio corporis, discreta tamen : nam indiscreta impedit omne bonum. Præterea ad omnium prædictorum consummationem videtur facere solitudo : nam cum tumultu et strepitu non potest decenter oratio fieri : et videre, et audire multa, vix fieri potest sine impuritate et offensa. *Mors* enim [6] *intrat* (*d*) *per fenestras nostras* ad animas, et ideo Domini exemplo vade in solitudinem, id est, quantum potes, te separa ab aliarum consortio, et sis solitaria, si vis ei conjungi, et per puritatem cordis eum videre. Fuge etiam collocutiones, et maxime sæcularium personarum. Non quæras novas devotiones et amicitias. Non impleas oculos, et aures phantasmatibus vanis. Et omnia quæ quietem animi et tranquillitatem mentis perturbant, tanquam venenosa et animæ inimica devita. Non enim sine causa sancti Patres petebant nemora et loca remotissima ab omni hominum conversatione. Et non sine causa mandabant his, qui in cœnobiis remanebant, quod essent cæci, surdi et muti. Ut autem hoc melius intelligas, audi quid super hoc dicit Bernardus [7] : « Tu, inquam, si ad Spiritus sancti incitamenta moveris, et inardescis dare operam, quomodo animam tuam facias sponsam Dei, sedeas secundum Prophetam [8] *solitarius*, quoniam *levasti te supra* (*e*) *te*, volens angelorum Domino desponsari? An non supra te, adhærere Deo, atque unum spiritum esse cum eo? Sede itaque solitarius, sicut turtur : nihil tibi de (*f*) turbis, nihil cum multitudine cæterorum; etiam-

Quatuor ad spirituale exercitium pertinentia

[1] *Matth.*, XI, 29. — [2] Ibid., III, 1 et seq. — [3] *Marc.*, I, 13. — [4] Joan. Cass., *Collat.* I, c. 7. — [5] *Matth.*, V, 8. — [6] *Jerem.*, IX, 21. — [7] Bern., *in Cant.*, serm. XL, n. 4. — [8] *Thren.*, III, 28.

(*a*) *Cæt. edit.* illis. — (*b*) solitudine. — (*c*) hæc. — (*d*) Vulg. *ascendit.* — (*e*) Cæt. edit. *super.* — (*f*) *Al.* et.

que [1] *obliviscere populum, et domum patris tui, et concupiscet Rex decorem tuum.* O sancta anima, sola esto, ut soli omnium serves te ipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge et ipsos domesticos, secede ab amicis et ab intimis, etiam et ab illo qui tibi ministrat. An nescis te verecundum habere sponsum, et qui nequaquam suam velit tibi indulgere præsentiam, præsentibus cæteris? Secede ergo, sed mente, non corpore; sed intentione, sed devotione, sed spiritu. Spiritus enim ante faciem tuam Christus Dominus; spiritusque requirit, non corporis solitudinem. Quanquam interdum et corpore non otiose te separas, cum opportune potes, præsertim tempore orationis. » Et infra [2] : « Solus es, si non communia cogites, si non affectes præsentia, si despicias quod multi suscipiunt, si fastidias quod multi desiderant, si jurgia devites, si damna non sentias, si non recorderis injuriarum; alioquin nec si solus corpore es, solus es. Videsne posse te esse et solum, cum (*a*) inter multos; et inter multos, cum solus es? Solus es, in quantacumque (*b*) hominum converseris frequentia; tantum cave alienæ conversationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius judex. » Hucusque Bernardus. Vides quomodo necessaria sit solitudo, et quomodo non sufficit corporalis sine mentali : sed ut mentalis habeatur, oportet corporalem esse altissimam, ut mens per exteriora non effluat, ut se cum sponso suo recolligere possit. Igitur toto affectu, toto posse tuo coneris imitari Dominum Jesum sponsum, et solitudine, et oratione, et jejunio, et corporis afflictionibus discretis.

In eo vero, quod conversatur cum bestiis, disce inter alios humiliter conversari, et æquanimiter tolerare etiam eos, qui tibi videntur aliquando irrationabiliter se habere. Ipsum autem Dominum sæpe in hac solitudine visita. Conspicies eum qualiter conversatur ibidem, et maxime, qualiter jaceat de nocte in terra. Quælibet enim anima fidelis deberet eum in die semel ad minus visitare, maxime ab Epiphania usque ad quadraginta dies quibus ibi manebat. Completis autem quadraginta diebus, Dominus *esurivit.* Tunc *tentator accessit* ad eum, volens explorare, utrum fuisset filius Dei, tentavitque eum de gula, dicens : *Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Sed non potuit magistrum decipere : taliter enim respondit, et sic se habuit, quod nec in tentatione gulæ succubuit, nec scire adversarius potuit quod voluit. Non enim negavit nec asseruit esse filium Dei, sed eum auctoritate Scripturæ convicit. Et nota hic exemplo Domini esse resistendum gulæ : nam ab eo inchoandum est, si vitia volumus superare. Videtur enim, quod qui gulæ succubuit, imbecillis reddatur ad alia vitia devincenda. Sic enim dicit Glossa in loco isto super Matthæum : « Nisi prius gula refrenetur, frustra contra alia vitia laboratur. » Postea *diabolus assumpsit eum,* et portavit eum in Hierusalem, quæ distat inde per decem et octo milliaria, vel circa. Has autem locorum distantias, quas pluries in opusculo tibi narro, ab his audivi, qui in illis partibus fuerunt. Considera hic benignitatem, et patientiam Domini. Permisit enim se portari et contrectari ab illa cruenta bestia, quæ suum et omnium amatorum suorum sanguinem sitiebat. Statuens autem eum *super pinnaculum templi,* tentavit eum de vana gloria, similiter volens explorare quod supra : sed et hic auctoritate Scripturæ devincitur, et sua intentione frustratur. Ex tunc ergo, secundum Bernardum [3], quia Dominus nihil ostendit divinitatis, arbitratus (*c*) hostis eum esse hominem, tentavit eum tertio, ut hominem. Exinde ergo assumens eum reportavit in montem excelsum prope dictum montem de Quarantena per duo milliaria, et tunc tentavit eum de avaritia ; sed et hic homicida ille succubuit. Vidisti quomodo Dominus Jesus fuit contrectatus et tentatus. Miraris ergo si nos tentemur? Fuit etiam ipse alias tentatus. Unde Bernardus dicit [5] : « Qui quadruplicem (*d*) tentationem de Domino non legit, ignorat Scripturam, quæ dicit, quod [5] *tentatio* (*e*) *est vita hominis super terram.* Apostolus quoque dicit eum fuisse [6] *tentatum per omnia, pro similitudine absque peccato.* » Victoria itaque facta, venerunt *angeli, et ministrabant ei.* Hic autem diligenter attende, et conspice Dominum comedentem, solum circumdantibus angelis, et considera bene omnia quæ sequentur, quia pulchra sunt et devota valde. Et quæro quid angeli ministrabant, ut comederet post tam longum jejunium? De hoc Scriptura non loqui-

[1] *Psal.* XLIV, 11-12. — [2] Bern., ibid., n. 5. — [3] Bern., in die sancto Pasch., serm. 1, n. 11. — [4] Id., in Psal. *Qui habitat,* serm. XIV, n. 4, quoad sensum. — [5] *Job,* VII, 1. — [6] *Hebr.,* IV, 15.

(*a*) *Cæt. edit.* esse solum etiam. — (*b*) *Item* quacumque. — (*c*) *Cæt. edit. add.* est. — (*d*) *Cæt. edit.* quartam. — (*e*) Vulg. *militia.*

tur; possumus autem hoc victoriosum prandium, sicut volumus, ordinare. Et quidem si ejus potentiam consideremus, expedita est quæstio, quia res quas vellet creare, et de creatis habere, poterat pro suæ arbitrio voluntatis. Sed non invenimus, quod hac potentia pro se vel pro discipulis suis usus fuerit; pro turbis autem fecit, quas pavit duabus vicibus in multitudine magna de panibus paucis. De discipulis autem legimus, quod eo præsente [1] *spicas vellebant* propter famem, et comedebant. Similiter, cum [2] *fatigatus ex itinere sedebat super puteum* loquens cum Samaritana, non dicitur quod creavit cibos, sed quod [3] *misit discipulos in civitatem,* ad quærendum cibos. Nec est verisimile quod per miraculum, quia miracula faciebat ad aliorum ædificationem, et in præsentia plurium; sed hic non erant nisi angeli. Quid ergo circa hoc meditabimur in mente? Namque illic non erat habitatio hominum, nec cibi parati; sed aliunde parata cibaria portaverunt angeli ei, sicut contigit Danieli [4]. Cum enim Abacuc propheta parasset pulmentum pro messoribus suis, portavit eum Angelus Domini per capillos de Judæa in Babylonem ad Danielem, ut comederet, et postea in momento eum reportavit. Immoremur ergo hic, et hunc modum assumamus, et jucundemur cum Domino in hoc prandio suo, sentiatque mater sua excellentissima de hac eadem jucunditate et victoria. Pie autem ac devote sic meditemur. Veniunt angeli, Satana repulso, in multitudine magna ad Dominum Jesum Christum, et adorantes eum prociderunt in terram, dicentes : Salvete, Domine Jesu, Deus Dominus noster; et Dominus humiliter ac benigne recepit eos, et cum capitis inclinatione, cogitans se fore hominem minoratum paulo minus ab angelis. Dicunt ei angeli : Domine, multum jejunastis, quid vultis ut vobis paremus? Et ille : Ite ad matrem meam charissimam, et si quid habet ad manus, deferte; quia de nullis cibis sic libenter vescor, sicut de suis. Tunc duo ex ipsis pergentes in momento fuerunt cum ea, et eam reverenter salutantes, ambasiatam faciunt, et modicum pulmentum, quod sibi et Joseph paraverat, et panem cum tobalia et aliis opportunis portant; et forte Domina etiam aliquos pisciculos, si potuit, procuravit. Reversi ergo portant in plana terra, et mensæ benedictionem solemniter peragunt. Conspice autem eum hic bene in singulis quæ agit. Sedet enim in terra composite ac curialiter, et sobrie comedit. Circumstant Angeli ministrantes Domino suo. Alius servit ei de pane, alius de vino, alius parat pisciculos, et alii cantant de canticis Sion, et jucundantur, et idem festum agunt coram eo. Si liceat dici, permixtum est hoc festum compassione permaxima, propter quam et nos deberemus plorare. Conspiciunt enim eum reverenter, et considerantes Deum et Dominum suum, et totius mundi creatorem, *qui* [5] *dat escam omni carni,* sic humiliatum, et sustentatione cibi corporalis indigentem, et comedentem sicut cæteros de populo, moventur compassione. Clamares et diceres : O Domine, quanta fecisti! Omnia opera vestra sunt plena stupore. Adjuvate me, ut ego aliqua patiar pro vobis, qui pro me tot et tanta sustinuisti. Certe hoc solum te in ejus amorem (*a*) deberet vehementer accendere. Tandem sumpta refectione, dicit angelis, ut reportent res, et dicant matri, quod cito redibit ad eam. Ipsis autem reversis, dicit omnibus : Redite vos ad Patrem et ad gaudia vera; me enim adhuc peregrinari oportet : rogo autem vos, ut me recommendetis Patri, et toti curiæ cœlesti. Qui procidentes in terram, et benedictionem petentes, ea recepta, redierunt ad patriam, ejus jussa complentes, et de ejus victoria, et de his novis totam cœlestem curiam impleverunt. Dominus autem Jesus volens redire ad matrem, cœpit de monte descendere. Conspice nunc etiam bene eum, quomodo solus vadit pedibus nudis Dominus omnium, et ei vehementer compatere. Venit autem ad Jordanem : quem Joannes videns ad se venientem, ostendit eum digito, dicens [6] : *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi;* ipse est super quem vidi Spiritum sanctum quiescentem, quando baptizavi eum. Et etiam altera die dum videret ambulantem juxta Jordanem, dixit similiter : *Ecce agnus Dei.* Tunc Andreas, et etiam unus alius ex discipulis Joannis, iverunt post Jesum. Benignus autem Dominus sitiens eorum salutem, ut daret eis de se fiduciam, vertit se ad eos, et dixit : *Quid quæritis?* At illi dixerunt : *Rabbi, ubi habitas?* et ipse duxit eos ad domum, in quam (*b*) tunc se reducebat in partibus illis, et steterunt cum eo una die. Postea duxit Andreas Petrum fratrem suum ad Jesum, quem alacriter sus-

[1] *Matth.*, XII, 1; *Marc.*, II, 23; *Luc.*, VI, 1. — [2] *Joan.*, IV, 6. — [3] Ibid., 8. — [4] *Dan.*, XIV, 33 et seq. — [5] *Psal.* CXXXV, 25. — [6] *Joan.*, I, 29.

(*a*) *Cæt edit.* amore. — (*b*) *Item* qua.

cepit : sciebat enim quid de eo erat facturus. Et dixit ei : *Tu vocaberis Cephas;* et sic in aliqualem notitiam et familiaritatem venit cum eis. Postea volens Dominus Jesus redire in Galilæam ad matrem, discessit de partibus illis, et cœpit reverti. Quem etiam nunc compatiendo respice, et vade semper cum eo; nam solus vadit more solito, nudis pedibus per tam longam quatuordecim milliarium viam. Cum autem domum devenit, mater eum videns, ultra quam dici posset exhilarata, surgit, occurrit, et in amplexus strictissimos recipit : cui ipse reverenter inclinavit, et etiam nutritio suo Joseph, et cum eis more solito mansit.

QUARTA FERIA.

CAPUT XVIII.

De Apertione Libri in Synagoga.

Hucusque, per Dei gratiam, vitam Domini Jesu ordinate tetigimus, parum vel quasi nihil de his, quæ sibi contigerunt, vel per ipsum facta sunt, omittentes : sed non sic deinceps facere intendo. Nimis enim esset longum omnia, quæ dixit et fecit, in meditationes redigere, maxime quia nostræ sollicitudinis debet esse, facta Christi continue, more beatæ Cæciliæ, portare in secreto pectoris nostri. Igitur aliqua ex gestis ejus colligamus, in quibus meditando versemur assidue, et hoc usque ad passionem suam : ex tunc enim nihil est omittendum. Alia etiam non debemus ex toto dimittere, quin pro loco et tempore meditemur in eis. Meditationes autem non intendo deinceps prolixius tractare, nisi perraro. Sufficit enim, quod rem per eum gestam vel dictam ante oculos mentis ponas, et quod cum eo converseris, et familiaris ei fias. Nam in hoc videtur haberi major dulcedo, et devotio efficacior, et quasi totus fructus harum meditationum consistere, ut ubique et semper intuearis eum devote in aliquo actu suo, ut quando stat cum discipulis suis, quando cum peccatoribus, quando etiam loquitur eis, quando prædicat turbæ, quando vadit, et quando sedet, quando dormit, et quando vigilat, quando comedit, et quando aliis ministrat, quando sanat ægrotos, et quando alia facit miracula. In his autem et similibus considera omnes gestus suos, maxime contemplans faciem ejus, si potes imaginari; quod super omnia prædicta mihi videtur difficilius. Illud etiam attente observa, si forte ipse te cum benignitate respiciat. Et tibi hæc sint pro recursu et doctrina omnium quæ sequuntur; et ubicumque narravero, si aliter non expressero singulares meditationes, vel istas omisero, recurras ad hunc locum, et sufficit tibi. Ad narrationem autem sequentium accedamus.

Quod pro sequentibus animadvertendum.

Postquam ergo Dominus Jesus rediit a baptismo, conversabatur humilitatis Magister humiliter, ut ante solitus erat : cœpit tamen paulatim se manifestare aliquibus docendo et prædicando occulte. Non enim per totum annum sequentem prædicationis officium publice dicitur assumpsisse, videlicet usque ad miraculum de nuptiis, quod fuit eodem die, quando fuit baptizatus, anno revoluto. Et si aliquando prædicabat, et discipuli baptizabant, non tamen adeo prædicationem ipsam per se et suos frequentabat ante Joannis incarcerationem, sicut post : ex hoc nobis tribuens stupendæ humilitatis exemplum, dum Joanni se longe et longe inferiori in prædicationis officio, prout ex superioribus pie percipi aut cogitari potest, humiliter deferebat. Non ergo cœpit cum boatu et pompa, sed humiliter et paulatim.

Quadam ergo *die sabbati* [1], dum esset in synagoga cum aliis in ecclesia Judæorum, *surrexit legere* in libro Isaiæ, et legit locum, ubi scriptum est [2] : *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me. Et* tunc *cum plicuisset librum*, dixit : *Hæc scriptura impleta est hodie in auribus vestris.* Conspice ergo eum, quomodo humiliter suscipiens lectoris officium, benigno et placido vultu legit inter eos, et exponit Scripturam, et quomodo humiliter se incipit manifestare, dum dicit; *Hodie impleta est hæc scriptura*, id est, ego sum ille, de quo loquitur. Et ora omnium erant in eum intenta propter efficaciam verborum, aspectum humilem et decorum : fuit enim pulcherrimus, fuit etiam eloquentissimus. Et de utroque sic per Prophetam dictum fuerat : [3] *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis.*

CAPUT XIX.

De Vocatione Discipulorum.

Cœpit etiam Dominus Jesus vocare discipulos, et se sollicitum reddere circa nostram salutem,

[1] *Luc.*, IV, 16 et seq. — [2] *Isa.*, LXI, 1, 2. — [3] *Psal.* XLIV, 3.

semper humilitate servata. Et vocavit Petrum et Andream tribus vicibus : prima, de qua dictum est supra, quando erat circa Jordanem, et tunc in aliqualem venerunt ejus notitiam ; secunda de navi, quando ceperunt pisces, ut narrat Lucas[1]; tunc enim secuti sunt eum animo redeundi ad propria, cœperunt tamen audire doctrinam ipsius; tertia, de navi, ut narrat Matthæus, cum dixit[2]: *Venite post me, faciam vos piscatores hominum. Tunc relictis retibus secuti sunt eum.* Similiter vocavit Jacobum et Joannem in prædictis duabus vicibus ultimis; et in eisdem locis continetur de ipsis, quibus continetur de Petro et Andrea. Vocavit etiam Joannem de nuptiis, ut dicit Hieronymus[3]; in textu tamen Evangelii non habetur. Item vocavit Philippum, dicens[4]: *Sequere me;* similiter[5] Matthæum publicanum. De modo vero vocationis aliorum, non est scriptum. Considera ergo et conspice eum in prædictis vocationibus, et conversatione cum ipsis : quam affectuose vocat eos, reddens se eis affabilem, et domesticum, et obsequiosum, attrahens eos intus et extra, ducendo etiam eos ad domum matris, et familiariter vadens ad domos eorum. Docebat et instruebat eos, et curam de ipsis habebat præcipuam, sicut mater de unico filio. Dicitur quod beatus Petrus referebat, quod quando in aliquo loco dormiebat cum eis, surgens de nocte, si aliquem eorum inveniebat discoopertum, recooperiebat eos, quia tenerrime diligebat eos. Sciebat enim quid de ipsis erat facturus : quamvis essent homines rudis conditionis et humilis nationis, tamen principes mundi, et duces in bello spirituali omnium fidelium constituturus eos erat. Et considera pro Deo a qualibus cœpit Ecclesia. Noluit enim Dominus eligere sapientes et potentes hujus sæculi, ne ipsorum probitati adscriberenter opera, quæ fienda erant; sed sibi hæc reservavit, et in sua bonitate, potentia, et sapientia nos redemit.

CAPUT XX.

De conversione aquæ in vinum ad nuptias.

Quamvis dubium sit, cujus fuerint (a) *nuptiæ*[6] *in Cana Galilææ,* sicut Magister in historia scholastica tangit; nos tamen meditemur fuisse Joannis Evangelistæ, quod habetur in *prologo super Joannis*, ubi Hieronymus affirmare hoc videtur. In eis Domina nostra fuit, non tamen invitata tanquam extranea, sed quasi major et dignior, et primogenita inter sorores, fuit in domo sororis quasi in domo sua, et tanquam administratrix, et domina nuptiarum : quod ex tribus colligere possumus. Primo ex eo quod in eis continetur, quod mater Jesu erat ibi, et de Jesu et dicipulis, quod erant vocati; et sic de aliis, qui ibi fuerunt, intelligi debet. Cum ergo soror ejus Maria Salome uxor Zebedæi fuisset ad eam Nazareth, quæ distat a loco de Cana per quatuor milliaria, vel circa, dicens quod volebat facere nuptias filio suo Joanni, ipsa fuit cum ea, et prævenit aliquot dies ad præparationem, ita quod, quando alii erant invitati, ipsa jam erat ibi. Secundo ex eo colligere possumus, quod ipsa perpendit defectum vini, unde ipsa non erat sicut una ex discumbentibus, sed sicut per cujus manus res ibant : et ideo vidit sibi deficere vinum. Si enim tunc discubuisset, numquid juxta filium inter homines mater verecunda surrexit? Et si alibi inter mulieres, numquid perpendisset defectum vini magis, quam alia? et si perpendisset, numquid surrexisset de prandio, et iret ad filium? Inconvenientia hæc viderentur. Et ideo verisimile est, quod tunc non discumbebat. De ipsa namque dicitur, quod erat valde obsequiosa. Tertio colligitur ex eo, quod ipsa præcepit ministris, ut irent ad filium, et facerent quod mandaret : et sic videtur, quod præcepisset, et quod nuptiæ gubernabantur per eam ; et ideo sollicita fuit, ne ibi defectus contingeret. Igitur secundum modum hunc conspice Dominum Jesum, inter alios comedentem, sicut unum quemvis de populo, et sedentem in loco humili, non inter majores, prout ex loco ipso colligimus. Non enim superborum mora volebat primos recubitus in cœnis; nam docturus erat[7]: *Cum invitatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco :* ipse vero[8] *cœpit* prius *facere*, quam *docere.* Conspice etiam Dominam obsequiosam, alacrem, et sollicitam in cunctis faciendis, et præbentem, et ostendentem ministris quid et qualiter discumbentibus deferant. Cumque prope finem convivii redirent ad eam ministri, dicentes : Non habemus plus de vino, quod apponamus eis; ipsa respondit : Ego procurabo quod habebitis : expectate parumper. Et exiens ad filium, qui humiliter, ut dixi,

[1] *Luc.*, VII, 1 et seq. — [2] *Matth.*, IV, 19 et seq. — [3] Hieron., *Præf. in Joan.* — [4] *Joan.*, I, 43. — [5] *Matth.*, IX, 6. — [6] *Joan.*, II, 1 et seq. — [7] *Luc.*, XIV, 10. — [8] *Act.*, I, 1.

(a) *Cæt. edit.* fuerant.

sedebat in fine mensæ, prope ostium cameræ, dixit ei : Fili mi, hic vinum deficit, et hæc nostra soror est pauper, et nescio qualiter habere possumus. Qui respondit : *Quid mihi et tibi est, mulier?* Dura videtur responsio ; sed ad nostram instructionem fuit, secundum Bernardum, qui in hoc loco sic dicit[1] : « Quid tibi, et illi, Domine ? Nonne quod filio et matri ? Quid ad illam pertinet (*a*), quæris, cum sis benedictus fructus ventris ejus immaculati ? Nonne ipsa est, quæ salvo pudore concepit, et sine corruptione te (*b*) peperit? Nonne ipsa est, in cujus utero novem mensibus moratus es, cujus virgineis uberibus lactatus es, cum qua duodecim annorum factus, de Hierusalem descendisti, et eras subditus illis ? Nunc ergo, Domine, quid molestus es illi, dicens : *Quid tibi et mihi?* Multum per omnem modum. Sed jam manifeste video, quod non velut indignans, aut confundere volens virginis (*c*) Matris teneram verecundiam, dixeris : *Quid mihi et tibi?* Venientibus enim ad te juxta Matris præceptum ministris (*d*), nihil cunctatus facis, quod suggessit. Ut quid ergo, fratres, ut quid sic responderat prius ? Utique propter nos, ut (*e*) conversos ad Dominum, (*f*) jam non sollicitet carnalium cura parentum, et necessitudines illæ non impediant exercitium spirituale. Quamdiu enim de mundo sumus, debitores nos constat esse parentibus. At postquam reliquimus nosmetipsos, multo magis ab eorum sollicitudine liberi sumus. Unde legimus fratrem quemdam in eremo conversantem, cum ad eum carnalis frater auxilii gratia advenisset, respondisse, ut adiret alterum fratrem eorum, cum ille utique jam obiisset. Cumque admiratus qui venerat, responderet, quia ille obiit ; eremita quoque se similiter obiisse respondit. Optime ergo docuit Dominus ne solliciti simus super propinquis carnis nostræ plus (*g*) quam religio postulet, quoniam ipse matri, et tali matri respondit : *Quid mihi et tibi, o mulier?* Sic et in alio loco, cum suggereret ei quidam, quoniam mater ejus et fratres foris starent, quærentes ei loqui, respondit[2] : *Quæ est mater mea, et fratres mei?* Ubi modo sunt, qui tam carnaliter et inaniter super carnalibus propinquis suis solliciti sunt, ac si adhuc viverent cum eis, et ipsi cum eis ? » Hucusque Bernardus.

Expositio responsionis Christi ad matrem in nuptiis.

Examen.

De hac ergo responsione mater non diffidens, sed de sua benignitate præsumens, rediit ad ministros, et dixit : Ite ad filium meum, et *quidquid vobis dixerit, facite.* Qui euntes impleverunt, juxta Domini mandatum, hydrias aqua. Quo facto dixit eis : *Haurite nunc, et ferte architriclino.* In hoc autem nota primo discretionem Domini, quia primo misit magis honorabili viro; secundo, quod ipse sedebat longe ab eo, cum diceret : *ferte* (*h*) illi, quasi ab eo remoto. Sed cum ille sederet in loco magis honorabili, colligere possumus, quod Dominus noluit ibi sedere juxta eum, imo elegit sibi humiliorem locum. Ministri ergo dederunt vinum illi et aliis, divulgantes miraculum, quoniam ipsi sciebant, quomodo factum fuerat, *et crediderunt in eum discipuli ejus.* Finito autem convivio, Dominus Jesus vocavit Joannem seorsum, dicens : Dimitte hanc uxorem tuam, et sequere me, quia ad altiores nuptias te perducam. Qui secutus est eum. In hoc ergo, quod Dominus nuptiis interfuit, matrimonium carnale approbavit, tanquam a Deo institutum. Sed in hoc, quod vocavit Joannem de nuptiis, aperte dedit intelligere, quod longe dignius (*i*) est spirituale matrimonium, quam carnale. Recessit ergo inde Dominus Jesus, volens his, quæ ad salutem hominum pertinent, deinceps publice et palam intendere. Prius autem voluit reducere matrem ad domum suam : talem enim Dominam talem societatem habere decebat. Accipit ergo et eam, et Joannem, et alios discipulos, et iverunt Capharnaum prope Nazareth, et post aliquot dies, Nazareth. Conspice ergo eos per viam qualiter vadunt pariter : mater et filius humiliter vadunt, et pedestres, sed multum amanter. O quales duo sunt illi ! nunquam alii tales duo in terra visi fuerunt. Conspice etiam discipulos reverenter sequentes, et auscultantes verba Domini : non enim ipse erat otiosus; semper quippe aliquid boni faciebat aut dicebat. Non poterat in tali comitatu tædium commeantibus generari.

CAPUT XXI.

De sermone Domini in monte, quem incœpit a paupertate.

Convocans Dominus Jesus discipulos seorsum a turbis, ascendit cum eis in montem Thabor (*j*),

[1] Bern., *in Dom.* 1, *post Epiph.*, serm. II, n. 5. — [2] *Matth.*, XII, 48.

(*a*) *Al.* pertines. — (*b*) *Cæt. edit. deest* te. — (*c*) *Cæt. edit. add.*. et. — (*d*) *Cæt. edit.* juxta præceptum ministri. — (*e*) *Item* et. — (*f*) *Cæt. edit. add.* ut. — (*g*) *Cæt. edit.* prius. — (*h*) Cæt. edit. *forte.* — (*i*) *Item* dignus. — (*j*) *Item* monte Tabor.

prope Nazareth, ad duo milliaria, ut eos imbueret eloquiis suis. Decebat enim, quod eos prius et super alios instrueret, quod super alios constituturus erat magistros et duces. Tunc ergo de multis instruxit, et sermo ille pulcherrimus fuit et copiosus : nec mirum, quia os Domini compilavit eum. Docuit autem eos de beatitudinibus, de oratione, jejunio et eleemosyna, aliisque plurimis ad virtutes pertinentibus, quæ in ipso Evangelio [1] poteris reperire. Legas eum diligenter et sæpe, et commenda memoriæ quæ in ipso dicuntur; quia spiritualissima sunt. Ea tamen nunc non prosequor, quia nimis foret longum, nec tales expositiones bene videntur semper in meditationes cadere : quamvis ad tuam instructionem talia, prout mihi occurrent, interseram, et etiam moralia, et auctoritates sanctorum. Hoc ergo hic tetigisse sufficiat, quod Dominus initium sermonis hujus a paupertate incœpit, dans intelligere, quod paupertas est totius spiritualis exercitii primarium fundamentum. Non enim expedite potest sequi Christum paupertatis speculum, qui oneratus est temporalibus rebus. Nec est liber, sed servus, qui animi affectionem subjicit istis rebus transeuntibus. Idcirco dixit : *Beati pauperes spiritu*, etc. Ejus enim rei, quam affectuose diligo, me servum sponte constituo. Nam amor est animæ pondus, portans eam quocumque ipse fertur, ut dicit Augustinus [2]. Et ideo nihil omnino est amandum, nisi Deus, vel mere propter Deum. Merito ergo beatus dicitur pauper, qui propter Deum cætera vilipendit : jam enim pro magna parte Deo suo conjunctus est. De hac autem paupertate sic dicit Bernardus [3] : « Magna quædam penna est paupertas (*a*), qua tam cito volatur in regnum cœlorum. Nam in aliis virtutibus quæ sequuntur, promissio futuro tempore indicatur; paupertati non tam promittitur, quam datur. Unde et in præsenti tempore enuntiatum est : *Quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* » Et postea subdit : « Videmus enim pauperes aliquos, qui si veram paupertatem haberent, non adeo pusillanimes invenirentur et tristes, utpote reges, et reges cœli. Sed aliqui sunt qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto, ut nihil eis desit; et sic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur. » Idem alibi [4] : « Et ego, si exaltatus fuero a terra, audaciter dico, omnia traham ad meipsum. Nec enim temerarie usurpo mihi fratris (*b*) mei vocem [5], cujus me induo similitudinem. Quod si ita est, non putent divites hujus sæculi, fratres Christi sola possidere cœlestia, qui (*c*) audiunt dicentem : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Ipsi possident terram, et quidem [6] *tanquam nihil habentes et omnia possidentes;* non mendicantes ut miseri, sed ut domini possidentes, eo pro certo magis domini, quo minus cupidi. Denique fideli homini totus mundus divitiarum est. Totus plane, quia tam adversa, quam prospera ipsius, æque omnia serviunt ei, et cooperantur in bonum. [7] Ergo avarus terrena esurit ut mendicus; fidelis contemnit ut dominus. Ille possidendo mendicat; iste contemnendo servat. Quære a quovis eorum, qui insatiabili corde lucris temporalibus inhiant, quidnam de his sentiat (*d*), qui sua vendentes et dantes pauperibus, regnum cœlorum pro terrena mercantur substantia, utrum sapienter agant, necnon; proculdubio respondebit : Sapienter. Quære recte cur quod approbat ipse (*e*), non facit : Non possum, inquiet. Quare? Profecto quia domina avaritia non permittit : quia liber non est; quia non sunt sua, quæ possidere videtur; sed nec ipse (*f*) sui juris. Si vere tua sunt, expende ad lucra, et pro terrenis cœlestia commutato. Si non vales facere, te pecuniæ tuæ non dominum esse dicam, sed servum; custodem, non possessorem. » Hucusque Bernardus. Sed redeamus ad meditationem. Conspice ergo et considera Dominum Jesum humiliter in terra sedentem super illo monte, et discipulos suos circa eum, quomodo stat inter eos, quasi sit unus ex eis, et quomodo affectuose, benigne, et pulchre, et efficaciter eis loquitur, inducens eos ad dictos actus virtutum. Et semper, ut supra in generali consideratione tibi dixi, respicere coneris faciem ejus. Conspice in discipulis, quomodo reverenter, humiliter, et cum tota mentis intentione aspiciunt eum et auscultant illa verba mirifica, et ea memoriæ commendant, et jucunditate magna fruuntur, tam in verbis quam in aspectu. In hac autem consideratione jucunderis et tu, aspiciendo ac si videres eum loquentem, et approximando eis, si forte vocata fueris, et immorando ibidem, ut Dominus

[1] *Matth.*, v, vi et vii. — [2] Aug., *Confess.*, lib. XIII, c. ix. — [3] Bern., *de Adv.*, serm. iv, n. 5. — [4] Id., *in Cant.*, serm. xxi, n. 7. — [5] *Joan.*, xii, 32. — [6] II *Cor.*, vi, 10. — [7] Bern., ibid., n. 8.

(*a*) *Al.* paupertatis. — (*b*) *Al.* fratres. — (*c*) *Al.* quia. — (*d*) *Cæt. edit.* sentiant. — (*e*) *Item* cur approbat ipse quod. — (*f*) *Cæt. edit. deest* ipse.

tibi dabit. Completo vero sermone, conspice illum Dominum Jesum, una cum discipulis ipsis descendentem de monte, et cum ipsis familiariter loquentem, etiam eundo per viam, et quomodo ille simplicium cœtus gregatim sequitur eum, non curiose ordinatus; sed sicut pulli post gallinam, ut quilibet melius audiat, magis eidem nititur approximare; et quomodo turbæ sibi affectuose occurrunt, et infirmos eidem sanandos offerunt. Ipse vero sanabat omnes.

CAPUT XXII.

De servo centurionis, et filio reguli a Domino liberatis.

Capharnaum vero erat quidam centurio, id est, centum militum ductor, et servum habebat infirmum. Misit ergo fide plenus ad Dominum Jesum, ut eum curaret. Humilis autem Dominus respondit : *Ego veniam, et curabo eum.* Quod cum scivit Centurio, remisit ad eum, dicens : *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum : sed tantum dic verbum, et sanabitur puer meus.* Jesus autem commendans fidem ejus, non ivit ulterius, et servum absentem sanavit. Cum autem in eadem civitate esset, quidam regulus [2], id est, parvus rex, ivit personaliter ad Jesum, rogans eum, ut veniret ad domum suam, et sanaret filium suum infirmum. At Jesus ire noluit, filium tamen sanavit. In his autem considera meritum fidei propter centurionem, et humilitatem Domini, volentis ire ad servum, et reguli pompam refugientis. Considera etiam, quod non debemus acceptare personas. Plus enim honoravit hic Dominus servum militis, quam filium regis : sic et nos debemus non ad oculos servire, nec secundum exigentiam exterioris pompæ; sed secundum intentionem vel bonitatem ejus qui servitio indiget, et non ex complacentia, sed ex charitate serviamus.

CAPUT XXIII.

De paralytico misso per tectum, et a Domino curato.

In civitate prædicta Capharnaum, cum Dominus Jesum doceret in quadam domo, et essent ibi congregati Pharisæi, et legis doctores multi ex omni castello Judææ et Hierusalem, venerunt quidam, volentes ingredi domum cum paralytico [3], quem portabant, ut a Domino sanaretur. Cumque propter multitudinem non possent, ascenderunt super tectum domus, et inde intromiserunt eum, et posuerunt eum ante Jesum. Dominus vero Jesus videns fidem eorum dixit : *Dimittuntur tibi peccata tua.* Ipsi autem Pharisæi et legis doctores observantes eum ex malitia, intra se dicebant, ipsum blasphemasse Deum; quia solus Deus potest dimittere peccata, et ipse hoc attribuebat sibi, quem purum hominem esse credebant. Ait ergo benignus et humilis Dominus, scrutans corda et renes hominum : *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Et addidit : *Ut sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata,* etc.

Hic quatuor sunt meditanda : primum, perspicacitas intellectus Christi, qui cogitationes illorum vidit; secundum, quia propter peccata veniunt infirmitates, et ex absolutione a peccatis aliquando contigit liberatio infirmitatum. Sic etiam habetis infra de curato apud piscinam, cui dicitur a Domino [4], ne amplius peccet, ne deterius sibi contingat. Tertium : considera quam magnum sit meritum fidei, nam etiam alterius fides alteri prodest, sicut supra proxime habuisti in servo centurionis : sic et infra habebis in Chananæa [5], in cujus fide filia fuit sanata. Hoc quotidie contingit in pueris qui baptizantur; quod si ante annos discretionis moriantur, in alterius fide suscipiunt arrham, propter quam in merito Christi salvantur, quod est contra quosdam hæreticos maledictos. Circa quartum meditandum de ipso inter illos sedente, et benigne malignis respondente, et miraculum faciente, recurre supra ad generalem considerationem, quam tibi dedi. Quatuor meditanda.

CAPUT XXIV.

De socru Simonis liberata.

Contingit, Dominum Jesum in civitate prædicta Capharnaum divertere in domum Simonis Petri [6], ubi socrus ejus magnis febribus tenebatur. Humilis ergo Dominus familiariter tetigit manum ejus, et curavit eam, adeo ut incontinenti surrexerit, et ei et discipulis ministraverit. Sed quid ministravit eis, non est scriptum. Cogita ergo, quod in domo pauperis, paupertatis amatori aliqua cibaria (Glossa : « et quæ cito parari poterant eis ») apposita sunt. Consi-

[1] *Matth.*, VIII, 3 et seq. — [2] *Joan.*, IV, 46. — [3] *Luc.*, V, 18; *Marc.*, II, 3 et seq. — [4] *Joan.*, V, 14. — [5] *Matth.*, XV, 28. — [6] *Matth.*, VIII, 14; *Marc.*, I, 30; *Luc.*, IV, 38.

dera etiam ipsum Dominum Jesum juvantem præparare, maxime in domo discipuli sui, et quævis humilia cogita, sive de tabula ponenda, sive de stratis lavandis, et similibus. Talia enim omnia faciebat humilitatis magister, qui ministrare venerat, et non ministrari. Et se familiariter ad sedendum ponebat in medio mensæ, et comedebat alacriter, præcipue cum in prandio relucebat paupertas, quam sic amabat.

CAPUT XXV.

De dormitione Domini in navicula.

Intrans Dominus Jesus in naviculam cum discipulis suis, posuit se ad dormiendum [1], tenens caput super cervicali. Ipse enim multum vigilabat de nocte in orationibus, multumque de die in prædicationibus laborabat. Cumque dormiret, orta tempestate, discipuli periclitari timebant; sed non audebant eum excitare. Timore tandem coacti, excitaverunt eum, dicentes : *Domine, salva nos, perimus.* Qui surgens increpavit eos de modica fide, et imperavit mari et ventis, et cessavit tempestas. In prædictis ergo actibus suis intuere, et respice eum, secundum generalem regulam, sive traditionem supra traditam. Hoc autem hic considerare potes, quod licet nobis circa nos et facta nostra Dominus videatur (*a*) dormire, maxime quando tribulamur; ipse tamen diligentissimus est super custodiam nostram. Et idcirco debemus esse in fide constantes, de nihilo hæsitantes.

CAPUT XXVI.

De filio viduæ a Domino suscitato.

Cum semel iret Dominus Jesus versus civitatem Naim [2], obviavit multitudini hominum portantium quemdam juvenem filium viduæ mortuum ad sepulchrum. Pietate ergo pius Dominus Jesus motus, tetigit feretrum, et portantes steterunt. Ipse autem dixit : *Adolescens, tibi dico, surge. Et statim surrexit, qui fuerat mortuus; et reddidit eum matri suæ.* Omnes autem *stupuerunt et laudaverunt Dominum.* In considerationibus vero, recurre ut supra.

CAPUT XXVII.

De puella suscitata, et Martha curata.

Ad petitionem cujusdam ex principalibus [3], ibat Dominus Jesus cum eo ad sanandum filiam suam. Cum ergo turba magna iret cum eo, intererat quædam mulier graviter infirma, quæ dicitur fuisse Martha soror Mariæ Magdalenæ, quæ intra se dicebat : *Si tetigero tantum* (*b*) *fimbriam vestimenti ejus, salva ero.* Et cum timore approximans, tetigit, et liberata est. Dixit autem Dominus Jesus : *Quis me tetigit?* Et respondit Petrus : *Domine, turbæ comprimunt te et affligunt, et tu dicis : Quis me tetigit?* Vide hic patientiam Domini. Nam sæpe comprimebatur a turbis, quia volebant ei approximare. Jesus autem sciebat quid dicebat. Et iterum dixit : *Ego sensi* (*c*) *virtutem ex me exiisse.* Tunc Martha negotium publicavit. Libenter eam Dominus curavit, cum qua multam familiaritatem postea habuit. Et tunc dixit ei : *Fides tua te salvam fecit.* In hoc ergo miraculo habes fidei commendationem; habes etiam, quod Dominus vult miracula nota esse propter utilitatem communem; sed quantum in se, propter humilitatem abscondebat, ut hic etiam habes : quod enim divina fecerat potestate, fidei illius attribuebat. Habes etiam hic quoddam valde notabile ad humilitatis custodiam, sicut beatus Bernardus hoc modo introducit : « Quilibet perfecte Domino serviens, potest appellari fimbria quasi ultima pars vestimenti Domini, propter suam humilem reputationem. » Qui ergo ad dictum statum pervenerit, quod sciat se a Domino exaudiri in liberandis infirmis, vel aliis miraculis, non extollatur propterea, nec sibi attribuat, quia non ipse, sed Dominus fecit. Quamvis enim hic Martha tangeret fimbriam, ad cujus tactum se liberari confidebat, et sic contigit, non tamen a fimbria, sed a Domino virtus liberationis exivit. Et propterea ipse dixit : *Sensi* (*c*) *virtutem ex me exiisse.* Nota ergo hoc bene, et nihil boni tibi in perpetuum attribuas, quia totum est a Domino Jesu. Tandem Dominus Jesus ivit ad domum principis, et inventam filiam mortuam suscitavit.

CAPUT XXVIII.

De conversione Magdalenæ, et aliis.

Curialissimus Dominus invitatur quadam die [4] a Simone leproso; ivit ad prandendum cum

[1] *Marc.*, IV, 38 et seq.; *Matth.*, VIII, 34 et seq.; *Luc.*, VIII, 24 et seq. — [2] *Luc.*, VII, 11 et seq. — [3] *Matth.*, IX, 18 et seq.; *Marc.*, V, 22 et seq.; *Luc.*, VIII, 41. — [4] *Luc.*, VII, 36.

(*a*) *Cæt. edit.* videat.— (*b*) *tamen.* — (*c*) Vulg. *novi.*

eo : quod facere solitus erat, tum ex sua curialitate, tum ex benignitate et zelo, quem habebat ad salvandas animas, pro quibus de cœlo descenderat, unde comedendo cum hominibus et conversando cum eis, ad amorem sui eos attrahebat; tum etiam ex amore paupertatis. Nam et ipse pauperrimus erat, et de mundi hujus substantia pro se et suis nihil sumpserat. Humiliter ergo et cum gratiarum actione, speculum humilitatis Jesus, cum invitabatur, recipiebat pro loco et tempore. Audiens autem Magdalena, quod in domo Simonis prædicti recumberet, quæ jam forte ipsum sæpe prædicantem audierat, et ardenter amabat, licet nondum hoc propalasset, tacta dolore cordis intrinsecus pro peccatis suis, et amoris ejus igne succensa, considerans quod sine ipso salutem obtinere non poterat, et amplius differre non volens, perrexit ad locum convivii, facieque inclinata, ac oculis in terram demissis, ante convivas transiens, non quievit donec pervenit ad Dominum ac dilectum suum; et tunc illico ad pedes ejus prostrata, visceroso dolore pariter et rubore repleta de peccatis suis, procumbens et ponens vultum super ipsius pedes, cum confidentia quadam, quia jam intra se eum super omnia diligebat, cœpit fortiter fletibus atque singultibus abundare, ac tacite intra se dicere : Domine mi, firmiter credo, scio atque confiteor, vos Deum ac Dominum esse meum. In multis autem et magnis offendi majestatem vestram, et multiplicavi peccata super numerum arenæ maris; sed ad vestram misericordiam confugio iniqua et peccatrix. Doleo et compungor, veniam peto, emendare peccata parata, et nunquam a vestra obedientia discedere propono. Non patiar, quæso, repulsam a vobis, quia aliud refugium nec me posse habere scio, nec habere volo, quia vos solum super omnia diligo. Non ergo me repellatis a vobis; sed de meis sceleribus me punite, ut libet; misericordiam tamen peto. Interim autem lacrymæ decurrentes largiter, pedes Domini balneaverunt et laverunt. Unde hic manifeste habere potes, quod Dominus Jesus discalceatus ibat. Tandem a fletu cessans, et cum perpendit, indignum judicans, quod suæ lacrymæ pedes Domini contigissent, capillis suis eos abstersit. Ideo autem capillis, quia secum aliud pretiosius non habebat, quo eos tergeret; et etiam quia ea quibus ad vanitatem usa fuerat, ad utilitatem convertere intendebat, et etiam ne vultum a pedibus Domini elongaret; et amore crescente, osculabatur eosdem amanter et sæpe. Et quia etiam pedes ipsius Domini propter itinera squalidi erant, eos ungebat pretioso unguento. Conspice ergo bene ipsam, et super his morose mediteris ob devotionem ejus, quæ ita singulariter a Domino fuit dilecta, et etiam quia solemne festum fuit hoc valde. Conspice etiam Dominum Jesum, quam patienter suscipit eam, et quam patienter sustinet quidquid facit. Cessat et quiescit a comedendo, donec negotium compleatur. Cessant etiam convivæ, et omnes super hac novitate mirantur. Simon autem vehementer eum judicabat in corde suo, quod a tali fœmina se permittebat tangi, quasi non esset propheta, nec eam cognosceret. Dominus autem cogitationibus cordis ejus respondens, se verum ostendit prophetam, et exemplo debitorum convicit. Et volens aperte demonstrare, quod omnia in dilectione consummantur, dixit : *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et ad eam dixit : *Vade in pace.* O verbum delectabile et suave, quam libenter illud Magdalena audivit, et quam jucunde recessit! Et perfecte ad eum conversa, deinceps sancte et honeste vixit, ac eidem et matri ejus perseveranter adhæsit. Meditare ergo hæc diligenter, et tantam charitatem imitari digneris, quæ hic maxime verbo et opere sic a Domino commendatur. Hic enim expresse habes, quod charitas inter Deum et peccatorem pacem reformat. Unde et beatus Petrus dicit [1], quod *charitas operit multitudinem peccatorum.* Itaque cum charitas omnes virtutes informet, nullaque Deo placeat sine charitate; ut ad ipsam habendam tota virtute nitaris, quæ te sponso tuo Christo Jesu acceptam faciat, aliquas de ipsa auctoritates adducam in medium. Dicit ergo de ipsa Bernardus [2] : « Charisma peroptimum charitas est, plane incomparabile, quod novæ sponsæ cœlestis sponsus toties inculcare curabat, nunc quidem dicens [3] : *In hoc cognoscent omnes, quod mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem;* nunc vero [4] : *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem;* et [5] : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Itemque orans [6] unum eos fore, sicut ipse et Pater unum sunt. » Et paulo post : « Denique

[1] I *Petr.*, IV, 8. — [2] Bern., *in Cant.*, serm. XXIX, n. 3. — [3] *Joan.*, XIII, 35. — [4] Ibid., 34. — [5] Ibid., 11. — [6] Ibid., XVII, 21.

quidnam huic comparandum putamus, quæ ipsi (*a*) præfertur martyrio ac fidei transferenti montes? Hoc est ergo quod dico : Pax vobis a vobis sit; et omne quod extrinsecus minari videtur (*b*), non terret, quia non nocet? » Idem [1] : « Quantitas cujusque animæ æstimetur de mensura charitatis, quam habet : ut, verbi gratia, quæ multum habet charitatis, magna sit; quæ parum, parva; quæ vero nihil, nihil, dicente Apostolo [2] : *Si charitatem non habeo*, nihil sum. Quod si quantulumcumque habere cœperit, ut saltem diligentes se diligere curet, ac salutare vel (*c*) fratres suos, et eos qui se salutant; jam nonnihil quidem illam animam dixerim, quæ in ratione dati et recepti socialem saltem retinet charitatem. Verumtamen, juxta sermonem Domini [3], *quid amplius facit?* Nec amplam proinde, nec magnam, sed plane angustam modicamque censuerim animam, quam adeo modicæ charitatis esse cognoverim. At [4] si grandescat et proficiat, ita quod transiens limites angusti hujus obnoxiique amoris, latos fines bonitatis gratuitæ tota libertate spiritus apprehendat, quatenus largo quodam gremio bonæ voluntatis, ad omnem seipsam curet extendere proximum, diligendo unumquemque tanquam seipsum; numquid jam illi recte dicetur : *Quid amplius facis?* Quippe quæ seipsam tam amplam facit, amplum, inquam, gerit charitatis sinum, quæ complectitur universos, etiam quibus nulla se novit carnis necessitudine junctam, nulla spe percipiendi commodi cujusquam illectam, nulla percepti redhibitione (*d*) obnoxiam, nullo denique adstrictam debito, nisi illo sane de quo dicitur [5] : *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Verum si adjicias etiam usquequaque vim facere regno charitatis, ut usque ad ultimos ejus terminos occupare illud pius invasor prævaleas, dum ne inimicis quidem viscera claudenda (*e*) pietatis existimes, benefacias [6] his quoque qui te oderunt, ores pro persequentibus et calumniantibus te, nec non et [7] cum ipsis qui oderunt pacem, esse pacificus studeas, tunc prorsus latitudini cœli et altitudini, latitudo tuæ animæ, et altitudo (*f*) non dispar, sed nec dissimilis pulchritudo; impleturque demum in ea quod dicitur [8] : *Extendens cœlum sicut pellem*, in quo jam miræ latitudinis, altitudinis et pulchritudinis cœlo, summus et immensus atque gloriosus non modo dignanter habitat, sed spatiose deambulabat. » Hucusque Bernardus. Vidisti ergo quam sit utilis, quamque necessaria charitatis virtus, sine qua profecto impossibile est placere Deo, cum qua sine dubio placet quicumque. Igitur toto corde, tota mente, totaque virtute studeas ipsam habere, quæ te libenter faciet omnia dura et aspera pro Deo portare, et proximo.

[1] Bern., *in Cant.*, serm. XXVII, n. 10. — [2] I *Cor.*, XIII, 2. — [3] *Matth.*, V, 47. — [4] Bern., ibid., n. 11. — [5] *Rom.*, XIII, 8. — [6] *Matth.*, V, 44. — [7] *Psal.* CXIX, 7. — [8] *Psal.* CIII, 2. — [9] *Matth.*, XI, 1 et seq.

CAPUT XXIX.

Quomodo Joannes misit discipulos ad Jesum.

Gloriosus miles et præcursor Domini Jesu Joannes Baptista, cum esset in vinculis incarceratus ab Herode propter justitiæ defensionem, quia redarguebat eum, qui tenebat uxorem fratris sui viventis, volens inducere discipulos suos, ut sequerentur Dominum Jesum, cogitavit eos ad ipsum mittere [9], ut auditis verbis, et visis operibus ejus, exardescerent in amorem ipsius, et sequerentur eum. Iverunt ergo ad eum, et ex parte Joannis dixerunt : *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Dominus autem Jesus magnam turbam tunc habebat coram se. Conspice bene ipsum, quomodo vultu placido recipit nuntios Joannis, et quomodo sapienter primo factis, et postea verbis respondit eis. In eorum ergo præsentia surdos sanavit, et mutos, et cæcos, et alia multa miracula fecit, et populo prædicavit, et postea illis inter alia dixit : *Ite et renuntiate Joanni, quæ audistis et vidistis.* Iverunt ergo, et ea retulerunt Joanni, qui ea libentissime audivit. Illi autem discipuli post mortem Joannis firmiter Christo adhæserunt. Dominus Jesus, post illorum discessum, valde Joannem coram populo collaudavit, scilicet, quod erat plusquam propheta, quod inter natos mulierum major eo non surrexerat, et de aliis ut in Evangelio habes. Tu ergo aspice Dominum Jesum semper, et dum prædicat, et dum prædicta miracula facit, ut supra habuisti.

CAPUT XXX.

De obitu Joannis Baptistæ.

Hic potest occurrere meditatio de morte ip-

(*a*) *Cæt. edit.* ipse — (*b*) videatur. — (*c*) *Cæt. edit. deest* vel. — (*d*) *Cæt. edit.* nulla spe percepti retributione. — (*e*) *Item* claudere. — (*f*) *Cæt. edit. paulo aliter.*

sius beati Joannis Baptistæ. Cum ergo Herodes ille nequissimus, et adultera illa pessima simul forte condixissent ipsum occidere, ut peccati sui redargutionem non haberent; contigit, ut in die convivii[1] saltanti miseræ filiæ ipsius Herodiadis daretur caput Joannis. Et sic fuit in carcere decollatus. Vide quantus vir, et quam viriliter, et quam enormiter regnante ac imperante nequitia, occubuit. O Deus, qualiter hoc fieri permisisti? Quid est hoc cogitare, quod taliter moriatur Joannes, qui tantæ perfectionis et sanctitatis erat, ut putaretur[2] esse Christus? Igitur si vis bene hoc negotium ruminare post nefaria opera eorum, cogita Joannis magnitudinem, et excellentiam singularem, et tunc poteris stupere. Audisti autem in superiori tractatu, qualiter fuit a Domino commendatus in multis; audi nunc quomodo commendat eum beatus Bernardus in quodam sermone, sic dicens[3] : « Illa mater et magistra omnium ecclesiarum Romana Ecclesia, et de qua (*a*) est dictum[4] : *Ego pro te rogavi, Petre* (*b*), *ut non deficiat fides tua*, in honorem (*c*) Joannis Baptistæ post Salvatoris nomen consecrata est et signata. Dignum namque fuit (*d*), ut singularem amicum sponsi sponsa (*e*) illuc proveheret, ubi principatum ipsa conscendit. Crucifigitur Petrus, Paulus gladiatur; sed tamen dignitas remanet Præcursori. Purpuratur Roma multitudine martyrum, totaque sublimitas beato refunditur patriarchæ. Joannes ubique major, in omnibus singularis, mirabilis super omnes. Quis sic gloriose annuntiatus est? Quis sic specialiter intra matris uterum Spiritu sancto legitur fuisse repletus? Quem legistis intra matris uterum exultasse? Cujus nativitatem audistis Ecclesiam celebrare? Quis sic eremum cupivit? Quis sic sublimiter legitur conversatus? Quis pœnitentiam et regnum cœlorum primus ostendit? Quis regem gloriæ baptizavit? Cui se primum Trinitas sic aperte revelavit? Cui tale testimonium præbuit Dominus Jesus Christus? Quem sic honoravit Ecclesia? Joannes patriarcha, imo patriarcharum finis et caput; Joannes propheta, imo plusquam propheta, quia quem venientem nuntiat, digito monstrat; Joannes angelus, sed inter angelos electus est, Salvatore testante, qui dicit[5] : *Ecce ego mitto angelum meum*, etc. Joannes apostolus, sed apostolorum primus et princeps, qui primus[6] *fuit homo missus a Deo;* Joannes evangelista, sed evangelii primus annuntiator, prædicator prædicans evangelium regni Dei ; Joannes virgo, imo virginitatis insigne speculum, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum; Joannes martyr, sed et martyrum lumen, inter nativitatem mortemque Christi, martyrii constantissima forma. Ipse vox in deserto clamantis, præcursor judicis, præco Verbi. Ipse est Elias; usque ad eum lex et prophetæ; lucerna lucens, et ardens. Silentio transeo, quod sic novem angelorum ordinibus insertus est, ut etiam ad Seraphim apicem transferatur. » Hucusque Bernardus. Audi nunc qualiter eum commendat Petrus Chrysologus (*f*) archiepiscopus Ravennensis in sermone quodam, sic dicens[7] : « Joannes schola virtutum, magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma justitiæ, etc. » Si ergo ad invicem comparas excellentiam, et dignitatem Joannis, et profunditatem scelerum eorum, qui ipsum occiderunt, merito habebis materiam stupendi, et murmurandi, si fas sit dicere, etiam contra Deum. Nam ad hunc talem et tantum mittitur spiculator, ut amputetur caput ejus, ac si esset aliquis vilissimus et pessimus homicida et depopulator. Conspice ergo eum reverenter et cum dolore, qualiter ad jussum vilis et nequam speculatoris collum parat, humiliter genua flectit, et gratias Deo agens ponit sacratissimum caput super aliquo trunco vel lapide, et patienter ictus sustinet, quousque totaliter abscindatur. Ecce quomodo vadit Joannes amicus intimus, et Domini Jesu consanguineus, et Dei maximus secretarius. Vere magna nobis confusio, qui patientiam in quibuscumque adversitatibus non habemus. Joannes innocens mortem et talem mortem sustinuit patienter; et nos plerumque peccatis aggravati, et ira Dei digni, non possumus etiam parvas injurias et gravamina tolerare, imo plerumque nec verba. Dominus autem Jesus erat tunc in partibus Judææ, sed non in terra illa. Cum autem obitus ejus fuerat ibi nuntiatus, flevit pius Deus pugilem suum et consobrinum; fleverunt etiam discipuli ejus cum eo; flevit beata Virgo, quæ

[1] *Matth.*, XIV, 6 et seq.; *Marc.*, VI, 22 et seq. — [2] *Luc.*, III, 15. — [3] Bern., vel si quis alius auctor, serm. *de privil. S. Joan. Bapt.*, n. 12, inter dubia S. Bern., Oper. tom. II, col. 682, edit. Mabillon. — [4] *Luc.*, XXII, 32. — [5] *Matth.*, XI, 10. — [6] *Joan.*, I, 6. — [7] Petr. Chrysol., *de Decollat. S. Joan. Bapt.*, serm.

(*a*) *Al.* cui. — (*b*) *Al. deest* Petre. — (*c*) *Cæt. edit.* honore amicum sponsæ. — (*d*) *Al.* erat. — (*e*) *Edit. Mabill.* amicum sponsi sponsæ sequeretur auctoritas, et singularem amicum ejus. — (*f*) *Cæt. edit.* Chrysogonus.

ipsum natum de terra levavit, et tenerrime eum dilexit. Sed Dominus consolabatur matrem suam; ipsa vero dicebat : Fili, quare non defendisti eum, ne sic moreretur? Cui filius : Reverenda mater, non expediebat ei talis defensio. Nam ipse pro meo Patre mortuus est, et pro defensione suæ justitiæ; cito autem erit in ejus gloria. Ipse enim Pater non intendit suos defendere tali modo in hoc mundo, quia non sunt hic diutius moraturi, nec eorum patria hic est, sed in cœlis. Joannes solutus est a vinculis corporis, nec est vis in mundo moriendi. Sæviit hostis in eum quantum potuit, sed ipse regnabit cum Patre meo in æternum. Igitur consoleris, charissima mater, quia Joanni semper erit bene. Postea vero aliquibus elapsis diebus, discessit Dominus Jesus de partibus illis, et rediit in Galilæam. Tu autem prædictis omnibus te præsentem exhibeas, et ea mediteris devote, et quocumque Dominus ierit, eum sequaris.

CAPUT XXXI.

De Locutione cum Samaritana.

Cum Dominus Jesus de Judæa *in Galilæam* rediret [1], quæ via est decem et septem milliarium, et amplius, ut pluries tibi dixi, et transiret *per Samariam, fatigatus est ex itinere.* Conspice pro Deo eum, hic quo modo fatigatur. Plane incedit, sæpe fatigatus est, et tota vita ipsius laboriosa fuit. Posuit ergo se ad sedendum super quemdam *puteum,* et quiescebat. *Discipuli* autem iverunt ad *civitatem* ad quærendos *cibos.* Venit ergo mulier quædam, quæ vocabatur Lucia, pro aqua ad ipsum puteum. Dominus autem cum ipsa incœpit loqui, et de magnis factis tractare, et seipsum eidem manifestare. De quibus autem cum ea loquebatur, et qualiter discipuli redierunt, et qualiter ad verbum mulieris civitas ei obviam venit, et qualiter ipse ivit cum eis, stetit, et discessit, non intendo referre : plana est enim evangelica historia : lege ipsam, et ipsum Dominum Jesum conspice in omnibus actibus. Ex ipsa autem historia quædam pulchra et utilia nota. Et primo humilitatem Domini Jesu : tum quia solus remansit humilis Dominus, discipulis in civitatem euntibus, confidenter enim se habebant ad eum; tum etiam quia cum illa muliercula sola de tam magnis factis sic tractabat humiliter, ac de pari loquebantur ad invicem. Non enim dedignabatur eam; sed talia cum ea dicebat, quod si multis sapientissimis respondisset de talibus, magnum fuisset. Non sic superbi faciunt : si enim ampullosa verba sua funderent inter paucos, nedum cum uno, ea perdita reputarent, sed nec illos judicarent dignos suscipere verba sua. Secundo paupertatem ipsius et corporis afflictionem considera; sed et humilitas est immixta cum eis. Habes enim hic, quod discipuli iverunt ad civitatem ad quærendum cibos, et quæsitos portaverunt, et volebant quod manducaret. Sed ubi manducasset? certe ibi ad puteum, vel ad aliquam rivum, sive fontem. Vide ergo qualiter fatigatus ac famelicus reficiebatur. Non credas quod hac sola vice casu sic factum fuerat, sed secundum consuetudinem suam. Unde aperte hic colligere potes, quod humilis Dominus ac paupertatis amator, cum ibat per mundum, sæpe comedebat extra civitatem et hominum habitationes, ad aliquem rivum vel fontem, quantumcumque fatigatus, vel afflictus foret. Non habebat etiam exquisita cibaria, non vasa curiosa, non delicata vina; sed habebat aquam puram ex ipso fonte vel rivo, qui vineas fœcundabat, et creaverat fontes, et omnia quæ moventur in aquis; et panem, tanquam pauper, sedens in terra humiliter comedebat. Tertio considera quomodo intentus erat studio spirituali. Nam cum discipuli eum, ut comederet, invitarent, dixit : *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me.* Nec voluit manducare; sed expectabat illos, qui veniebant de civitate, ut eis primo prædicaret, prius operari volens ea quæ spiritus erant, non corporis, quantumcumque tunc indigeret. Conspice ergo eum in prædictis, et ejus virtutes studeas imitari.

Lucia fuit nomen Samaritanæ.

Christi humilitas.

Superborum mos.

CAPUT XXXII.

Quomodo voluerunt præcipitare Dominum de supercilio montis.

Cum redisset Dominus Jesus Nazareth [2], et illi ab eo miracula peterent, et ipse eos miraculis indignos ostenderet, furore accensi, expulerunt eum extra civitatem. Benignus ergo Dominus ante eos fugiebat, et illi persequebantur eum. Quid tibi videtur? In tantum furor eorum exarsit, et crevit, quod ipsum usque ad supercilium montis duxerunt, ut eum inde præcipitarent.

[1] *Joan.*, IV, 3 et seq. — [2] *Luc.*, IV, 16 et seq.

Dominus vero divina virtute *transiens per medium illorum ibat*. Nondum enim mori elegerat. Et dicit hic Glossa [1] : « Quia dicitur quod cum Dominus Jesus de manibus illorum elapsus, de monte descenderet, et sub rupe lateret, saxum subterfugit, locum ei dedit quanta erat sua capacitas, ac si fuisset de cera : et rugæ vestis ipsius ibi remanserunt, ac si ibi sculptæ essent. » Conspice ergo eum ante eos fugientem, et latentem sub rupe, et compatere afflictionibus suis, et in humilitate ac patientia ipsum imitari coneris.

CAPUT XXXIII.

De habente manum aridam, et a Domino curato.

Quadam die sabbati docebat Dominus Jesus in synagoga [2] : et ibi erat quidam habens manum aridam ; et fecit eum Jesus stare in medio, et quæsivit ab illis sapientibus, si liceat in die sabbati bene facere. Ipsi vero tacuerunt. Dixit ergo Jesus habenti manum aridam : *Extende manum tuam*. Et sanatus est. Pluries in diebus sabbatorum fecit Dominus miracula ad confusionem Judæorum, quod carnaliter legem intelligebant, quam Deus spiritualiter observari volebat. Non enim in die sabbati a bono erat abstinendum et ab operibus charitatis, sed a peccatis et operibus servilibus. At illi scandalizabantur inde multum, et conspirabant contra eum, ac dicebant [3] : *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit*. Dominus autem propterea non dimittebat ; imo studiosius faciebat, ut eos erueret ab errore. Considera eum ergo in prædictis operationibus, et ejus exemplo non cesses a bono opere, quamvis alius inde scandalizetur injuste. A bono namque opere necessario ad salutem animæ, ac etiam ad profectum spiritus conferente, cessare non debes propter alicujus scandalum. A commodo vero corporali, secundum perfectæ charitatis exigentiam, abstinendum est propter scandalum fratris. Propter quod dicit Apostolus ad Romanos [4] : *Bonum est non manducare carnem et non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur aut infirmatur*.

CAPUT XXXIV.

De multiplicatione panum, et quomodo se diligentibus subvenit.

De duabus vicibus [5] legitur, quod benignus Dominus multiplicavit paucos panes, et inde multa millia hominum satiavit. Tu autem redige in unam meditationem, et in ea considera verba et facta ipsius. Dixit enim tunc : *Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent ; et si dimisero eos jejunos, deficient in via : quidam enim ex eis de longe venerunt*. Et postea panes multiplicavit, ita quod omnes comederunt abundanter. Considera ergo hic plura et bona, et specialiter quomodo Dominus Jesus erat misericors, et curialis, et gratus, quomodo discretus et circumspectus. Primo ergo considera, quod erat misericors, quia misericordia traxit eum ab subveniendum illis, et ideo dicit : *Misereor super turbam*. Nam et [6] *misericordia ejus plena est terra*.

Secundo erat curialis et gratus ex causa quam assignat : *Quia ecce*, inquit, *jam triduo sustinent me*. Vide curialitatem et gratitudinem magnam ac mirabilem. Nam quasi pro beneficio ab eis recepto sic loquitur, cum in veritate ipsorum bonum esset, et non suum. Sed sic est, ut alibi dicit [7] : *Deliciæ* suæ sunt *esse cum filiis hominum*, cum sibi nihil boni accrescat, nobis autem proveniat salus. Illos autem qui eum sequuntur, et præcepta et monitiones ejus custodiunt, diligit Dominus, nec manum suam eis claudit, quin subveniat, cum expedit eis.

Tertio discretus et circumspectus fuit, eo quod considerabat eorum indigentiam et impotentiam, qualiter deficere poterant, et qualiter aliqui eorum de longe venerunt. Vides ergo quam sapida, et quam melliflua ista verba fuerunt. Sic quotidie nobis spiritualiter contingit. Non enim habemus quid manducemus, nisi ipse det : et in via deficimus, si nos jejunos dimittit : et sine ipso non possumus nobis in aliquo spirituali negotio providere. Non ergo habeamus elationis materiam, cum de manu Domini aliquam consolationem percipimus, vel cum aliquem profectum spiritualis exercitii sentimus ; quia non a nobis, sed ab ipso est. Et ideo si bene attendimus, quanto profectiores fuerint servi Dei, et Deo propinquiores, in donis ejus excellentiores, tanto humiliores videbis : quia nihil sibi attribuunt nisi peccata et defectus. Et quanto quis ei magis appropinquat, tanto est amplius illuminatus : et ideo Dei magnificen-

[1] Gloss. *in Luc.*, IV. — [2] *Luc.*, VI, 6 et seq. — [3] *Joan.*, IX, 26. — [4] *Rom.*, XIV, 21. — [5] *Matth.*, XV, 32 et seq. ; *Joan.*, VI, 5 et seq. — [6] *Psal.* XXXII, 5. — [7] *Prov.*, VIII, 31.

tiam et misericordiam clarius videt; et sic in eo locum habere non potest superbia, vel vana gloria, quæ ex ignorantiæ cæcitate procedunt. Non enim qui Deum vel se bene cognosceret et examinaret, superbire posset. Est etiam longa via, qua ad Deum venimus, et specialiter de me et mei similibus loquor, qui in tam longam regionem ab eo discessimus propter peccata. Ad eum ergo rediens quis dicitur de longa via venire. Post verba ergo dicta, fecit Christus facta. Conspice ergo eum, qualiter illos panes accipiens, et Patri gratias agens, dedit discipulis, ut apponerent turbæ, et in manibus eorum ista multiplicavit, ut omnes pro suo libito comederent, et multa supererant fragmenta. Considera etiam, qualiter aspicit illos comedere, et in jucunditate eorum lætatur. Conspice etiam illos, qualiter super illo miraculo mirantur, et unus ad alterum inde loquendo lætantur, et cum gratiarum actione manducant non solum corporaliter, sed saltem aliqui ex ipsis mentaliter forte refectionem percipientes. Sed numquid fuit ibi Domina nostra, ut et ipsa de panibus libenter mulieribus porrigeret, et de ipsarum recreatione gauderet? Scriptura de hoc non loquitur. Tu autem meditare, prout Dominus tibi donat.

CAPUT XXXV.

De fuga Domini, quando voluerunt eum facere regem. Item contra mundi honores.

Postquam Dominus satiavit turbas, ut in superiori tractatu continetur, illi voluerunt [1] eum facere regem. Considerabant namque, quod posset eorum necessitatibus subvenire, et sub tali rege videbatur eis non posse egere. Dominus autem Jesus, cognoscens voluntatem eorum, fugit ab eis in montem : ita quod illi non perpenderunt, nec eum invenire tunc potuerunt. Noluit ergo temporaliter honorari. Et vide quomodo vere, et non ficte hunc fugit honorem : misit enim discipulos per mare, et ipse ascendit in montem, ut si eum ulterius inter discipulos quærerent, ipsum invenire nequirent. Discipuli autem nolebant separari ab eo, sed ipse coegit eos intrare in naviculam, et transfretare. Bonum erat ipsorum desiderium, stare scilicet velle cum Domino suo semper; sed ipse aliter providebat. Conspice nunc ergo eos quomodo invite ab eo discedunt, et quomodo Dominus Jesus coegit eos, ostendens penitus se ita velle, quod vadant in navem sine ipso, et tunc ipsi humiliter obediunt, quantumcumque grave et durum videatur eis. Sic quotidie spiritualiter nobiscum facit. Nollemus enim quod ipse a nobis discederet ullo tempore; sed ipse aliter se habet cum anima; vadit, et reddit pro suo velle, sed pro nostro bono. Propter quod audire te volo, quid in hac victoria dicat Bernardus; ait enim sic [2] : « Cum sponsus vigiliis, et obsecrationibus, et multo imbre lacrymarum quæsitus fuerit (*a*), subito dum teneri putatur, elabitur, et rursus (*b*) lacrymanti et insectanti occurrens, comprehendi patitur, sed minime retineri, dum subito iterum quasi a (*c*) manibus evolat : et si institerit precibus et fletibus devota anima, denuo revertetur, et *voluntate labiorum ejus non fraudabit eam.* [3] Sed rursum mox disparebit et non videbitur, nisi iterum toto desiderio requiratur. Ita ergo (*d*) in hoc corpore potest esse de præsentia sponsi frequens lætitia, sed non copia; quia etsi visitatio lætificat, sed molestat vicissitudo. Et hoc tamdiu necesse est pati dilectam, donec semel posita corporeæ sarcinæ mole (*e*), avolet et ipsa levata pennis desideriorum suorum, libere iter carpens per campos contemplationis, et mente sequens expedita dilectum quocumque erit. [4] Nec tamen vel in transitu præsto erit sic omni animæ, nisi illi dumtaxat, quam ingens devotio, et desiderium vehemens, et prædulcis affectus sponsam probat, et dignam ad quam gratia visitandi accessurum Verbum decorem induat (*f*), formam sponsi accipiens. » Idem alibi [5] : « Forte ideo subtraxit se, quo avidius revocaretur, teneretur fortius. Nam et aliquando simulabat se longius ire, non quia hoc volebat, sed quia volebat audire [6] : *Mane nobiscum, quoniam advesperascit.* » Et mox subdit : « Ergo istiusmodi piam simulationem, imo salutarem dispensationem, quam tunc corporaliter Verbum corpori (*g*) interdum exhibuit, non cessat identidem (*h*) spiritus, modo suo speciali, cum devota sibi anima sedulo actitare : præteriens teneri vult, abiens revocari : et ire quidem illi dispensatorium, redire vero semper voluntarium est; utrumque autem

[1] *Joan.*, VI, 15. — [2] Bern., *in Cant.*, serm. XXXII, n. 2. — [3] *Psal.* XX, 3. — [4] Bern., ibid., n. 3. — [5] Ibid., serm. LXXIV, n. 3. — [6] *Luc.*, XXIV, 29.

(*a*) *Al.* affuerit. — (*b*) *Al.* rursum. — (*c*) *Al.* e. — (*d*) *Al. add.* et. — (*e*) *Al.* sarcina molis. — (*f*) *Cæt. edit.* induit. — (*g*) *Edit. Mabill.* corpus. — (*h*) *Ibid. add.* Verbum.

plenum judicii, ac (*a*) penes ipsum horum ratio.[1] Nunc vero constat in anima fieri hujuscemodi vicissitudines euntis et redeuntis Verbi, sicut ait[2] : *Vado et venio ad vos;* item[3] : *Modicum, et non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me.* O modicum et non (*b*) modicum! O modicum et longum, pie Domine! Modicum dicis, quod non videbimus te? Salvum sit verbum Domini mei : longum est, et multum valde nimis : verumtamen utrumque verum, et modicum meritis, et non modicum (*c*) votis. Habes utrumque in Propheta[4] : *Si moram fecerit,* inquit, *expecta eum; quia veniet, et non tardabit.* Quomodo non tardabit, si moram fecerit, nisi quod ad meritum satis est, non tamen satis ad votum? Porro anima amans votis fertur, et trahitur desideriis, dissimulat merita, majestati oculos claudit, aperit voluptati, ponens spem (*d*) in salutari, et fiducialiter agens in eo. Intrepida denique, et inverecunda revocat Verbum, et cum fiducia repetit delicias suas, solita libertate vocans non Dominum, sed Dilectum, et dicens[5] : *Revertere, dilecte mi.* » Idem alibi[6] : « Has alternare vices non cessat in his qui spirituales sunt, vel quos potius spirituales proinde ipse creare intendit, visitans diluculo, et subito probans. » Hucusque Bernardus. Habes ergo quomodo Dominus Jesus spiritualiter visitat animam atque ab ea discedit, et quid tunc anima facere debeat. Revocare enim debet eum sollicite et instanter; interim autem patienter sustinere discessum sponsi, et exemplo discipulorum hic obedientium sine ipso navem intrantium, sustinere procellas, et ipsius adjutorio liberationem expectare. Sed redeamus ad ipsum Dominum Jesum. Ingressis namque discipulis in mare, ipse solus ascendit, et sic evasit manus illorum, qui eum quærebant. Vides enim quanto studio, et cautela fugit, et declinavit regni honorem. Exemplum nobis dedit, ut et nos similiter faciamus. Non enim pro se, sed pro nobis fugit. Cognoscebat namque quantæ sit temeritatis, si ad honores adspiremus. Honor enim de majoribus laqueis est ad captionem, et gravioribus ponderibus ad animarum subversionem, quam ego cognoscam, sive sit honor prælationis et potentiæ, sive scientiæ. Vix enim fieri potest, quod qui delectatur honore, in periculo et præcipitio magno non sit, vel quod pejus est, jam præcipitio collisus : et hoc ostendam tibi pluribus rationibus. Prima, quia animus ultra modum in honore delectatur, et sollicitus est quomodo ipsum conservet et augeat. At secundum beatum Gregorium[7], « tanto quis a superno amore disjungitur, quanto inferius delectatur. » Secunda, quia intendit ad habendos amicos sequaces et complices, quibus mediantibus et adjuvantibus tueatur et augmentet honorem, propter quod multa occurrunt, in quibus contra Deum, et conscientiam propriam ad talium amicorum complacentiam operatur, ut illos pro se faciat operari. Tertia, quia æmulatur habentes, et detrahit eis, ut ipse magis honoratus remaneat, et sic in odium et invidiam labitur. Quarta, quia se putat et reputari optat honore dignum, et sic cadit in elationem et superbiam. Sed juxta Apostolum[8] : *Qui existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* Et propterea dicit Dominus in Evangelio[9] : *Cum omnia bene feceritis, dicite : Servi inutiles sumus.* Sed quando dicit hoc, qui vult honorari? Quinta, quia non secundum spiritum ambulat, sed secundum carnem; non enim habet animum adunatum et elevatum ad cœlestia, sed vagum et ad multa sparsum. Sexta et ultima, quia ex quo in honore incipit delectari, in tantum allicitur, quod satiari non potest, et novos quotidie et majores procurat, et quanto plures recipit, tanto ad plures anhelat : quia semper honorabiliorem solito, et digniorem in suis et aliorum oculis esse se credit : et sic labitur in ambitionem, quæ est vitium pessimum, et multorum aliorum vitiorum radix et causa. De hujusmodi malignitate audi non me, sed Bernardum qui sic ait[10] : « Ambitio, inquit, subtile malum, et secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem. Et quantos hæc pestis, nequiter supplantatos, turpiter quoque dejecit, ut cæteri quoque (*e*), quos latuit occultus effossor, subitam expavescerent ad ruinam! Quid vero hunc vermem alit (*f*), quam mentis alienatio, et oblivio veritatis? Aut

[1] Bern., ibid., n. 4. — [2] *Joan.*, XIV, 28. — [3] *Joan.*, XVI, 16. — [4] *Habac.*, II, 3. — [5] *Cant.*, II, 17. — [6] Bern., *in Cant.*, serm. XVII, n. 2. — [7] Greg., *in Evang.*, hom. XXX, n. 2. — [8] *Gal.*, VI, 3. — [9] *Luc.*, XVII, 10. — [10] Bern., super Psal. *Qui habitat*, serm. VI, n. 4.

(*a*) *Edit. Mabill. add.* at. — (*b*) *Ibid. deest* non. — (*c*) *Al.* et longum. — (*d*) *Edit. Mabill. deest* spem. (*e*) *Edit. Mabill.* quique. — (*f*) *Ibid.* fovet vermem aliud.

quid nisi veritas hunc prodendum investigat (*a*) proditorem, et negotium arguit tenebrarum? Nimirum hæc est, quæ dicit [1] : *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, se autem perdat, et detrimentum sui faciat?* Et item [2] : *Potentes*, inquit, *potenter tormenta patientur.* Hæc est quæ sedula suggestione reducit in mentem, quam sit in ambitu frivola consolatio, grave judicium, usus brevis, finis ignotus. » Et ideo [3] « tentatio Domini de ambitione fuit, quando omnia regna mundi promisit, si cadens adoraret eum. Vides enim (*b*) quod ambitionis via adoratio diaboli est, qua videlicet ad honores mundi et gloriam perveniendum suis ille adoratoribus pollicetur? » Idem alibi [4] : « Cupidi siquidem sumus ascensionis, exaltationem concupiscimus omnes. Nobiles enim creaturæ sumus, et magni cujusdam animi : ideoque altitudinem naturali appetimus desiderio. Sed væ nobis, si voluerimus eum sequi, qui ait [5] : *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis.* Heu miser, *in lateribus Aquilonis!* Frigidus est mons ille, non te sequimur. Potestatis habes concupiscentiam; altitudinem præsumis potentiæ. Quanti tamen usque hodie fœda sequuntur, infeliciaque vestigia tua (*c*)! imo vero quam pauci evadunt, quibus non dominandi libido dominetur? Quem sequimini, miseri? Quem sequimini? Nonne (*d*) iste est mons in quem ascendit angelus, et diabolus factus est? Et (*e*) illud advertite, quod post casum suum invidia cruciante, male sollicitus de supplantando homine, [6] « similem ei montem alterum demonstravit [7] : *Eritis*, inquit, *sicut dii, scientes bonum et malum.* » Post aliqua [8] : (Et ista) potestatis ambitio angelum felicitate privavit angelica. Scientiæ etiam (*f*) appetitus hominem immortalitatis gloria spoliavit. Conetur quis ascendere in montem potestatis; quantos putas habebit contradictores? quantos inveniet expulsores, quanta obstacula, quam difficilem viam? Quid, si tandem adipisci eum contingeret (*g*) quod optabat? *Potentes potenter*, ait Scriptura [9], *tormenta patientur;* unde (*h*) præsentes sollicitudines et anxietates, quas ipsa potestas parit, omittam. Cupidus alter est instantis scientiæ; quantum laborabit! quantum anxiabitur spiritus ejus! Et tamen audiet : nec si te ruperis, apprehendes. In amaritudine morabitur oculus ejus, quoties videre contigerit cui (*i*) se posteriorem judicet, aut ab aliis reputari putet (*j*). Quid cum intumuerit multum? *Perdam*, inquit Dominus [10], *sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo* [11]. Jam ne multis immorer, vidistis, ut arbitror, quam fugiendus nobis sit mons uterque, si præcipitium angeli, si casum hominis expavescimus. [12] *Montes Gelboe, nec ros nec pluvia veniant super vos.* Quid tamen agimus? Ascendere sic non expedit, (*k*) ascendendi tenemur concupiscentia; quis docebit nos ascensum salubrem? Quis, nisi de quo legimus [13], quoniam *qui descendit, ipse etiam ascendit?* Et ab ipso demonstranda erit (*l*) nobis ascensionis via, ne ductoris, imo seductoris iniqui, aut vestigium, aut consilium sequerentur (*m*). Quia ergo non erat qui (*n*) ascenderet, descendit Altissimus, et suo nobis descensu suavem ac salubrem dedicavit ascensum. Descendit de monte potentiæ, carnis infirmitate circumdatus; de monte descendit scientiæ, quoniam [14] *placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* Quid enim tenello corpore et infantilibus membris videtur infirmius? Quid indoctius apparet parvulo, qui sola matris ubera novit (*o*)? Quis impotentior eo, cui (*p*) omnia membra clavis sunt affixa, cujus dinumerantur omnia ossa? Quis insipientior videtur eo, qui tradebat in mortem animam suam, et quæ non rapuit tunc exolvebat? Vides qui multum descenderat (*q*), quantum a potentia, quantum a sapientia exinaniverit (*r*) seipsum? Sed non potuit altius in montem bonitatis ascendere, nec suam expressius commendare charitatem. Nec mirum si descendendo Christus ascendit, quando priorum uterque cecidit ascendendo. » Idem alibi [15] : « Propterea, charissimi, perseverate in disciplina quam suscepistis, ut per humilitatem ad sublimitatem ascendatis; quia hæc via est, et non est alia præter illam. Qui aliter vadit, cadit potius, quam ascendit;

[1] *Marc.*, VIII, 36; *Matth.*, XVI, 26. — [2] *Sap.*, VI, 7. — [3] Bern., ibid., n. 5. — [4] Id., *de Ascens. Dom.*, serm. IV, n. 3. — [5] *Isa.*, XIV, 13. — [6] Bern., ibid., n. 4. — [7] *Gen.*, III, 15. — [8] Bern., ibid., n. 5. — [9] *Sap.*, VI, 7. — [10] I *Cor.*, I, 19, ex *Isa.*, XXIX, 14, et *Abd.*, 8. — [11] Bern., ibid., n. 6. — [12] II *Reg.*, I, 21. — [13] *Ephes.*, IV, 9, 10. — [14] I *Cor.*, I, 21. — [15] Bern., *de Ascens. Dom.*, serm. II, n. 6.

(*a*) *Edit. Mabill.* vestigat. — (*b*) *Ibid.* Videsne. — — (*c*) *Ibid. deest* tua. — (*d*) *Ibid.* Non. — (*e*) *Ibid.* Vel. — (*f*) *Ibid. deest* etiam. — (*g*) *Ibid.* contigerit. (*h*) *Ibid.* ut. — (*i*) *Ibid.* qui. — (*j*) *Ibid.* aut putet ab aliis reputari. — (*k*) *Ibid. add.* et — (*l*) *Ibid.* erat. — (*m*) sequeremur. — (*n*) *Ibid.* quo. — (*o*) *Ibid.* noverit. — (*p*) *Ibid.* cujus. — (*q*) *Ibid.* quam multum descenderit.— (*r*) *Ibid.* quantum a potentia sua, quantum a sapientia sua exinaniverit.

quia sola est humilitas quæ ascendit, et (*a*) quæ exaltat; hæc est (*b*) quæ sola (*c*) ducit ad vitam. » Et infra : « O perversitas, o ambitio (*d*) filiorum Adam! quod (*e*) cum ascendere difficillimum, descendere autem facillimum sit, ipsi et leviter ascendunt, et descendunt difficilius, parati ad honores, ad (*f*) celsitudines graduum ecclesiasticorum, ipsis etiam angelicis humeris formidandos! Ad sequendum autem te, Domine Jesu, vix invenitur, vel qui trahi patiatur, qui velit (*g*) duci per viam mandatorum tuorum. » Hucusque Bernardus. Habes ergo ex prædictis, qualiter ad verum honorem pertingere possis, scilicet per humilitatem ; et qualiter fugiendus est hic temporalis et falsus honor. Sed forte blandiuntur sibi aliqui ambitiosi scientiæ ac honoris sub specie lucri animarum, quasi sic melius possint intendere aliorum saluti. Sed audi quid eis respondeat Bernardus [1] : « Utinam tamen quisquis sic intrat, si fieri posset, tam fideliter ministraret, quam fiducialiter se ingessit! At difficile, fortassis ac (*h*) impossibile est, ut ex amara radice ambitionis, suavis fructus prodeat charitatis. » Hucusque Bernardus. Ad hoc autem ut honores vilipendas, ut condecet, necessaria est virtutis præcellentissimæ magnitudo. Nam, sicut dicit Chrysostomus, « tale quid est uti bene honoribus, ac si aliquis cum puella speciosissima conversetur, et leges accipiat, ne in ipsam unquam oculos injiciat impudicos. » Ideoque procul dubio valde forti opus est animo, ut quis potestate vel honore sibi concesso, in his quibus oportet utatur.

CAPUT XXXVI.

Quomodo Dominus oravit in monte, et descendens ambulavit super aquas, et multa plura de oratione.

Sicut in superiori tractatu habuisti, Dominus Jesus [2] coegit discipulos intrare navem, et ipse ascendit in montem. Compleamus ergo quæ Dominus operatus est post illud miraculum de panibus, quia illa materia contigua est, et ea quæ istis tractatibus continentur, simul facta fuerunt. Ipse tamen dimisi, ut melius posses capere, et ut eorum moralitates possent clarius explicari. Postquam ergo discipuli navem intraverunt, ipse in montem ascendit, et ibi stetit in oratione usque ad quartam vigiliam noctis, id est, usque ad partes tres noctis quæ recesserant, et quarta restabat. Ex quo habes, quod Dominus Jesus pernoctabat in orationibus : et pluries legitur, eum orationi intendisse. Conspice ergo eum, qualiter orat, et se humiliat coram Patre. Quærit solitaria loca, et solus vadit ad ea, affligit se, et vigilat vigilias longas. Intercedit pastor fidelis pro ovibus suis; orat enim non pro se, sed pro nobis, tanquam advocatus noster et mediator apud Patrem. Orat etiam, ut exemplum nobis daret orandi. Frequenter etiam discipulos monuit de hoc, et opere comprobavit. Dicebat namque eis, quoniam *oportet semper orare, et non deficere*, et quomodo importunitas orationis impetrat quod poscit, proponens eis exemplum ad hoc de judice et vidua, ut habes in *Luca* [3]. Hortabatur eos etiam ad confidentiam impetrandi petita, dicens [4] : *Petite, et dabitur vobis* ; ad hoc aliud proponens exemplum de amico [5], qui propter importunitatem amici petentis panes necessarios commodat, ut similiter habetur in *Luca*. Et hoc dicebat, ut nobis commendaret virtutem orationis. Est quippe virtus ejus inæstimabilis, et efficax ad omnia proficua impetranda, et nociva removenda. Si vis enim patienter tolerare adversa, sis homo orationis. Si vis tentationes et tribulationes superare, sis homo orationis. Si vis pravas affectiones conculcare, sis homo oratienis. Si vis astutias Satanæ cognoscere, ac ejus fallacias vitare, sis homo orationis. Si vis lætanter vivere in opere Dei, et laboris et afflictionis viam incedere, sis homo orationis. Si vis spirituali vita te exercere, et carnis curam non agere in desideriis, sis homo orationis. Si vis vanas muscas cogitationum effugare, sis homo orationis Si vis animam tuam sanctis et bonis cogitationibus, desideriis, fervoribus et devotionibus impinguare, sis homo orationis. Si vis cor tuum virili spiritu, et constanti proposito in Dei beneplacito stabilire, sis homo orationis. Denique si vis vitia extirpare, et virtutibus imbui, sis homo orationis. In ea enim recipitur sancti Spiritus unctio, quæ de omnibus mentem docet. Item si vis ad contemplationem ascendere,

Multiplex fructus orationis.

[1] Bern., serm. *de Convers.*, *ad Cleric.*, c. XXI, n. 36. — [2] *Joan.*, VI, 15 et seq.; *Marc.*, VI, 32 et seq.; *Matth.*, XIV, 13 et seq. — [3] *Luc.*, XVIII, 1 et seq. — [4] *Luc.*, XI, 9. — [5] Ibid., 5 et seq.

(*a*) *Edit. Mabill. deest* quæ ascendit, et. — (*b*) *Ibid. deest* hæc est. — (*c*) *Ibid.* sola quæ. — (*d*) *Ibid.* abusio. — (*e*) *Ibid.* quia. — (*f*) *Add.* honores et. — (*g*) *Ibid.* inveniuntur, qui vel trahi patiantur, qui velint. — (*h*) *Ibid.* et.

frui amplexibus sponsi, sis homo orationis. Ad eam namque contemplationem et cœlestium degustationem, per orationis exercitium devenitur. Vides quam magnæ potentiæ et virtutis sit oratio. Ad quorum omnium confirmationem, omissis Scripturarum probationibus, hoc tibi sit pro efficaci probatione, quod audimus, et videmus quotidie per experientiam, illitteratas personas et simplices, prædicta et alia plura majora, per virtutem orationis fuisse adeptos. Multum ergo animam debent ad orationem dare omnes qui Christum imitari desiderant, et præcipue religiosi, quibus major debet esse vacandi copia. Quare te hortor, tibique, quantum possum, mando districtius, ut pro principali exercitio tuo sumas orationem, nihilque aliud, necessariis curis tantum exceptis, te delectet, nisi oratio : quia nihil tantum te delectare (*a*) debet, quam morari cum Domino, quod per orationem fit. Ut autem melioris hortatoris fungaris consilio, audi melliflua quæ super ista materia narrat Bernardus. Dicit enim sic [1] : « Quibus studium est frequenter orare, experti sunt quod dico. Sæpe corde tepido et arido accedimus ad altare, orationi incumbimus. Persistentibus autem repente infunditur gratia, pinguescit pectus, replet viscera inundatio pietatis; et si sit qui premat, lac conceptæ dulcedinis ubertim ubera (*b*) fundere non tardabunt. » Idem, in principio Quadragesimæ [2] : « Quoties, inquit, de oratione loquor, verba quædam humanæ cogitationis audire mihi videor in corde meo. Quid enim est, quod licet nunquam ab oratione cessemus, vix unquam experiri videtur aliquis vestrum (*c*), quis sit orationis suæ fructus ? Sicut ad orationem accedimus, sic et redire videmur ; et nemo respondet nobis verbum, nemo quidquam donat. Sed judicium fidei sequere, non experimentum tuum : quoniam fides quidem verax, sed experimentum fallax. Quæ est igitur veritas fidei, nisi quod promisit Filius Dei dicens [3] : *Quidquid autem orantes petitis, credite quia accipietis, et fiet vobis?* Nemo vestrum, fratres, parvipendat orationem suam. Dico enim vobis, quia ipse ad quem oramus, non parvipendit eam. Prius quam egressa sit ab ore nostro, ipse eam scribi jubet in libro suo. Et unum e duobus indubitanter sperare possumus, quoniam aut dabit quod petimus, aut quod novit (*d*) nobis utilius. Nos enim quid oremus sicut oportet, nescimus, sed miseretur ille super ignorantia nostra, et orationem benigne suscipiens, quod nobis aut omnino non est utile, aut non tam cito dari necesse est, minime tribuit : oratio tamen infructuosa non erit [4]. Ita sane, si fecerimus quod monemur in Psalmo, scilicet, si delectemur in Domino. Ait enim sanctus David [5] : *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.* » Et post pauca [6] : « Sed considera, quod petitiones cordis dixerit, quas approbat judicium rationis. Nec habes quod (*e*) causeris, sed unde magis toto affectu in gratiarum actione verseris : quandoquidem tanta super te cura est Deo tuo, ut quoties quæris quod tibi inutile est, non te audiat super hoc, sed mutet illud meliori dono : sicut pater carnalis parvulo quærenti panem libenter porrigit; quærenti cultellum, quem non necessarium putat, non consentit, sed magis ipsi panem, quem ei dederit, ipse frangit. [7] Porro petitiones cordis in tribus crede consistere; nec video quid præter illa electus quisquis (*f*) sibi debeat postulare. Duo quidem hujus temporis sunt, scilicet bona corporis, et bona animæ; tertium autem, beatitudo vitæ æternæ. Nec mireris quod bona corporis a Deo dixerim esse quærenda : quoniam ejus sunt corporalia omnia, sicut spiritualia bona. Ab eo enim est petendum et sperandum nobis evenire, ut possimus in ejus servitio sustentari. Verumtamen pro necessitatibus animæ orandum est nobis et frequentius et ferventius, id est pro obtinenda gratia Dei, animæque virtutibus. Sic et pro vita æterna tota pietate totoque nobis orandum est desiderio, ubi nimirum et corporis, et animæ plena et perfecta est beatitudo. » Et infra [8] : « Sit ergo oratio quæ pro temporalibus est, circa solas necessitates restricta. Sit oratio quæ pro virtutibus animæ est, ab omni impuritate libera, et circa solum beneplacitum Dei intenta. Sit ea quæ fit pro vita æterna, in omni humilitate præsumens de sola miseratione divina. » Idem [9] : « Non modo locum, sed et tempus observare oportet eum, qui sibi orare voluerit. Tempus feriatum commodius aptiusque; maxime autem cum profundum nocturnus sopor

(*a*) *Cæt. edit.* delectari. — (*b*) *Edit. Mabill. deest* ubera. — (*c*) *Ibid.* videatur aliq. nostrum. — (*d*) *Ibid.* moverit. — (*e*) *Ibid.* unde. — (*f*) *Ibid.* quisque.

[1] Bernard., *in Cant.*, serm. IX, n. 7. — [2] Id., *de Quadrag.*, serm. V, n. 5. — [3] *Matth.*, XXI, 22; *Marc.*, XI, 24. — [4] Bern., ibid., n. 6. — [5] *Psal.* XXXVI, 4. — [6] Bern., ibid., n. 7. — [7] Ibid., n. 8. — [8] Ibid., n. 9. — [9] Id., *in Cant.*, serm. LXXXVI, n. 3.

indicit silentium, tunc plane liberior exit puriorque oratio. *Consurge in nocte*, inquit [1], *in principio vigiliarum tuarum, et effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini Dei tui.* Quam secure (*a*) de nocte ascendit oratio, solo arbitro Deo, sanctoque angelo, qui illam superno altari suscipit præsentandam. Quam grata et lucida, verecundo colorata rubore! Quam serena et placida, nullo interim turbata (*b*) clamore, vel strepitu! Quam denique munda et sincera, nullo respersa pulvere terrenæ sollicitudinis, nulla aspicientis (*c*) laude, seu adulatione tentata? Propter hoc igitur sponsa non minus verecunde, quam caute, et lectuli secretum petebat et noctis, orare, hoc est Verbum quærere volens : unum est enim. Alioquin non recte oras, si orando præter Verbum aliquid quæras, aut quod propter Verbum non quæris : quoniam [2] *in ipso sunt omnia.* Ibi remedia vulnerum, ibi subsidia necessitatum, ibi resarcitus defectuum, ibi profectum copiæ, ibi denique quidquid accipere, vel habere omnibus (*d*) expedit, quidquid decet, quidquid oportet. Sine causa ergo aliud a Verbo petitur, cum ipsum sit omnia. Nam si (*e*) ista temporalia, cum necesse est, postulare familiarius (*f*) videmur, si Verbum in causa est, ut quidem dignum est, non utique illa, sed hoc potius quærimus, propter quod alia postulamus. » Hucusque Bernardus. Audisti igitur verba pulcherrima altissimi contemplantis, et orationum dulcedinem degustantis Bernardi. Rumines ea, si vis, ut sapiant tibi. Ideo autem libenter ipsius verba in hoc Opusculo intersero et adduco, quia non solum spiritualia sunt, et cor penetrantia, sed et decore plena, et ad Dei servitium excitantia. Ipse enim fuit eloquentissimus, et spiritu sapientiæ plenus, et sanctitate præclarus : quem te desidero imitari, et ipsius monita et verba opere exercere, propter quod sæpe tibi propono eumdem.

Auctoris de S. Bernardo testimonium.

Sed redeamus ad Dominum Jesum. Dum igitur Dominus esset orans in monte, discipuli erant in mari afflicti et angustiati vehementer, quia ventus erat eis contrarius, et navis procellis et fluctibus jactabatur. Conspice ergo eos, et compatere eis, quia in magna sunt tribulatione et angustia. Tempestas enim invasit eos, tempus nocturnum est, et absque Domino suo sunt. Quarta autem vigilia noctis descendit Dominus de monte, et ambulans supra mare, appropinquavit eis. Conspice ergo eum bene hic pro Deo, et vide quomodo fatigatus ex vigilia longa et oratione prolixa, solus descendit noctis tempore de monte laborioso, et forte petroso, pedibus nudis, et quomodo vadit supra mare firmo vestigio sicut super terram. Cognovit ergo creatura suum Creatorem. Cum autem appropinquavit navi, discipuli timentes clamaverunt, putantes esse phantasma; at benignus Dominus nolens amplius eos vexari, assecuravit eos dicens [3] : *Ego sum, nolite timere.* Tunc Petrus confisus de potentia Domini, ad jussum ejus cœpit et ipse supra mare ambulare; sed postea titubans cœpit mergi, sed dextera Domini eum, ne demergeretur, erexit. In hoc autem loco dicit Glossa : « Super mare ambulare facit eum, ut ostendat divinam potentiam; mergi facit, ne infirmitatem obliviscatur, ne putet se æqualem Deo, et ne superbiat. » Intravit autem Dominus navem, cessavit quassatio, et omnia sunt pacata. Discipuli vero eum reverenter recipiunt, multumque gavisi sunt, et in quiete magna remanserunt. Conspice bene ipsum ac discipulos in omnibus prædictis, quia pulchra et devota sunt valde. In hoc igitur facto moraliter considerare potes, quia Dominus quotidie sic nobiscum facit spiritualiter, patitur et sustinet, ut electi affligantur in hoc mundo, in interiori et exteriori homine, quia [4] *flagellat omnem filium quem recipit.* Qui enim *extra disciplinam* sunt, ut ait Apostolus, *non filii, sed adulteri* sunt. Expedit autem nobis tribulari et affligi hic : nam inde erudimur, inde virtutes acquirimus, et acquisitas conservamus, et quod majus his est, inde futura et æterna præmia expectamus. Et ideo non debemus in eis frangi, vel esse impatientes; sed ipsas affectare et diligere. Sed quia magna, a multis tamen incognita est utilitas tribulationum, et idcirco talibus difficiles et importabiles videntur; ut tu instruaris, et patienter eas sustineas, adduco tibi more solito verba Bernardi, qui ait sic [5] : « Utilis est tribulatio, quæ probationem operatur, ducit ad gloriam. *Cum ipso sum,* inquit [6], *in tribulatione*, etc. Agamus ergo gratias Patri misericordiarum, qui nobiscum est in tri-

[1] *Thren.*, II, 19. — [2] *Rom.*, XI, 36. — [3] *Matth.*, XIV, 27. — [4] *Hebr.*, XII, 6, 8. — [5] Bern., *in Psal. Qui habitat*, serm. XVII, n. 3. — [6] *Psal.* XC, 3.

(*a*) *Edit. Mabill.* secura. — (*b*) *Item* interturbata. — (*c*) *Cæt. edit.* aspiciente. — (*d*) *Edit. Mabill.* hominibus. — (*e*) *Item* Nam et si. — (*f*) *Edit. Mabill.* *deest* familiarius.

bulatione, et in omni tribulatione nostra nos consolatur. Res enim, ut dixi, necessaria est tribulatio, quæ in gloriam vertitur (*a*), quæ mutatur in gaudium : gaudium sane longum, quod nemo tollet a nobis, gaudium multum (*b*), gaudium plenum. Res necessaria est ista necessitas, quæ parit coronam. Non contemnamus, fratres : semen modicum est, magnus exinde fructus exurgit. Forte insipidum, forte acerbum est, forte granum sinapis. Non consideramus (*c*) *quæ videntur, sed quæ non videntur* in eo [1] : *quæ enim videntur temporalia sunt, quæ non videntur æterna.* » Et infra [2] : « *Cum ipso in tribulatione sum,* ait Dominus [3]; et ego non aliud meritum (*d*) quam tribulationem requiram. *Mihi* [4] *adhærere Deo bonum est;* non solum autem, sed et *ponere in Domino Deo spem meam*, quia [3] *eripiam et glorificabo eum. Cum ipso sum in tribulatione : Deliciæ,* inquit [5], *meæ esse cum filiis hominum.* Descendit ut prope sit his qui tribulato sunt corde, ut nobiscum sit in tribulatione nostra. Erit autem quando [6] *rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus*, si tamen curemus eum interim habere nobiscum. Bonum mihi, Domine, tribulari, dummodo ipse sis mecum, quam regnare sine te, epulari sine te, sine te gloriari. *Vasa figuli probat fornax* [7], *et viros justos tentatio tribulationis.* Quid trepidamus? Quid cunctamur? Quid refugimus hunc caminum? Sævit ignis, sed Dominus nobiscum est in tribulatione. *Si Deus* [8] *nobiscum* (*e*), *quis contra nos est?* Nihilominus quoque si ille eripit, quis est qui eripiat de manu ejus? Postremo si iste glorificat, quis humiliabit? » Idem [9] : « Non solum igitur in spe, sed gloriamur in tribulatione. *Libenter,* ait [10], *gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* Optanda infirmitas, quæ Christi virtute (*f*) compensatur. Quis dabit mihi non solum infirmari, sed destitui ac deficere penitus a memeptipso, ut Domini virtutum virtute stabiliar? Nam [11] *virtus in infirmitate perficitur.* Denique ait [12] : *Quando infirmor, tunc fortior sum, et potens.* » Idem [13] : « Propterea sponsa non fascem, sed *fasciculum* [14] dilectum dicit, quod leve præ amore ipsius (*g*) ducat, quidquid laboris immineat et doloris. Bene fasciculus, quia [15] *parvulus natus est nobis.* Bene fasciculus, quia [16] *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Id enim*, inquit [17], *quod in præsenti est momentaneum, et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operabitur in nobis.* Erit igitur quandoque nobis ingens cumulus gloriæ, qui modo est fasciculus myrrhæ. Annon fasciculus, cujus [18] *jugum suave est, et onus leve?* non quia leve (*h*) in se, nec enim levis passionis asperitas, mortis amaritudo; sed levis tamen amanti. » Idem, super istum verbum, *A sagitta* [19] : « Si magnum illud Ecclesiæ corpus considerare libet, facile satis advertimus, longe acrius impugnari spirituales viros ipsius Ecclesiæ, quam carnales. Agit hoc sane superba (*i*) semperque invidiosa malitia, perfectiores quosque vehementius pulsans, juxta illud [20] : *Esca ejus electa* (*j*). Agit, inquam, et (*k*) non sine certa divini dispensatione consilii : qui quidem nec imperfectiores supra (*l*) id quod possunt ferre, *tentari* [21] permittit (*m*) faciens *cum tentatione proventum*; et perfectioribus non modo gloriosiores, sed numerosiores parat ex hoste triumphos. » Et post pauca [22] : « Longe ampliori sollicitudine et calliditate multiplici pars adversa vulnerare in nobis dexteram satagit, quam sinistram; nec tam corporis profecto, quam cordis laborat auferre substantiam. » Et infra : « Hic autem studiosius repugnandum, ubi gravior urget necessitas, ubi totum belli imminet pondus, ubi colluctationis ratio universa consistit; unde nobis tota paratur, aut victis ignominiosa captivitas, aut vincentibus gloria triumphalis. » Et post aliqua [23] : « Hæc denique gratia et misericordia Dei in servos ejus, et respectus in electos illius, ut (*n*) eorum interim sinistram quidem velut dissimulans, dexteræ semper studiosus protector assistat. Hinc est, quod de ipso Propheta testatur [24] : *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne*

[1] II *Cor.*, IV, 18. — [2] Bernard., ibid., n. 4. — [3] *Psal.* XC, 15. — [4] *Psal.* LXXII, 28. — [5] *Prov.*, VIII, 31. — [6] I *Thess.*, IV, 16. — [7] *Eccli.*, XXVII, 6. — [8] *Rom.*, VIII, 31. — [9] Bern., *in Cant.*, serm. XXV, n. 7. — [10] II *Cor.*, XII, 9. — [11] Ibid., 8. — [12] Ibid., 10. — [13] Bern., *in Cant.*, serm. XLIII, n. 1. — [14] *Cant.*, I, 12. — [15] *Isa.*, IX, 6. — [16] *Rom.*, VIII, 18. — [17] II *Cor.*, IV, 17. — [18] *Matth.*, XI, 30. — [19] Bern., in Psal. *Qui habitat*, serm. VII, n. 10. — [20] *Habac.*, I, 16. — [21] I *Cor.*, X, 13. — [22] Bernard., ibid., n. 11. — [23] Ibid., n. 12. — [24] *Psal.* XV, 8.

(*a*) *Cum Mabill. suppl.* tristitia. — (*b*) *Edit. Mabill.* multiplex. — (*c*) *Item*, Non consideremus. — (*d*) *Edit. Mabill. non habet* meritum. — (*e*) Vulg. *pro nobis.* — (*f*) *Cæt. edit.* virtuti. — (*g*) *Item* in ipsis. — (*h*) *Edit. Mabill.* levis. — (*i*) *Cæt. edit.* superna. — (*j*) *Vulg.* cibus ejus electus. — (*k*) *Edit. Mabill. add.* si. — (*l*) *Cæt. edit.* non super. — (*m*) Vulg. *patietur.* — (*n*) *Cæt. edit. add.* in.

commovear. » Et infra : « Utinam mihi semper a dextris sis, Jesu bone, ut semper teneas manum dexteram meam. Scio enim et certus sum, quod nulla nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. Tondeatur interim et tundatur sinistrum latus, pulsetur injuriis, vellicetur opprobriis : libens illud expono, dum a te custodiar (*a*), dum sis ipse protectio mea super manum dexteram meam. » Idem [1] : « Aliud est animo virtute agi, aliud sapientia regi, aliud dominari in virtute, aliud in suavitate deliciari. Licet namque sapientia potens, et virtus suavis existat, ut tamen proprias quibusque reddamus vocabulis significantias, vigor virtutem, sapientiam placiditas animi cum spirituali quadam suavitate demonstrat. Hanc puto ab Apostolo designatam, ubi post multa hortamenta, ad virtutem pertinentia, adjecit, quod sapientia (*b*) est [2] *in suavitate, in Spiritu sancto.* Igitur resistere, vim vi repellere, quæ utique in partibus virtutis deputantur, honor quidem, sed labor est. Non est enim idem ipsum (*c*) honorem tuum laboriose defendere, et quiete possidere; non idem virtute agi, et virtute frui. Quidquid virtus elaborat, sapientia fruitur; et quod sapientia ordinat deliberate, moderate virtus (*d*) exequitur. [3] *Sapientia scribæ* (*e*) *in otio* (*f*) ait Sapiens [4] : ergo sapientiæ otia, negotia sunt, et quo otiosior sapientia, eo exercitatior in genere suo. E regione virtus exercitata clarior est; eoque probatior, quo officiosor. Et si quis sapientiam *virtutis amorem* definierit, non mihi a vero (*g*) deviare videtur. Ubi autem amor est, labor non est, sed sapor. Et forte sapientia a *sapore* denominatur, quasi virtuti accidens quoddam velut (*h*) condimentum sapidam reddat, quæ per se insulsa et aspera quodammodo sentiebatur. Nec duxerim reprehendendum, si quis sapientiam *saporem boni* definiat. » Et infra [5] : « Itaque ad virtutem spectat tribulationes fortiter sustinere; ad sapientiam, gaudere in tribulationibus. Confortare [6] cor tuum, et sustinere Dominum, virtutis quidem est; gustare [7], et videre quoniam suavis est Dominus, sapientiæ est. Et ut magis ex proprio bono naturæ bonum utrumque clarescat, modestia animi probat sapientiam, constantia virum virtutis ostendit. Et bene post virtutem sapientia, cum (*i*) virtus sit quoddam stabile fundamentum, super quod sapientia [8] ædificet sibi domum. » Idem [9] : « Felix, qui passiones corporis sui propter justitiam ordinat, ut quidquid patitur, propter Dei Filium patiatur : quatenus et a corde tollatur murmuratio, et in ore versetur gratiarum actio et vox laudis. Qui sic extulerit (*j*) se, iste tollit grabatum suum, et vadit in domum suam. Grabatum nostrum corpus est, in quo prius languidi jacebamus, servientes desideriis et concupiscentiis nostris. Nos (*k*) portamus illud, cum spiritui cogimur obedire. » Idem [10] : « Vere multiplex spiritus, qui tam multipliciter filiis hominum inspiratur, ut non sit qui se abscondat a calore ejus : siquidem conceditur eis ad usum, ad miraculum, ad salutem, ad auxilium, ad solatium, ad fervorem. Ad usum quidem vitæ, bonis et malis, dignis pariter et indignis communia (*l*) bona abundantissime tribuens : ita ut videatur hic discretionis limitem non tenere (*m*). Ingratus est, qui in his quoque beneficia Spiritus non agnoscit. Ad miraculum, in signis et prodigiis, in variis virtutibus quas per quorumlibet manus operatur (*n*). Ipse est antiqua miracula suscitans, ut ex præsentibus fidem astruat præteritorum. Sed quia nonnullis hanc quoque gratiam sine propria utilitate largitur, tertio infunditur ad salutem, cum in toto corde nostro revertimur ad Dominum Deum nostrum. Porro ad auxilium datur, cum in omni colluctatione adjuvat infirmitatem nostram. Nam cum testimonium perhibet spiritui nostro, quod filii Dei sumus, ea inspiratio est ad consolationem. Datur etiam ad fervorem, cum in cordibus perfectorum vehementius spirans, validum ignem charitatis accendit, ut non solum in spe gloriæ filiorum Dei, sed (*o*) etiam in tribulationibus glorientur (*p*), contumeliam gloriam reputantes, opprobrium gaudium, despectionem exaltationem. Omnibus nobis, ni fallor, datus est Spiritus ad salutem ad fervorem non ita : pauci enim sunt qui hoc spiritu repleantur, pauci qui studeant æmulari.

[1] Bern., *in Cant.*, serm. LXXXV, n. 7. — [2] II *Cor.*, VI, 6. — [3] Bern., ibid., n. 8. — [4] *Eccli.*, XXXVIII, 25. — [5] Bern., ibid., n. 9. — [6] Ex *Psal.* XXX, 25. — [7] Ex *Psal.* XXXIII, 9. — [8] Ex *Prov.*, IX, 1. — [9] Bern., serm. *de Pass. Dom.*, in fer. IV, hebdom. pœn., n. 14. — [10] Id., *de Pentec.*, serm. III, n. 8.

(*a*) *Cæt. edit.* custodior. — (*b*) *Edit. Mabill.* sapientiæ. — (*c*) *Item* idipsum. — (*d*) *Cæt. edit.* et deliberat, moderatur virtus et. — (*e*) Cæ. edit. *Sapientiam scribe.* — (*f*) Vulg. *tempore vacuitatis.* — (*g*) *Cæt. edit.* veris. — (*h*) *Edit. Mabill.* quod virtuti accedens quoddam veluti. — (*i*) *Item* quod. — (*j*) *Item* extulit. — (*k*) *Item* Nunc vero. — (*l*) *Cæt. edit.* omnia. — (*m*) *Item* non timere. — (*n*) *Edit. Mabill.* operetur. — (*o*) *Cæt. edit. deest* sed. — (*p*) *Cæt. edit.* gloriemur.

Contenti sumus angustiis nostris (*a*), nec respirare in libertatem illam, nec saltem ad illam spirare conamur. » Hucusque Bernardus. Vides igitur quam pulcherrimis et pluribus rationibus nobis ostendit facundissimus Bernardus, quod tribulationes nobis expediunt. Non igitur mireris, si Dominus permittebat discipulos suos, quos ita diligebat, vexari procellis, utilitatem ipsorum exinde cognoscens. Pluries enim legitur, eorum naviculam fluctibus et contrariis ventis exagitatam, sed nunquam submersam. His ergo monitis, cor tuum stabilire ac ordinare procures, ut in contingentibus adversis, et in quibuscumque displicentiis, et patienter et lætanter te habeas, et in via spiritus te ita exerceas, ut ejus repleta fervore, etiam appetas pro amore Domini Jesu tribulari, qui in se et suis hanc viam excelsam tenuit et monstravit.

CAPUT XXXVII.

De Chananæa. Quomodo angeli nostri nobis fideliter serviunt, notabilis discursus.

Cum Dominus Jesus laborans circuiret prædicando, et infirmos curando [1], accessit ad eum mulier Chananæa, id est, de terra Chanaan, quæ erat gentilium et non Judæorum, rogans eum ut liberaret filiam suam, quæ a dæmonio vexabatur : erat enim fidens in eo, quod hoc facere posset. Et Domino non respondente, nihilominus instabat, et perseverabat clamans, et petens ab eo misericordiam in tantum, ut discipuli pro ea rogarent. Cumque Dominus responderet, non debere dari (*b*) panem filiorum canibus, ipsa se humilians respondit, ut saltem more canis de micis posset habere; et sic meruit exaudiri. Conspice ergo Dominum et discipulos, et ipsum (*c*) in prædictis, juxta considerationem generalem, quam dedi tibi supra. Nihilominus etiam considera virtutes hujus mulieris, et eas ad totam tuam utilitatem converte, quæ maxime tres fuerunt. Prima fuit fides magna, ut etiam usque ad filiam se extenderet; et de ipsa fuit commendata hæc a Domino. Secunda fuit orationis perseverantia; et non solum perseverans fuit, sed etiam importuna. Quam importunitatem etiam Dominus acceptat, et eam invitat, ut in priori tractatu certa habuisti. Tertia fuit humilitas profunda : nam nec negavit se canem, nec dignam putavit se inter filios reputari, vel habere panem integrum; sed contenta fuit de micis accipere. Unde valde se humiliavit, et ideo, quod postulavit, obtinuit. Sic et tu si corde integro, fideli et puro in oratione perseverans coram Deo tuo te humiliaveris, indignam te reputans omni bono suo, certissime credas, quod quidquid petieris, obtinebis. Et sicut apostoli rogaverunt pro Chananæa, sic et angelus tuus pro te rogabit, et offeret orationem tuam Domino. Super quo audi Bernardum dicentem [2] : « Suspiranti animæ meæ frequenter, imo sine intermissione oranti, et afflictanti se præ desiderio, cum interdum desideratus ille, qui ita quæritur, miseratus occurrit, puto illi de propria experientia convenire, ut dicat cum Hieremia [3] : *Bonus es, Domine, sperantibus in te, animæ quærenti te.* Sed et angelus ejus, qui unus est de sodalibus Sponsi, in hoc ipsum deputatus, minister profecto et arbiter secretæ mutæque salutationis; is, inquam, angelus quomodo tripudiat, quomodo collætatur et condelectatur, et conversus ad Dominum dicit : Gratias ago tibi, Domine majestatis, quia [4] *desiderium cordis ejus tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum* (*d*)! Ipse est qui in omni loco sedulus quidem (*e*) pedissequus animæ non cessat sollicitare, et assiduis suggestionibus monere, dicens [5] : *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.* Et rursum [6] : *Expecta Dominum, et custodi viam ejus.* Item [7] : *Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, et non tardabit.* Ad Dominum autem [8] : *Sicut cervus,* inquit, *desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima* (*f*) ista *ad te, Domine.* [9] *Desideravit te in nocte, sed et spiritus* tuus (*g*) *in præcordiis ejus de mane vigilavit ad te.* Et iterum [10] : *Tota die expandit ad te manus suas.* [11] *Dimitte illam, quia clamat post te.* [12] *Convertere aliquantulum, et deprecabilis esto.* [13] *Respice de cœlo, et vide, et visita* desolatam. Fidelis paranymphus, qui mutui amoris conscius, sed non invidus, non suam quærit, sed Domini gloriam : discurrit medius inter dilectum et dilectam, vota offerens, dona referens, excitat istam, placat illum. Interdum quoque, licet raro, repræsentat eos pariter sibi,

[1] *Matth.*, XV, 21 et seq. — [2] Bern., super *Cant.*, serm. XXXI, n. 5. — [3] *Thren.*, III, 25. — [4] *Psal.* XX, 3. — [5] *Psal.* XXXVI, 4. — [6] Ibid., 34. — [7] *Habac.*, II, 3. — [8] *Psal.* XLI, 2. — [9] *Isa.*, XXVI, 9. — [10] *Psal.* LXXXVII, 10. — [11] *Matth.*, XV, 23. — [12] *Psal.* LXXXIX, 13. — [13] LXXIX, 15.

(*a*) *Cæt. edit. deest* nostris. — (*b*) *Cæt. edit.* dare. — (*c*) *Leg.* ipsam. — (*d*) Edit. Mabill. *eam.* — (*e*) *Item* quidam. — (*f*) Cæt. edit. deest *anima.* — (*g*) *Cæt. edit.* tuus.

sive hanc rapiens, sive illum adducens : siquidem domesticus est, et notus in palatio, nec veretur repulsam, et quotidie videt faciem Patris.» Hucusque Bernardus.

Angelos quanta reverentia prosequi debeamus.

Vides quam fideliter angeli nostri serviunt nobis. Ex quo autem occurrit de ipsis aliqua loquendi materia, scire te volo, quod magnam erga eos reverentiam habere debemus, et eos quotidie laudare, honorare, ac eis gratiarum actiones referre tenemur, et in eorum præsentia, qui semper nobiscum adsunt, nihil illicitum, nihil turpe cogitare, dicere, vel operari debemus. De quo etiam a beato Bernardo monemur, qui sic dicit super Psalmum *Qui habitat* [1] : « *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam ! Reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. Caute ambula, ubi (*a*) adsunt angeli, sicut eis mandatum est, in omnibus viis tuis. In quovis diversorio, in quovis angulo, angelo tuo reverentiam habe. Nec tu (*b*) audeas illo præsente, quod videnti me non auderes. » Et paulo post : « Adsunt igitur tibi; non tantummodo tecum, sed etiam pro te. Adsunt ut protegant, adsunt ut prosint. *Quid retribues Domino* [2] *pro omnibus quæ tribuit tibi?* Siquidem ei [3] *soli honor et gloria.* Quare ei soli? Quia ipse mandavit, et *omne datum optimum* [4] non nisi ab illo est. [5] Verumtamen si (*c*) ille mandavit ipsis quoque, qui et ei ex tanta charitate obediunt, et nobis subveniunt in tanta necessitate, ingratos esse non licet. Simus ergo devoti, simus grati tantis custodibus; redamemus eos, et honoremus eos quantum possumus, quantum debemus. » Hucusque Bernardus. Habes ergo in prædictis commendatum angelorum obsequium, et adjutorium, et orationis virtutem. Hanc tenere studeas, et illis omnem quam potes reverentiam exhibe.

CAPUT XXXVIII.

Qualiter aliqui ex verbis Domini scandalizati fuerunt.

Non mireris, si aliquando ex verbis et factis nostris scandala oriuntur, quantumcumque fideliter et bene fiant; cum ipsi Domino, qui errare non poterat, pluries contigerit. Dum enim quadam vice Pharisæi Dominum interrogarent [6], quare discipuli non lavabant manus quando manducabant; Dominus dure respondit eis, increpans, quod exteriorem munditiam, non interiorem quærebant. De quo illi scandalizati sunt; sed Dominus non curavit. Alia vice, cum spiritualia verba doceret in synagoga, aliqui ex discipulis ejus, tanquam carnales, non intelligentes recesserunt. Sed ad duodecim discipulos ait [7] : *Numquid et vos vultis abire?* Et Petrus pro se et aliis respondit : *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Considera ergo eum in prædictis et aliis similibus, quomodo cum potestate loquebatur, et docebat veritatem, non curans de scandalo pravorum, sive insipientium. Notandum igitur primo, quod propter alterius scandalum non debemus recedere a virtute justitiæ; secundo, quod de interiori munditia magis, quam de exteriori honestate curare debemus, quod etiam alibi expressius Dominus dixit in *Luca* [8]; quod spiritualiter vivere debemus, ita quod verba Domini non videantur nobis extranea, sicut illis discipulis, qui quando Christus dixit in Joanne [9] : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis,* etc., non poterant sustinere, sed recesserunt : sed potius recognoscamus ipsa esse verba vitæ æternæ, ut una cum duodecim, ipsum imitemur perfecte.

CAPUT XXXIX.

De retributione relinquentium omnia.

Cum fidelis et prudens discipulus Simon Petrus, quæreret a Domino Jesu pro se et sociis de retributione ipsorum; respondit Dominus inter alia [10], quod omnes qui temporalia dimittentes ipsum sequerentur, centuplum accipient in hoc mundo, et vitam æternam in futuro. Nota bene hanc retributionem, et gaude gaudio magno, et gratias et laudes Domino referas toto affectu, quod ad talem negotiationem te adduxit, ut manualiter de uno centum lucreris, et nihilominus etiam vitam æternam. Hoc autem centuplum spiritualium, non corporalium rerum est, videlicet consolationum internarum et virtutum, quas per experientias cognoscimus, non per doctrinam. Cum enim anima gustat

Centuplum Evangelii.

[1] Bern. super Psal. *Qui habitat*, serm. XII, n. 6. — [2] *Psal.* CXV, 12. — [3] I *Tim.*, I, 17. — [4] *Jac.*, I, 17. — [5] Bern., ibid., n. 7. — [6] *Matth.*, XV, 2; *Marc.*, VII, 3. — [7] *Joan.*, VI, 67 et seq. — [8] *Luc.*, XI, 39. — [9] *Joan.*, VI, 54. — [10] *Matth.*, XIX, 29.

(*a*) *Edit. Mabill.* ut videlicet cui. — (*b*) tunc. — (*c*) *Edit. Mabill.* etsi.

odorem paupertatis, castitatis nitorem, et patientiæ cæterarumque virtutum, et delectatur in eis; nonne centuplum recepisse videtur tibi? Et si ulterius ascendat, ut visitationem Sponsi recipiat, et ad ejus præsentiam glorietur; nonne tunc recipit plus quam millecuplum omnium quæcumque fuerint, et quomodocumque fuerint, quæ pro eo dimiserat? Vides quomodo verum est quod loquitur Veritas; non fallit quin centuplum reddat in hoc sæculo, etiam non tantum semel, sed pluries et sæpe animæ sibi devotæ, adeo ut sic afficiat eam, ut non solum quæ reliquit, sed totum mundum arbitretur stercora, ut sponsum suum lucrifacere possit. Ut autem super hoc centuplo plenius instruaris, audi quid inde dicat Bernardus[1]: « Si forte adhuc sæcularis quispiam dicat : Ostende mihi centuplum quod promittis, et libens universa relinquo; ut quid ostendam? Fides enim[2] non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. An homini potius ostendenti, quam veritati crederes promittenti? Deficis scrutans scrutinio. Nisi credideris, non intelliges. Manna absconditum est, quod in *Apocalypsi* Joannis victori promittitur; nomen novum, quod nemo novit, nisi qui accipit. » Et paulo post : « An non denique omnia possidet, cui omnia cooperantur in bonum? An non centuplum habet omnium, qui impletur Spiritu sancto, qui Christum habet in pectore? Nisi quod longe plus, quam centuplum est visitatio Paracleti Spiritus, et præsentia Christi. [3] *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! Perfecisti eis, qui sperant in te.* Vides quomodo memoriam abundantiæ suavitatis hujus eructet anima sancta; quomodo exprimere gestiens verba multiplicet. *Quam, inquit, magna multitudo!* Hoc ergo centuplum adoptio filiorum est, libertas et primitiæ spiritus, deliciæ charitatis, gloria conscientiæ, regnum Dei quod intra nos est. *Non* utique[4] *esca vel potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto.* Gaudium sane non modo in spe gloriæ, sed in tribulationibus. Hic est *ignis*, quem voluit Christus[5] vehementer accendi. Hæc virtus, quæ Andream fecit amplecti crucem, Laurentium deridere carnifices, Stephanum in morte pro lapidantibus flectere genua ad orationem. Hæc illa pax, quam suis reliquit Christus, quando dedit et suam, siquidem donum et pax est electis Dei: pax utique Patris, et donum futuræ gloriæ. Illa superat omnem sensum; sed et huic quidquid sub sole placet, quidquid in mundo concupiscitur, non potest comparari. Hæc gratia devotionis, et unctio docens de omnibus, quam expertus novit, inexpertus ignorat, quam nemo scit nisi qui accipit. » Hucusque Bernardus. Gaude ergo, et lætare, ut dixi, et gratias age, quod ad hoc centuplum recipiendum vocata es; et hunc paradisum sæpe ingredere, quem ex orationis studio consequi poteris.

CAPUT XL.

Qualiter Dominus quæsivit a discipulis quid diceretur de eo.

Veniens Dominus Jesus in partes Cæsareæ Philippi[6], quæsivit a discipulis, quid diceretur de ipso, et etiam quid inde ipsi sentirent, et de aliis. Quidam responderunt et dicebant : *Alii*, etc. De se autem dixit Petrus pro se, et aliis : *Tu es Christus filius Dei vivi.* Dominus ad eum : *Tu es Petrus, et super hanc*, etc. Et tunc dedit ei pro se et successoribus suis, claves ligandi atque solvendi super terram. Conspice igitur eum et etiam ipsos, juxta generalem formam superius tibi traditam. Et nota, quod etiam hic habes, quod Petrum, quem ita magnificaverat, parum post[7] vocavit *Satanam*, eo quod propter amorem carnalem, quem ipse Petrus habebat ad ipsum, dissuasit ei de passione sua, ut non fieret. Sic et tu, Domini exemplo, habeas omnes pro adversariis, qui pro corporali alleviatione, ab exercitio et bono spirituali te trahere vellent.

CAPUT XLI.

De transfiguratione Domini in monte.

Assumens Dominus Jesus tres ex discipulis[8], ascendit in montem Thabor, et transfiguratus est ante eos, ostendens se eis gloriosum. Venerunt insuper Moyses et Elias, loquentes cum eo de passione sua futura. Dicebant autem : Domine, non expedit, ut moriaris, quia una gutta sanguinis tui redimeret mundum. Dominus autem Jesus dicebat[9] : *Bonus pastor animam suam*

[1] Bernard., *in Declam. super Ecce nos reliq. om.* ex *Matth.*, x, non longe a fine. — [2] Ex Greg., hom. XXVI, *in Evang.*, n. 1. — [3] *Psal.* XXX, 20. — [4] *Rom.*, XIV, 17. — [5] *Luc.*, XII, 49. — [6] *Matth.*, XVI, 13 et seq. — [7] Ibid., 23. — [8] *Matth.*, XVII, 1 et seq. — [9] *Joan.*, X, 11.

ponit pro ovibus; sic et facere me oportet. Affuit ibi Spiritus sanctus in specie nubis lucidæ, et vox Patris facta est in nube, dicens [1] : *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Discipuli vero ceciderunt in terram; et cum excitati sunt, non viderunt nisi Dominum Jesum. Conspice igitur bene prædicta, et te præsentem exhibeas, quia magnifica sunt.

CAPUT XLII.

De ejectione ementium et vendentium de templo.

Duabus vicibus [2] ejecit Dominus Jesus ementes et vendentes de templo : quod inter ejus magna miracula deputatur. Nam licet alias eum vilipenderent, tunc tamen omnes ante eum fugerunt. Et quamvis essent multi, non se defenderunt; sed ipse solus cum quibusdam funiculis omnes ejecit. Et hoc ideo, quia terribilem se eis ostendit in facie. Accensus est enim zelo vehementi, eo quod pater suus sic inhonorabatur ab illis, maxime in loco ubi magis honorari debebat, fecit ipsas ejectiones. Conspice bene ipsum, et compatere, quia ipse compassionis dolore plenus est; ac nihilominus time. Nos enim, qui in templo Dei sumus de speciali et magna ipsius gratia deputati; si sæcularibus negotiis, ut illi faciebant, nos implicemus, cum ad laudem ejus semper debeamus intendere, merito ejectionem ab eo, et indignationem ipsius timere possumus et debemus (*a*). Si ergo non vis hoc timore vexari, nulla ratione vel cum sæcularibus curis, vel negotiationibus te audeas implicare. Opera quoque curiosa ne feceris, quæ tempus laudibus Dei debitum occupant, et pompis sæcularibus correspondent.

CAPUT XLIII.

De Probatica Piscina. Item, ne sis fratris judex temerarius.

Erat in Hierusalem quædam congregatio aquarum [3], in qua lavabantur oves de quibus fiebant sacrificia. In ea dicitur fuisse lignum crucis. Quolibet autem anno, cum semel commovebatur ab Angelo, sanabatur aliquis infirmus, scilicet qui descendebat in aquam post ejus ab Angelo motionem. Unde multi propterea infirmi juxta eam continue morabantur. Erat autem ibi quidam infirmus, jacens in grabato paralyticus per triginta et octo annos. Hunc igitur Jesus quadam die sabbati sanavit. Conspice eum humiliter euntem ad infirmum, et loquentem more solito. In hoc igitur facto tria nota. Primum, quia sicut hic Dominus requisivit infirmum, si vellet sanari; ita nobis sine nostro consensu salutem non dabit : et inexcusabiles sunt peccatores non consentientes voluntati Domini, et suæ saluti, quia secundum Augustinum [4] : « Qui creavit te sine te, non justificabit te sine te. » Secundum, cavere debemus ne relabamur a Domino, quia si sanati a Domino recidivamus, digne nostra ingratitudo acrius punietur, sicut huic dixit Dominus [5] : *Vade, noli amplius peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* Tertio, quia maligni de omnibus perdunt, sicut boni de omnibus lucrantur. Nam cum hic liberatus portaret grabatum, et diceretur ei a Judæis, quod hoc non licebat in die sabbati, ipse respondit [6] : *Qui me salvum fecit, ille mihi dixit; tolle grabatum tuum.* Non dicebant : Quis est ille, qui te salvum fecit? Et sic accipiebant, quod possent reprehendere, non quod poterant laudare. Sic et carnales homines sæpe in malam judicant partem quæ vident, et quasi de omnibus perdunt. Spiritualiter autem viventes omnia referunt ad laudem Dei, sive sit prosperitas, sive sit adversitas, et non dubitant, quin recte omnia fiant, Deo cuncta vel recte operante, vel juste permittente; et omnia in bonam partem interpretantur, juxta doctrinam beati Bernardi, qui sic ait [7] : « Cave alienæ conversationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius judex. Etiamsi perperam actum quid deprehendas, nec sic judices proximum, magis autem excusa. Excusa (*b*) intentionem, si opera (*c*) non potes : puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quod si omnem dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, et dicito apud temeipsum : Vehemens fuit nimis tentatio. Quid de me illa fecisset, si in me accepisset similiter potestatem? » Hucusque Bernardus. Quod autem de omnibus lucrantur spirituales, etiam de suis et alienis peccatis, et de rebus nocivis, et etiam de diaboli operibus, sic docet Bernardus [8] : « Irrationalis et brutalis spiritus, etsi ad spiri-

Tria notanda in curatione paralytici.

[1] *Matth.*, XVII, 5. — [2] *Joan.*, II, 15; *Matth.*, XXI, 12. — [3] *Joan.*, V, 2 et seq. — [4] August., *de verb. Apost.*, serm. XV, al. CLXIX, n. 13. — [5] *Joan.*, V, 14. — [6] Ibid., 11. — [7] Bern., *in Cant.*, serm. XL, n. 5. — [8] Ibid. serm. V, n. 3.

(*a*) *Cæt. edit.* timemus. — (*a*) *Cæt. edit. non repet.* Excusa. — (*c*) *Edit. Mabill.* opus.

tualia non pertingat, ad ea tamen capessenda pro suo corporali temporalique obsequio noscitur juvare illos, qui omnem usum rerum temporalium ad fructum transferunt æternum (*a*), utentes hoc mundo tanquam non utentes. » Et post multa [1] : « Si qua animantia, quantum ad usum sui, reperiantur incommoda, etsi nociva, etsi etiam perniciosa temporali (*b*) hominum constet (*c*) esse saluti, non tamen deest eorum corporibus unde [2] *cooperentur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt sancti*; et si non cedendo in cibum, aut exhibendo ministerium, certe ingenium exercendo juxta eum, qui utique omni utenti ratione præsto est, communis disciplinæ profectum quo (*d*) [3] *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Nam et diabolus ejusque satellites, cum sit eorum semper maligna intentio, nocere quidem semper cupiunt; sed si boni æmulatores fueritis, absit ut obsint, magis autem prosunt, et nolentes cooperantur in bonum bonis. » Et infra [4] : « Est enim qui bonum operatur non volens, sive homo malus, sive angelus malus; et constat non fieri propter eum, cum prodesse nullum bonum possit invito. Igitur ei quidem dispensatio tantum credita est; sed nescio quomodo gratius jucundiusque sentimus bonum, quod per malum dispensatorem ministratur. Ipsa est ergo causa cur et per malos Deus faciat bona bonis, non autem quod (*e*) opera eorum indigeat in benefaciendo. » Idem [5] : « *Quid superbis, terra et cinis* [6] ? et de angelis transilit (*f*) Dominus, execrans eorum superbiam. Ergo repudiatio angelorum fiat emendatio hominum. Scriptum (*g*) est enim ad eorum correptionem : Cooperetur mihi in bonum etiam diaboli malum, et [7] *lavem manus meas in sanguine peccatoris.* Qualiter, inquis? Audi. Superbo certe diabolo horrenda et formidolosa maledictio intorquetur. » Et infra [8] : « Si sic est actum cum eo, quid de me fiet terra et cinere? Ille in cœlo intumuit (*h*); ego in sterquilinio. Quis non tolerabiliorem in divite superbiam, quam in paupere ducat (*i*)? Væ mihi! si tam dure in potente illo animadversum est, quid de me exiguo, et misero, et superbo? » Bernardus etiam [9] loquens de sponsa Ecclesia, quæ post multa peccata venit ad Dominum (nam de gentibus collecta, quæ idola colebat, quod eidem de Synagoga improperabatur), sic in suam utilitatem torquet, dicens [10] : Ipsa est cui plus dimissum est, et quæ plus diligit. Quod æmula improperat ei ad convitium, hoc sibi ipsa inflectit ad commodum. Inde mansuetior ad correptionem; inde patientior ad laborem; inde ardentior ad amorem; inde sagacior ad cautelam; inde humilior pro conscientia; inde acceptior pro verecundia; inde ad obediendum paratior; inde ad gratiarum actionem devotior ac sollicitior. » Hucusque Bernardus. Vide quomodo spiritualiter viventes omnia interpretantur in bonam partem, et de omnibus lucrum faciunt. Sis ergo spiritualis, et omnia tibi cedent in bonum. Et valet hujusmodi desideratio, etiam ad tolerantiam tribulationum et tentationum, et animi quietem. Nam per hujusmodi continuum exercitium, ad tantam tranquillitatem animi quis posset pervenire, quod vix et raro de aliqua re turbaretur, vel haberet locum in eo quod ait Sapiens [11] : *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit.*

CAPUT XLIV.

Quomodo discipuli Christi vellebant spicas. Item de paupertate.

Discipuli Domini Jesu quadam die sabbati [12] esurientes, cum nec haberent unde procurarent quod comederent, ibant per agros in quibus erant segetes, et vellebant spicas, fricabant manibus et comedebant. Reprehendebantur autem a Pharisæis dicentibus, hoc non licere die sabbati. Dominus defendebat eos; et multa talia faciebat Dominus in die sabbati, ut dixi supra de habente manum aridam sanato. Tu autem discipulos intuere, et compatere eis in tanta necessitate constitutis, quamvis ipsi gaudentes hoc facerent ob paupertatis amorem, quam ante omnes virtutes et beatitudines commendaverat eis eorum Magister et Dominus. Quid tamen est cogitare principes mundi, præsente omnium Conditore, ad tam tenuem paupertatem redactos (*j*), ut tali pabulo, more animalium, oporteat sustentari? Aspiciebat eos Dominus, et compatiebatur eis, quia tenerrime

[1] Bern., *in Cant.*, n. 6. — [2] *Rom.*, VIII, 28. — [3] *Rom.*, I, 20. — [4] Bern., ibid., n. 9. — [5] Id., *in Cant.*, serm. LIV, n. 7. — [6] *Eccli.*, X, 9. — [7] *Psal.* LVII, 11. — [8] Bern., ibid., n. 8. — [9] Id., *in Cant.*, serm. XIV, n. 7. — [10] Ex *Luc.*, VII, 47. — [11] *Prov.*, XII, 21. — [12] *Matth.*, XII, 1 et seq.

(*a*) *Edit. Mabill.*, æternarum. — (*b*) *Cæt. edit.* temporalium. — (*c*) *Item* constat. — (*d*) *Cæt. edit. add.* præbens. — (*e*) *Item* ut, *loco* quod. — (*f*) *Item* transiit. — (*g*) *Edit. Mabill.* scripta. — (*h*) *Cæt. edit.* tumuit. — (*i*) *Item* dicat. — (*j*) *Cæt. edit.* reductos.

diligebat eos; sed nihilominus gaudebat, et tam propter eos quos in hoc multum mereri sciebat, quam propter nos, quibus relinquebat exemplum. In hoc enim exemplo ad multas virtutes proficere possumus : nam hic mirabiliter paupertas relucet, pompa mundi contemnenda ostenditur, sumptuositas et saporosa ciborum præparatio destruitur, et gulæ voracitas cum turpi sua unctuositate et insatiabili appetitu totaliter enervatur. Tu ergo hoc animadverte, et tanto exemplo, totis visceribus eam amplectere, quæ sic emicuit in Domino, et Domina matre sua, et præfatis mundi principibus, et omnibus qui eorum exemplum perfecte imitari voluerunt. Sed attende de qua paupertate intelligere debes. Scio enim, quod in monasterio constituta, paupertatem professa es, et nihil habere potes : de quo gratias age Deo tuo, et ipsam inviolabiliter serva. Sed ulterius te ascendere volo, quod tamen a professione non discrepet; quin imo professio ipsa, sine hoc intellecta, verbalis esset et vacua. Dico igitur de illa paupertate quæ radicatur in corde : virtutes enim in anima collocandæ sunt, non in exterioribus. Optime ergo professionem paupertatis imitaris, si corde consentias. Nam si rerum penuriam exterius pateris, quia forte non abundas ut sensualitas vellet, interius autem cupiditatem habeas, et plus, quam necesse sit, deliberato animo appetas : non vivis in paupertate, sed in egestate; quia non est hæc paupertas virtuosa et meritoria, sed egestas laboriosa et demeritoria. Sufficit enim ad perdendum meritum, et ad omne peccatum perpetrandum, concupiscentia cum consensu. Et cum tali paupertate non credas te posse assurgere ad orationem, vel contemplationem, vel centupli consequi retributionem. Quando enim cor terrenarum cupiditatum pondere aggravatum, sursum posset ascendere? quando ipso luto et fæce coinquinatum, et terrenum et grossum effectum, ad Dei et cœlestium puritatem posset appropinquare? Igitur corde diligas paupertatem; pro matre assume illam; placeat tibi decor ejus; delecteris in ea; nunquam pro re aliqua ipsam lædere velis. Nihil habeas, et nihil omnino habere velis ultra necessitatem. Et si quæris quæ erit illa necessitas; respondebo, quod quanto intimius paupertatem dilexeris, tanto subtilius de necessitate judicabis. Illa namque necessaria sunt, sine quibus esse non possumus. Vide ergo ea, sine quibus esse commode potes; et illa nec habere, nec petere, nec procurare, nec a sponte dantibus recipere velis. Nec tamen Dominum Jesum perfecte in paupertate imitari poteris, quantumcumque te strinxeris; nec video quod nostra paupertas suæ possit æquiparari, quantumcumque sit a nobis totis conatibus observata. Et hoc tibi breviter ostendo una et pulchra ratione, omissis aliis quæ reddi possunt, scilicet quia Deus, et quia ditissimus, et Dominus omnium, et quia perfectissimus, et hujusmodi : sed eam rationem adduco, quia ipse non solum penuriam paupertatis, sed etiam ejus opprobrium assumpsit. Nam nostra paupertas, quia voluntarie assumpta est, et pro amore Dei virtuosa reputatur, et est; et ideo non opprobriosa, sed honorifica reputatur, etiam apud malos. Ipsius vero non sic : non enim cognoscebatur, et nesciebatur, quod voluntarie pauper esset; sed necessaria paupertas parit opprobrium et contemptum. Cum ergo esset absque domo, et possessionibus, et omni hujusmodi substantia, scientibus universis, magis habebatur contemptui. Hujusmodi enim pauperes ab omnibus conculcantur; et si sapientes sunt, non creditur eis; si nobiles, nihilominus deridentur et contemnuntur, imo, quod plus est, et nobilitas, et sapientia, et probitas, et omnis virtus in reputatione hominum videtur in eis extincta. Dejiciuntur enim quasi ab omnibus, ut nec amicitiæ antiquæ, nec sanguinis vincula prosint eis ut plurimum, cum omnes tales amicos vel consanguineos habere recusent. Vides bene, quomodo nec ejus paupertati æquiparari, nec eum imitari potes, in tam profundæ paupertatis et humilitatis abjectione. Propterea non sunt contemnendi pauperes mundi, qui ipsum Dominum repræsentant. Igitur desiderabilis es multum hæc virtus paupertatis, et maxime a nobis qui eam promisimus. Ipsam itaque propterea omni reverentia et devotione observare curato. Si vero etiam vis Bernardum audire, attende quid de ipsa loquitur [1]. « Imitemur, quoad possumus, eum qui dilexit sic paupertatem, ut quamvis in manu ejus essent fines terræ, tamen non habuit ubi caput suum reclinaret : ita ut discipulos adhærentes ei legamus fame compulsos, spicas manibus confricasse, cum per sata transirent. » Idem inquit [2] : « Cur ipse Salvator, cujus est aurum pariter et argen-

Paupertas quam professa est virgo, qualis esse debeat.

Paupertatem profitenti quæ sint necessaria.

[1] Bern., *de Adv.*, serm. IV, n. 7. — [2] Id., *de Nativ Dom.*, serm. IV, n. 1.

tum, sacram n suo corpore dedicat paupertatem? Aut certe cur paupertas ipsa tam sollicite enarratur ab Angelo? *Hoc*, inquit [1], *vobis signum : invenieris infantem pannis involutum.* In signum positi sunt panni tui, Domine Jesu; sed in signum cui a multis usque hodie contradicetur. Exemplum dedit nobis, ut et nos ita faciamus. » Et post pauca : « Utilior siquidem in conflictu lorica ferrea, quam stola linea; licet oneri sit illa, hæc honori. » Idem [2] : « Vere magna abusio, et nimis magna, ut dives velit esse vermiculus vilis, propter quem Deus majestatis, Dominus Sabaoth, voluit esse pauper. » Idem [3] : « Non paupertas virtus reputatur, sed paupertatis amor. » Idem [4] : « Amicitia pauperum, regum amicos constituit; amor paupertatis, reges. Regnum cœlorum denique pauperum est. » Et infra : « Beatus qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. » Hucusque Bernardus. Habes igitur apostolorum exemplo, et auctoritatibus beati Bernardi prædictis, et aliis positis supra, de nativitate Domini, et de sermone ipsius in monte, qualiter paupertatem, tanquam virtutem excellentissimam, debes affectare. Sed de abstinentia, et contra gulositatem, quid dicemus, quæ similiter in hoc exemplo relucet? Et quidem de istis virtutibus tractare, præter principale propositum est, maxime propter multiplicitatem auctoritatum; sed quia utilitatem tuam considero, quæ in talibus nec experta es, nec apta doceri, nec in quibus legis habeas libros, ideo studiose tibi scribo de ipsis, ut saltem per hunc modum innotescat tibi virtutum natura, in quibus earum magistrum, cujus vitam principaliter inquirimus, valeas imitari. Contra gulam igitur scire debes, multum esse insistendum, et bellum continuum esse, sed omnino vitandam. Multum quidem sancti patres, et qui spiritualibus exercitiis dediti fuerunt, in hoc studuerunt. Contra quam audi quid dicat Bernardus [5] : « Unde hæc tanta pusillanimitas et abjectio tam miserabilis, ut egregia creatura, capax æternæ beatitudinis et gloriæ magni Dei, utpote cujus sit inspiratione condita, similitudine insignita, cruore redempta, fide dotata, spiritu adoptata, miseram non erubescat sub putredine hac corporeorum sensuum gerere servitutem? Merito plane ne (*a*) eos quidem apprehendere potest, quæ (*b*) talem deserens sponsum, tales sequitur amatores. » Et paulo post : « Insanus siquidem labor pascere sterilem, quæ non parit, et viduæ benefacere nolle; omittere curam cordis, et curam carnis agere in desiderio; impinguare cadaver putridum, quod paulo post vermium esca futurum, nullatenus dubitatur. » Hucusque Bernardus.

Habes igitur quomodo vitanda est gulositas ; sed condescendere possumus corpori ad necessitatem suam et sanitatem. Unde idem Bernardus sic dicit [6] : « Sunt autem omnia bona corporis, et quæ ei solummodo debeamus, sanitas. Nihil autem ultra ei dandum est, nihil quærendum; sed hoc termino obligandum et firmandum (*c*) est, cum fructus ejus nullus sit, et mors sit finis illius. » Et paulo post : « Quod si voluptati servitur, non sanitati, hoc de natura non est, sed sub natura, quæ morti manus dat, cum magistram constituit voluptatem. Inde etiam est, quod multi ad tam bestiales impetus descenderunt, vel, ut dicam verius, ceciderunt, ut (*d*) voluptatem præferant sanitati, vel illis epulis (*e*) sæpissime voluptentur (*f*), quas sciunt difficiles et acutissimas subsequi passiones. Sicut autem corporis natura (*g*) est sanitas, ita cordis natura (*g*) est puritas : quo (*h*) turbato oculo non videbitur Deus : et cor humanum ad hoc factum est, ut suum videat Creatorem. Si vero sanitati corporis sollicita est providenda custodia, puritati cordis tanto est sollicitior impendenda, quanto pars ista dignior illa convincitur. » Idem [7] : « Suspicionem generat mihi observatio ista ciborum; verumtamen si de regula medicorum hoc profers nobis, non reprehendimus curam carnis, quam nemo unquam odio habuit. » Hucusque Bernardus. Hoc tamen faciendum non est superstitiose, vel nimis curiose, vel ultra quam expediat. Unde quando non habemus actu impedimentum corporale, propter quod appetamus vel fugiamus ciborum observantiam, illam tenere, ac physice vivere non debemus. Unde idem Bernardus [8] : « Videsne sententia magistri mei carnis sapientiam condemnari, per quam utique aut in luxum

[1] *Luc.*, II, 12. — [2] Bernard., *de Resurr.*, serm. V, parum a princ. — [3] Id., epist. C. — [4] Id., epist. CVII. — [5] Id., serm. *ad Cleric.*, c. VIII, n. 15. — [6] Id., *de tripl. Gen. bonor.*, n. 2. — [7] Id., sup. *Cant.*, serm. LXVI, n. 7. — [8] Ibid., serm. XXX, n. 11.

(*a*) *Cæt. edit.* nec. — (*b*) *Item* qui. — (*c*) *Edit. Mabill.* ligandum et frenandum. — (*d*) *Cæt. edit. deest* ut. — (*e*) *Edit. Mabill.* ipsis. — (*f*) *Item* volutentur. — (*g*) *Cæt. edit.* necessitas. — (*h*) *Edit. Mab.* qua.

voluptas dissolvitur (*a*), aut ipsa quoque valetudo corporis, ultra quam oportet, appetitur? » Et post : « Quid vero prodest temperare a voluptatibus, et investigandis diversitatibus complexionum, ciborumque varietatibus exquirendis quotidianam expendere curam? Legumina, inquit, ventosa sunt, caseus stomachum gravat, lac capiti nocet, potum aquæ non sustinet pectus, caules nutriunt melancholiam, choleram autem porri accendunt, pisces de stagno, aut de lutosa aqua, meæ penitus complexioni non congruunt. Quale est hoc, in ut totis (*b*) fluviis, agris, hortis cellariisve, reperiri vix possit quod comedas?[1] Puta (*c*) te, quæso, monachum esse, non medicum; nec de complexione judicandum, sed de professione. Parce, obsecro, primum quieti tuæ; parce deinde labori ministrantium; parce gravamini domus; parce conscientiæ. Conscientiæ dico, non tuæ, sed alterius, illius videlicet qui prope (*d*) sedens, et edens quod sibi apponitur, de tuo singulari jejunio murmurat. Scandalo quippe ei est, aut tua odiosa superstitio, aut duritia, quam forte putat illius qui tibi habet providere. » Et infra : « Frustra quidam (*e*) sibi blandiuntur de exemplo Pauli hortantis discipulum[2] non bibere aquam, sed *modico uti vino propter stomachum et frequentes* suas *infirmitates*. Qui attendere debent primum quidem Apostolum minime sibi ipsi rem istiusmodi suadere, sed neque discipulum æque expetere (*f*) sibi. Deinde non monacho hoc intimari, sed episcopo, cujus vita teneræ adhuc et (*g*) nascenti Ecclesiæ pernecessaria esset. Timotheus hic erat. Da mihi alterum Timotheum, et cibo (*h*) etiam, si vis, auro, et poto (*i*) balsamo. Ceterum tu tibimetipsi dispensas, misertus tui. Suspecta est mihi, fateor, tua (*j*) ipsius in te (*k*) dispensatio, et vereor tibi illudi, sub tegmine et nomine discretionis, a carnis prudentia. Id te saltem volo esse admonitum, ut si tibi auctoritas Apostoli placet de bibendo vino, *modico*, quod ille adjunxit, non prætermittas. » Hucusque Bernardus. Habes igitur ex prædictis auctoritatibus sanitati corporis posse intendi, sed a superstitiosa observatione ciborum cavendum.

Sed quid de abstinentia? Audi non me, sed Bernardum eumdem, qui sic dicit[3] : « Non enim spiritus et caro, ignis et tepiditas in uno domicilio commorantur : præsertim cum tepiditas ipsi Domino soleat vomitum provocare.[4] Si enim apostoli, carni adhuc dominicæ adhærentes (*l*), quæ sola sancta, quia Sancti sanctorum erat, Spiritu sancto repleri nequierunt (*m*), donec tolleretur ab eis; tu carni tuæ, quæ sordida (*n*) est et diversarum spurcitiarum phantasiis repleta, adstrictus et conglutinatus, illum meracissimum Spiritum te posse putas suscipere, nisi istis carnalibus (*o*) consolationibus funditus renuntiare tentaveris? Revera cum incœperis, tristitia implebit cor tuum; sed si perseveraveris, tristitia tua (*p*) convertetur in gaudium. Tunc enim purgabitur affectus, et (*q*) voluntas renovabitur, vel potius (*r*) nova creabitur : ut omnia quæ prius difficilia, imo impossibilia videbantur, cum multa percurrantur dulcedine et aviditate. » Idem[5] : « Num (*s*) redarguimus Paulum, quod[6] castigat corpus suum, et in servitutem redigit? Abstinebo (*t*) a vino, quia[7] *in vino luxuria est* : aut si infirmus sum, modico utar (*u*), juxta consilium Apostoli. Abstinebo a carnibus, ne, dum nimis nutriam carnem, simul et carnis nutriam vitia. Panem ipsum cum mensura studebo sumere, ne onerato ventre stare ad orandum tædeat, et ne improperet etiam mihi Propheta[8], quod panem meum comederim in saturitate. Sed nec simplici quidem aqua ingurgitare me assuescam, ne distensio sane ventris usque ad titillationem pertingat libidinis. » Idem[9] : « Vinum et similia, mulsum et pinguia, corpori militant, non spiritui. Frixuris non anima saginatur, sed caro. Piper, zingiber (*v*), cuminum (*x*), salvia et mille hujusmodi species salsamentorum, palatum quidem delectant, sed libidinem accendunt. Prudenter sobrieque conversanti, satis est ad omne condimentum sal cum pane, et fame : qua sola non expectata, necesse est alias atque alias de nescio quibus succis extraneis confici permixtiones, quæ videlicet palatum reparent, gulam provocent, et excitent appetitum. » Idem[10] :

[1] Bern., *sup. Cant.*, serm. XXX, n. 10. — [2] I *Tim.*, V, 23. — [3] Bern., *de Ascens. Dom.*, serm. III, n. 7. — [4] Ibid., n. 8. — [5] Id., *sup. Cant.*, serm. LXVI, n. 6. — [6] I *Cor.*, IX, 27. — [7] *Ephes.*, V, 18. — [8] *Jerem.*, XLIV, 17. — [9] Bern., *ad Robert.*, epist. I, n. 11. — [10] Id., *ad Frat. de Monte Dei de vit. solit.*, longe ante med.

(*a*) *Edit. Mabill.* voluptatis diffluitur. — (*b*) *Cæt. edit.* tot. — (*c*) *Item* Puto. — (*d*) *Item add.* te. — (*e*) *Item* quidem. — (*f*) *Edit. Mabill.* exposcere. — (*g*) *Cæt. edit.* et adhuc. — (*h*) *Item* ciba. — (*i*) *Item* puto. — (*j*) *Item* tuæ. — (*k*) *Item* vitæ. — (*l*) *Edit. Mabill.*, inhærentes. — (*m*) *Item* nequiverint. — (*n*) *Item* sordidissima. — (*o*) *Item* carneis. — (*p*) *Cæt. edit. deest* tua. — (*q*) *Item* et. — (*r*) *Item* potius. — (*s*) *Cæt. edit.* Non. — (*t*) *Item* abstinendo. — (*u*) *Item* modico infirmus utatur. — (*v*) *Al* zinziber, *al.* gingiber. (*x*) *Al.* ciminum.

« Ubi cœperit spiritus reformari ad imaginem conditoris sui, mox etiam reflorescens caro, ex voluntate sua incipit ad reformationem spiritus reformari. Nam et contra sensum incipit eam delectare, quidquid delectat spiritum. Insuper et pro multiplici defectu suo ex pœna peccati, multipliciter sitiens ad Deum, nonnunquam etiam contendit præcedere rectorem suum. Delectationes enim non perdimus, sed mutamus a corpore ad animam, a sensibus ad conscientiam. Panis furfureus, et simplex aqua, olera vel legumina simplicia, nequaquam res delectabiles sunt; sed in amore Christi et internæ delectationis desiderio, ventri bene morigerato gratanter ex his satisfacere posse, valde delectabile est. Quot millia pauperum ex his, vel ex aliquo horum delectabiliter satisfaciunt naturæ? Facillimum quippe et delectabile esset, adjuncto Dei amoris condimento, secundum naturam vivere, si insania nostra nos vivere permitteret, qua sanata, statim arridet naturalibus natura. Eodem modo et de labore rusticus duros habet nervos, fortes lacertos : exercitatio hoc facit, si in ea cum tempore inolescit. Voluntas facit usum; usus exercitium; exercitium in omni labore vires subministrat. » Hucusque Bernardus. Ex his auctoritatibus constat aperte, abstinentiam plurimum commendabilem omnino esse faciendam. Eam namque tam antiqui Patres, quam beatus Franciscus, ac ducissa tua beata Clara, ut in eorum vita patet, arctissime servaverunt. Videtur tamen secundum eumdem Bernardum [1] in tribus casibus abstinentia temperanda. Primus, cum fieret contra voluntatem Prælati : hoc enim nullo modo fieri debet. Secundus, quando fieret cum notabili scandalo sociorum : magis enim confert ad exercitium spirituale, ex charitate uti vita communi, quam ex scandalo fratris, supra vitam communem spiritualem abstinentiam exhibere. Tertius casus est, quando fieret ultra corporis possibilitatem : nam indiscreta abstinentia, non virtutis, sed vitii esse perhibetur. Unde de his sic dicit Bernardus [2] : « Non vultis esse communi contenti vita. Non sufficit vobis regulare jejunium, non solemnes vigiliæ, non imposita disciplina, non mensura quam vobis partimur in vestimentis et alimentis : privata præfertis communibus. Qui vestri curam semel nobis credidistis, quid rursum de vobis vos (*a*) intromittitis? Nam illam, qua toties Dominum, conscientiis vestris testibus, offendistis, propriam scilicet voluntatem vestram, ecce nunc iterum magistram habetis, non me. Illa vos naturæ docet non parere (*b*), rationi non acquiescere, non obtemperare servorum consilio vel exemplo, non obedire nobis. » Et infra : « An nescitis, quia [3] *angelus Satanæ* multoties *transfigurat se in angelum lucis?* Sapientia est Deus, et vult se amari non solum dulciter, sed sapienter. Unde Apostolus [4] : *Rationabile*, inquit, *sit obsequium vestrum.* Alioquin facillime zelo tuo spiritus illudet erroris, si scientiam negligas; nec habet callidus hostis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quam si efficere possit ut incaute et non cum ratione ambuletur. » Idem [5] : « Videas, proh pudor! illos importune superflua quæritare, qui prius necessaria obstinatissime recusabant. Quanquam si qui in sua forte invicti obstinatione perdurant, indiscretius abstinentes, et singularitate notabili conturbantes eos, cum quibus habitare debent unius moris in domo, haud scio sane, an se æstiment pietatem retinere, cum hujusmodi mihi videantur et longius abjecisse. Nam qui sapientes (*c*) in oculis suis decreverunt apud se nec consilio acquiescere, nec præcepto, videant quid respondeant, non mihi, sed dicenti [6], quoniam *quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.* Præmiserat autem, quia *melior est obedientia, quam victima, et auscultare magis, quam offerre adipem arietum,* id est, abstinentiam contumacium. » Idem [7] : « Quid illud quod nos quoque toties in domo ista et tam graviter inquietat, notabilem loquor quorumdam, qui inter nos sunt, superstitiosamque abstinentiam, ex qua se omnibus sibique omnes molestos reddunt? Quomodo non hæc ipsa discordia tam generalis, et suæ illius conscientiæ dissipatio est, et, quod in ipso est, grandis vineæ hujus, quam plantavit dextera Domini, nostræ scilicet omnium unanimitatis demolitio? *Væ homini per quem scandalum venit* [9]. *Qui scandalizaverit,* inquit, *unum de his pusillis,* durum est quod sequitur; quanto duriora meretur, qui tantam et tam sanctam multitudinem scandalizat? Durissimum prorsus judicium portabit,

[1] Bern., *in Cant.*, serm. XIX, n. 7, quoad sensum. — [2] Ibid. — [3] II *Cor.*, XI, 14. — [4] *Rom.*, XII, 1. — [5] Bern., *in Cant.*, serm. XXXIII, n. 10. — [6] I *Reg.*, XV, 23. — [7] Ibid., 22. — [8] Id., *in Cant.*, serm. LXIV, n. 5. — [9] *Matth.*, XVIII, 7, 6.

(*a*) *Cæt. edit.* nos. — (*b*) *Edit. Mabill.* non parcere. — (*c*) *Cæt. edit.* sapientes qui.

quicumque est ille. » Idem [1] : « Illis qui ad devotionis gratiam perveniunt, unum dicitur restare periculum, et omnino timendum eis a dæmonio meridiano. *Ipse enim* [2] *satanas transfigurat se in angelum lucis.* Hoc est ergo timendum ei, qui tanta delectatione omnia facit : ne dum sequitur affectionem, corpus destruat per immoderatam exercitationem, ac deinde necesse habeat, non sine magno spiritualis exercitii detrimento, circa debilitati curam corporis occupari. Ergo, ne incurrat qui currit, illuminari necesse est lumine discretionis, quæ utique mater est virtutum, et consummatio perfectionis. Hæc nimirum docet, ne quid nimis, vel minus fiat. Atque hæc est octava dies, in qua circumciditur puer, quia discretio vera (*a*) circumcidit ut nec plus, nec minus fiat. Nam et qui nimius est, fructum boni operis abscindit, non circumcidit; sicut qui tepidus est, si (*b*) minus facit. In hac igitur die nomen imponitur, et nomen salutis, nec de eo, qui sic conversatur, dubitem dicere, quod suam ipsius salutem operetur. Usque ad hunc enim diem dicere possunt angeli, qui noverunt secreta cœlestia; sed ego nunc primum ei fiducialiter nomen salutis impono. At vero, quia omnino rara ista avis est in terris, hujus discretionis locum in vobis, fratres, suppleat virtus obedientiæ, ut nihil plus, nihil minus, nihil aliter quam imperatum sit, faciatis. » Idem [3] : « Sunt corporis exercitia, in quibus necesse est corpus laborare, sicut sunt vigiliæ et hujusmodi, quæ quidem spiritualia non impediunt, sed adjuvant, si cum ratione et discretione fiant. Quæ si ex indiscretionis vitio sic agantur, ut vel deficiente spiritu, vel languente corpore spiritualia impediantur : qui sic est, corpori suo tulit bonum effectum, spiritui affectum, proximo exemplum, Deo honorem; sacrilegus est, et omnium horum in Deum reus. Non quod secundum sensum Apostoli non videatur etiam humanum hoc, et non deceat, et non justum sit, caput aliquando dolere in servitio Dei, quod olim sæpe usque ad dolorem laboravit in vanitate sæculi; esurire ventrem usque ad rugitum, qui sæpe repletus est usque ad vomitum : sed modus est habendus. Affligendum est corpus aliquando, sed non conterendum. Nam etiam [4] *corporalis exercitatio ad modicum* quidem *valet*, et *pietas ad omnia utilis est* : propter quod *ad modicum*, hoc est, non in concupiscentiis, sed tamen cura est carnis agenda. Agenda vero est sobrie et cum quadam spirituali disciplina : ut neque in modo, neque in qualitate ejus, neque in quantitate appareat aliquid, quod non deceat servum Dei. » Hucusque Bernardus [3].

Discretio mater virtutum

Sed ut virtus discretionis tibi melius innotescat, audi breviter quid de ipsius commendatione dicat idem Bernardus [5] : « Virtus siquidem discretionis absque fervore charitatis jacet, et fervor vehemens absque discretionis temperamento præcipitat. Ideoque laudabilis cui neutrum deest, quatenus et fervor discretionem erigat, et discretio fervorem regat. » Idem [6] : « Discretio quidem virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit, et decorem etiam et perpetuitatem. Denique ait [7] : *Ordinatione tua perseverat dies*, diem virtutem appellans. Est igitur discretio non tam virtus, quam quædam moderatrix et auriga virtutum, ordinatrixque affectuum, et morum doctrix. Tolle hanc, et virtus vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur, exterminiumque naturæ. » Hucusque Bernardus. Habuisti igitur ex prædictis, quomodo in hoc dicipulorum exemplo destruitur superfluitas et gulositas. Sed quomodo pompa mundi etiam destruatur, nondum tibi dixi; quod tamen prosequi non intendo, sed nec ex toto omittens. Sed hoc dicere sufficere puto ad præsens : quod hoc exemplo renovata videtur primæ ætatis beata simplicitas, in qua erant homines contenti fructibus arborum, et radicibus herbarum, et simplici aqua. Si igitur sic hodie fieret, non indigeremus molendinis, nec clibanis, nec utensilibus, et apparatu rerum, nec supellectili varia et pomposa, in quibus humanum genus est inextricabiliter intricatum.

FERIA QUINTA.

CAPUT XLV.

De ministerio Marthæ et Mariæ. Item de ordine contemplationis, et quod duas habet partes.

Cum quadam vice Dominus Jesus iret Bethaniam [8] ad domum Marthæ et Mariæ, ipsæ toto affectu diligentes eum, reverenter ac multum

[1] Bern., *de Circumc. Dom.*, serm. III, n. 11. — [2] II *Cor.*, XI, 14. — [3] Imo Guill. a S. Theod. *ad frat. de Monte Dei de vit. solit.*, c. XI, n. 32, inter Oper. Bern., tom. II, edit. Mab. — [4] I *Tim.*, IV, 8. — [5] Bern., *sup. Cant.*, serm. XXIII, n. 8. — [6] Ibid., serm. XLIX, n. 5. — [7] *Psal.* CXVIII, 91. — [8] *Luc.*, X, 38 et seq.

(*a*) *Edit. Mabill.* vere. — (*b*) *Cæt. edit. deest* si.

alacriter susceperunt eumdem. Et Martha quidem soror Mariæ se incontinenti paravit ad refectionem honorabilem ei et discipulis procurandam; Maria vero ad pedes Domini se posuit. Et cum Dominus, nolens existere otiosus, more suo loqueretur verba vitæ æternæ, ipsa oculis et auribus in eum intenta, jucundabatur in verbis suis, ultra quam dici possit, nec quidquam aliud cogitabat. Martha vero moleste hoc tulit, et eam compelli a Domino ad laborandum secum in ministerio postulavit, sed contrariam sententiam reportavit, et Mariam optimam partem elegisse audivit. Maria vero quæ verbis Dei quiescebat, ad clamorem sororis, quasi a somno evigilans, de quiete sua timuit, et facie inclinata in terram siluit. Sed post Domini responsionem securius et jucundius sedit. Deinde parata refectione, et Domino cessante loqui, continuo surgit, aquam manibus ejus parat, et deinceps eidem semper assistens, fidelissime servit. Conspice bene Dominum ingredientem, et illas ipsum lætissime suscipientes, et deinceps alia in prædictis eorum actibus, quia pulcherrima sunt.

Per Martham et Mariam duæ vitæ intelliguntur.

Scire autem debes, quod per istas duas sorores dicunt Sancti duplicem vitam intelligi, scilicet activam, et contemplativam : de quibus tractare longa materia est. Sed quia tibi expedire credo non longum tractatum habere, tamen tibi aliqua inde scribam, tum quia beatus Bernardus in diversis locis ipsum copiosissime tractat; tum quia utilissimus, spiritualissimus, ac valde necessarius est. Nam secundum prædictam duplicem vitam continue vivimus, et qualiter nos vivere oportet, ignoramus frequenter, quod est magnum periculum, et jactura non levis, præcipue religiosam vitam gerentibus. Est igitur vita activa, quæ designatur per Martham. Sed activæ vitæ, sicut ex dictis Bernardi colligere possum, duæ sunt partes. Prima pars qua quis se exercet ad suam principaliter utilitatem corrigendo se, emendando a vitiis, et informando virtutibus. Et idem secundario fit ad utilitatem etiam proximi per opera justitiæ, et obsequia pietatis et charitatis. Secunda pars ejus est, quomodo quis principaliter suum exercitium confert in utilitatem proximi, quamvis ad suum etiam majus meritum, ut alios regendo, docendo, et adjuvando in animarum salutem, ut faciunt prælati, et prædicatores, et hujusmodi. Et inter has duas partes vitæ activæ, est vita contemplativa, ut iste sit ordo, quod primo quis se exerceat, et laboret in oratione, et sacrarum studio litterarum, et aliis operibus bonis, et obsequiis in conversatione, quasi corrigendo se a vitiis et acquirendo virtutes. Secundo quiescat in contemplatione, solitudinem mentis quærens, et soli Deo vacans toto posse. Tertio per prædicta duo exercitia, virtutibus et vera sapientia imbutus et illuminatus, et fervidus effectus, ad aliorum salutem intendat. Primo igitur, ut tetigi, oportet, quod in prima activæ parte, mens expurgetur, depuretur et roboretur per exercitia virtutum; deinde in contemplativa informetur, illuminetur et instruatur; postea confidenter potest ad aliorum profectus exire, ut eos possit adjuvare. Quod autem iste sit ordo rectus, istis auctoritatibus probatur, et primo, quod prima pars activæ præcedat contemplativam.

CAPUT XLVI.

Activa præcedit contemplativam.

Dicit enim Bernardus [1] : « Intrante Jesu in hoc castellum, duæ sorores, Martha et Maria, id est operatio et intellectus, exceperunt illum. Jesus autem, cum ad illas venit, duo confert congruentia singulis, virtutem et sapientiam : virtutem, operationi; sapientiam, intellectui. Unde et ab Apostolis [2] prædicatur *Dei virtus, et Dei sapientia.* Sed quid est, quod intrantem eum Martha excipit, discurrit et ministrat; Maria vero, secus pedes sedens ingressi, in ejus verbum cor suspendit, nisi quia prius est actio, postea vero contemplatio ? Quisquis enim ad intelligentiam pervenire desiderat, profecto necesse est ut prius per opera bona se diligenter exerceat, sicut scriptum est [3] : *Fili, concupiscens sapientiam, conserva justitiam, et Deus præbebit illam tibi.* Et alibi [4] : *A mandatis tuis intellexi.* Et [5] : *Fide purgans* (*a*) *corda eorum.* Qua fide? Fide per dilectionem operante. » Idem [6] : « En forte appetis et ipse contemplationis quietem; et bene facis : tantum, ne obliviscaris flores, quibus lectulum sponsæ legis sparsum. Ergo cura et tu tuum similiter circumdare bonorum floribus operum, virtutum exercitio, tanquam flore, fructuum (*b*) sanctum otium prævenire.

[1] Bern., *de Assumpt. Virg.*, serm. v, ante med. — [2] I *Cor.*, I, 24. — [3] *Eccli.*, I, 33. — [4] *Psal.* CXVIII, 104. — [5] *Act. Apost.*, XV, 9. — [6] Bern., *super Cant.*, serm. XLVI, n. 5.

(*a*) Vulg. *purificans.* — (*b*) *Edit. Mabill.* fructum.

Alioquin delicato satis otio dormitare voles, si non exercitatus quiescere appetas, et Liæ fœcunditate neglecta, solis cupias Rachel amplexibus oblectari. Sed et præposterus ordo est ante meritum exigere præmium, et ante laborem sumere cibum, cum dicat Apostolus [1] : *Qui non laborat* (*a*), *non manducet. A mandatis tuis intellexi*, inquit, ut scias nisi propter obedientiæ mandatum (*b*) contemplationis gustum penitus nemini (*c*) deberi. Non igitur putes de propriæ (*d*) amore quietis, sanctæ obedientiæ actibus, seniorumve traditionibus præjudicium ullatenus faciendum. Alioquin non dormiet tecum sponsus in lectulo tuo (*e*) : illo præsertim, quem tibi pro obedientiæ floribus, cicutis ac urticis inobedientiæ aspersisti, propter quod non exaudiet orationes tuas, vocatusque non veniet. Nec enim dabit inobedienti copiam sui tantus obedientiæ amator, qui (*f*) mori quam non obedire maluerit. Sed neque approbat tuæ contemplationis inane otium, qui dicit per Prophetam [2] : *Laboravi sustinens*, signans tempus quo exul (*g*) cœlo et patria summæ quietis, [3] *operatus est salutem in medio terræ.* » Et paulo post [4] : « Miror valde impudentiam aliquorum, qui inter nos sunt, et qui cum omnes nos sua singularitate turbaverint, sua impatientia irritaverint, sua inobedientia coinquinaverint (*h*), audent nihilominus ad tam fœdum concupiscentiæ (*i*) suæ lectulum, omni orationum instantia totius puritatis Dominum invocare. At [5] *cum extenderitis*, ait, *manus vestras ante* (*j*) *oculos meos, et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam.* Quid enim ? lectulus non est floridus, magis autem et putidus est ; et tu illuc regem gloriæ trahis ! Ad pausandum hoc facis, an ad causandum ? » Et infra : « Perge ergo tu tota die expandere ad Deum tuum manus tuas, qui fratres tota die molestas, unanimitatem impugnas, ab unitate te separas. [6] Et quid vis me facere, inquit (*k*) ? Profecto ut primo quidem emundes conscientiam ab omni inquinamento iræ, et disceptationis, et murmuris, et livoris ; et quidquid omnino adversari cognoscitur, aut paci fratrum, aut obedientiæ seniorum, de cordis habitaculo eliminare festines. Deinde etiam circumdare tibi flores bonorum quorumcumque actuum et laudabilium studiorum, atque odoramenta virtutum, id est [7] *quæcumque sunt vera, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitare*, in his te exercere curato. Ad istiusmodi secure vocabis sponsum, quoniam, cum introduxeris eum, veraciter dicere poteris et tu, quia *lectulus noster floridus*, sed (*l*) redolente nimirum conscientia pietatem, sed pacem, sed mansuetudinem, sed justitiam, sed obedientiam, sed hilaritatem, sed humilitatem. » Hæc Bernardus. Ex prædictis apparet, quomodo pars activæ, quam vocavit (*m*) primam, præcedit contemplativam.

CAPUT XLVII.

De oratione; item, septem quæ præcedunt bonum doctorem.

Sequitur videre, qualiter contemplativa præcedit activam in secunda parte ipsius, et sic contemplativa stat in medio inter ipsas duas partes activæ. Dicit igitur Bernardus [8] : « Sane cavendum est, aut dare quod nobis accepimus, aut quod erogandum accepimus, retinere. Rem profecto Christi (*n*) retines tibi, si, verbi causa, plenus virtutibus cum sis, forisque nihilominus donis scientiæ et eloquentiæ adornatus, metu forte, aut segnitie, aut minus discreta humilitate verbum bonum, quod posset prodesse multis, inutili, imo damnabili ligas silentio : certe [9] *maledictus, quod frumenta abscondis in populis* (*o*). Rursum quod tuum est, spargis et perdis, si priusquam infundaris, tu totus semiplenus festinas effundere, contra legem [10] *arans* (*p*) *in primogenito bovis, et ovis primogenitum tondens* (*q*). Nimirum vita atque salute, quam alteri das, te fraudas, dum sana vacuus intentione, gloriæ inanis vento inflaris, aut terrenæ cupiditatis veneno inficeris, et lethali apostemate turgens, interis. [11] Quamobrem, si sapis, concham te exhibebis, et non canalem. Hic siquidem pene simul recepit et refundit ; illa vero, donec impleatur,

[1] II *Thess.*, III, 10. — [2] *Jerem.*, VI, 11. — [3] *Psal.* LXXIII, 12. — [4] Bern., ibid., n. 6. — [5] *Isa.*, , 15. — [6] Bern., ibid., n. 7. — [7] *Philip.*, IV, 8. — [8] Bern., *super Cant.*, serm. XVIII, n. 2. — [9] *Prov.*, XI, 26. — [10] Deuter., XV, 19. — [11] Bern., ibid., n. 4.

(*a*) Vulg. *non vult operari.* — (*b*) *Edit. Mabill.* nisi obedientiæ mandatorum. — (*c*) *Id.* non. — (*d*) *Cæt. edit.* proprio. — (*e*) *Edit. Mabill.* uno. — (*f*) *Al.* ut.

(*g*) *Suppl.* a. — (*h*) *Edit. Mabill.* sua contumacia et rebellione contempserint. — (*i*) *Id.* conscientiæ. — (*j*) Vulg. *avertam*, itemque edit. Mabill. — (*k*) *Edit. Mabill.* inquis. — (*l*) *Ed. Mab. non habet* sed. — (*m*) *Leg.* vocavi. — (*n*) *Id.* proximi — (*o*) Vulg. *Qui abscondit frumenta maledicetur in populis.* — (*p*) Vulg. *Non operaberis.* — (*q*) Item *Non tondebis primogenita ovium.*

expectat, et sic quod superabundat, sine suo damno communicat, sciens maledictum, qui partem suam fecit (*a*) deteriorem. » Et infra [1] : « Cæterum tu, frater, cui firma satis propria salus nondum est, cui charitas adhuc aut nulla est, aut adeo tenera, aut arundinea, quod omni flatui cedat, omni credat spiritui, omni circumferatur doctrinæ vento; imo cui tanta est charitas, ut [2] ultra mandatum quidem diligas proximum tuum plus quam teipsum; et rursum tantilla, ut contra mandatum favore liquescat, pavore deficiat, perturbetur tristitia, avaritia contrahatur, protrahatur ambitionibus, suspicione (*b*) inquietetur, convitiis exagitetur, curis evisceretur, honoribus tumeat, livore tabescat : tu, inquam, in propriis teipsum sentiens, quanam dementia, quæso, aliena curare, aut ambis, aut acquiescis? Sed audi quid consulat cauta vigilque charitas : *Non ut aliis*, inquit [3], *sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate.* [4] *Noli nimium* (*c*) *esse justus.* Sufficit ut diligas proximum tuum tanquam teipsum : hoc quippe est *ex æqualitate.* » Et infra : « Implere prius, et sic curato effundere. Benigna prudensque charitas affluere consuevit, non affluere. *Fili mi, ne perefluas*, ait Salomon [5]. Et Apostolus [6] : *Propterea*, inquit, *debemus intendere his, quæ dicuntur, ne forte pereffluamus.* Quid enim? tune (*d*) Paulo sanctior, sapientior Salomone? » Et post pauca [7] : « Sed jam audite, quæ et quanta saluti propriæ sint necessaria, quæ et quanta infundi oporteat, priusquam effundere præsumamus. » Et post : « Accedit medicus ad vulneratum, spiritus ad animam. Quam enim non reperiat gladio diaboli vulneratam? » Et infra : « Quid ei primo opus est? Revera ut tumor vel ulcus, quod forte supercrevit in vulnere, et potest impedire sanitatem, ante omnia amputetur. Abscindatur itaque ferro acuto (*e*) compunctionis ulcus inveteratæ consuetudinis. Sed est acerbus dolor : leniatur proinde unguento devotionis; quod non est aliud, nisi concepta de spe indulgentiæ exultatio. Hanc continendi (*f*) parit facultas et (*g*) victoria de peccato. Jam gratias agit, et dicit [8] : *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Deinde apponitur medicamentum pœnitentiæ, malagma jejuniorum, vigiliarum, orationum, et si qua sunt alia pœnitentium exercitia. In labore cibandus est cibo boni operis, ne deficiat. Quod opus sit cibus, inde doceris [9] : *Meus*, inquit, *cibus est, ut faciam voluntatem patris mei.* Itaque comitentur pœnitentiæ labores pietatis opera, quæ confortant. *Magnam*, ait [10], *fiduciam præstat apud Altissimum* (*h*) *eleemosyna.* Cibus sitim excitat; potandus est. Accedat cibo boni operis, orationis potus, componens in stomacho conscientiæ quod bene gestum est, et commendans Deo. Orando bibitur vinum lætificans cor hominis, vinum spiritus quod inebriat, et carnalium voluptatum infundit oblivionem, humectat interiora arentis conscientiæ, escas bonorum actuum digerit, et deducit per quædam animæ membra, fidem roborans, spem confortans, vegetans ordinansque charitatem, et impinguans mores. [11] Sumpto cibo potuque, quid restat, nisi ut pauset ægrotus, et quieti contemplationis post sudorem actionis incumbat? Dormiens in contemplatione somniat Dominum : *per speculum* siquidem [12] *in ænigmate*, non autem *facie ad faciem* interim intuetur. Cum sic non tam spectati quam conjectati, idque raptim, et quasi sub quodam coruscamine scintillæ transeuntis, tenuiter vix attacti inardescit amore, ait [13] : *Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritus meus* (*i*) *in præcordiis meis.* Talis amor zelat; hic decet amicum, vel amatorem (*j*) sponsi. Hinc (*k*) necesse est, quod ardeat [14] *fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam;* hic repletur (*l*), hic servet, hic ebullit, hic jam securus effundit exundans, et erumpens, et dicens [15] : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* Prædicet, fructificet, innovet signa, et immutet mirabilia; non est quo se immisceat vanitas, ubi totum occupat charitas. Siquidem [16] *plenitudo legis* et cordis *est charitas* (*m*), si tamen plena. *Deus* denique *charitas est* [17], et nihil est in rebus, quod possit replere creaturam factam ad imaginem Dei, nisi charitas Deus, qui solus major est illa. Eam

[1] Bern., *super Cant.*, serm. XVIII, n. 5. — [2] *Edit. Vat.* et. — [3] II *Cor.*, VIII, 13. — [4] *Eccle.*, VII, 17. — [5] *Prov.*, III, 21, juxta LXX, μὴ παραῤῥυῇς. Vulg. *ne effluant hæc.* — [6] *Hebr.*, II, 1. — [7] Bern., ibid., n. 5. — [8] *Psal.* CXV, 16. — [9] *Joan.*, IV, 34. — [10] *Tob.*, IV, 12. — [11] Bern., ibid., n. 6. — [12] I *Cor.*, XIII, 12. — [13] *Isa.*, XXVI, 9. — [14] *Matth.*, XXIV, 45. — [15] II *Cor.*, XI, 29. — [16] *Rom.*, XIII, 10. — [17] I *Joan.*, IV, 8.

(*a*) *Edit. Mabill.* facit. — (*b*) *Cæt. edit.* suspicione, ambitionibus. — (*c*) Vulg. *multum.* — (*d*) *Cæt. edit.* Quid enim tunc. — (*e*) *Edit. Mabill.* acutæ. — (*f*) *Cæt. edit.* contenti. — (*g*) *Item* ex. — (*h*) Vulg. *Fiducia magna erit coram summo Deo.* — (*i*) Vulg. *spiritu meo.* — (*j*) *Cæt. edit.* amorem; *edit. Mabill. deest utrumque.* — (*k*) *Edit. Mabill.* Hoc. — (*l*) *Cæt. edit.* replet. — (*m*) Vulg. *dilectio.*

nondum adeptus, periculosissime promovetur, quantumlibet videatur aliis pollere virtutibus. *Si habuerit omnem scientiam, si dederit omnem substantiam suam pauperibus, si tradiderit corpus suum, ita ut ardeat,* absque charitate vacuus est, ait Paulus [1]. En quanta prius infundenda sunt, ut effundere audeamus! Primo quidem compunctio; secundo devotio; tertio pœnitentiæ labor; quarto pietatis opus; quinto orationis studium; sexto contemplationis otium; septimo plenitudo dilectionis. *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus* [2], secundum operationem quæ *infusio* appellatur, quatenus illa, quæ effusio dicta est, pure, et ob hoc tute jam administretur, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi. » Idem [3] : « Hoc siquidem vera et casta contemplatio habet, ut mentem, quam divino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo et desiderio acquirendi Deo, qui eum similiter diligat, ut otium contemplationis pro studio prædicationis libentissime intermittat; et rursum potita votis aliquatenus in hac parte, tanto ardentius redeat in idipsum, quanto se fructuosius intermisisse meminerit; et iterum sumpto contemplationis gustu, valentius ad conquirenda lucra solita alacriter recurrat. Cæterum inter has vicissitudines plerumque mens fluctuat, metuens et vehementer æstuans (*a*), ne forte alteri horum, dum suis affectionibus hinc inde distrahitur, plus justo inhæreat, et sic in utrolibet (*b*) vel modicum a divina deviet voluntate. Et fortassis aliquid tale sanctus Job patiebatur, cum diceret [4] : *Si dormiero, dico: Quando consurgam, et rursum expectabo vesperam?* hoc est : et quietus, neglecti operis; et occupatus, perturbatæ nihilominus quietis me arguo. Vides virum sanctum inter fructum operis, et somnum contemplationis, graviter æstuare, et in bonis licet semper conversantem, semper tamen quasi de malis pœnitentiam agere, et Dei cum gemitu momentis singulis inquirere voluntatem. Unicum quippe in hujusmodi remedium seu refugium oratio est, quia frequens gemitus ad Deum, ut quid, quando, et quatenus nos facere velit, assidue nobis demonstrare dignetur. » Hucusque Bernardus. Patet igitur ex prædictis, quomodo duæ sunt partes activæ vitæ, et quomodo inter eas est contemplativa, et per consequens de modo et ordine ipsarum. Restat, ut de ipsis singulariter inspiciamus. Sed de tertio membro, id est, de secunda parte activæ, qualiter ad lucrum animarum, et ad utilitatem proximi sit exeundum, non intendo tractare, quia tuus status hoc non requirit. Sufficit tibi in hoc totum studium tuum ponere, ut vitiis emendata ac virtutibus imbuta per primam partem activæ, Deo tuo vacare possis per contemplationem.

CAPUT XLVIII.

De exercitio activæ vitæ.

De ipsa ergo activa, quamvis in parte jam habueris, et maxime in Sermone XLVI Bernardi *super Cantica;* tamen adhuc alias ejusdem Bernardi auctoritates adducam, ut cautius vitia fugere, ac plenius virtutes valeas adipisci. Dicit itaque idem in eisdem *Canticis* [5] : « *Seminate vobis ad justitiam; metite spem vitæ,* et tunc demum *illuminate vobis,* ait [6], *lumen scientiæ.* Ultimam posuit scientiam tanquam picturam, quæ statum habere nequeat super inane : et ideo illa duo præmisit, et subjecit illi, tanquam si solidum aliquid picturæ substerneret. Securus jam intendam scientiæ, si vitæ prius per beneficium spei securitatem accepero. Tu igitur seminasti tibi ad justitiam, si ex vera notitia tui evigilasti timere Deum, teipsum humiliasti, fudisti lacrymas, eleemosynas profudisti, cæterisque pietatis actionibus mancipasti, si jejuniis et vigiliis afflixisti corpus, si pectus tunsionibus, cœlos clamoribus fatigasti. Hoc siquidem seminare est ad justitiam. Semina sunt bona opera, bona studia, semina lacrymæ sunt : *Ibant* enim, inquit [7], *et flebant, mittentes semina sua.* » Idem in persona sponsæ loquentis ad sodales sponsi, et petentis osculum, id est, contemplationis excessum, sic dicit [8] : « Si cura est ei ulla de me, [9] *osculetur me osculo oris sui.* Non sum ingrata, sed amo. » Et infra : « In gratia ipsius multis jam annis caste sobrieque vivere curo, lectioni insisto, resisto vitiis, orationi incumbo frequenter, vigilo contra tentationes, recogito annos meos in amaritudine animæ meæ; sine querela me arbitror, quantum in me est, conversari inter

[1] I *Cor.*, XIII, 2. — [2] Ibid., XII, 11. — [3] Bern., *super Cant.*, serm. LVII, n. 9. — [4] *Job*, VII, 4. — [5] Bernard., *super Cant.*, serm. XXXVII, n. 2. — [6] *Ose.*, X, 12, juxta LXX, Σπείρατε ἑαυτοῖς εἰς δικαιοσύνην, τρυγήσατε εἰς καρπὸν ζωῆς, φωτίσατε ἑαυτοῖς φῶς γνώσεως. — [7] *Psal.* CXXV, 6. — [8] Bern., *super Cant.*, serm. IX, n. 2. — [9] *Cant.*, I, 1.

(*a*) *Edit. Mabill.* exæstuans. — (*b*) *Cæt. edit.* utroque.

fratres; superioribus potestatibus subdita sum, sive egrediens et regrediens ad imperium senioris. Aliena non cupio, mea potius et me pariter dedi; in sudore vultus mei comedo panem. Cæterum quod in his omnibus est, totum constat de consuetudine, de dulcedine nihil. » Et post pauca : « Mandata forsan utcumque adimpleo, sed anima mea sicut terra sine aqua in illis. Ut igitur holocaustum meum pingue fiat, *osculetur me*, quæso, *osculo oris sui.* » Idem [1] : « Tu quoque, si donum, quod desuper accepisti, nobis contubernalibus tuis libenter impartiaris, si te exhibeas ubique inter nos officiosum, si affectuosum, si gratum, si tractabilem, si humilem, testimonium habebis ab omnibus, quod fragres et ipse unguentis optimis. Omnis in nobis qui fraternas infirmitates tam corporum, quam animarum, non solum patienter supportat, sed insuper, si licet ei, et si valet, juvat obsequiis, confortat alloquiis, consiliis informat : si hoc non potest propter disciplinam, sollicitis saltem orationibus solatiari non cesset infirmo : omnis, inquam, qui talia operatur in nobis, bonum omnino spargit (*a*) odorem inter fratres, odorem de unguentis optimis. Balsamum in ore, hujusmodi frater in congregatione : monstratur digito; dicunt de eo omnes [2] : *Hic est fratrum amator et populi Israel. Hic est qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate.* » Idem [3] : « Hi sunt magistri, qui a Magistro omnium vias vitæ plenius didicerunt, et docent nos usque in hodiernum diem. Quid igitur docuerunt, vel docent nos sancti apostoli? Non piscatoriam artem, nec scenofactoriam, vel quidquid hujusmodi est, non Platonem legere, non Aristotelis versutias inversare, non semper discere, et nunquam ad veritatis scientiam pervenire. Docuerunt me vivere. Putas, parva res sit (*b*) scire vivere? Magnum aliquid, imo maximum. Non vivit, qui superbia inflatur, qui luxuria sordidatur, qui cæteris inficitur pestibus : quoniam non est hoc vivere, sed vitam confundere, et appropinquare usque ad portas mortis. Bonam autem vitam ego puto, et mala pati, et bona facere, et sic perseverare usque ad mortem. Dicitur vulgo : Qui bene se pascit, bene vivit. Sed [4] *mentita est iniquitas sibi*, quoniam non bene vivit, nisi qui bonum facit. [5] Arbitror autem quod tu, qui in congregatione es, bene vivis, si vivis ordinabiliter, sociabiliter et humiliter : ordinabiliter tibi; sociabiliter aliis; humiliter Deo. Ordinabiliter, ut in conversatione tua sollicitus sis observare vias tuas in conspectu Domini et in conspectu proximi : cavens et tibi a peccato, et illi a scandalo. Sociabiliter, ut studeas amari et amare, et blandum te et affabilem exhibere, supportare non solum patienter, sed et libenter infirmitates fratrum tuorum, tam morum, quam corporum. Humiliter, ut cum hæc omnia feceris, spiritum vanitatis studeas exsufflare, qui ex hujusmodi nasci solet; et quantumcumque illum senseris, nega omnino consensum. Sic et in patiendo malum, quoniam triplex est, triplicem oportet adhibere providentiam. Est enim quod a te pateris, quod a proximo, quod a Deo : primum est austeritas pœnitentiæ; secundum, vexatio alienæ malitiæ; tertium, flagellum correptionis divinæ. In eo, quod a te pateris, debes voluntarie sacrificare; quod a proximo, patienter ferre; quod a Deo, sine murmuratione et cum gratiarum actione sustinere. » Hucusque Bernardus. Et hæc de exercitio primæ partis activæ sufficiant ad præsens.

Trip malo plex p viden adhib da.

CAPUT XLIX.

De exercitio vitæ contemplativæ.

Sequitur ut de contemplativa videamus; de qua sic dicit Bernardus [6] : « Propterea dulcissimus sponsus lævam suam capiti sponsæ supposuit, quatenus in sinu eam quiescere faceret, et dormire. Et nunc custos illius dignantissime (*c*) et benevolentissime vigilat super eam, ne adolescentularum crebris minutisque necessitatibus inquietata vigilare cogatur. » Et infra [7] : « Non me capio pro lætitia, quod illa majestas tam familiari dulcique consortio nostræ sese inclinare infirmitati minime dedignatur, et superna deitas animæ exulantis inire connubia non despicit. Si sic in cœlo esse non ambigo, ut lego in terra, sentit pro certo anima quod continet pagina, nisi quod non sufficit omnino ista exprimere, quantum capere illa tunc poterit, sed nec quantum jam potest. Quid, putas, illic accipiet, quæ hic tanta familiaritate donatur (*d*), ut Dei brachiis amplecti se sentiat,

[1] Bern., *super Cant.*, serm. XII, n. 5. — [2] II *Mach.*, XV, 14. — [3] Bern., *in fest. SS. Petr. et Paul.*, serm. I, n. 3. — [4] *Psal.* XXVI, 12. — [5] Bern., ibid., n. 4. — [6] Bernard., *super Cant.*, serm. LII, n. 1. — [7] Ibid., n. 2.

(*a*) *Edit. Vat. et Ven.* spargat. — (*b*) *Edit. Mabill.* est. — (*c*) *Cæt. edit.* dignatissime. — (*d*) *Al.* dotatur.

et Dei sinu foveri, Dei cura, custodia et studio custodiri, ne dormiens forte a quopiam, donec ultro evigilet, excitetur? » Et mox subdit [1] : « Non est autem is sponsæ somnus, dormitio corporis. » Et post : « Magis autem istiusmodi vitalis vigilque sopor sensum interiorem illuminat, et morte propulsata, vitam tribuit sempiternam. Revera enim dormitio est, quæ tamen sensum non sopiat, sed abducat. Est et mors, quod non dubius dixerim, quoniam Apostolus quosdam adhuc in carne viventes commendando, sic loquitur [2] : *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* [3] Proinde et ego, et non absurde, sponsæ ecstasim vocaverim mortem, quæ tamen non (*a*) vita, sed (*a*) vitæ eripiat (*b*) laqueis, ut possit dicere [4] : *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.* Inter medios namque laqueos in hac vita inceditur : qui utique toties non timentur, quoties sancta aliqua et vehementi cogitatione anima a semetipsa abripitur : si tamen eousque mente secedat, et avolet, ut (*c*) hunc communem transcendat usum, et consuetudinem cogitandi. Etenim [5] *frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.* Quid enim formidetur luxuria, ubi nec vita sentitur? Excedente quippe anima, etsi non vita, certe vitæ sensu, necesse etiam est, ut nec vitæ tentatio sentiatur. [6] *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* Utinam hac morte ego frequenter cadam, ut evadam laqueos mortis, ut non sentiam vitæ luxuriantis mortifera blandimenta, vel obstupescam ad sensum libidinis, ad æstum avaritiæ, ad iracundiæ et impatientiæ stimulos, ad angores sollicitudinum, et molestias curarum! [7] *Moriatur anima mea morte justorum,* ut nulla illaqueet injustitia, nulla oblectet iniquitas. Bona mors, quæ vitam non aufert, sed transfert in melius. Bona, qua non corpus cadit, sed anima sublevatur. [8] Verum hæc hominum est; sed anima mea moriatur morte etiam, si dici potest, angelorum, ut præsentium memoriam excedens, rerum se inferiorum corporearumque non modo cupiditatibus, sed et similitudinibus exuat, sitque illi pura cum illis conversatio, cum quibus est puritatis similitudo. Talis, ut opinor, excessus, aut tantum, aut maxime contemplatio dicitur. Rerum etenim cupiditatibus vivendo non teneri, humanæ virtutis est; corporum vero similitudinibus speculando non involvi, angelicæ puritatis est : utrumque tamen divini muneris, utrumque excedere, utrumque temetipsum transcendere est; sed longe unum, alterum non longe. Beatus qui dicere potest [9] : *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine.* Non fuit contentus exire, nisi et longe se faceret, ut posset quiescere. Transilisti carnis oblectamenta, ut minime jam obedias concupiscentiis ejus, nec tenearis illecebris : proficiendo separasti te; sed nondum elongasti, nisi et irruentia undique phantasmata corporearum similitudinum transvolare mentis puritate prævaleas. Hucusque noli tibi promittere requiem. Erras, si citra invenire te existimas locum quietis, secretum solitudinis, luminis serenum, habitaculum pacis. Sed da mihi qui illuc venerit, et incunctanter fateor quiescentem, qui merito dicat [10] : *Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus bene fecit tibi.* Atque hic vere in solitudine locus, et in lumine habitatio. » Et paulo post [11] : « Puto (*d*) ergo in solitudinem hanc exisse sponsam, ibique pro (*e*) amœnitate loci inter amplexus sponsi suaviter obdormisse, id est, spiritu excessisse, quando prohibitæ sunt adolescentulæ expergefacere illam, quoad ipsa voluerit. At illud qualiter? Non simpliciter, neque levi, ut assolet, commonitione prohibitæ sunt; sed omnino nova et insueta contestatione, *per capreas* scilicet [12] *cervosque camporum.* Quo quidem genere ferarum videntur mihi satis congruenter expressæ sanctæ animæ exutæ corporibus, simul et qui cum Deo sunt angeli, nimirum propter acumen visus, et saltus celeritatem. Utrumque hoc siquidem utrisque spiritibus convenire cognoscimus. Nam facile, et petunt summa, et intima penetrant. Quorum quoque in campis designata conversatio evidenter liberos atque expeditos significat in contemplatione discursus. Quid sibi vult igitur adjuratio facta per istos? Profecto ne inquietæ adolescentulæ audeant levi ex causa evocare dilectam a tam reverendo collegio, cui absque debito toties admiscetur, quoties contemplando excedit. Pulchre itaque horum auctoritate terrentur, a quorum societate constat evelli (*f*)

[1] Bern., *super Cant.*, serm. LII, n. 3. — [2] *Coloss.*, III, 3. — [3] Bern., ibid., n. 4. — [4] *Psal.* CXXIII, 7. — [5] *Prov.*, I, 17. — [6] *Psal.* LIV, 7. — [7] *Num.*, XXIII, 10. — [8] Bernard., ibid., n. 5. — [9] *Psal.* LIV, 8. — [10] *Psal.* CXIV, 7. — [11] Bern., ibid., n. 6. — [12] *Cant.*, III, 5.

(*a*) *Suppl.* de. — (*b*) *Cæt. edit.* eripiatur. — (*c*) *Item* et. — (*d*) *Edit. Mabill.* Puta. — (*e*) *Id.* præ. — (*f*) *Id.* avelli.

illam ipsarum importunitate. Ponitur sane in voluntate ipsius, et vacare sibi, et curæ illarum intendere, prout oportere judicaverit, cum vetatur excitari ab illis, quousque ipsa velit. Novit sponsus quanta flagret (*a*) dilectione erga proximos sponsa; et satis propria charitate sollicitari matrem de profectibus filiarum, nec se ullo pacto illis subtracturam, seu denegaturam, quantum et quoties opus fuerit : proptereaque secure discretioni (*b*) ejus credendam censuit hanc dispensationem. » Hucusque Bernardus.

CAPUT L.

De tribus generibus contemplationis.

Scire autem debes contemplationis tria esse genera : duo principalia propter perfectos; tertium additur pro imperfectis. Duo (*c*) perfectorum sunt contemplatio majestatis Dei, et contemplatio cœlestis curiæ. Tertium pro incipientibus et imperfectis est contemplatio humanitatis Christi, quam in hoc libello tibi describo. Et ideo ab hac tibi incipiendum est, si vis ascendere ad majora; alias non tam ascendere, quam reverti (*d*) posses. Vide igitur quam necessaria sit tibi hujus libelli doctrina. Nunquam enim ad sublimia Dei, mente elevare te posse confidas, nisi in hac te diligenter et longo tempore exerceas. Super hac autem materia dicit sic Bernardus [1] : « Duo liquet contemplationis genera esse : unum de statu et felicitate, et gloria civitatis supernæ, quo vel actu, vel otio ingens illa cœlestium civium occupata fit multitudo; alterum de regis ipsius majestate, æternitate et divinitate. Illa in maceria; ista in petra : sed hæc quanto difficilius cavatur, tanto suavius, quod inde eruis, sapit. » Et infra [2] : « Sed quia non ex omni se interim parte adhuc ad petram perforandam accedere Ecclesia potest (neque enim omnium est, qui in Ecclesia sunt, sacramenta divinæ voluntatis inspicere, aut apprehendere per semetipsos profunda Dei); ideo non solum in foraminibus petræ, sed etiam in cavernis maceriæ habitare ostenditur. Ergo in perfectis quidem, qui rimari et penetrare arcana sapientiæ, et puritate conscientiæ audent, et intelligentiæ acumine possunt, habitat (*e*) in foraminibus petræ. De reliquo in caverna maceriæ, ut qui in petra fodere per semetipsos, aut non sufficiunt, aut non præsumunt, in maceria fodiant, contenti vel gloriam Sanctorum mente intueri. Si cui nec hoc quidem possibile sit, huic sane propone (*f*) Jesum, et hunc crucifixum : ut et ipse absque suo labore habitet in foraminibus petræ, in quibus non laboravit. Judæi in his laboraverunt, et ipse in labores infidelium introibit, ut sit fidelis. Nec verendum quod patiatur repulsam, qui vocatur ut intret. *Ingredere,* inquit [3], *in petram, absconde te in fossa humo a facie timoris Domini, et a gloria majestatis ejus.* Infirmæ adhuc et inerti animæ fossa ostenditur humus, ubi lateat, donec convalescat et proficiat : ut possit et ipsa per se cavare sibi foramina in petra, per quæ intret ad interiora Verbi, animi utique vigore et puritate. [4] Et si intelleximus fossam humum illam, quæ ait [5] : *Foderunt manus meas, et pedes meos,* non erit ambigendum de sanitate animæ vulneratæ, quæ in ea demorabitur. Quid enim est tam efficax ad curanda conscientiæ vulnera, necnon ad purgandam (*g*) mentis aciem, quam Christi vulnerum sedula meditatio? Verum donec purgata et sanata perfecte fuerit, non videbo (*h*) qualiter illi aptari possit quod dicitur [6] : *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis.* Quomodo denique faciem suam ostendere audet (*i*), vel levare vocem, cui et latere indicitur? *Abscondere,* inquit, *in fossa humo.* Quare? Quia non est pulchra facie, nec digna ut videatur. Non erit digna videri, quamdiu non erit idonea videre. Cum autem per inhabitationem fossæ humi in sanando oculo interiori tantum profecerit, ut revelata facie speculari gloriam Dei et ipsa possit; tunc demum quæ videbit, fiducialiter jam loquitur, voce et facie placens. Placeat necesse est facies, quæ in Dei claritatem intendere potest. Neque illud enim posset, nisi clara quoque esset et pura : utique transformata in eamdem, quam conspicit, claritatis imaginem; alioquin ipsa dissimilitudine resiliret, insolito reverberata fulgore. Ergo cum pura puram intueri poterit veritatem, tunc faciem ipsius Sponsus videre cupiet, consequenter et vocem audire. » Hucusque Bernardus. Vides quam necessaria sit tibi vitæ Christi meditatio : nam ut

[1] Bern., *super Cant.*, serm. LXII, n. 4. — [2] Ibid., n. 6. — [3] *Isa.*, II, 10. — [4] Bern., ibid., n. 7. — [5] *Psal.* XXI, 17. — [6] *Cant.*, II, 14.

(*a*) *Cæt. edit.* fragret. — (*b*) *Edit. Lugd.* securæ devotioni; *edit. Vat. et Ven.* securæ devotionis. — (*c*) *Cæt. edit.* Duorum. — (*d*) *Item* revereri. — (*e*) Scilicet Ecclesia. *Ita Mabill.; cæt. edit.* habitant. — (*f*) *Mabill.* proponet. — (*g*) *Cæt. edit.* purgandum. — (*h*) *Mabill.* non video. — (*i*) *Item* audeat.

ex auctoritate patet, nisi in ea depureris, nunquam ad sublimia Dei ascendere poteris. Unde vigilanter et indesinenter exercearis (*a*) in ea. Vidisti etiam quomodo tria sunt genera contemplationis, scilicet humanitatis Christi, cœlestis curiæ, ac majestatis divinæ. Scire autem debes, quod in qualibet harum duo sunt mentis excessus, intellectualis, et affectualis. De quibus sic dicit Bernardus [1] : « Cum duo sint beatæ contemplationis excessus, in intellectu unus, et alter in affectu; unus in lumine, et alter in fervore; unus in agnitione, alter in devotione : pius sane affectus, et pectus amore calens, et sanctæ devotionis infusio, etiam et vehemens spiritus repletus zelo, non plane aliunde, quam ex cella vinaria reportantur. » Hucusque Bernardus, et in aliis, et in isto.

Tria contemplationis genera.

CAPUT LI.

De contemplatione humanitatis Christi.

Dicit ergo circa hoc primum [2] : « Duo sunt quæ in nobis purganda sunt, scilicet intellectus et affectus : intellectus, ut noverit; affectus, ut velit. » Et paulo ante [3] : « Intellectus, dicit (*b*), tunc deprimitur, cum multa cogitat, cum non colligit se circa unam et unicam meditationem quæ concipitur de civitate illa, cujus participatio ejus in idipsum. » Et mox subdit : « Affectiones vero, quæ corpore corrupto diversis passionibus afficiuntur (*c*) mitigari nunquam possunt, ne dicam sanari, donec voluntas unum quærat, et tendat ad unum. » Et infra [4] : « Sed Christus intellectum illuminat; Christus (*d*) affectum purgat. Venit enim Filius Dei, et tot et tanta mirabilia in mundo operatus est, ut non immerito intellectum nostrum ab omnibus mundanis rebus evocaverit, ut semper cogitemus, et nunquam cogitare sufficiamus, quia mirabilia fecit. Vere latissimos nobis ad spatiandum intelligentiæ campos dereliquit, et torrens istarum cogitationum profundissimus est. Quis enim cogitare sufficiat, qualiter rerum Deus prævenerit nos, venerit ad nos, subvenerit nobis, et singularis majestas voluerit (*e*) mori ut viveremus, servire ut regnaremus, exulare ut repatriaremur (*f*), et usque ad servilissima opera inclinari, ut constitueret nos super omnia sua ? » Idem [5] : « Unde nobis in his tenebris veritas ? Unde charitas in hoc sæculo nequam, in hoc mundo, qui totus positus est in maligno ? Putas, erit qui intellectum illuminet, qui inflammet affectum? Erit, si convertamur ad Christum, ut velamen de cordibus auferatur. » Idem [6] : *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi* [7], *inter ubera mea commorabitur.* [8] Et ego, fratres, ab ineunte mea conversione, pro acervo meritorum, quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare, et inter ubera mea collocare curavi, collectum ex omnibus anxietatibus et amaritudinibus Dei mei. Primum videlicet infantilium illarum necessitatum; deinde laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in jejunando, lacrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo, postremo periculorum in falsis fratribus, convitiorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clavorumque horum similium, quæ in salutem nostri generis sylva evangelica copiosissime noscitur protulisse. » Et infra [9] : « Hæc meditari dixi sapientiam; in his justitiæ mihi perfectionem constitui; in his plenitudinem scientiæ, in his divitias salutis, in his copias meritorum. Ex his mihi interdum potus salutaris amaritudinis, ex his rursum suavis unctio consolationis. Hæc me erigunt in adversis, in prosperis reprimunt, et inter læta tristiaque vitæ præsentis via regia incedenti, tutum præbent utrobique ducatum, hinc inde mala imminentia propulsando. Hæc mihi mundi judicem conciliant, dum tremendum potestatibus mitem humilemque figurant; dum non solum placabilem, sed amicabilem repræsentant eum, qui inaccessibilis est principibus, terribilis apud reges terræ. Propterea hæc mihi in ore frequenter, sicut vos scitis : hæc in corde semper, sicut Deus scit : hæc stylo meo admodum familiaria, sicut apparet : hæc mea subtilior interiorque (*g*) philosophia, scire Jesum, et hunc crucifixum. » Hucusque Bernardus. Et hæc de contemplatione humanitatis sufficiant, quia totum hunc librum de ipso habes. Scire tamen debes, quod hanc contemplationem non oportet quod præcedat vita activa,

[1] Bern., *super Cant.*, serm. XLIX, n. 4. — [2] Id., *de Ascens. Dom.*, serm. III, n. 2. — [3] Ibid., n. 1. — [4] Bern., ibid., n. 2. — [5] Ibid., serm. VI, non longe princ. — [6] Id., *super Cant.*, serm. XLIII, n. 2. — [7] *Cant.*, I, 12. — [8] Bern., ibid., n. 3. — [9] Ibid., n. 4.

(*a*) *Edit. Vat. et Ven.* exerceris. — (*b*) *Cæt. edit.* dico. — (*c*) *Leg. sic* affectiones vero, corpore corr., div. pass. afficiuntur, quæ. — (*d*) *Mabill.* Spiritus sanctus. — (*e*) *Cæt. edit.* voluit. — (*f*) *Item* repatriaremus. — (*g*) *Mabill.* interim.

quia de rebus corporalibus est, scilicet de actionibus Christi secundum humanitatem. Unde tanquam familiarior non tantum perfectioribus, sed etiam rudibus proponitur intuenda : tum quia in ea, sicut in activa, et a vitiis purgamur, et virtutibus imbuimur; unde hæc cum activa concurrit. Cum igitur dicitur, quod activa debet præcedere contemplativam; verum est in aliis sublimioribus suis generibus, scilicet cœlestis curiæ, et majestatis Dei, quæ tantum perfectis reservantur. Et ideo ista de humanitate Christi rectius et proprius meditatio, quam contemplatio nominari debet. De prædictis autem duabus etiam per auctoritates Bernardi videamus.

CAPUT LII.

De contemplatione cœlestis curiæ.

Dicit ergo de cœlesti curia contemplanda hoc modo [1] : « Licebit unicuique nostrum in hoc tempore mortalitatis, nunc quidem patriarchas revisere, nunc salutare prophetas, nunc senatui immisceri apostolorum, nunc martyrum inseri choris : sed et beatarum Virtutum status et mansiones a minimo angelo, usque ad Cherubim et Seraphim, tota mentis alacritate percurrendo lustrare, prout quemque sua devotio feret : apud quos magis afficietur, immittente sibi spiritu, prout vult; si steterit et pulsaverit, confestim aperietur ei. » Idem [2] : « Felix, cujus meditatio in conspectu Domini est semper, qui in corde suo delectationes dexteræ Domini usque in finem sedula cogitatione revolvit. Quid illi grave poterit videri, qui semper tractat mente, quod [3] *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam?* Quid concupiscere poterit in hoc sæculo nequam, cujus oculus semper videt bona Domini in terra viventium, et semper videt æterna præmia ? » Et post pauca : « Quis mihi tribuat, ut omnes surgentes stetis in excelso, et videatis exultationem, quæ ventura est nobis a Domino ? » Et infra [4] : « Quid enim tam bonum est, imo quid aliud bonum videtur, quam in bonis animam demorari, quandoquidem adhuc corpus non potest ? » Et mox subdit : « Quis enim ex vobis secum cogitans futuram illam vitam, scilicet lætitiam, jucunditatem, beatitudinem, et gloriam filiorum Dei; quis, inquam, talia tranquilla secum conscientia volvens (*a*), non continuo de plenitudine intimæ suavitatis eructat [5] : *Domine, bonum est nos hic esse?* Non sane in hac ærumnosa peregrinatione, ubi corpore detinetur; sed in suavi ac salubri illa cogitatione, in qua corde versatur [6] : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* » Et post pauca [7] : « Obsecro vos, fratres mei, non graventur corda vestra in curis sæcularibus : exonerate, obsecro, corda vestra gravi mole terrenarum cogitationum. » Et infra : « Formate in cordibus vestris jam non modo patriarcharum et prophetarum tabernacula, sed omnes domos illius curiæ cœlestis, et multiplices mansiones, secundum eum qui circuibat immolans in tabernaculo Domini hostiam vociferationis, et psalmum illum dicens Domino [8] : *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.* Circuite et vos, fratres, cum pietatis et devotionis hostia, visitantes animo sedes supernas, et multas, quæ in domo Patris sunt, mansiones; humiliter prosternentes corda vestra ante thronum Dei et agni; cum reverentia supplicantes singulis ordinibus angelorum, patriarcharum numerum, cuneos prophetarum, senatum apostolorum salutantes; conspicientes (*b*) coronas martyrum purpureis rutilantes floribus, et redolentes liliis choros virginum admirantes, atque ad mellifluum novi cantici sonum, quantum prævalet infirmitas, cordis erigentes auditum. *Hæc recordatus sum,* Propheta loquitur [9], *et effudi in me animam meam : quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.* » Hucusque Bernardus. Et hæc de cœlestis patriæ contemplatione sufficiant.

CAPUT LIII.

De contemplatione majestatis Dei; item, quatuor sunt genera contemplationis.

Veniamus autem ad sublimiorem, ad quam credo paucos attingere, videlicet ad contemplationem Domini. Revereamur tamen quæ dicit Bernardus [10], ut ab eo aliqualiter introducti tentemus, si quando Dominus dignetur, aliquid gratum inde percipere. Dicit ergo loquens de

[1] Bern., *super Cant.*, serm. LXII, n. 2. — [2] Id., *de Ascens. Dom.*, serm. IV, n. 7. — [3] *Rom.*, VIII, 18. — [4] Ibid., n. 8. — [5] *Matth.*, XVII, 4. — [6] *Psal.* LIV, 7. — [7] *Psal.* LXXXIII, 2. — [8] Ibid., n. 9. — [9] *Psal.* XLI, 5. — [10] Bern., *super Cant.*, serm. XLI, n. 3.

(*a*) *Edit. Vat. et Ven.* volens. — (*b*) *Mabill.* suspicientes.

sodalibus Sponsi, id est, angelis dicentibus [1] : *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* « Aurum divinitatis est fulgor, aurum sapientiæ, quæ desursum est. Hoc auro fulgentia quædam quasi veritatis (*a*) signacula spondent se figuraturos hi, quibus id ministerii est, superni aurifices, atque internis animi auribus inserturos. Quod ego non puto esse aliud, quam texere quasdam spirituales similitudines, et in ipsis purissima divinæ sapientiæ sensa, animæ contemplantis conspectibus importare, ut videat saltem [2] *per speculum in ænigmate*, quod nondum *facie ad faciem* valet ullatenus intueri. Divina sunt, et nisi expertis prorsus incognita quæ effamur : quomodo videlicet in hoc mortali corpore, fide adhuc habente statum, et necdum propalata perspicui substantia luminis, jam tamen (*b*) puræ interdum contemplatio veritatis partes suas agere intra nos, vel ex parte, præsumit ita, ut liceat usurpare alicui nostrum, cui hoc datum desuper fuerit, illud Apostoli [3] : *Nunc cognosco ex parte.* Item [4] : *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus.* Cum autem divinius aliquid raptim, et veluti in velocitate (*c*) corusci luminis, interluxerit menti spiritu excedenti, sive ad temperamentum nimii splendoris, sive ad doctrinæ usum ; continuo, nescio unde, adsunt imaginatoriæ quædam rerum inferiorum similitudines, infusis divinitus sensibus (*d*) accommodatæ, quibus quodammodo adumbratus purissimus ille ac splendidissimus veritatis radius, et ipsi animæ tolerabilior fiat, et quibus communicare illum voluerit, capabilior. Existimo tamen ipsas formari in nobis (*e*) sanctorum suggestionibus angelorum, sicut e contrario contrarias et malas ingeri immissiones per angelos malos dubium non est. » Idem [5] : « Felix mens, quæ sibi in hac materia frequenter cavare studuit ; sed quæ in petra, felicior. Licet quidem cavare et in petra, sed ad hoc puriore mentis acie opus est, et vehementiori omnino intentione, etiam et meritis potioribus sanctitatis. Et ad hoc quis idoneus ? Nempe ille qui dixit [6] : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Nonne tibi videtur ipsis se Verbi penetralibus immersisse, et de abditis pectoris ejus quamdam (*f*) intimæ sapientiæ sacrosanctam eruisse medullam. » Et infra [7] : « Sed in petra quanto difficilius cavatur, tanto suavius, quod inde eruis, sapit. Nec verearis illud quod Scriptura [8] minatur scrutaroribus majestatis : tantum affer purum et simplicem oculum, non opprimeris a gloria, sed admitteris, nisi non Dei, sed tuam quæsieris gloriam. Alioquin sua quisque opprimitur, non Dei gloria, dum proclivis in istam, ad illam levare cervicem non sinitur, nimirum gravi (*g*) cupiditate. Hac excussa, secure scrutemur in petra, in qua thesauri absconditi sapientiæ et scientiæ sunt. Sed si adhuc dubitas, audi ipsam petram [9] : *Qui operantur in me, non peccabunt.* [10] *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam ?* Ibi invenit requiem mansuetus et simplex, ubi dolosus opprimitur, et elatus, et cupidus inanis gloriæ. » Et paulo post : « Non opprimitur, qui non scrutator est majestatis, sed voluntatis : nam quod majestati attinet, interdum quidem et in ipsam intendere audet, sed quasi admirans, non quasi scrutans. Sed si quando per excessum rapi in illam contingat, digitus Domini est iste, dignanter levans (*h*) hominem ; non hominis temeritas, insolenter Dei alta pervadens (*i*). Cum ergo Apostolus raptum se commemoret, ut ausum excuset ; quisnam alter præsumat mortalium huic se divinæ majestatis horrendo scrutinio propriis intrudere (*j*) conatibus, et importunus contemplator pavenda irrumpere in arcana ? Scrutatores proinde majestatis, tanquam irruptores dici reor, non qui rapiuntur in eam, sed qui irruunt. Ipsi itaque opprimuntur a gloria. [11] Ergo formidolosa scrutatio majestatis, at voluntatis tam tuta, quam pia. Quidni tota diligentia scrutando instem sacramento gloriæ voluntatis, cui mihi parendum per omnia scio ? Suavis gloria, quæ non aliunde, quam de ipsius suavitatis contemplatione procedit, quam de divitiarum bonitatis ac multæ miserationis intuitu. Denique [12] *vidimus gloriam* hanc *quasi unigeniti a Patre :* totum nempe benignum et vere paternum, quod apparuit gloriæ in hac parte. Non me opprimet gloria ista, totis licet viribus intendentem in se ; ego potius imprimar illi. Etenim [13] *revelata facie speculantes, in eamdem imaginem transformamur.*

[1] *Cant.*, I, 10. — [2] I *Cor.*, XIII, 12. — [3] Ibid. — [4] Ibid., 9. — [5] Bern., *super Cant.*, serm. LXII, n. 3. — [6] *Joan.*, I, 1. — [7] Bern., ibid., n. 4. — [8] *Prov.*, XXV, 27. — [9] *Eccli.*, XXIV, 30 — [10] *Psal.* LIV, 7. — [11] Bern., ibid., n. 5. — [12] *Joan.*, I, 14. — [13] II *Cor.*, III, 18.

(*a*) *Cæt. edit.* varietatis. — (*b*) *Ita Mabill.; al.* interim ; *cæt. edit.* interni. — (*c*) *Cæt. edit.* velocitatem. — (*d*) *Mabill.* sensis.— (*e*) *Cæt. edit.* vobis.— (*f*) *Item* quandam ejus. — (*g*) *Mabill.* gravem. — (*h*) *Leg.* sublevans. — (*i*) *Ita Mabill. cæt. edit.* persuadens. — (*j*) *Item* intrare ; *Mabill.* intricare.

Transformamur (*a*) cum conformamur (*b*). Absit autem ut in gloria majestatis, et non magis in voluntatis modestia, Dei ab homine conformitas præsumatur. Gloria mea hæc est, si unquam de me audiero [1] : *Inveni hominem secundum cor meum.* Cor Sponsi, cor Patris sui. Ipsum quod? *Estote*, ait [2], *misericordes, sicut Pater vester qui in cœlis est, misericors est.* Hæc forma quam videre desiderat, cum Ecclesiæ dicit [3] : *Ostende mihi faciem tuam* , forma pietatis est et mansuetudinis. Hanc cum omni fiducia levat ad petram, cui similis est. *Accedite*, inquit[4], *ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur.* Quo pacto humilis ab humili confundetur, a pio sancta, a mansueto modesta? Non plane abhorrebit a puritate Petræ pura facies sponsæ, non magis quam a virtute virtus, a lumine lumen. » Idem [5] : « Duæ istæ sorores, duas vitas amatorum paupertatis signant. Quidam cum Martha solliciti Domino Jesu duo pulmenta præparant, scilicet correctionem operis cum salsamento contritionis, et opus pietatis cum condimento devotionis. Hi vero, qui cum Maria soli Deo vacant, considerantes quid sit Deus in mundo, quid in hominibus, quid in angelis, quid in seipso, quid in reprobis, contemplantur quia Deus est mundi rector et gubernator, hominum liberator et adjutor, angelorum sapor et decor, in seipso principium et finis, reproborum terror et horror. In creaturis mirabilis; in hominibus amabilis; in angelis desiderabilis; in seipso incomprehensibilis; in reprobis intolerabilis. » Hucusque Bernardus. In hac autem majestatis contemplatione quatuor modis speculamur, de quibus idem Bernardus sic dicit [6] : « Quatuor sunt contemplationis species. Prima et maxima contemplatio est admiratio majestatis. Hæc requirit cor purgatum, ut a vitio (*c*) liberum, atque exoneratum peccatis, facile ad superna levet, et interdum quoque per aliquas morulas stupore et ecstasi suspensum teneat admirantem. Secunda autem necessaria est huic : est enim intuens judicia Dei. Quo sane pavido aspectu, dum vehementius concutit mentem intuentis, fugat vitia, fundit (*d*) virtutes, initiat ad sapientiam, humilitatem servat. » Et infra : « Tertia contemplatio occupatur, vel potius otiatur circa memoriam bonorum; et ne dimittat ingratum, sollicitat memorantem ad amorem benefactoris. Quarta, quæ retro sunt, obliviscens, in sola quiescit expectatione repromissorum; quæ cum sit meditatio æternitatis (siquidem quæ promittuntur, æterna sunt), longanimitatem alit, ac etiam perseverantiæ dat vigorem. » Hucusque Bernardus. Et hæc de contemplatione majestatis Dei sufficiant ad præsens.

[1] *Act. Ap.*, XIII, 22. — [2] *Luc.*, VI, 36. — [3] *Cant.*, II, 14. — [4] *Psal.* XXXIII, 6. — [5] Bern., *Parv. et var. Serm.*, serm. IV. — [6] Id., *de Consider.*, lib. V, c. XIV, n. 32. — [7] Id., *super Cantica*, serm. LIV, n. 8.

(*a*) *Ita Mabill.; cæt. edit. non repet.* transformamur. — (*b*) *Cæt. edit.* confirmamur. — (*c*) *Mabill.* vitiis. — (*d*) *Item* fundat.

CAPUT LIV.

De modo vivendi in activa vita; item auctoritas Bernardi bona.

Postquam vidimus de exercitio utriusque vitæ, scilicet primæ partis activæ, et etiam contemplativæ, et de generibus ipsius contemplativæ : restat videre quem modum tenere valeamus, ut in ipsam possimus facilius introduci, et eam efficacius adipisci. Scire ergo debes, quod prima pars activæ requirit socialem inter alios conversationem, sicut contemplatio solitudinem. Ideo autem in activa conversandum est inter alios, quia melius et citius quis propositum suum consequetur. Erubescit enim inter alios de vitiis quæ habet, et de virtutibus quas non habet, et ideo in utrisque se corrigit: quod in solitudine non contingit, quia in ea nec ipse quandoque perpenderet, nec esset qui corrigeret, nec coram quo erubesceret. Propterea proficit in correctionibus et moribus aliorum, cum est in congregatione : conatur enim vitare defectus, de quibus alii corripiuntur et displicent, et adipisci virtutes, in quibus alii commendantur et placent. Sic ergo te facere oportet, donec fueris in activa, et caute observes et vites tua et aliorum vitia, secundum modum supra dictum in pluribus locis, maxime in exercitio activæ. Considera diligenter quæ ibi dicta sunt de virtutibus et vitiis, et secundum ea vivere stude, quomodo teipsam examinare et ad virtutes aliorum aspicere debeas, et imitari, et exinde humiliari, et in timore semper manere, quia tu similes virtutes non habes.

Prin pars v tæ acti consi tit in ciali c versat ne.

Sic ergo docet Bernardus [7] : « Non sine causa ab heri et nudiustertius invasit me languor animi, et mentis hebetudo, insolita quædam inertia spiritus. Currebam bene; sed ecce lapis

offensionis in via : impegi et corrui. Superbia inventa est in me, et Dominus declinavit in ira a servo suo. Hinc ista sterilitas animæ meæ, et devotionis inopia, quam patior. Quomodo ita exaruit cor meum, coagulatum est sicut lac, factum est sicut terra sine aqua? nec compungi ad lacrymas queo; tanta est duritia cordis! Meditationes solitas non invenio. Ubi illa inebriatio spiritus? ubi mentis serenitas, et pax, et gaudium in Spiritu sancto? Ideo ad opus manuum piger, ad vigilias somnolentus, ad iram præceps, ad odium pertinax, linguæ et gulæ indulgentior, segnior, et obtusior ad prædicationem. Heu! omnes montes in circuitu meo visitat Dominus; ad me autem non appropinquat. » Et post : « Nam alium quidem intueor singularis abstinentiæ, alium vero patientiæ admirandæ, alium autem summæ humilitatis et mansuetudinis, alium multæ misericordiæ et pietatis : illum in contemplatione frequenter excedere, hunc pulsare et penetrare cœlos orationum instantia, aliosque in aliis præeminere virtutibus. Hos, inquam, considero omnes ferventes, omnes devotos, omnes in Christo unanimes, omnes in donis cœlestibus et gratia affluentes, tanquam spirituales revera montes, qui a Domino visitantur, et sponsum in se salientem frequenter recipiunt. Ego autem, qui horum in me invenio nihil, quid me aliud putem, quam unum e montibus Gelboe, quem præterit in ira et in indignatione sua ille cæterorum omnium benignissimus visitator? [1] Filioli, hæc cogitatio tollit extollentiam oculorum, conciliat gratiam, viam sponsi saltibus præparat. » Et infra : « Volo vos non parcere vobis, sed accusare vosmetipsos, quoties forte in vobis vel ad modicum tepere gratiam, virtutem languescere deprehenditis. » Et post : « Hoc facere hominis est, qui curiosus circumspector est sui, et scrutator viarum suarum ac studiorum, atque in omnibus semper suspectum habet arrogantiæ vitium, ne surrepat. In veritate didici, nil æque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam et recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere. [2] *Beatus homo qui semper est pavidus.* » Idem [3] : « Discito tibi præesse, et vitam ordinare, mores componere, temetipsum judicare, et teipsum apud teipsum accusare, sæpe etiam condemnare, nec impunitum dimittere. Sedeat judicans justitia, stet rea, et temetipsum accusans conscientia. Nemo te plus diligit, nemo te fidelius judicabit. [4] Mane præteritæ noctis fac a temetipso exactionem, et venturæ diei tu tibi indicito cautionem. Vespere, præteritæ diei rationem exige, et supervenientis noctis fac indictionem. Sic districto nunquam aliunde (*a*) lascivire vacabit. Singulis horis secundum communis instituti canonem sua distribue exercitia : cui spiritualia, spiritualia; cui temporalia, temporalia. In quibus sic exolvat omne debitum spiritus Deo, corpus spiritui, ut si quid fuerit intermissum, si quid neglectum, si quid imperfectum, suo modo, suo loco, suo tempore, non abeat impunitum sive irrecompensatum. » Idem [5] : « Quantum, putas, ego illos admiror, quantum vereor in corde meo, quanto amplector charitatis affectu, qui velut nescientes eos quos secum quotidie vident, unum forte, aut duos, vel etiam plures, quos in majori fervore spiritus viderint (*b*), sibi ex omnibus eligunt, et cum ipsi fortasse meliores sint, semper tamen illorum sibi proponunt et præponunt sancta in Domino studia, et exercitia corporalia, seu etiam spiritualia? » Et infra [6] : « Væ mihi, inquit (unus ex nostris), quia monachum in vigiliis unum consideravi, in quo triginta virtutes numeravi, quarum vix unam in me invenio, et fortasse nullam. Ille tantum habebat, quantum (*c*) hæc ipsa religiosæ æmulationis humilitas. Hic itaque fructus sit mei sermonis, ut aliorum quisque altiora semper attendat, quia in eo constat plenitudo humilitatis. Nam si forte in re aliqua major tibi fratre aliquo gratia collata videtur, sed in multis, si bonus æmulator fueris, judicare te poteris inferiorem. Quid si forte laborare, aut jejunare plus isto potes, et ille patientia superat, humilitate præcedit, supereminet charitate? quomodo (*d*) tota die circa illud quod videris habere insipienti cogitatione versaris! Esto magis sollicitus, ut scias quid desit tibi. Hoc enim melius. » Hucusque Bernardus. Vides quam magnum est circumspicere et examinare seipsum, et etiam alios, ut in suam utilitatem mores eorum convertat. In hoc igitur te multum exerceas, dum fueris in activa, semper tenendo cha-

[1] Bern., *super Cant.*, serm. LIV, n. 9. — [2] *Prov.*, XXVIII, 14. — [3] Imo Guill. a S. Theod., *ad fratres de Monte Dei*, c. X, n. 28, inter spuria Bern. — [4] Ibid., n. 29. — [5] Id., *de Divers.*, serm. XXXVI, *de altitud. et Humilit. cordis*, n. 2. — [6] Ibid., n. 3.

(*a*) *Mabill.*, nequaquam tibi aliquando. — (*b*) *Ita Mabill.; cæt. edit.* vident. — (*c*) *Mabill.*, nullam ille tantam habebat, quanta. — (*d*) *Item* quid enim.

ritatis, humilitatis et pietatis obsequia. Super omnia vero teneas meditationes vitæ Christi, et orationem, quia in utrisque miro modo illuminaberis circa vitia et virtutes, et super omnia alia exercitia in eis ad puritatem animi proficies, ad quæ (*a*) totis viribus te intendere oportet, quia omnes virtutes continet, ut dixi supra [1], *de jejunio Domini*. Et si bene auctoritates supra [2] de contemplatione positas intellexisti, tanto quis majori puritate se munire debet, quanto ad celsiorem contemplationem ascendere cupit. Depuratur autem anima in meditationibus vitæ Christi, et maxime passionis ipsius, ut habuisti supra in generalibus contemplationibus ex sermone septuagesimo secundo Bernardi *super Cantica*. Depuratur etiam in oratione quæ vicina et proxima est contemplationi; et quod oratio laboriosis sudoribus impetrat, contemplatio amœne quiescendo degustat. Et hæc de modo vitæ activæ sufficiant.

CAPUT LV.

De modo vivendi in vita contemplativa.

In contemplativa vero aliter, et longe aliter te vivere oportet. Contemplator enim soli Deo vacare debet, et manere in solitudine saltem mentis, de qua habuisti supra [3], *de Jejunio Domini*. Nihil igitur ad eum de aliquibus rebus communibus vel propriis, nihil ad eum de proximis quantum ad obsequia corporalia pro illo tempore, sed a ratione, et devotione, et compassione intendit ad eos. Nihil etiam ad eum de seipso. Omnia, breviter, debet post tergum projicere, et tanquam insensibilis et mortuus esse, ut soli Deo vacare possit, nisi eum necessitas implicet vel invitum. Oportet enim quod hanc sapientiam discat in otio, ut habuisti supra, in tractatu de contemplationibus, ex sermone Bernardi *super Cantica* quadragesimo. Oportet quod minoretur actu et taceat, exemplo Mariæ, quantumcumque et quotiescumque interpelletur; et ipsius exemplo dimittat Dominum respondere, et facere, ut omnia dignantissimæ (*b*) providentiæ suæ committat. Super his autem audi Bernardum more suo facunde loquentem; dicit enim sic [4] : « Habet Martha, dum agit, formam bene operantis. Maria vero speciem exprimit contemplantis, dum sedet, dum tacet, dum interpellata non respondet; sed tantum in Dei verbum toto mentis studio intendit, ac solam quam diligit gratiam divinæ cognitionis, cætera respuens, medullitus haurit; forisque ut insensibilis redditur, dum intus ad contemplanda Dei sui gaudia felicissime rapitur. » Et paulo post : « Non miremur quempiam laborantem et bene operantem, si adversus fratrem vacantem murmurare videamus, quia et hoc in hoc evangelio legimus Martham fecisse adversus Mariam. Quod autem Maria murmuraverit adversus Martham, eo quod ejus actionibus implicari nollet, nusquam omnino reperitur. Neque enim utrumque agere competenter sufficeret, et curis exterioribus deservire, et interius sapientiæ desideriis vacare. De ipsa quippe sapientia scriptum est [5] : *Et qui minoratur actu, percipiet illam*. Propterea Maria sedet, immotaque manet, nec vult interrumpere silentii quietem, ne jucundam amittat contemplationis dulcedinem, præsertim cum ipsum intus audiat Dominum dicentem [6] : *Vacate* (*c*), *et videte quam suavis est Dominus*. » Idem [7] : « Putas in domo, in qua Christus suscipitur, vox murmuris audietur? Felix domus, et beata semper congregatio, ubi de Maria Martha conqueritur. Nam Mariam Marthæ (*d*) æmulari prorsus indignum, prorsus illicitum est. Alioquin ubi legis Mariam causantem : *quia soror mea reliquit me solam ministrare?* Absit, absit, ut qui Deo vacat, ad tumultuosam aspiret fratrum officialium vitam. Martha semper insufficiens sibi, et minus idonea videatur (*e*), aliisque magis id operis, quod administrat, optet imponi. Vide autem prærogativam Mariæ, quod in omni causa habet advocatum. Indignatur siquidem Pharisæus, conqueritur soror, et etiam discipuli murmurant; ubique Maria tacet, et pro ea loquitur Christus. » Et infra [8] : « Videat ergo Maria quemadmodum vacet et videat, quoniam suavis est Dominus. Videat, inquam, devota mente, quam tranquillo sedeat animo secus pedes Jesu, providens animo semper in conspectu suo, et verba ex ejus ore excipiens, cujus affectus amabilis, et eloquium dulce. *Diffusa est* enim [9] *gratia in labiis ejus, et est speciosus forma præ filiis hominum*, imo super om-

[1] Cap. XVII, p. 538, col. 1-2. — [2] Cap. XLIX-LIII, p. 574-580. — [3] Cap. XVII, p. 538 et seq. — [4] Bern., *de Assump. B. Virg.*, serm. V, parum ante med. — [5] *Eccli.*, XXXVIII, 25. — [6] *Psal.* XXXIII, 9. — [7] Bern., *de Assumpt. Virg.*, serm. III, n. 2. — [8] Ibid., n. 5. — [9] *Psal.* XLIV, 3.

(*a*) *Leg.* quam. — (*b*) *Cæt. edit.* dignatissime. — (*c*) Vulg. *Gustate*. — (*d*) *Mabill.* Mariæ Martam; *cæt. edit.* Mariæ Marthæ. — (*e*) *Ita Mabill.*; *cæt. edit.* videtur.

nem gloriam angelorum. Gaude et gratias age, Maria, quæ partem optimam elegisti. Beati enim oculi qui vident quæ tu vides, et aures quæ merentur audire quæ tu audis. Beata plene, quæ venas divini susurri percipis in silentio, in quo utique bonum est homini Dominum expectare. Simplex esto, non tantum sine dolo, sed etiam absque multiplicitate occupationum, ut tecum sit sermocinatio ejus, cujus et vox dulcis et facies decora. Unum cave, ne incipias abundare in sensu tuo, et velis plus sapere quam oportet : ne forte dum lucem sectaris, impingas in tenebras, illudente tibi dæmonio meridiano. » Hucusque Bernardus. Vidisti quoniam contemplator debet omnia dimittere, occupationes, et exercitia corporalia, quæ occupatio recte opponitur vacationi, et est unum de majoribus impedimentis, quæ possit habere contemplator. Nam pluribus modis impedit eum : et non solum cum est in occupatione, sed etiam postea, et primo reddendo mentem sollicitam et inquietam circa id quod fecit, vel facere habet, etiam et relinquendo imaginationes et phantasmata, quæ multum impediunt contemplantem.

CAPUT LVI.

De quatuor impedimentis contemplationis.

Nunc utique videamus, quæ impediunt contemplationem. Sunt autem impedimenta ejus quatuor, de quibus sic dicit Bernardus [1] : « In hoc arcanum contemplationis, et in hoc sanctuarium Dei, si quem forte nostrum aliqua hora sic rapi, et sic abscondi contigerit, ut vel minime advocet, aut perturbet, vel sensus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel certe ea, quæ difficilius amoventur, irruentia imaginum corporearum phantasmata : poterit quidem hic, cum ad nos redierit, gloriari et dicere [2] : *Introduxit me Rex in cubiculum suum* (a). » Hucusque Bernardus. Primum igitur impedimentum dicit, quod est sensus egens, scilicet corporis. In tantum enim anima ad corpus afficitur, quod ea in aliqua sui parte, vel sensu defectum notabilem patiente, contemplari non delectat. Tempore igitur infirmitatis non est locus contemplationis, nisi Dominus faceret de gratia speciali. Simile contingit, cum valida fames, vel sitis, vel frigus imminet, vel aliud corporis impedimentum. Secundum impedimentum dicit, quod est cura pungens, id est, sollicitudo curarum et occupationum ; et hoc satis potest esse clarum per auctoritates supra proximo positas. Idem etiam Bernardus prolixioribus verbis narrans impedimenta contemplationis, inter alia dicit [3], quod sicut pulvis injectus in oculum corporalem impedit visum, sic cura terrenorum actuum oculum intelligentiæ confundit, atque a contemplatione veri luminis excludit. Tertium impedimentum dicit, quod est culpa mordens, id est, peccatum. Et hoc duobus modis potest contingere : primo cum peccatum est in anima ; secundo cum fuit, et deletum est per contritionem et confessionem, sed in memoriam revocatur : utrumque enim impedit contemplationem, ut in eodem sermone refert, sic inter alia dicens, quod sicut tenebræ impediunt visum corporalem, sic peccatum, cum est in anima, impedit ipsam, quia tenebrosa est; sed ad contemplandum requiritur puritas et pulchritudo animæ : sic tunc non est locus contemplationi. Similiter sicut sanguis, vel humor concretus, fluens in oculum, impedit visum, sic peccatum cum redit in memoriam, influit in animam, et impedit visum ejus. Et propterea cavere debes, tempore contemplationis, cogitare super peccatis. Omni quidem tempore nos debemus peccatores reputare ; sed signanter non debemus cogitationem nostram reflectere super aliquo vel aliquibus peccatis, tempore quo volumus contemplari. Et de hoc idem Bernardus sic dicit [4] : « Habemus quoque Mariam contemplantem in illis, qui progressu longioris temporis, cooperante gratia Dei, in aliquid melius et lætius proficere poterunt, quando jam de indulgentia præsumentes, non tam versare intra se solliciti sunt tristem imaginem peccatorum, quam certe in lege Dei meditari die ac nocte, et insatiabiliter delectari. Interdum etiam revelata facie gloriam sponsi cum ineffabili gaudio speculantes, in eamdem imaginem transformantur, et de claritate in claritatem tanquam a Domini spiritu. » Hucusque Bernardus. Quartum impedimentum dicit, quod sunt phantasmata corporearum imaginum : et hoc est difficilius aliis supradictis, et propterea commendatur in tantum in hoc statu solitudo. Oportet enim con-

[1] Bern., *super Cant.*, serm. XXIII, n. 16. — [2] *Cant.*, I, 3. — [3] Bern., *de Assumpt. Virg.*, post med. — [4] Bern., *super Cant.*, serm. LVII, n. 11.

(a) Vulg. *cellaria sua.*

templantem esse mutum, et surdum, et cæcum: ut videns non videat, audiens non intelligat, nec loqui delectetur, hoc est, ut ita sit abstractus ab his transitoriis, et ita Deo conjunctus, quod in audiendo, videndo, loquendo, non minuat cursum suum, sed fugiat quantum potest. Et si quando necessitas ad id cogit, non secum reportet imagines, quæ per has fenestras intrant ad animam nostram. Unde non debet contemplativus, sicut activus observare mores aliorum, ne inde phantasmata reportet. Multo ergo magis tu debes a sæcularium collocutione cessare, quantumcumque conjuncti sint, ut inde te pluries monui. Si quando etiam obedientia, vel necessitas, vel obsequium, vel recreatio ad aliquid laborandum vel operandum te impellit, fideliter facias; sed non sic adhæreas voluntate, vel delectatione, ut inde reportes imagines, ne postea Deo vacans, impediaris. De quo sic ait Bernardus [1] : « Aliquid operandum est de manibus, quod injungi solet, non tam quod animum delectando detineat ad horam, quam quod spiritualibus studiis delectationem conservet, et nutriat : in quo remittatur ad horam animus, non resolvatur : unde se facile, mox ut ad seipsum redeundum visum fuerit, expediat absque controversia inhibentis (*a*) voluntatis, absque contagione contractæ delectationis, vel memoriæ imaginantis. Non enim [2] vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Non spiritualia exercitia propter corporalia, sed corporalia propter spiritualia. Propterea sicut viro creato collatum, vel comparatum est ei adjutorium simile sibi ex ipsa hominis substantia; sic cum in adjutorium spiritualis studii necessaria sint corporalia, non tamen in hoc semper æque convenire videntur similitudine et affinitate, sicut meditari quod scribatur, vel scribere quod legatur. Subdivalia tamen exercitia sic sæpe etiam spiritum exhauriunt, ut cum graviori ruralium operum exercitio sit magna contritio corporis usque ad contritionem, vel humiliationem (*b*) cordis. Fatigationis enim suæ pressura exprimunt sæpe vehementioris affectum devotionis [3]. Serius tamen animus (*c*) et prudens ad omnem se (*d*) comparat laborem, nec in eo (*e*) dissolvitur, sed per eum magis in seipsum colligitur, qui semper præ oculis habuit, non tam quod agit, sed quod agendo intendit, omnis consummationis attendens finem. » Hucusque Bernardus [3]. Vides quam vigilanter cavere oportet, ne in manualibus laboribus animum occupes. Novi enim in hoc quantum impedimentum contemplationis incurres propter curam sollicitudinum. Et hæc de impedimentis contemplationis dicta sufficiant.

Ex quibus manifeste apparere potest quam sit nociva intricata curiositas, quæ totam animam inficit, et facit inquietam et impuram; quam etiam nociva sit cupiditas, et congregatio rerum, et per consequens quam sit pretiosissima benedicta paupertas, quæ animam expeditam, et puram Deo continue repræsentat. Non autem te moveat, ut supra dixi, quod contemplativus proximis non intendit; nam intendit Deo, et in ejus dilectione activum excedit; sed activus excedit contemplativum in dilectione proximi. De quo dicit Bernardus [4] : « Dico autem per gratiam Dei, quæ in nobis est, et ficus nos habere, et vineas : ficus quidem, qui suaviores in moribus sunt; vineas vero, qui spiritu ferventiores. Omnis qui se inter nos communiter socialiterque habet, et non solum sine querela conversatur inter fratres, sed etiam cum multa suavitate fruendum se omnibus præbet in omni officio charitatis, quidni illum vicem agere ficus convenientissime dicam? » Et infra [5] : « Jam qui vineæ sunt, severiores nobis, quam suaviores se exhibent, in spiritu vehementi agentes, zelantes pro disciplina, vitia acerrime corripientes, et aptantes (*f*) sibi convenientissime vocem illam [6] : *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam?* Item [7] : *Zelus Domus tuæ comedit me.* Et mihi quidem illi in dilectione proximi; isti in dilectione Dei eminere videntur. » Hucusque Bernardus. Vides quoniam contemplativi, ad quos maxime spectat zelare pro Deo, præferuntur activis in dilectione Dei. Hoc tamen discrete intellige, quia nunquam contemplativus proximi charitatem omittit; sed principalius intendit Deo, et secundario proximo, quamvis hoc ipsum determinationem recipiat. Nam rudis et incipientis contemplantis est omnino, quam strictius potest, soli Deo vacare, et in solitudine mentis, et etiam corporis, si potest, manere, ut etiam zelum Dei, et seipsum, et proximum vel zelo Dei negligere videatur, cum ipsa solitudinis natura id requirat,

[1] Imo Guill., ubi sup., c. VIII, n. 22. — [2] I *Cor.*, XI, 9. — [3] Guill., a S. Theod., ibid., n. 23. — [4] Id., *super Cant.*, serm. LX, n. 9. — [5] Ibid., n. 10. — [6] *Psal.* CXXXVIII, 21. — [7] *Psal.* LXVIII, 10. — (*a*) *Edit. Vat. et Ven.* inhærentis. — (*b*) humilitatem. — (*c*) Servus tamen bonus. — (*d*) otium sæpe. — (*e*) eum. — (*f*) optantes.

et maxime quando sponsi visitatione et frequentia jucundatur; alias enim de facili posset eradicari. Cum vero jam perfectus et sublimatus est per longum contemplationis exercitium, tunc pro Deo fortiter zelat, et pro animæ salute, ut habuisti supra [1], ex sermone Bernardi XVIII *super Cantica* in hoc tractatu, scilicet quomodo contemplativa præcedit secundam partem activæ. Cum vero necessitas imminet, quilibet contemplativus, quomodocumque incipiens (*a*), pro charitate proximi otium intermittit. Unde idem Bernardus sic dicit [2]: « Orantem denique hominem Deo loqui quis dubitet? Quoties tamen inde, charitate jubente, abducimur et avellimur, propter eos qui nostra indigent opera vel loquela! Quoties pie cedit negotiorum tumultibus pia quies! Quoties bona conscientia ponitur (*b*) codex, ut operi manuum insudetur! Quoties, pro administrandis terrenis, justissime ipsis supersedemus celebrandis missarum solemniis! Ordo præposterus; sed necessitas non habet legem. » Hucusque Bernardus.

CAPUT LVII.

Vita contemplativa præfertur activæ.

Quia ergo in præcedenti auctoritate Bernardi ex sermone quinquagesimo (*c*) *super Cantica* habuisti quod contemplantes præferuntur activis in dilectione Dei; videtur quod contemplativa præferatur activæ. De quo idem Bernardus sic dicit [3]: « Quid tamen sibi vult, fratres, quod optimam partem Maria dicitur elegisse? Ubi jam erit quod adversus eam proferre solemus, si quando forte administrantis Marthæ turbationem inæqualitatem judicare voluerit? [4] *Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier.* Ubi erit illud [5]: *Si quis mihi ministraverit, honorificavit eum pater meus?* et illud [6]: *Qui major est vestrum, erit minister vester?* Postremo, quæ consolatio est laboranti, quasi in ejus suggillationem, partem sororis attollere? Unum igitur arbitror e duobus : ut aut de electione Maria laudetur, quod pars ipsa, quantum in nobis est, sit in omnibus eligenda; aut certe ut neutrum defuisse dicatur, nec in partem aliquam præcipitasse sententiam, sed ad obedientiam præceptoris in utrumlibet sit parata. Quis enim sicut David [7] fidelis, egrediens ad imperium et ingrediens regis? Denique inquit [8]: *Paratum cor meum,* non semel tantum, sed et secundo, et vacare tibi, et proximis ministrare. Hæc plane pars optima quæ non auferetur: hæc mens optima, quæ non mutabitur, quocumque vocaveris eam. *Bonum* enim [9] *acquirit gradum, qui bene ministraverit*; forte meliorem, qui bene vacaverit Deo; optimum autem, qui perfectus est in utroque. Unum autem dico adhuc, si tamen id de Martha licet suspicari. Nonne enim quasi otiosam reputasse videtur, quam sibi dari (*d*) petiit adjutricem? Sed carnalis est, et omnino non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, si quis forte vacantem animam sua (*e*) de vacatione redarguit. Audiat ergo optimam esse hanc partem, quæ maneat in æternum. Numquid enim non rudis quodammodo videtur anima, quæ divinæ contemplationis penitus expers, illam intraverit regionem, ubi hoc unum omnium opus, unum studium, eadem vita? » Idem [10] :« Duo quædam in intentione, quam faciem animæ dixerimus, necessario requiruntur : res, et causa; id est, quid intendas, et propter quid. Ex his sane duobus, animæ vel decor, vel deformitas judicatur. » Et infra [11] : « Porro intendere in aliud quam in Deum, tamen propter Deum, non solum Mariæ, sed Marthæ negotium est. Absit autem, ut quæ hujusmodi est, quidquam dixerim illam habere deforme; nec tamen ad perfectum affirmaverim pervenisse decoris, quippe quæ adhuc sollicita est, et turbata erga plurima, et non potest terrenorum actuum vel tenui pulvere non respergi. Quem tamen cito facileque (*f*) deterget, vel in hora sanctæ dormitionis, casta intentio, et bonæ conscientiæ interrogatio in Deum. Igitur solum inquirere Deum propter ipsum solum, hoc plane est utramque bipartitæ intentionis faciem habere pulcherrimam; atque id proprium ac speciale sponsæ, cui merito singulari prærogativa audire conveniat [12] : *Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis.* » Idem [13] : « Solitudo et reclusio nomina miseriæ sunt. Cella autem nequaquam debet esse reclusio necessitatis, sed domicilium pacis, ostium clausum; non latebræ, sed secretum [14]. Cum quo enim Deus est, nun-

[1] Cap. XLVII, p. 571. — [2] Bernard., *super Cant.*, serm. L, n. 5. — [3] Id., *de Assumpt. Virg.*, serm. III, n. 3. — [4] *Eccli.*, XLII, 14. — [5] *Joan.*, XII, 26. — [6] *Matth.*, XXIII, 11. — [7] I *Reg.*, XXII, 14. — [8] *Psal.* LVI, 8. — [9] I *Tim.*, III, 13. — [10] Bern., *super Cant.*, serm. XL, n. 2. — [11] Ibid., n. 3. — [12] *Cant.*, I, 9. — [13] Imo Guill., ubi sup., c. IV, n. 9. — [14] Ibid., n. 10.

(*a*) *Edit. Ven.* insipiens. — (*b*) *Leg.* deponitur. — (*c*) *Cæt. edit.* 60. — (*d*) *Ita Mabill.; cæt. edit.* dare. — (*e*) *Item* suam. — (*f*) *Item* facileque.

quam minus est solus, quam cum solus est. Tunc enim libere fruitur gaudio suo; tunc ipse suus est (*a*) ad fruendum Deo in se, et se in Deo. Tunc in luce veritatis, in sereno mundi cordis, ultro patet sibi pura conscientia, et libere se infundit (*b*) affecta de Deo memoria; et vel illuminatur intellectus, et bono suo fruitur affectus, vel libere seipsum deflet humanæ fragilitatis defectus. Propter hoc secundum formam propositi vestri habitantes in cœlis, potius quam in cellis, excluso a vobis toto sæculo, totos vos inclusistis cum Deo. » Idem [1] : « Otium non est vacare Deo; imo negotium negotiorum. » Hucusque Bernardus [1]. His auctoritatibus videtur, quod vita contemplativa præferatur activæ : et etiam alias auctoritates habuisti in hoc tractatu, quæ ad hoc ipsum faciunt, et etiam supra [2] sub capitulo, *Quomodo Dominus fugit, quando turbæ voluerunt eum facere regem*, ex sermone XXXII Bernardi *super Cantica*. Quæ autem sint majoris meriti, Deus novit. Crederem tamen, quod qui majori amore fertur, magis meretur : sed in contemplativa videtur quis magis affici ad amorem; et valde magnum est speculari Deum, frui Deo, conversari cum Deo, et ejus cognoscere voluntatem : quæ ad contemplativum spectant. Hæc enim est degustatio mercedis patriæ, quamvis imperfecte et raro. Et hoc videntur tenere sancti, scilicet quod contemplativa sit majoris meriti, quam activa. Sed quidquid sit, Dominus vult de utrisque. Et sicut multa in uno corpore membra non eumdem actum habent; ita nos multos in Ecclesia multis modis Domino servire oportet, et non omnibus idem spiritus datur, sed [3] *alii datur sermo sapientiæ*, etc. *Unusquisque* igitur [4] *in ea vocatione, in qua vocatus est, maneat*; et qui aptus est contemplationi, moretur in ea; qui vero ministerio proximorum, exerceat se in ipso. Nam et Dominus sicut hic dixit de Maria, quod optimam partem elegit, ita cum Petro suas oves recommendavit sub sui amoris examine, tribus ei vicibus hoc impressit. Et hoc sensu potest intelligi quod Bernardus scribit, dicens [5] : « Suscipiat Martha Dominum in domum, cui nimirum credita dispensatio est domus. Suscipiant et cæteri coadjutores ejus singuli, pro qualitate ministerii excipiant Christum, serviant Christo, ministrent ei in membris suis : ille in infirmis fratribus, ille in pauperibus, ille in suscipiendis hospitibus et peregrinis : quibus ita sollicitis circa frequens ministerium, videat Maria quantum ad Dominum vacet, et videat quoniam suavis est Dominus. » Hucusque Bernardus. Tu igitur, quia status tuus illud exigit, contemplativam totis viribus assume, præmissa activa moris, per quam pervenitur ad ipsam. Et gaude, et gratias age Domino Jesu, qui ad hanc te partem vocavit, quam optimam esse dixit.

[1] Imo Guill., a S. Theod., ubi sup., c. VIII, n. 21. — [2] Cap. XXXV, p. 552. — [3] I *Cor.*, XII, 8. — [4] Ibid., VI, 20. — [5] Bern., *de Assumpt. Virg.*, serm. III, versus fin.— [6] Cap. XLVII, p. 571-573.— [7] Bern., *super Cant.*, serm. LXI, n. 1.— [8] Ibid., serm. LII, n. 7.

(*a*) *Suppl.* sibi. — (*b*) *Al.* in se fundit. — (*c*) *Mabill.* nusquam.

CAPUT LVIII.

Ex tribus causis contemplator reducit se ad activam. Item de eo quod fides sine operibus mortua est.

Quamvis autem pluries supra tactum sit, quod contemplator soli Deo vacare debet, ac cætera omittere; scias generaliter esse verum, sed non semper. Nam tribus ex causis a jucunda contemplatione se ad tempus separat, et se recipit in activam. Una causa est, propter lucrum animarum, ut habuisti supra [6] : *Quomodo contemplativa præcedit secundam partem activæ*, ex sermonibus XVIII et LVII Bernardi *super Cantica*. Dicit etiam idem Bernardus [7] : « *Surge, amica mea, sponsa mea, et veni*. Commendat sponsus multam dilectionem suam iterando amoris voces : nam iteratio, affectionis expressio est. Et quod rursum ad laborem vinearum dilectam sollicitat, ostendit quam sit de animarum salute sollicitus. Nam vineas, animas esse jam audistis. » Et paulo post : « Sponsam tamen nunquam (*c*), ut memini, in toto hoc opere adhuc nominavi, nisi modo cum ad vineas itur, cum vino charitatis appropinquatur. » Hucusque Bernardus. Sciens ergo sponsa voluntatem sponsi zelantis animarum salutem, exit ad tempus, videlicet cum est necessarium ad ipsam operandam, et postea redit ad ipsam contemplationem. Alia causa intermittendæ contemplationis est ratione officii imminentis. Nam cum prælatus subditorum necessitatibus intendere habet, omittit tunc contemplationem. De quo idem Bernardus de se ipso loquens ad monachos suos, qui quandoque nimium infestabant eum, sic dicit [8] : « Rara satis mihi ad feriandum a supervenientibus conceditur hora. » Et subdit : « Supersedeo, ne magis impatientiæ exem-

In c- bus in- at : conte- plati subtr.

plum videar dare infirmis; pusilli enim Domini sunt in eum credentes : non patiar ut ex me scandalum patiantur. Non utar hac potestate, magis autem ipsi me utantur, ut libet, tantum ut salvi fiant. Parcent mihi, si non pepercerint; et in eo potius requiescam, si non me inquietare timuerint pro necessitatibus suis. Geram eis morem, quoad potero, et in ipsis serviam Deo meo, quamdiu fuero in charitate non ficta. Non quæram quæ mea sunt; nec quod mihi est utile, judicabo. Hoc solum deprecor, ut fiat acceptum eis fructuosumque ministerium meum, si forte mihi ex hoc inveniam in die mala misericordiam in oculis patris eorum. » Idem, ad utramque causam de prædictis, sic ait [1] : « Loquor vobis experimentum meum , quod expertus sum. Si quando sane comperi profecisse aliquos vestrum ex meis monitis, tunc non (*a*) piguit, fateor, curam prætulisse sermonis proprio otio et quieti. Cum enim, verbi gratia, post sermonem iracundus quispiam reperitur mutatus in mitem, superbus in humilem, pusillanimis in fortem, porro mitis, humilis, fortis in sua quisque (*b*) gratia excrevisse, et se ipso melior factus esse cognoscitur; sed et qui forte tepebant, et languebant circa spirituale studium torpentes et dormitantes, ad ignitum eloquium Domini referbuisse et evigilasse videntur; et qui, deserto fonte sapientiæ, foderant sibi propriæ voluntatis cisternas, non valentes aquas continere, proptereaque ad omne injunctum gravati corde arido murmurabant, nullum in se habentes devotionis humorem : hi, inquam, cum de rore verbi et pluvia voluntaria, quam segregavit Deus hæreditati suæ, refloruisse probantur in opera (*c*) obedientiæ, facti in omnibus voluntarii et devoti; non est, dico vobis, unde subeat mentem quasi pro intermisso studio jucundæ contemplationis tristitia, cum talibus fuero circumdatus floribus atque fructibus pietatis. Patienter avellor ab infœcundæ Rachel amplexibus, ut de Lia mihi exuberent fructus profectuum vestrorum. Minime prorsus pigebit me intermissæ quietis pro cura sermonis, cum video in vobis germinare semen meum, atque augeri incrementa frugum justitiæ vestræ. Charitas enim, quæ [2] *non quærit quæ sua sunt*, id mihi jam dudum facile persuasit, nil scilicet desiderabilium meorum vestris præferre utilitatibus. Orare, legere, scribere, meditari, et quæ sunt alia spiritualis studii lucra, hæc arbitratus sum propter vos detrimenta. » Hucusque Bernardus.

Tertia causa intermittendæ contemplationis est, quando, more suo recedente Sponso, non sentit anima solitas consolationes : vadit enim, et redit Sponsus pro suo velle, prout habuisti in capite XXXV [3], *Quomodo Dominus fugit quando turbæ*, etc. Cum igitur recedit, anima languet ex desiderio ejus, et toto conatu suo revocat eum, dicens cum sponsa in *Canticis* [4] : *Revertere, dilecte mi.* Si nec tunc redit, invocat sodales Sponsi, id est, angelos in auxilium suum, et dicit [5] : *Adjuro vos, filiæ Hierusalem, ut si videritis dilectum meum, nuntietis ei, quia amore langueo.* Si vero nec sic redire dignatur, anima sciens voluntatem Sponsi reducit se in activam, ut vel sic fructificet Sponso. Non enim decet contemplatorem esse desidiosum. Dicit igitur tunc sponsa [6] : *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* De hoc sic ait Bernardus [7] : « Fidem florem, fructum actum intellige. Nec incongrue, ut opinor, id (*d*) tibi videbitur, si advertas quomodo, instar floris necessario præcedentis fructum, bonum quoque (*e*) opus fide oporteat præveniri. Alioquin [8] *sine fide impossibile est placere Deo*, Paulo attestante, magis autem æque ipso docente [9] : *Omne quod non est ex fide, etiam peccatum est.* Itaque nec sine flore fructus, nec sine fide opus bonum : sed et [10] *fides sine operibus mortua est;* sicut inutiliter quoque flos apparet, ubi non sequitur fructus. Igitur ex bonis operibus in fide non ficta radicatis, recipit (*f*) consolationem mens assueta quieti, quoties sibi lux, ut assolet, contemplationis subtrahitur. Quis enim, non dico continue, sed vel aliquandiu (*g*), dum in hoc corpore manet, lumine contemplationis fruitur (*h*)? At quoties, ut dixi, corruit a contemplativa, toties in activam se recipit, inde nimirum, tanquam e vicino, familiarius reditura in idipsum, quoniam sunt invicem contubernales hæ duæ, et cohabitant pariter : est quippe soror Mariæ Martha. Neque enim, etsi a contemplationis lumine cadit, pati-

[1] Bern., *Super Cant.*, serm. LI, n. 3. — [2] I *Cor.*, XIII, 5. — [3] Pag. 552, col. 2. — [4] *Cant.*, II, 17. — [5] *Cant.*, V, 8. — [6] *Cant.*, II, 5. — [7] Bern., *super Cant.*, serm. LI, n. 2. — [8] *Hebr.*, XI, 5. — [9] *Rom.*, XIV, 23. — [10] *Jac.*, II, 20.

(*a*) *Mabill. add.* me. — (*b*) *Cæt. edit.* quispiam. — (*c*) *Item* opere. — (*d*) *Cæt. edit. deest* id. — (*e*) *Cæt. edit.* bonumque. — (*f*) *Item* fides non ficta radicabitur; recipiet. — (*g*) *Item* diu. — (*h*) *Mabill.* fruatur.

tur tamen ullatenus se incidere in (*a*) tenebras peccati, seu ignaviam otii, sane in luce bonæ operationis se retinens. Ut scias etiam opera lucem esse : *Luceat lux vestra*, inquit [1], *coram hominibus* : quod non est dubium de operibus fuisse dictum, quæ homines poterant intueri. » Hucusque Bernardus. Hæ sunt igitur tres causæ, propter quas contemplator a jucunda contemplatione recedit, et se recipit in activam, quamvis invitus in hac ultima, ex dispensatione tamen divina : et in qualibet earum advertere potuisti ex auctoritatibus Bernardi, quod ad tempus hoc facit, et redit ad contemplationem. Unde hæc ipsa sunt in argumentum, quod contemplativa præfertur activæ.

Eia, Deo gratias, expediti sumus de tractatu contemplationis : copiosa materia est, et utilis valde, in qua non solum de ipsa contemplatione, sed de multis aliis, et quasi de toto studio spiritualis exercitii poteris edoceri. Igitur eam attente diligere, et diligenter opere adimplere coneris; nec tamen credas me tibi omnia in prædicto tractatu retulisse, quæ Bernardus inde tractat : sed sufficiant tibi quæ dicta sunt, etc.

CAPUT LIX.

Quomodo Dominus dixit Judæis, quod Ecclesia devolveretur ad gentiles, sub similitudine cultorum vineæ, qui filium domini sui occiderunt.

Dominus ac Redemptor noster, zelans animarum salutem, pro quibus venerat positurus et suam, omnibus modis nitebatur eas ad se attrahere, et de inimicorum faucibus extirpare. Unde quandoque utebatur sermonibus blandis et humilibus ; quandoque increpatoriis et duris ; quandoque exemplis et similitudinibus ; quandoque signis et virtutibus ; quandoque minis et terroribus, et variabat modos et remedia salutis, prout expedire videbat, pro loco et tempore, ac personarum audientium varietate. In hoc autem loco fuit usus contra principes Pharisæos verbis duris, et exemplo terribili, et adeo justo et vero, quod ipsi iidem contra se tulerunt sententiam. Proponit enim eis [2] parabolam de cultoribus vineæ, qui nuntios Domini venientes pro fructibus occiderunt, et etiam filium ejus. Quærens autem qua pœna digni essent puniri ab illo domino, responderunt : *Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis.* Jesus hoc approbans, intulit sic : *Auferetur a vobis regnum Dei*, id est Ecclesia, *et dabitur genti facienti fructum ejus*, id est, gentilibus, ex quibus sumus nos et universalis Ecclesia. Interposuit etiam exemplum de lapide angulari [3], qui significat ipsum, et debebat Judæos confringere. Et tunc illi intelligentes quod de ipsis parabola esset, non correcti, sed magis irati sunt, quia eos excæcaverat eorum malitia. Tunc autem conspice ipsum in prædictis, humiliter quidem sedentem inter illos Pharisæos, sed cum auctoritate loquentem, et cum potestate, et vigore virtutis enuntiantem eis casum proprium.

[1] *Matth.*, v, 16. — [2] *Ibid.*, XXI, 33 et seq. — [3] Ibid., 42 et seq. — [4] *Psal.* LXIII, 7. — [5] *Matth.*, XXII, 16 et seq.

CAPUT LX.

Quomodo voluerunt Jesum capere in sermone.

Sicut multis modis Dominus Jesus nitebatur operari Judæorum salutem, ita e contrario illi, omnibus quibus poterant modis, conabantur ad ejus detractionem et interitum. Cogitaverunt igitur eum decipere, sed [4] *defecerunt scrutantes scrutinio.* Miserunt autem [5] ex deliberato consilio discipulos suos cum familiaribus Herodis regis, ut quærerent, *si liceat dare censum Cæsari, an non?* Cogitabant enim, quod ex hoc eum redderent exosum, vel Cæsari, vel turbæ Judæorum, quasi non posset nisi contra se respondere. At ipse scrutator cordium cognoscens eorum malitiam, respondit quod quæ ad Deum pertinebant, Deo, et quæ ad Cæsarem, Cæsari redderentur : vocans eos *hypocritas*, qui verbis blandis, animo fallaci loquebantur. Illi ergo sua intentione fraudati, cum verecundia recesserunt. Conspice igitur attente ipsum, ut supra in generali traditione habuisti ; et etiam considera hic, quod non vult Dominus, quod prælati et domini temporales in suo debito defraudentur. Unde peccatum est et inhibitum non solvere pedagia, et gabellas, et decimas, et dativa alia, quæ per temporales dominos debite et æqualiter ordinantur.

CAPUT LXI.

De cæco illuminato in Hierico, et multis aliis.

Benignissimus Dominus, qui ex nimia charitate de sinu Patris pro nostra salute descendit, sciens quod tempus suæ passionis instabat, ad

(*a*) *Cæt. edit. deest* in. — (*b*) *Item* est.

eamdem versus Hierusalem se pro ipsa suscipienda paravit : quam et divinitus (*a*) tunc prædixit ; sed non intellexerunt eum. *Cum* igitur [1] *appropinquaret Hiericho, cæcus quidam sedens juxta viam et mendicans*, cum intelligeret a turbis eum inde transire, fortiter cœpit clamare misericordiam ; et licet increparetur a turba, non verecumdabatur, nec tacebat. Ad cujus fidem et fervorem Dominus Jesus respiciens, fecit eum ad se adduci, et dixit : *Quid vis ut faciam tibi?* O dulcissimum verbum ! *Quid vis ut faciam tibi?* Et cæcus ad eum : *Domine, ut videam.* Et pius Dominus concessit, dicens : *Respice.* Et sic eum illuminavit. Conspice ergo Dominum Jesum, et curialitatem ejus diligenter. Et considera hic de virtute fidei et orationis, et quod orationis importunitas non displicet Deo, imo placet : simile habuisti supra [2] *de Chananæa.* Et ipse docet in hoc eodem, quod [3] *oportet semper orare, et non deficere,* dans exemplum de judice a quo vidua ex importunitate impetravit quod petebat. Alibi [4] etiam dat exemplum de eo, qui de nocte commodavit panes ex importunitate petentis. Et sic perseverantibus in petitione facit Dominus quidquid juste ac debite petunt a Deo, ut dicat singulis : *Quid vis ut faciam tibi?* et facit. Imo plus etiam sæpe facit, quam petatur, et quam audeat petere, ut habes exemplum in Zachæo, de quo infra [5] proxime dicemus. Igitur pro constanti habeas, quod quidquid fideliter et perseveranter petieris a Domino, obtinebis. Nec verecundari debes, sicut nec ille cæcus, nec Chananæa, nec Zachæus verecundati fuerunt petere gratias, et eas obtinuerunt. Sic nec nos verecundari debemus servire Deo, et peccatum deponere, et gratias nobis necessarias postulare. Habere namque pudorem et verecundiam, pertinet quandoque ad magnam virtutem, et quandoque ad magnum vitium. De quo sic dicit Bernardus [6] : « *Est pudor* (*b*) *adducens peccatum* [7], *et pudor* (*b*) *adducens gloriam.* Bonus pudor est, quo peccasse, aut certe peccare confunderis. Et licet omnis humanus arbiter forte absit, divinum tamen quam humanum (*c*) tanto verecundius revereris aspectum, quanto verius cogitas illum plus quam hominem purum (*d*) esse, tantoque eum gravius offendi a peccatore, quanto constat longius esse peccatum ab illo. Hujusmodi proculdubio pudor fugat opprobrium, parat gloriam, dum peccatum omnino non admittit, aut certe admissum et pœnitendo punit, et confitendo expellit : si tamen [8] *gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Quod si quisquam confiteri confunditur id quoque, unde (*e*) compungitur, talis pudor peccatum adducit, et gloriam de conscientia perdit, quando malum quod ex profundo cordis compunctio conatur expellere, pudor ineptus, constrictor labiorum, omnino (*f*) non permittit exire. » Idem [9] : « O verecundia expers rationis, inimica salutis, totius ignara honoris et honestatis ! » Et mox : « Itane verecundum est homini vinci a Deo? probro ducitur humiliari sub potenti manu Dei altissimi ? » Et post : « Summum victoriæ genus, divinæ cedere majestati ; et auctoritati matris Ecclesiæ non reluctari, summus honor et gloria. O perversitas ! non pudet inquinari, et ablui pudet pedes (*g*). *Est pudor*, juxta Sapientem [7], *adducens gloriam,* si vel peccare pudeat, vel peccasse, et ita vel certa (*h*) gloria non carebit (*i*), reducente nimirum pudore, quam culpa fugaverat. » Idem [10] : « Nescio an quidquam gratius verecundia adverti in moribus hominum queat. » Et subdit : « Quæ est certe omnium ornatus ætatum ; sed teneræ gratia verecundiæ in teneriori (*j*) amplius et pulchrius enitescit. Quid amabilius verecundo adolescente? Quam pulchra hæc, et quam splendida gemma morum in vultu et vita adolescentis ! Quam vera, et minime dubia, bonæ spei nuntia, bonæ indolis index ! Virga disciplinæ est illi, quæ (*k*) pudendis affectibus imminens, lubricæ ætatis motus actusque leves coerceat, et comprimat insolentes. Quid ita (*l*) turpiloquii, et omnis deinceps turpitudinis verba fugitans? Verecundia soror continentiæ est : nullum æque manifestum indicium columbinæ simplicitatis : et ideo etiam testis innocentiæ. Lampas est pudicæ mentis jugiter lucens, ut nil in ea turpe vel indecorum residere attentet, quod non illa illico prodat. Illa malorum impugnatrix et propugnatrix puritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ est, famæ custos, vitæ decus, virtu-

[1] *Luc.*, XVIII, 35 et seq. — [2] Cap. XXXVII, p. 560. — [3] *Luc.*, XVIII, 1 et seq. — [4] *Luc.*, XI, 5 et seq. — [5] Cap. LXII. — [6] Bern., *ad milit. Templi*, c. XII, n. 30. — [7] *Eccli.*, IV, 25. — [8] II *Cor.*, I, 12. — [9] Bern., *ad Eustach.*, epist. CLXXXV, n. 2. — [10] Id., *super Cant.*, serm. LXXXVI, n. 1.

(*a*) *Cæt. edit.* divinitas. — (*b*) Vulg. *confusio.* — (*c*) *Cæt. edit. deest* quam humanum. — (*d*) *Mabill.* Deum quam hominem puriorem. — (*e*) *Cæt. edit.* confunditur, et inde. — (*f*) *Mabill.* obstruso labiorum ostio. — (*g*) *Mabill. non habet* pedes. — (*h*) *Mabill.* sera. — (*i*) *Item* non carebis. — (*j*) *Mabill. add.* ætate. — (*k*) *Cæt. edit.* qui. — (*l*) *Item* itaque.

tis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, et insigne totius honestatis. Rubor ipse genarum, quem forte invexerit pudor, quantum gratiæ et decoris suffuso afferre vultui solet! [1] Usque adeo genuinum (*a*) animi bonum verecundia est, ut et qui male agere non verentur, videri tamen verecundentur. » Subdit : « Opera nimirum tenebrarum, et digna latebris, tenebris (*b*) occultantes. » Et infra : « Quid tam amicum verecundo animo, quam secretum? Denique orare volentes, jubemur intrare cubiculum, utique secreti gratia. Illud quidem ad cautelam, ne, palam orantibus nobis, laus humana orationis furetur fructum, frustretur affectum. Sed quid tam proprium verecundiæ, quam proprias vitare laudes, et vitare jactantiam? » Et paulo post : « Quid tam indecorum maxime adolescenti, quam ostentatio sanctitatis! » Et post : « Bona commendatio secuturæ orationis, si præmittas verecundiam. » Hucusque Bernardus. Quæ autem in hujus cæci consideratione veniunt, potes considerare de duobus aliis cæcis tunc a Domino illuminatis, scilicet quando exivit de Hierico : iste enim fuit ante ingressum illuminatus. De illis autem dicitur in *Matthæo* [2] et *Marco* [3], ubi ponitur nomen unius. Nam eodem modo, ut isti clamaverunt, et responsum et lumen a Domino receperunt.

CAPUT LXII.

Qualiter Dominus intravit domum Zachæi.

Cum Dominus Jesus ingrediens civitatem Hiericho ambularet [4] per eam : Zachæus princeps publicanorum hoc audiens, et desiderans vehementer eum videre, nec valens propter multitudinem turbæ, quia statura pusillus erat, ascendit in arborem sycomorum, ut vel sic eum videre posset. Jesus autem cognoscens, et acceptans fidem et desiderium ejus, dixit : *Zachæe, festinans* (*c*) *descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Tunc ille descendit, et eum cum magno gaudio et reverentia suscepit, ac ei convivium magnum præparavit. Vidisti curialitatem Domini Jesu. Plus dedit Zachæo, quam ipse desiderasset : dedit ei se ipsum, quod ille ausus petere non fuisset. Hic igitur habes de virtute orationis : nam desiderium maxima vox est, et magna oratio est. Et ideo dicit Propheta [5] : *Desiderium pauperum exaudivit Dominus : præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Et Moysi dixit Dominus [6] : *Quid clamas ad me?* cum ipse ore tunc taceret, sed corde loqueretur. Conspice ergo eum sedentem, comedentem cum illis peccatoribus : posuit se in medio mensæ cum Zachæo, et aliquem ex illis honorans posuit in capite; familiariter et domestice conversabatur, ut eos ad se attraheret. Conspice etiam discipulos libenter cum eisdem peccatoribus conversantes, colloquentes cum eis, et eos ad bona opera confortantes. Sciebant enim hanc esse voluntatem magistri sui, et salutem eorum cupiebant.

CAPUT LXIII.

De cæco a nativitate illuminato.

Cum iret Dominus Jesus Hierusalem [7], *vidit cæcum a nativitate,* cujus nomen dicitur fuisse Cælidonius; et inclinans se humilis Dominus, fecit lutum de sputo, et linivit oculos ejus, mittens eum ad natatoriam Siloe, ut lavaret. Ivit ille cæcus, et oculos lavit, et lumen recepit. Quod miraculum fuit solemniter examinatum ab illis malevolis, et cessit in confusionem ipsorum. Vide historiam Evangelii, quia satis plana et pulchra est. In prædictis autem conspice Dominum Jesum juxta generalem traditionem tibi datum, et considera quam magna fuit hujus cæci gratitudo, quia ita viriliter et constanter defendit partem Domini Jesu ante ipsos principes et majores Judæorum, et nec in uno verbo pepercit eis, cum tamen adhuc non vidisset Dominum Jesum. Multum commendabilis est virtus gratitudinis, et Deo accepta, et detestabile vitium ingratitudinis. De qua materia sic dicit Bernardus [8] : « Disce ad singula dona gratias gratias agere. *Diligenter,* inquit [9], *considera quæ tibi apponuntur* (*d*) : ut nulla videlicet Dei dona (*e*) debita gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocria, non pusilla. Denique jubemur colligere fragmenta, ne pereant, id est, nec minima beneficia oblivisci. Numquid non perit, quod donatur ingrato? Ingratitudo inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, bonorum perditio. Ingratitudo

[1] Bern., ibid., n. 2. — [2] *Matth.*, XX, 30 et seq. — [3] *Marc.*, X, 46 et seq. — [4] *Luc.*, XIX, 1 et seq. — [5] *Psal.* X, 17. — [6] *Exod.*, XIV, 15. — [7] *Joan.*, IX, 1 et seq. — [8] Bern., *super Cant.*, serm. LI, n. 6. — [9] *Prov.*, XXIII, 1.

(*a*) *Cæt. edit.* germen. — (*b*) *Item deest* tenebris. — (*c*) Edit. Vat. et Ven. *festina.* — (*d*) Vulg. *attende quæ apposita sunt tibi.* — (*e*) *Cæt. edit. add.* a.

tudo quid. est ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ » Hucusque Bernardus.

CAPUT LXIV.

Quomodo Dominus fugit de templo, et abscondit se, quando Judæi voluerunt eum lapidare.

Ecce modo incipiunt mysteria passionis Domini. Unde raro amodo auctoritates adducam, ut circa passionem et ejus præambula possim commodius immorari. Dum ergo quadam vice Dominus Jesus prædicaret in templo, et diceret inter alia [1] : *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum.* Et illis respondentibus : *Ergo tu es major patre nostro Abraham, qui mortuus est?* dixit Dominus Jesus : *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Ex quo verbo sumentes occasionem, quasi impossibile vel mendacium loqueretur, *tulerunt lapides,* ut lapidarent eum. *Ipse vero abscondit se, et exivit de templo* : nondum enim venerat hora passionis suæ. Conspice ergo bene hic eum cum dolore vehementi, quomodo Dominus omnium sic vilipendebatur ab illis nequissimis servis, et quomodo volens eorum furori cedere, abscondit se in aliquo loco templi, post aliquam columnam, vel inter aliquas personas. Intuere ipsum, et discipulos mœste et inclinato capite, tanquam imbecilles et debiles, recedentes.

CAPUT LXV.

Quomodo alia vice voluerunt lapidare Jesum.

Cum quadam alia vice in festo Encæniorum [2], id est in festo dedicationis templi, Dominus Jesus esset in porticu Salomonis, circumdederunt eum lupi illi rapaces cum furore maximo, stridentes dentibus, et dicentes : *Usquequo tollis animas nostras? Si tu es Christus, dic nobis palam.* At mitissimus agnus humiliter respondit eis dicens : *Loquor vobis, et non creditis mihi. Opera quæ ego facio in* (a) *nomine patris mei, testimonium perhibent de me.* Conspice ipsum nunc bene pro Deo, et totum negotium. Ipse quidem eis humiliter loquebatur, illi vero cum furore caninis latratibus perstrepebant in eum, ex omni parte sicut eum circumdabant, tandem non potuerunt occultare venenum cordis. Acceperunt igitur lapides, ut jacerent in eum. Sed Dominus Jesus nihilominus blando sermone locutus est eis, dicens : *Multa bona opera ostendi vobis; propter quod eorum opus vultis me lapidare?* Et illi inter alia : *Quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum.* Vide mirabilem insaniam. Ipsi volebant eum scire Christum; et quia verbis et operibus hoc comprobabat (b), volebant eum lapidare. Nec aliquam excusationem habere possunt, quia (c) potuerunt et debuerunt credere Dominum Jesum fuisse filium Dei. Quia vero necdum venerat hora ejus, exivit de manibus eorum, et recessit trans Jordanem ad locum, ubi Joannes baptizaverat, qui distat a Jerusalem per decem et octo milliaria, et ibi stabat cum discipulis suis. Conspice ergo tam eum, quam discipulos contristatos recedere, et eis compatere toto posse.

CAPUT LXVI.

De resuscitatione Lazari.

Præsens miraculum valde celebre, multumque solemne cum devotione meditandi occurrit; et ideo sic te attentam exhibeas, ac si præsens fuisses his, quæ hic dicta, vel facta fuerunt, et libenter converseris, non solum cum Domino Jesu et discipulis ejus, sed etiam cum ista benedicta familia sic Domino devota et a Domino dilecta, scilicet Lazaro, Martha et Maria. Languente igitur Lazaro [3], sorores ejus prædictæ, quæ familiarissimæ Domino erant, ad eum miserunt ad locum in quem recesserat, scilicet trans Jordanem, ut in superiori tractatu continetur, dicentes : *Lazarus frater noster, quem amas, infirmatur.* Et amplius non dixerunt, vel quia hoc sufficiebat amanti et bene intelligenti, vel quia timebant ipsum ad se vocare, cum scirent majores Judæorum insidiari eidem, et cupere mortem ejus. Dominus autem Jesus, audito nuntio, siluit per duos dies, et post dixit discipulis inter alia : *Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos, quia non eram ibi.* Vide mirabilem bonitatem, et dilectionem Domini, ac solertiam circa discipulos suos. Indigebant adhuc majori robore et virtute : unde ipse libenter operabatur eorum profectum. Redierunt igitur, et venerunt prope Bethaniam. Martha vero cum scivit, exivit ei obviam, et procidens ad pedes ejus, dixit : *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Dominus vero

[1] *Joan.*, VIII, 52. — [2] *Joan.*, X, 1 et seq. — [3] *Joan.*, XI, 1 et seq.

(a) *Cæt. edit. deest* in. — (b) *Cæt. edit.* comprobat. — (c) *Item* quin.

respondit quod surgeret, et de resurrectione ad invicem tractaverunt. Postea vero mittit eam pro Maria : hanc enim Dominus singularissime diligebat. Ipsa vero ut scivit, festina surrexit, et venit ad eum et procidens similia verba Marthæ (*a*) dicebat. Dominus autem Jesus, videns dilectam suam afflictam, lacrymosam et desolatam de fratre suo, non potuit etiam ipse lacrymas continere. Unde tunc *lacrymatus est Jesus*. Conspice nunc bene ipsum, et illas, et etiam discipulos. Annon credis, quod et ipsi fuerunt lacrymati? Post aliquam morulam, sic plorantibus cunctis, dixit Dominus Jesus : *Ubi posuistis eum?* Ipse enim hoc sciebat; sed more humano locutus est. Tunc illæ dixerunt : *Domine, veni, et vide*. Et ducebant eum ad sepulcrum. Vadit igitur Dominus Jesus medius inter duas sorores, consolans et confortans eas. Ipsæ vero tunc de sua præsentia consolabantur, quod quasi omnis doloris et omnis rei oblitæ, in eum solummodo intendebant. Cumque sic intercederent tres simul per viam, dicebat Magdalena : Domine, qualiter fuit vobis, ex quo recessistis a nobis? Dolor vehemens fuit mihi de vestro recessu; et nunc cum vos redisse audivi, magnum gaudium habui; sed nihilominus timui, et multum timeo. Scitis enim, quanta machinantur adversum vos principes et majores nostri, et propterea non fuimus ausæ mittere, ut veniretis. Gaudeo quod venistis, sed rogo vos pro Deo, ut caveatis vobis ab illorum insidiis. Dominus autem respondebat : Non timeatis, quia Pater super his providebit. Et sic colloquendo ad invicem, venerunt ad monumentum. Tunc jussit Dominus Jesus elevari ex eo lapidem superpositum ; sed contendebat Martha, dicens : *Domine, fœtet, quatriduanus enim est*. O Deus, vide mirabilem amorem istarum sororum erga Dominum Jesum : nolebant enim quod fœtor tangeret nares ejus. Nihilominus tamen, imo multo magis Dominus fecit lapidem elevari. Quo facto, ipse Dominus Jesus *elevatis oculis in cœlum, dixit : Gratias tibi ago, Pater, quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis; sed propter istos dico, ut sciant, quia tu me misisti*. Aspice nunc bene ipsum sic orantem, et considera zelum ejus ad animarum salutem. Deinde *clamavit voce magna, dicens : Lazare, veni foras*. Et statim revixit, et prosiliit foras, *ligatus* tamen, sicut fuerat sepultus. Discipuli vero ad Domini præceptum solverunt eum. Qui solutus, et etiam prædictæ sorores genuflectentes, gratias egerunt Domino Jesu de tanto beneficio, et duxerunt eum ad domum suam. Stupuerunt autem, qui ibi fuerant, et hæc viderant; et divulgatum fuit miraculum, adeo ut multitudo magna a Hierusalem et aliis partibus venirent ad videndum Lazarum. Et principes Judæorum se confusos reputantes, de ipso occidendo cogitaverunt.

[1] *Matth.*, XXI, 18; *Marc.*, XI, 12 et seq. — [2] *Joan.*, VIII, 3 et seq.

(*a*) *Edit. Vat. et Ven.* Martha.

CAPUT LXVII.

De maledictione ficus.

Quamvis secundum fidem historiæ maledictio ficus, et præsentatio adulteræ in templo, credantur fuisse post adventum Domini Jesu in Hierusalem super asello; quia tamen videtur aptius nil post ipsum adventum meditari, nisi de sua cœna et passione, et earum circumstantiis, ideo cogitavi ista duo hic ponere. Cum igitur [1] Dominus Jesus vadens versus Hierusalem esuriret, vidit ficum ornatam, et pulchram de foliis. Et appropinquans, et non inveniens ficus, maledixit ei. Et statim aruit, ita ut mirarentur discipuli. Conspice igitur eum, et discipulos in prædictis, juxta formam generalem supra traditam tibi. Conspice etiam, quia mystice hoc factum est a Domino, cum sciret non esse tempus ficuum. Per talem igitur arborem virentem foliis, intelligi possunt verbosi et loquaces sine operibus, necnon etiam hypocritæ, ac simulati, qui exteriorem apparentiam habentes, interius vacui sunt et infructuosi.

CAPUT LXVIII.

De muliere in adulterio apprehensa.

Vigilabant in malitiis suis pessimi principes et Pharisæi contra Dominum Jesum, et sollicite pertractabant, quomodo eum per astutias et fallacias vincerent, et odibilem populo redderent: sed retorquebantur in eos sagittæ eorum. Cum igitur [2] quædam mulier fuisset in adulterio deprehensa, et secundum legem deberet lapidari, adduxerunt eam ad ipsum in templo, quærentes quid de ipsa faciendum esset, quasi volentes ei ponere perplexitatem, ut si legem servandam diceret, notaretur de crudelitate et immisericordia; si non servandam, notaretur de injus-

titia. Sapiens autem Dominus eorum retia cognoscens, et declinare sciens, inclinavit se humiliter, et digito scribebat in terra, et dicit Glossa [1], quod scribebat peccata eorum. Erat igitur illa scriptura tantæ virtutis, quod quilibet eorum cognoscebat in ea peccata sua. Dominus autem erigens se dixit : *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Et iterum se inclinavit curialis Dominus etiam pro æmulis et adversariis suis, ne verecundarentur. At illi discesserunt omnes, et evanuerunt eorum astutiæ. Mulierem autem monitam ne amplius peccaret, Dominus Jesus licentiavit. Conspice igitur bene ipsum in omnibus prædictis factis et verbis.

CAPUT LXIX.

De conspiratione Judæorum contra Jesum, et de fuga ejus in civitatem Effrem (*a*).

Appropinquante tempore quo Dominus Jesus disposuerat nostram redemptionem per effusionem proprii sanguinis operari, armavit diabolus satellites suos, et acuit corda eorum contra ipsum Dominum usque ad occisionem ipsius, et ex bonis operibus Domini, maxime autem propter suscitationem Lazari, magis ac magis accendebantur, tanquam magis invidia tabescentes. Non valentes igitur suum furorem protelare, collegerunt [2] Pontifices et Pharisæi concilium, in quo Caipha prophetante, deliberaverunt ipsum agnum innocentissimum occidere. O pravum concilium! O pessimi duces populi, et consiliarii nequissimi ! Quid agitis miseri? Quis vos furor exagitat tantus? Quæ ordinatio est hæc? Quæ causa occisionis Domini Dei vestri? Nonne ipse in medio vestrum est, quem tamen nescitis, et intelligit omnia verba vestra, et scrutatur renes et corda? Sed sic fieri oportet, ut desiderastis; in manibus vestris tradidit eum Pater suus : per vos occidetur, sed non pro vobis. Ipse quidem morietur, et resurget, ut salvet populum suum; et vos peribitis. Divulgatum fuit istud concilium, sed sapiens Dominus volens dare locum iræ, et etiam quia nondum erant omnia completa, abiit in regionem juxta desertum in civitatem Effrem, et sic fugit humilis Dominus ante faciem nequissimorum servorum. Conspice ergo prædictos nefarios in suo concilio pessimo æstuantes. Conspice etiam Dominum Jesum, similiter et discipulos recedentes, tanquam imbecilles et pauperes. Quid tu putas Magdalenam dixisse? Sed et qualis animi mater Domini Jesu erat, cum sic eum recedere videret, et audiret causam, quia volebant eum occidere? Potes hic meditari Dominam et sorores tunc remansisse cum Magdalena, et Dominum Jesum eas omnes consolatum (*b*) fuisse de cita sua reversione.

CAPUT LXX.

Quomodo Dominus Jesus rediit in Bethaniam, ubi Maria Magdalena unxit pedes ejus.

Sicut in superioribus ad instructionem nostram Dominus Jesus fugiendo usus est prudentia, ostendens quod pro loco et tempore furorem persequentium caute declinare debemus; ita nunc utitur fortitudine, quia debito tempore imminente, sponte redit, ut se offerat passioni, et se in manus ipsorum persequentium tradat : sicut alias fuit usus temperantia, cum fugit honorem, quando turbæ voluerunt eum facere regem. Et e contrario usus est justitia, cum voluit tanquam rex honorari, quando populus cum ramis arborum occurrit eidem; satis modeste tamen ipsum honorem voluit, et ideo asellum ascendit, ut hic refert Bernardus [3]. Istis igitur quatuor virtutibus, scilicet prudentia, fortitudine, temperantia et justitia usus est Dominus virtutum propter nostram instructionem. Dicuntur autem cardinales esse ac principales, quia ab eis omnes aliæ virtutes morales descendunt. Non igitur æstimandus est fuisse varius, vel inconstans, sicut nec aliquis alius, qui secundum diversos casus in diversis virtutibus se exercet. Redit igitur Dominus Jesus die sabbati [4] ante diem palmarum in Bethaniam, quæ est prope Hierusalem, quasi ad duo milliaria : et ibi fecerunt ei cœnam in domo Simonis leprosi; sed et ibi fuerunt Lazarus, Martha et Maria. Erant enim consanguinei, vel multum domestici ejusdem Simonis. Tunc autem Maria fudit super caput ejus libram unguenti pretiosi, et ex eo unxit ei caput et pedes. Et quod alia vice fecit in eadem domo ex contritione, nunc faciebat ex devotione. Diligebat enim eum super omnia, et de obsequendo eidem satiari

[1] Gloss. *super Joan.*, VIII. — [2] *Joan.*, XI, 47. — [3] Bern., *in Ramis palmarum*, serm. II, n. 3. — [4] *Marc.*, XIV, 3 et seq.; *Matth.*, XXVI, 6 et seq.; *Joan.*, XII, 1 et seq.

(*a*) Vulg. *Ephrem*, et sic deinceps. — (*b*) *Cæt. edit.* consolatus.

non poterat. Sed murmuravit de hoc proditor Judas. Pro qua Dominus respondit, et eam debito more defendit. Nihilominus tamen proditor indignatus remansit, et inde proditionis occasionem assumpsit, et die Mercurii sequenti Dominum Jesum pro triginta argenteis vendidit. Conspice igitur eum cœnantem cum illis suis amicis, et conversantem cum eis, illis paucis diebus, scilicet usque ad passionem suam; sed amplius in domo Lazari; domus namque ipsius, et sororis ejus, erat suum refugium generale. Ibi comedebat de die, et dormiebat de nocte cum discipulis suis. Ibi etiam mater ejus Domina nostra cum sororibus quiescebat, et multum honorabant eam omnes, et maxime Magdalena, semper sociando eam nec ab ea ullatenus discedendo. Conspice ergo ipsam Dominam, quæ stat timore perterrita de dilectissimo filio suo, nec se ab illo ullo tempore separabat. Et cum Dominus defendens Magdalenam a murmure proditoris dixit : *Mittens hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit;* an non credis, quod hujus verbi gladius matris animam pertransierit? Quid enim de morte sua poterat expressius dicere? Similiter et omnes alii stabant perterriti, et anxiis cogitationibus pleni, colloquentes ad invicem unus cum altero hinc inde, more illorum qui habent dura et adversa tractare, et maxime timebant quando ibat in Hierusalem; quod faciebat quolibet die. Multa enim ab ista die sabbati usque ad diem cœnæ locutus est Judæis et operatus est palam in Hierusalem, de quibus non intendo referre nisi de adventu super asello, ne meditatio ipsius impediatur. Sumus enim in januis passionis. Vide, totum tuum recollige spiritum, ne ad alia sis distracta : ut tam ad hæc mysteria quæ præcedunt quam ad ipsam passionem, mente vacua curis, et valde pervigil possis intendere, et interim libenter converseris in Bethania cum prædictis.

CAPUT LXXI.

De adventu Domini in Hierusalem super asello; ibidem quomodo Jesus dicitur tribus saltem modis flevisse.

Frequentabantur mysteria, implebantur scripturæ per Dominum Jesum; appropinquante tempore, zelabat remedium mundo conferre per proprii corporis passionem. Igitur die sequenti, summo mane, scilicet die dominica, paravit se ad eundum in Hierusalem novo et inconsueto modo, sed sicut fuerat prophetatum. Cumque pergere vellet, mater pio affectu retrahebat eum, dicens : Fili mi, quo vis ire? Tu scis conspirationem contra te factam : quomodo vadis inter eos? Rogo te, ut non vadas. Similiter et discipulis aliis videbatur intolerabile, quod ibat; et ut poterant, retrahebant eum. Dicebat Magdalena : Non eatis, magister, pro Deo. Vos scitis, quod desiderant mortem vestram. Si vos itis in manus eorum, hodie vos capient, et habebunt intentum suum. O Deus, quomodo diligebant eum, et quomodo erat eis amarum, quidquid læderet ipsum! Ipse vero aliter disposuerat, qui universorum salutem sitiebat, et respondebat eis : Voluntas patris mei est, quod ego vadam; sinite, non timeatis, quia ipse defendet nos, et hoc sero huc redibimus illæsi. Cœpit igitur ire, et illa parva comitiva, sed fidelis, secuta est ipsum. Cum autem [1] venit Bethphage, scilicet in viculum quemdam in medio itineris, misit duos discipulos in Hierusalem, ut sibi adducerent asinam et pullum ejus, alligatos in loco publico, ad ministerium pauperum deputatos. Quo facto, Dominus Jesus primo super asinam, et parum post super pullum humiliter ascendit, super quos discipuli vestimenta sua posuerunt. Et sic equitabat Dominus mundi. Et quanquam justissimum foret eum honorari, honoris tamen tempore talibus dextrariis et phaleris usus fuit. Conspice nunc bene ipsum, et vide quomodo, in hoc suo honore, vituperavit honorabilem pompam mundi. Non enim fuerunt hæc animalia frenis et sellis deauratis, et phaleris sericatis ornata, more stultitiæ mundialis; sed vilibus pannis et duobus funiculis, cum esset Rex regum, et Dominus dominorum. Turbæ autem, cum sciverunt, iverunt obviam ei, et ut regem cum laudibus et canticis, cum vestium suarum et ramorum arborum stratione ac lætitia magna susceperunt eum. Immiscuit autem cum ista lætitia fletum; namque cum vidit Hierusalem, flevit super illam, dicens : *Quia si cognovisses et tu,* supple, « fleres. »

Et debes scire, quod tribus vicibus legimus Dominum Jesum flevisse : una de morte Lazari, scilicet, humanam miseriam; alia hic, scilicet humanam cæcitatem et ignorantiam : hic enim flevit, quia non cognoverunt tempus visitationis

Chris ter fle

[1] *Matth.*, XXI, 1 et seq.; *Marc.*, XI, 1 et seq.; *Luc.*, XIX, 29 et seq.

suæ. Tertia vice flevit in passione sua, scilicet humanam culpam et malitiam, quia videbat, quod passio sua omnibus sufficiebat, et tamen non omnibus proficiebat, quia non reprobis, et duris corde, ac impœnitentibus. Et de hac refert Apostolus, *ad Hebræos*, dicens de tempore suæ passionis [1] : *Qui cum clamore valido et lacrymis*, etc., *exauditus est pro sua reverentia*. De his tribus vicibus habetur in textu. Sed et alias tenet Ecclesia quod flevit, scilicet infantulus. Et ideo cantat [2] : *Vagit infans inter arcta conditus præsepia*. Quod faciebat, ut mysterium incarnationis diabolo occultaret. Conspice ergo bene ipsum nunc flentem ; nam et flere deberes cum eo : flet enim largiter et fortiter, quia non simulate, sed vere dolebat cum ipsis. Unde corde amaro flebat illorum periculum æternale. Prædixit etiam tunc ipsorum excidium corporale. Conspice etiam discipulos, qui diligenter vadunt juxta eum cum tremore et reverentia. Ipsi sunt barones et comites sui, domicelli et dextratores. Conspice etiam matrem cum Magdalena et aliis fœminis, sequentes attente post eum. Nec credere debes quod, ipso flente, potuerunt mater et alii sui lacrymas continere. Intravit ergo Dominus Jesus cum isto triumpho et honore turbarum in civitatem, de quo civitas commota est. Venit autem ad templum [3], et ejecit ementes et vendentes. Et hæc fuit secunda ejectio. Et stetit Dominus Jesus publice in templo prædicans populo, et respondens principibus et pharisæis usque quasi sero. Et licet sic honoratus fuisset ab illis, non est inventus aliquis, qui eum etiam ad bibendum invitaret. Tota igitur die ipse et sui jejunaverunt, et sero cum eis Bethaniam rediit. Conspice ergo et nunc bene ipsum, quia valde humiliter vadit per civitatem cum illis paucis, qui sic honorifice venerat mane. Ex quo potes considerare, quod parum est de mundano curandum honore, qui sic terminatur in brevi. Potes etiam considerare, quomodo Magdalena et alii gaudebant (*a*), quando honorabatur a turbis, et multo magis quando Bethaniam redierunt illæsi.

CAPUT LXXII.

Quomodo Dominus Jesus mortem suam prædixit matri.

Hic potest interponi meditatio valde pulchra, de qua tamen Scriptura non loquitur. Cœnante namque Domino Jesu die Mercurii cum discipulis suis in domo Mariæ et Marthæ, et etiam matre ejus cum mulieribus in alia parte domus; Magdalena ministrans rogavit Dominum, dicens : Magister, sitis memor, quod facietis pascha nobiscum ; rogo vos, ut hoc non denegetis mihi. Quo nullatenus acquiescente, sed dicente quod in Hierusalem faceret pascha ; illa recedens miro cum fletu et lacrymis, vadit ad Dominam, et his ei narratis, rogat ut ipsa eum ibi in paschate teneat. Cœna igitur facta, vadit Dominus Jesus ad matrem, et sedet cum ea, seorsum colloquens cum ea, et copiam ei suæ præsentiæ præbens, quam in brevi subtracturus erat ab ea. Conspice nunc bene ipsos sedentes, et quomodo Domina reverenter eum suscipit, et cum eo affectuose moratur, et similiter quomodo Dominus reverenter se habet ad eam. Ipsis igitur sic colloquentibus, Magdalena vadit ad eos, et ad pedes eorum sedens dicit : Domina, ego invitabam magistrum, ut hic faceret pascha; ipse vero videtur velle ire Hierusalem ad paschandum, ut capiatur ibi : rogo vos ut non permittatis eum ire. Ad quem mater : Fili mi, rogo te ut non sic fiat, sed faciamus hic pascha. Scis enim quod insidiæ ad te capiendum ordinatæ sunt. Et Dominus ad eam : Mater charissima, voluntas Patris est, ut ibi faciam paschą : quia tempus redemptionis advenit, et modo implebuntur omnia, quæ de me scripta sunt, et facient in me quidquid volent. At illæ cum ingenti dolore hæc audierunt, quia bene intellexerunt, quod de morte sua dicebat. Dicit igitur mater vix valens verba formata proferre : Fili mi, tota concussa sum ad vocem istam, et cor meum dereliquit me. Provideat Pater, quia nescio quid dicam. Nolo sibi contradicere; sed, si ipsi placeret, roga eum ut differat ad præsens, et faciamus hic pascha cum istis amicis nostris. Ipse vero, si sibi placebit, poterit de alio modo redemptionis sine morte tua providere, quia omnia possibilia sunt ei.

O si videres inter hæc verba Dominum plorantem, modeste tamen et plane, et Magdalenam, tanquam ebriam de magistro suo, largiter et magnis singultibus flentem, forte nec tu posses lacrymas continere.

Considera in quo statu esse poterant, quando hæc tractabantur. Dixit enim Dominus, blande

[1] *Hebr.*, v, 7. — [2] Hymn. off. Pass., ad Mat. — [3] *Marc.*, xi, 15.

(*a*) *Cæt. edit.* gaudeant.

consolans eas : Nolite flere; scitis quod obedientiam Patris me implere oportet : sed pro certo confidite, quia cito revertar ad vos, et tertia die resurgam incolumis. In monte igitur Sion secundum voluntatem Patris faciam pascha. Dixit autem Magdalena : Ex quo non possumus eum hic tenere, simus et nos in domo nostra in Hierusalem : sed credo quod nunquam habuit pascha sic amarum. Acquievit Dominus, quod et ipsæ in dicta domo facerent pascha.

CAPUT LXXIII.

De cœna Domini; item ablutione pedum; item de institutione Eucharistiæ; item quinque meditanda ex sermone Domini.

Adveniente jam et imminente tempore miserationum et misericordiarum Domini Jesu, quo disposuerat salvam facere plebem suam et eam redimere [1], *non corruptibili auro et argento, sed pretiosissimo sanguine suo;* voluit cœnam facere cum discipulis suis notabilem, antequam ab eis per montem discederet, in signum memoriale recordationis, ac etiam ut compleret mysteria, quæ restabant complenda. Fuit autem hæc cœna magnifica valde, et magnifica sunt quæ fecit ibi Dominus Jesus. Ad quæ intuenda te cum summa attentione præsentem exhibe : quia si hoc digne et vigilanter feceris, non patietur te curialis Dominus redire jejunam. Circa ipsam igitur quatuor principaliter, quæ ibi notabiliter facta fuerunt, meditanda occurrunt : primo, ipsa corporalis cœnatio; secundo, pedum discipulorum per Dominum Jesum ablutio; tertio, sacramenti sui sacratissimi corporis institutio; et quarto, pulcherrimi sermonis per ipsum compositio. De quibus per ordinem videamus.

De Cœna agni paschalis.

Circa primum attende, quod [2] Petrus et Joannes iverunt jussu Domini Jesu, ad quemdam amicum suum in montem Sion, ubi erat cœnaculum grande stratum, ad parandum pascha. Sed et Dominus cum aliis discipulis die Jovis, advesperascente die, civitatem intravit, et ad ipsum locum ivit. Aspice nunc igitur eum stantem in aliqua parte domus, et colloquentem cum suis discipulis salubria, et interim in cœnaculo parabatur pro eis per aliquos de septuaginta duobus discipulis pascha. Legitur namque in legenda sancti Martialis, quod ipse cum aliquibus de septuaginta duobus discipulis fuit ipso die sero ad ministrandum Domino Jesu, quando lavabat pedes discipulorum suorum. Cum autem essent omnia in cœnaculo parata, dilectissimus Joannes, qui sollicite ibat et redibat ad parandum et juvandum in præparatione præfata, venit ad Dominum Jesum, dicens : Domine, vos potestis cœnare, quando placet vobis, quia omnia sunt parata. Conspice nunc bene et morose omnia quæ dicuntur et fiunt, quia viscerosa sunt valde; nec abbrevianda sunt, sicut cætera Domini Jesu facta, sed potius dilatanda. In hoc igitur est maxima vis omnium meditationum de ipso, sed et amoris istius magis, scilicet propter excessiva insignia, quæ in hac cœna facta fuerunt. Surgit ergo Dominus Jesus, et discipuli ejus cum eo. Joannes vero ejus lateri se jungens, ab eo se deinceps nullatenus separavit : nullus enim sic fideliter ac familiariter adhæsit ei, sicut Joannes. Nam cum captus fuit, introivit cum eo in atrium principis sacerdotum, nec in crucifixione, nec in morte, nec post mortem dimisit eum, quousque fuerat ipse sepultus. In hac autem cœna juxta eum sedit, licet esset minor aliis. Intrant autem cœnaculum omnes, lavant manus, et circumstantes mensam devotissime benedicunt. Aspice bene per singula. Scire autem debes, quod ipsa mensa erat in terra, et more antiquorum in terra sederunt ad cœnam. Erat autem mensa quadra, ut creditur; de pluribus tamen tabellis; quam ego vidi Romæ in ecclesia Lateranensi, et ego eammet mensuravi. Est autem in uno quadro duorum brachiorum, et trium digitorum vel palmi, vel citra : ita quod, licet arcte, tamen in quolibet quadro, ut creditur, tres discipuli sedebant, et Dominus Jesus humiliter in quodam angulo; ita quod omnes in uno catino comedere poterant. Et propterea non intellexerunt eum discipuli, quando dixit : *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet,* quia omnes pariter intingebant. Benedictione igitur facta per dexteram Domini, sedent circa mensam, Joanne sedente juxta Dominum Jesum Christum. Agnus paschalis tunc eis defertur. Sed attende, quod dupliciter poteris hoc meditari : uno modo, quod sedeant, sicut jam dixi; alio modo, ut stent recti cum baculis in manibus, comedentes agnum cum lactucis agrestibus, et ita observantes quæ in lege Domini mandantur; dummodo postea eos mediteris sedere ad aliquid manducandum, ut ex pluribus locis textus po-

De m quo in tima na Cl stus c discip sedit mens et de mens

[1] I *Petr.*, I, 19. — [2] *Matth.*, XXVI, 19 et seq.; *Luc.*, XXII, 8 et seq.

test colligi, quia nec Joannes recumbere supra pectus Domini aliter potuisset, nisi sedendo. Delato ergo agno paschali asso, accepit eum verus et immaculatus agnus, scilicet Dominus Jesus, qui erat in medio illorum tanquam qui ministrat, sciditque eum in frusta, discipulis alacriter porrexit, et ad comedendum confortat. Ipsi vero comedebant; sed alacritatem non capiebant, semper pavidi, ne novitas contra Dominum fieret. Cœnantibus autem eis, patefecit factum apertius, et inter alia ita ait [1] : *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Unus autem vestrum me traditurus est.* Hæc vox in corda ipsorum, ut gladius acutissimus intravit; et comedere cessaverunt, aspicientes seipsos, invicem et dicentes : *Numquid ego sum, Domine?* Aspice nunc bene ipsos, et compatere tam Domino Jesu, quam ipsis, quia in magno dolore sunt positi. Ipse autem proditor, ne viderentur hæc verba pertinere ad ipsum, comedere non cessavit. Joannes vero, ad instantiam Petri, quæsivit et dixit : *Domine, quis est, qui tradet te?* Et Dominus Jesus tanquam singulari dilecto familiariter ei aperuit. Joannes vero stupefactus, et cordialiter gladiatus, versus eum se inclinavit, et super pectus ejus recubuit. Petro autem Dominus non dixit, quia, ut dicit Augustinus [2], si ipsum scivisset, dentibus proditorem discerpsisset. Sed per Petrum signantur activi, per Joannem contemplativi, ut dicit Augustinus in eadem Homilia in Evangelium, quod legitur in festo sancti Joannis. Unde habes hic argumentum, quod contemplativus non intromittit se de actibus extrinsecis, et de ipsis etiam offensis Domini vindictam non expetit; sed gemit interius, et per orationes se ad Deum convertit, et fortius ei per contemplationem approximans, eique inhærens, omnia suæ dispositioni committit. Nam aliquando ipse contemplativus, ex zelo Dei et animarum, exterius exit, ut supra [3] plenius habuisti in tractatu *de Vita contemplativa.* Hic etiam habes, quod nec ipse Joannes dixit Petro, quamvis ad ipsius nutum Dominum quæsivisset. Ex quo potes colligere, quod contemplativus non debet secretum sui Domini revelare. Legitur autem de beato Francisco, quod revelationes occultas non revelabat exterius, nisi quantum fraternæ salutis urgebat zelus, vel supernæ revelationis dictabat instinctus. Nunc igitur conspice Domini benignitatem, quomodo dilectum suum supra pectus suum retinet tam benigne. O quam tenerrime se ad invicem diligebant! Conspice etiam alios discipulos multum mœstos ad hanc Domini vocem, non comedentes, sed se invicem aspicientes, et super his consilium capere nescientes. Hæc de primo articulo sufficiunt.

[1] *Luc.*, XXII, 15. — [2] Aug., *in Joan.*, tract. CXXIV. — [3] Cap. LVI, p. 584, col. 2. — [4] *Joan.*, XIII, 4.

De ablutione pedum.

Circa secundum vero diligenter attende. His namque sic se habentibus, surgit [4] Dominus Jesus a cœna: surgunt statim et discipuli, ignorantes quo ire velit. Ipse autem descendit cum eis in locum alium inferius in eadem domo, ut dicunt qui locum viderunt; et ille omnes sedere fecit, aquam jubet sibi afferri, ponit vestimenta sua, linteo se præcingit, et aquam mittit in pelvim lapideam, ut lavaret ipsorum pedes. Recusat Petrus, et totus stupefactus rem suo judicio sic indecentem declinat. Sed audita Christi comminatione, sapienter consilium mutavit in melius. Considera nunc bene singulos actus, et cum admiratione conspice quæ geruntur. Inclinat se summa majestas, et humilitatis magister usque ad piscatoris pedes stat incurvatus, et genibus flexis, coram ipsis sedentibus. Lavat propriis manibus, abstergit, deosculaturque omnium eorum pedes. Sed et illud superexaltat humilitatem, quod et ipsi proditori eadem obsequia ipse præbet. Sed, o cor nequam, et omni duritia durius, si sic ad tantam humilitatem non emolliris, si sic Dominum majestatis non vereris, si sic usque ad ipsius semper tibi benefici, semperque innocentis sævis interitum! Sed væ tibi, miser: tu quidem obduratus, quod concepisti, parturies; non tamen ipse, sed tu peribis. Admiranda est ergo merito tanta humilitatis et benignitatis profunditas, etc. Hoc autem completo ministerio, redit ad locum cœnæ, et iterum recumbens, eos ad suum exemplum imitandum confortat. Potes autem hic meditari, quod Dominus Jesus exemplum dedit nobis isto sero quinque magnarum virtutum, scilicet humilitatis, ut dictum est lavando; charitatis, in sacramento corporis et sanguinis sui, et in sermone, qui est monitis charitatis plenus; patientiæ, in sustinendo proditorem suum, et multa opprobria, quando fuit captus et ductus ut latro; obedientiæ, in eundo ad passionem suam, et mortem ex obedientia Patris; orationis, in orando in horto tribus vicibus. In his ergo virtutibus eum imitari conemur. Et hæc de secundo articulo.

Christus Dominus in cœna quoque magnarum virtutum exemplum præbuit.

De insti-

Circa tertium vero meditando obstupesce il-

tutione sacramenti Eucharistiæ.

lam charissimam dignationem, et dignantissimam (a) charitatem, qua nobis tradidit semetipsum, et reliquit in cibum. Cum ergo lotis discipulorum pedibus iterum recubuisset, volens finem dare legalibus institutis et sacrificiis, et novum incipere testamentum, seipsum sacrificium novum facit, et [1] accipiens panem, oculos ad patrem elevans, confecit altissimum sacramentum corporis sui, et dans discipulis : HOC EST CORPUS MEUM, *quod pro vobis tradetur.* Similiter et calicem, dicens : HIC EST SANGUIS MEUS, *qui pro vobis effundetur.* Aspice nunc bene pro Deo, quomodo diligenter, fideliter et devote prædicta facit, et manibus propriis communicavit illam dilectam et benedictam familiam suam. Et tandem in amoris recordationem subjungit, dicens : *Hoc facite in meam commemorationem.* Hoc est illud memoriale, quod animam gratam, cum ipsum suscipit manducando, vel fideliter meditando, deberet totam ignire, et inebriare, et in ipsum Dominum præ amoris et devotionis vehementia totaliter transformare. Nihil enim majus, charius, dulcius et utilius nobis relinquere poterat, quam seipsum. Ipse namque, quem in sacramento sumimus, ille idem est, qui de virgine mirabiliter incarnatus et natus pro te mortem sustinuit, et qui resurgens et gloriose ascendens sedet a dextris Dei. Et ipse est qui creavit cœlum, et terram, et omnia; et qui ea gubernat, ac etiam moderatur. Ipse est a quo dependet salus tua; in cujus voluntate et potestate est tibi dare, vel non dare gloriam paradisi. Ipse est qui est in tali hostia modica oblatus, et tibi exhibitus. Ipse est Dominus Jesus Christus filius Dei vivi. Et hæc de tertio articulo.

Circa quartum vero ad omnium cumulum supereffluentem, attende alia dilectionis insignia. Facit enim eis sermonem pulcherrimum, plenum dulcedine, et amoris carbonibus ignitum. Communicatis namque discipulis et pessimo Juda, secundum Augustinum [2], licet secundum aliquos non fuerit in communicatione, dicit ipsi Judæ Dominus Jesus [3] : *Quod facis, fac citius.* Ille autem infelix egrediens, ivit ad principes sacerdotum, quibus cum præcedenti die Mercurii vendiderat triginta argenteis, et petiit ab eis cohortem ad ipsum capiendum. Interim vero Dominus Jesus fecit discipulis dictum sermonem. Ex cujus ornata, utili, ac veneranda

Ex sermone Domini quinque

magnitudine, quinque principaliter meditanda assumo. Primum, qualiter prædicens eis discessum suum eos confortavit. Dicebat namque [4] : *Adhuc modicum vobiscum sum, sed non relinquam vos orphanos. Vado et venio ad vos. Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum.* Hæc et his similia, quæ succincte pertranseo, dicebat eis, quæ corda ipsorum totaliter pertransibant et penetrabant. Non enim de suo discessu poterant aliquid tolerare. Secundo circa sermonem mediteris, qualiter cordialiter et instanter instruxit eos de charitate, dicens pluribus vicibus : *Hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem. Et in hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Et alia hujusmodi quæ in textu plenius poteris reperire. Tertio circa sermonem mediteris, quomodo monuit eos ad observantiam mandatorum suorum, dicens : *Si diligitis me, mandata mea servate* ; et : *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea.* Et alia hujusmodi. Quarto circa sermonem mediteris, qualiter det eis confidentiam contra tribulationes, quas eis prædicit esse venturas, hoc modo : *In mundo pressuras habebitis ; sed confidite, quia ego vici mundum.* Et iterum : *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Mundus quidem gaudebit, vos autem contristabimini ; sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Quinto circa sermonem est meditandum, qualiter ipse Dominus Jesus tandem aspiciens in cœlum se convertit ad Patrem, dicens : *Pater, serva istos quos dedisti mihi. Cum essem cum eis, ego servabam eos. Nunc autem venio ad te. Pater sancte, ego pro eis rogo, non pro mundo ; et non pro his tantum, sed pro eis omnibus, qui in me credituri sunt per eos. Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam.* Et alia hujusmodi, quæ vere erant corda scindentia. Mirum certe quo modo discipuli, qui tam vehementer Dominum Jesum amabant, ad hæc verba subsistere potuerunt. Si ergo quæ in hoc sermone dicta sunt, attente discusseris, et meditando ruminaveris diligenter, et in eorum dulcedine requieveris, merito inardescere poteris ad tantam dignationem, benignitatem, et providentiam, indulgentiam, et charitatem, et etiam ad alia per eum hoc sero facta. Conspice ergo eum dum loquitur, quo modo efficaciter, devote et delectabiliter loquens, imprimit discipulis suis

[1] *Matth.*, XXVI, 26. — [2] Aug., *Enarr. in Psal.* XL, n. 11. — [3] *Joan.*, XIII, 27. — [4] *Joan.*, XIV, 18 et seq.

(a) *Cæt. edit.* dignatissimam.

quæ narrat, et pascit in amœnitate aspectus ejus, atque verborum. Conspice autem discipulos quomodo stant mœsti, capitibus inclinatis, lacrymantes et suspiria magna dantes, pleni sunt tristitia usque ad summum, et de hoc veritas ipsamet ferebat testimonium, dicens: *Quia hæc dixi vobis, tristitia implevit cor vestrum.* Inter alios autem conspice Joannem eidem familiarius cohærentem, qualiter attente et diligenter aspicit hunc dilectum suum, et tenerius anxiatus omnia verba ejus recolligit. Ipse enim solummodo describens hæc tradidit vere nobis. Inter alia quoque dicit eis Dominus Jesus [1] : *Surgite, eamus hinc.* O quantus pavor tunc in eos intravit, nescientes quo, vel qualiter ire deberent, et de ipsius separatione plurimum formidantes, et nihilominus postea locutus est eis complendo sermonem in alio loco, eundo per viam. Conspice nunc discipulos euntes post eum, et cum eo, quomodo quilibet, qui magis potest, magis ei approximat, congregatim pergentes, sicut mos est pullorum pergere post gallinam, impellendo eum modo unus, modo alius ex desiderio appropinquandi, et audiendi verba ipsius. Ipse vero libenter hoc sustinebat ab eis. Tandem cunctis completis mysteriis, vadit cum eis in hortum trans torrentem Cedron, et ibi suum proditorem et armatos expectavit.

SEXTA FERIA.

CAPUT LXXIV.

Meditatio de passione Domini in generali.

Occurrit nunc, ut de passione Domini nostri Jesu Christi pertractemus. Qui ergo in passione et cruce Domini gloriari desiderat, sedula cordis meditatione debet in ipsa persistere, cujus mysteria, et quæ circa eam facta sunt, si toto forent perspecta intuitu mentis, in novum, ut puto, statum adducerent meditantem. Nam profundo corde et totis viscerum medullis eam perscrutanti, multi adsunt passus insperati, ex quibus novam compassionem, novum amorem, novas consolationes, et per consequens novum quemdam statum susciperet, quæ sibi præsagium et participatio gloriæ viderentur. Ad hunc autem statum consequendum, crederem tanquam ignarus et balbutiens, quod totam illuc mentis aciem vigilantibus oculis cordis, omissisque aliis curis extraneis, dirigi oporteret: et quod quis se præsentem exhiberet omnibus et singulis, quæ circa dominicam ipsam crucem, passionem et crucifixionem contigerunt, affectuose, diligenter, amorose et perseveranter. Te ergo hortor, ut si vigilanter attendisti præmissa, quæ de ipsius vita dicta sunt, hic multum vigilantius totum apponas animum, totamque virtutem: quia hic maxime apparet illa charitas ejus, quæ corda nostra deberet totaliter concremare. Cuncta vero cum modificatione solita accipe, scilicet quæ sic meditari poterunt, ut narrabo. Non enim in hoc opusculo aliquid affirmare intendo, quod non per sacram Scripturam, vel dicta Sanctorum, vel opiniones approbatas affirmatur, vel dicitur. Videtur autem mihi non incongrue dici, quod non solum illa pœnalis, et mortalis crucifixio Domini, sed ea quæ præcesserunt eamdem, sunt vehementissimæ compassionis, amaritudinis et stuporis. Quid enim est cogitare, quod ipse Dominus noster super omnia benedictus Deus, ab hora qua de nocte captus est, usque ad sextam crucifixionis suæ horam, fuit in bello continuo, doloribus magnis, opprobriis, illusionibus et tormentis? Non enim sibi datur vel modica requies. Sed in quali erat bello et conflictu, audi et vide. Alius ipsum dulcem, et mitem, et pium Jesum apprehendit; alius ligat; alius insurgit, et alius exclamat; alius impellit, alius blasphemat; alius expuit in eum, et alius vexat; alius circumvolvit, alius interrogat; alius contra eum falsos testes inquirit, et alius inquirentes associat; alius contra eum falsum testimonium dicit, aliusque accusat; alius deludit, et alius oculos ejus velat; alius faciem ejus pulcherrimam cædit, alius colaphizat; alius eum ad columnam ducit, et alius expoliat; alius, dum ducitur, percutit, alius vociferatur, et alius eum insultanter ad vexandum suscipit, et alius ad columnam ligat; alius in eum impetum facit, et alius flagellat; alius eum purpura in contumeliam vestit, et alius spinis eum coronat; alius arundinem in manu ejus ponit; alius furibunde accipit, ut spinosum caput percutiat; alius nugatorie genuflectit, alius deridet genuflexionem; et plura ei intulerunt opprobria. Ducitur, et reducitur; spuitur, et reprobatur; volvitur, et circumflectitur huc atque illuc tanquam stultus, et stultissime imbecillis; sed et tanquam latro, et impiissimus malefactor; modo ad Annam, modo ad Caipham, modo ad Pilatum, modo ad

Pœnas omnes quas Christus passus est, in genere recenset.

[1] *Marc.*, XIV, 42.

Herodem, et iterum ad Pilatum, et ibidem modo intus, modo foris ducitur et attrahitur. Deus meus! quid est hoc? Nonne tibi videtur hoc durissimum, amarissimum, et continuum, et magnum bellum? Sed expecta parumper, et duriora videbis : astant contra eum constanter principes, et Pharisæi, seniores, et millia populi. Acclamatur ab omnibus unanimiter, ut crucifigatur. Crux humeris jam fractis et laceratis imponitur, in qua crucifigitur; concurrunt undique cives et advenæ, tam majores, quam ribaldi vinique potatores, non ad compatiendum, sed vilissime deridendum. Nemo est qui eum agnoscat; sed luto et immunditiis impetuose eum commaculant et affligunt; et dum ignominiam suam portat, *factus* est [1] *illis in parabolam. Contra* eum *loquebantur, qui sedebant in porta; et in eum psallebant qui bibebant vinum.* Impellitur et anxiatur, trahitur et acceleratur : et sic flagellatus, fatigatus, totusque maceratus, et opprobriis saturatus usque ad summum, non sinitur requiescere, non esse in otio; vix potest refocillare spiritum, quousque perventum est ad Calvariæ locum, utique immundissimum et fœtidissimum. Et omnia cum impetu fecerunt et furore. In ipso autem loco, finis et quies bello imponitur, de quo tractamus; sed est illa quies asperior bello, et crucifixio, et lectus doloris. Ecce qualis quies. Vides ergo quomodo usque ad sextam horam passus est longum et durum bellum. Vere [2] *intraverunt aquæ usque ad* suam *animam,* et [3] *circumdederunt* eum *canes multi,* terribiles, fortes et feroces, et *concilium malignantium* eum *obsedit,* qui dire et [4] *ut gladium bis acutum* (*a*) *exacuerunt* in eum *linguas* et manus. Ex his ergo, quæ dicta sunt, expedita videntur, quæ de passione Domini dici possunt summatim in tribus horis primis, usque ad sextam, scilicet matutinali, prima, et tertia. Sed non sic, non est tanta amaritudo et pœna Domini Jesu sic leviter pertractanda : propter quod reflecte oculos, et intende. Magna enim et multiplex consideratio superest, multumque penetrativa et pia, dummodo, ut dictum est, exhibeas te præsentem : hæc enim in quadam generalitate sunt dicta. Sed videamus singula diligenter : non enim debet nos tædere ista cogitare, quæ ipsum Dominum non tæduit tolerare.

[1] *Psal.* LXVIII, 12, 13. — [2] Ibid., 2. — [3] *Psal.* XXI, 17. — [4] *Psal.* LVI, 5; LXIII, 4. — [5] *Rom.*, VIII, 32. — [6] *Joan,* III, 3. — [7] *Psal.* LIV, et seq.

CAPUT LXXV.

Meditatio passionis Christi ante matutinum.

Reassume ergo meditationes istas a principio passionis, et prosequere per ordinem usque in finem, de quibus, sicut mihi videtur, modicum tangam : tu vero, ut placet, exerciteris in amplioribus, ut et tibi Dominus ipse dabit. Attende ergo ad singula, ac si præsens esses; et cerne eum attente, cum a cœna exiens, sermone completo, in hortum cum discipulis suis vadit. Ultimo nunc intra, et perpende quomodo affectuose, socialiter ac familiariter eis loquitur, et ad orationem hortatur; quomodo etiam ipse pusillum, id est, per jactum lapidis progrediens, humiliter ac reverenter positis genibus orat Patrem. Hic parumper subsiste, et mirabilia Domini Dei tui mente pia revolve.

De oratione in horto.

Orat nunc Dominus Jesus. Sed hactenus legitur pluries sic orasse : sed pro nobis tunc ut advocatus noster, nunc autem pro se orabat. Compatere, et admirare profundissimam suam humilitatem. Cum enim sit Deus Patri suo coæternus et coæqualis, oblitus videtur se Deum esse, et orat ut homo, stat tanquam quilibet homunculus de populo, Dominum orans. Considera etiam perfectissimam obedientiam. Quid enim orat? certe orat Patrem, ut hora mortis ab eo transferatur; habet hoc expedire ut non moreretur, si ei placeret; et non exauditur, secundum aliquam dico voluntatem, quæ in eo erat. Fuit tamen in eo multiplex voluntas, ut dicam. Et hic etiam tu compatere, quia vult Pater ut penitus moriatur, et ei, quamvis vero et unico [5] *filio proprio, non pepercit, sed pro nobis omnibus illum* sic *tradidit. Sic* enim [6] *dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Dominus autem Jesus hanc obedientiam suscipit, et exequitur reverenter. Vide in tertio loco indicibilem ad nos charitatem, tam Patris, quam Filii, compassione, admiratione venerationeque dignissimam. Propter nos hæc mors indicitur, et sustinetur propter nimiam charitatem ipsorum. Orat ergo Dominus Jesus Patrem prolixe, dicens : Mi Pater clementissime, rogo te, ut [7] *exaudias orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam. Intende mihi et exaudi me, quia contristatus sum in exercitatione mea, et anxiatus est in me spiritus meus, et in me turbatum est*

(*a*) Cæt. edit. *gladius bis acutus.*

cor meum. Inclina ergo *ad me aurem tuam, et intende voci deprecationis meæ.* Tibi, Pater, placuit me in mundum mittere, ut pro injuria tibi ab homine facta satisfacerem. Et statim cum voluisti, *dixi* [1] : *Ecce vado.* Et sicut *in capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam,* sic volui. *Veritatem tuam et salutare tuum annuntiavi. Pauper fui, et in laboribus a juventute mea,* faciens voluntatem tuam, et omnia quæ mandasti, feci. Paratus sum etiam complere quæ restant. Si tamen, Pater mi, fieri potest, tolle a me tantam amaritudinem, quanta mihi parata est ab adversariis meis. Vide enim, Pater, quanti (*a*) adversantur adversum me, et quot et quanta mihi imponunt, propter quæ accipere animam meam consiliati sunt. Sed Pater sancte [2], *si feci* ea, *si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.* Ego enim [3] *quæ* tibi *placita sunt, feci semper.* Ipsi vero [4] *posueruut adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea,* et discipulum meum corruperunt, et suum ducem ad me perdendum fecerunt, et [5] *appenderunt mercedem meam triginta argenteis, quibus appretiatus sum ab eis.* Rogo te, Pater mi, ut [6] *transferas a me calicem istum.* Si autem aliter tibi videtur [7], *fiat voluntas tua, et non mea.* Sed exurge, Pater, in adjutorium meum, festina ut me adjuves. Dato enim, dilectissime Pater, quod me nescierunt filium tuum, quia innocentem vitam cum eis duxi, et multa bona eis contuli, non deberent, Pater, sic mihi esse crudeles. *Recordare* namque [8], *quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, ut avertam indignationem tuam ab eis.* Sed væ, *numquid redditur pro bono malum?* ipsi autem *foderunt foveam animæ meæ*, et mortem turpissimam paraverunt. *Tu* vides [9], *Domine, ne sileas, ne discedas a me : quoniam* [10] *tribulatio proxima est, et non est qui adjuvet.* Ecce [11] *in conspectu tuo sunt qui tribulant me, quærentes animam meam. Improperium expectavit cor meum, et miseriam.* Et rediens Dominus Jesus ad discipulos suos, excitat, et de orando confortat. Et iterum secundo et tertio ad orationem rediit; in tribus enim diversis locis distantibus ab invicem per jactum lapidis, non quantum quis excutiens brachium projicere posset, sed quantum sine magna violentia lapidem mitteret, forte quanta est longitudo domorum nostrarum, ut habeo a fratre nostro, qui fuit ibi, et adhuc in ipsis locis sunt vestigia ecclesiarum, quæ ibi factæ fuerunt. Rediens ergo ad orationem, ut dixi, secundo et tertio eumdem sermonem oravit, et addidit : Pater, si sic decrevisti, ut penitus crucis patibulum subeam, fiat voluntas tua. Sed recommendo tibi dilectissimam matrem meam, et discipulos meos, quos hucusque servavi. Pater mi, serva eos amodo. Et interim sacratissimus ille sanguis corporis sui, in modum sudoris erumpens in hac agonia, sive certamine, dum prolixius orat, usque ad terram abundanter decurrit.

Considera nunc ergo eum, quanta nunc est animæ suæ angustia. Sed et hic illud animadverte contra impatientiam nostram, quia Dominus tribus vicibus oravit, antequam a Patre responsionem acciperet.

Michael angelus Christum in agonia confortat

Cum autem sic orat anxiatus Dominus Jesus, ecce angelus Domini, princeps militiæ cœlestis exercitus, Michael scilicet astitit confortans eum, et dicens : Salutem, Deus meus Jesu. Ego orationem vestram, et sudorem vestrum sanguineum Patri vestro obtuli in conspectu totius curiæ supernæ, et omnes procidentes supplicavimus, ut calicem hunc transferret a vobis. Et respondit Pater : Novit dilectissimus filius meus Jesus, quod humani generis redemptio, quam sic optamus, sine sanguinis sui effusione sic decenter fieri non potest : et ideo, si salutem vult animarum, oportet eum pro eis mori. Quid ergo decernitis (*b*)? Tunc respondit Dominus Jesus angelo : salutem animarum omnino volo, et idcirco potius eligo mori ut salventur animæ, quas ad imaginem suam Pater creaverat, quam velim non mori, et animæ non redimantur. Fiat ergo voluntas Patris mei. Et angelus ad eum : Confortamini ergo, et viriliter agite : excelsum enim decet magnifica facere, et magnanimum ardua tolerare. Cito pertransibunt pœnalia, et succedent perpetuo gloriosa. Dicit Pater quod semper vobiscum est, et quod matrem vestram et discipulos ipse servabit, ipsosque incolumes vobis reddet. Et humilis Dominus reverenter et humiliter suscipit hanc confortationem etiam a sua creatura, considerans se esse minoratum paulo minus ab angelis, dum est in hac valle misera tenebrarum. Et sic contristabatur ut homo, et valefecit ei. Et sic

[1] *Psal.* XXXIX, 8 et seq. — [2] *Psal.* VII, 4 et seq. — [3] *Joan.*, VIII, 29. — [4] *Psal.* CVIII, 5. — [5] *Zach.*, XI, 12. — [6] *Marc.*, XIV, 36. — [7] *Luc.*, XXII, 42. — [8] *Jerem.*, XVIII, 20. — [9] *Psal.* XXXIV, 22. — [10] *Psal.* XXI, 12. — [11] *Psal.* LXVIII, 21.

(*a*) *Cæt. edit.* quanta. — (*b*) discernitis.

ex verbis angeli fuit confortatus ut homo, rogans ut eum Patri ac cœlesti curiæ commendaret. Surgit ergo tertio ab oratione totus sanguine madefactus : quem conspice tergentem sibi vultum, vel etiam forte in torrente lavantem, totumque afflictum reverenter cerne, eique intime compatere, quia sine ingenti acerbitate doloris hoc sibi contingere nullatenus potuit.

Dicunt sapientes et expositores, quod oravit Dominus Jesus Patrem, non tam timore patiendi, quam misericordia prioris populi : quia compatiebatur Judæis, quia pro sua morte sævissima perderentur. Non enim ipsi occidere eum debebant, quia ex ipsis erat, et in lege eorum continebatur, et tanta eis beneficia impendebat, dum orabat Patrem pro salute Judæorum, et dicebat : Ut credat multitudo gentium, non recuso passionem. Si vero Judæi excæcandi sunt ut alii videant, non mea voluntas, sed tua fiat.

Quadruplex voluntas Christi dum orat in horto.

Fuit enim in Christo tunc quadruplex voluntas, scilicet voluntas carnis, et hæc nullo modo volebat pati; voluntas sensualitatis, et hæc remurmurabat, et timebat; voluntas rationis, et hæc obediebat, et consentiebat, nam juxta Isaiam dicitur [1] : *Oblatus est, quia ipse voluit.* Et fuit in eo voluntas divinitatis, et hæc imperabat, et sententiam ipsa dictabat. Igitur quia verus erat homo, ut homo erat in magna angustia positus. Et ideo intime compatere ei, et considera, et vide diligenter omnes actus et singulas affectiones Domini Dei tui. Venit autem ad discipulos suos dicens [2] : *Dormite jam, et requiescite,* qui ibi aliquantulum dormierunt. Bonus autem pastor vigilat super custodiam gregis sui pusilli. O grandis amor! vere in finem dilexit eos, cum in tanta positus agonia eorum procurat quietem. Videbat autem a longe adversarios suos venientes cum facibus et armis, nec tamen discipulos excitavit, nisi cum prope et juxta eos erant, tunc dicit eis : Sufficit, satis dormistis, ecce qui me tradet, appropinquat.

Christus capitur.

Et [3] *adhuc eo loquente,* venit ante illos nequam Judas, pessimus mercator, et *osculatus est eum.* Dicitur enim quod moris erat Domini Jesu, discipulos quos emittebat, in osculo recipere redeuntes; et propterea proditor ille in signum Jesum per osculum tradidit, et præcedens alios cum osculo rediit, quasi dicat : Non sum ego cum istis armatis; sed rediens more solito, te osculor et dico : *Ave, Rabbi.* Intuere ergo bene, et prosequens Dominum, vide quo modo patienter et benigne suscipit ipsius infelicis amplexus, et oscula proditoris, cujus paulo ante pedes laverat, et summo cibaverat cibo. Et quo modo se patitur capi, ligari, percuti, et furibunde duci, ac si esset malefactor, et omnino impotens ad se defendendum. Quo modo etiam compatitur discipulis suis fugientibus et errantibus. Sed et ipsorum dolores cernere potes, quomodo inviti et dolentes gemitus et suspiria dabant, et velut orphani et timore perterriti recedebant, et magis ac magis eorum augebatur dolor, cum videbant et Dominum suum sic viliter trahi, et canes istos trahentes eum ad victimam, et illum quasi agnum mansuetissimum sine resistentia ipsos sequi. Conspice nunc eum, quomodo dicitur ab illis nequissimis de torrente sursum Hierusalem festinanter et anxie, manibus post tergum ligatis, exchlamydatus tunica, supercinctus non curiose, capite discoopertus, et curvus ex fatigatione, et vehementi acceleratione incedens. Cum autem præsentatur principibus sacerdotum Annæ et Caiphæ et aliis senioribus congregatis, illi quasi leo capta præda exultant, ipsum examinant, falsos procurant testes, qui eum condemnant et expuunt in ejus sacratissimam faciem, oculos velant, colaphizant, alapis cædunt, dicentes [4] : *Prophetiza, quis est qui te percussit?* Et multis opprobriis eum vexant; et in omnibus se patienter habebat. Et hic in singulis eum conspice, et compatere.

Tandem illi majores recesserunt, mittentes eum in quemdam carcerem ibi subtus solarium, qui adhuc videri potest, vel ejus vestigium; et ligaverunt eum ad quamdam columnam lapideam, cujus pars postea comminuta est, et adhuc apparet, ut habeo ex fratre nostro, qui vidit. Dimiserunt nihilominus aliquos armatos ad tutiorem custodiam, qui eum per totam noctem residuam vexaverunt derisionibus et maledictis vacantes. Intuere ergo qualiter audaces et pessimi conviciantur eidem, dicentes : Credebas tu melior et sapientior esse principibus nostris : quæ stultitia erat tua! non debebas aperire os tuum contra eos : quomodo fuisti ausus sic facere? Sed nunc apparet sapientia tua, ut stes modo sicut tuis convenit paribus, et dignus proculdubio es morte, et tu eam habebis. Et sic per totam noctem modo unus, et modo alius insultabat verbis, et factis contra eum. Quanta, credis, dicunt, et faciunt

[1] *Isa.*, III, 7. — [2] *Matth.*, XXVI, 45. — [3] Ibid., 49. — [4] *Marc*, XIV, 65.

hi mercenarii? opprobriis vilissimis indiscrete et irreverenter ei insultant. Intuere nunc Dominum verecunde et patienter tacentem ad omnia, tanquam in culpa deprehensum, et vultu in terram demisso ; et sibi compatere vehementer. O Domine, ad quorum manus venisti! quanta est patientia tua! Vere ista est hora tenebrarum.

Et sic stetit rectus ad illam columnam ligatus usque ad mane. Interim autem Joannes vadit ad Dominam et socias in domum Magdalenæ congregatas, in qua cœnam fecerant, et narrat cuncta quæ Domino et discipulis contigerunt. Tunc indicibilis planctus, ejulatus et clamor factus est ibi. Intuere eas, et compatere, quia in afflictione permaxima et dolore vehementissimo sunt de dilecto Domino suo, quia bene vident et credunt nunc ipsum Dominum moriturum. Tandem Domina secedit ad parietem, et in orationem se convertit, dicens : Pater reverendissime, Pater piissime, Pater misericordissime, recommendo vobis filium meum dilectissimum. Non sis ei crudelis, quia cunctis es benignus. Pater æterne, morieturne filius meus Jesus? Nihil enim mali fecit. Sed, Pater juste, si redemptionem vultis humani generis, per alium modum, obsecro, faciatis; omnia namque possibilia sunt vobis. Rogo vos, Pater sanctissime, si placet vobis, non moriatur filius meus Jesus; liberate ipsum de manibus peccatorum, et reddite ipsum mihi. Ipse propter obedientiam vestram et reverentiam non se juvat. Dereliquit seipsum, et tanquam imbecillis et impotens est inter istos. Unde vos illum, Domine, adjuvate. Hæc et his similia orabat Domina cum affectu suo toto et conatu, et cum magna amaritudine cordis sui. Compatere nunc ei, quam sic cernis afflictam.

CAPUT LXXVI.

Meditatio passionis Christi hora prima.

Mane autem tempestive redierunt principes et majores populi, et fecerunt eum ligari manus post tergum, dicentes : Veni nobiscum, latro, veni ad judicium, hodie complebuntur maleficia tua, modo tua sapientia apparebit. Et ducebant eum ad Pilatum ; et ipse tanquam nocens sequebatur eos, cum esset agnus innocentissimus. Cum autem mater ejus, Joannes et sociæ, nam et ipse summo mane exierunt foras, ut venirent ad eum, occurrerunt ei in bivio, et

Mater Maria cum aliis Christo occurrit.

videntes eum sic vituperabiliter et sic enormiter a tanta multitudine duci, quanto repleti sunt dolore, dici non posset. In isto autem mutuo conspectu, fuit dolor vehementissimus utriusque. Nam ipse Dominus multum affligebatur ex compassione quam habebat ad suos, et maxime erga matrem. Sciebat enim, quod propter ipsum dolebant usque ad animæ a corpore avulsionem. Considera ergo et intuere diligenter per singula : sunt enim permultum, imo permaxime compassiva.

Ad Pilatum et Herodem ducitur Dominus

Ducitur ergo ad Pilatum; et illæ mulieres a longe sequuntur, quia appropinquare non possunt. Accusatur tunc ab illis in multis, et Pilatus ipsum misit ad Herodem. Herodes vero cupiens videre de suis miraculis, gavisus est; sed nec miraculum ab illo habere potuit, neque verbum. Igitur ex hoc reputans eum stultum, fecit in derisionem ipsum indui veste alba, et remisit eum Pilato. Et sic vide qualiter non solum malefactor, sed et stultus est omnibus illis reputatus : ipse autem omnia patientissime tolerabat. Intuere etiam hic eum, dum ducitur, et reducitur, demisso vultu, et verecunde incedentem, et omnium clamores, convicia et subsannationes audientem, et forte lapidum percussiones, et immunditiarum aliarum fœtores suscipientem. Et etiam matrem et suos intuere discipulos cum indicibili mœrore a longe stantes, et inde ipsum sequentes. Reducto autem eo ad Pilatum, illi canes cum audacia magna atque constantia prosequuntur suas accusationes : sed Pilatus causam mortis non inveniens in eum, ipsum dimittere nitebatur. Dixit ergo : Ipsum corripiam, et dimittam. O Pilate! tu Dominum tuum castigas? nescis quid agis, quia nec mortem, nec flagella meretur. Recte ageres, si te ad suum nutum corrigeres. Jussit autem eum durissime flagellari.

Flagellatur Christus.

Spoliatur ergo Dominus, et ad columnam ligatur, et diversimode flagellatur. Stat nudus coram omnibus juvenis elegans et verecundus[1], *speciosus forma præ filiis hominum*, suscipit spurcissimorum flagella dura et dolorosa, caro illa innocentissima, et tenerissima, mundissima, et pulcherrima. Flos omnis carnis, et totius humanæ naturæ, repletur livoribus et fracturis. Fluit undique regius sanguis de omnibus partibus corporis, superadditur, reiteratur, et spissatur livor super livorem, et fractura super

[1] *Psal.* XLIV, 3.

fracturam, quousque tam tortoribus, quam inspectoribus fatigatis, solvi jubetur. Columna autem, ad quam ligatus fuerat, vestigia cruoris ostendit, sicut in historiis continetur. Hic ergo eum diligenter considera per longam moram, et si hic non compateris, cor lapideum puta te habere. Tunc impletum est quod ait Isaias propheta [1] : *Vidimus*, inquit, *eum, et non erat aspectus, et reputavimus eum quasi leprosum et humiliatum a Deo.* O Domine Jesu! quis fuit tam audax, et tam temerarius, qui te spoliavit? Et qui illi audaciores, qui te ligaverunt? Sed qui illi audacissimi, qui te tam durissime flagellaverunt? Sed tu sol justitiæ tuos radios subtraxisti, et ideo factæ sunt tenebræ, ac tenebrarum potestas. Omnes sunt te potentiores. Amor tuus et iniquitas nostra sic te imbecillem fecerunt. Maledicta sit tanta iniquitas, pro qua sic affligeris.

Soluto Domino a columna, ducunt eum sic nudatum, sic flagellatum, per domum scrutando pro pannis, qui sparsim in domo projecti fuerunt ab expoliatoribus. Intuere eum sic bene afflictum et trementem durissime : erat enim frigus, sicut dicit Evangelium [2]. Cum se vellet revestire, contendunt quidam impiissimi, dicentes Pilato : Domine, hic se fecit regem. Vestiamus eum, et honore regio coronemus. Et accipientes quamdam chlamydem sericam rubeam et turpem, vestiverunt eum, et spinis coronaverunt. Cerne ergo eum in singulis actibus et afflictionibus suis, quia omnia facit et sustinet quæ et ipsi volunt. Purpuream suscipit, super caput spineam coronam portat, arundinem manu tollit, et ipsis genuflectentibus, et ut regem salutantibus, tacet et patientissime obmutescit. Cerne nunc in amaritudine cordis, et maxime caput ipsius plenum spinis arundine sæpe percutitur. Et vide, depresso collo, cum dolore tam magno acerbos ictus tunc suscipit. Perforabant namque caput ejus sacratissimum acerbissimæ illæ spinæ, ac totum madere faciebant sanguine. O miseri! quomodo tremendum adhuc apparebit vobis illud caput regale, quod vos nunc percutitis? Illudebant enim ei tanquam regnare volenti, et non valenti. Omnia autem sustinet, quia eorum sævitia nimia erat: sed nec illis suffecerat, quod ad majorem illusionem totam cohortem congregaverant; sed et coram ipso Pilato et toto populo adducunt eum foras publice sic illusum, et portantem spineam coronam, et purpureum vestimentum. Cerne nunc pro Deo quomodo etiam stat facie ad terram demissa, coram multitudine vociferante, et clamante [3] : *Crucifige eum*, et insuper eum deridente et insultante, quasi sapientiores eo fuerint; et quomodo appareat, quod ipse se insipienter habuerit contra principes et phariseos, qui sic eum aptari fecerunt, et ad talem finem perducunt. Et sic non solum dolores et pœnas, sed etiam opprobria, suscipiebat ab eis.

Christus coronatur spinea corona.

CAPUT LXXVII.

Meditatio passionis Christi hora tertia.

Petit ergo tota multitudo Judæorum ut crucifigatur, et sic condemnatur a misero judice Pilato. Non recordantur beneficiorum et operum ejus, nec moventur propter innocentiam ejus; et quod crudele videtur, non retractantur propter afflictionem, quam ei prius intulerunt; sed gaudent principes et majores, quod intentionem pravam perfecerunt. Rident et derident eum, qui est verus Deus et æternus, et mortem accelerant. Reducitur intus, spoliatur purpura, et stat nudus coram eis, nec datur ei revestiendi licentia. Attende hic diligenter, et considera staturam ejus in singulis partibus. Et ut intime compatiaris, et simul pascaris, averte parumper oculos a divinitate, et eum purum hominem considera, et videbis juvenem elegantem, nobilissimum, et innocentissimum, et amantissimum, totum autem flagellatum, et sanguine livoribusque respersum, pannos suos undique projectos sparsim de terra colligere, et cum quadam verecundia, reverentia et rubore se coram eis quamvis irridentibus revestire, ac si foret omnium infimus, derelictus a Deo, et omni auxilio destitutus. Intuere etiam eum diligenter, et pietate ac compassione movearis : nam modo colligit unum, modo alium (*a*), et coram illis se revestit. Redeas post ad divinitatem, et considera illam immensam, æternam, et incomprehensibilem, et imperatoriam majestatem incarnatam, se flectentem humiliter, ad terram reclinantem et pannos recolligentem, se cum reverentia et rubore similiter vestientem ac si esset homo vilissimus, imo servus emptitius sub istorum dominio constitutus, et ab eis pro aliquo excessu correctus et castiga-

Christus ad mortem damnatur.

[1] *Isa.*, LIII, 2. — [2] *Joan.*, XVIII, 18. — [3] *Marc.*, XV, 13.

(*a*) *Cæt. edit.* unam, modo aliam.

tus. Intuere etiam eum diligenter, et humilitatem ejus admirare, et eidem etiam considerationibus compatiens, intueri potes eumdem cum ad columnam ligatus sic enormiter flagellatur. Et eo revestito ducunt eum foras, ne mortem ulterius differant, et tunc venerabile lignum crucis longum, et grossum, et multum grave ponunt super humeros ejus, quod agnus mansuetissimus patienter suscipit et portat. Et ut dicitur in historiis, opinio est crucem Domini quindecim pedes habuisse in altum. Et tunc ducitur, et acceleratur, et opprobriis saturatur, ut supra in principio tactum fuit hora matutina. Ductus autem fuit foras cum sociis suis, duobus utique latronibus. Ecce hæc est sua societas. O bone Jesu! quantam verecundiam faciunt vobis isti vestri amici! latronibus vos associant, sed et deterius faciunt, qui crucem vobis portandam imponunt, quod de latronibus ipsis non legitur. Unde non solum, juxta Isaiam [1], *cum iniquis deputatus est*, sed iniquorum iniquior. Indicibilis est, Domine, patientia vestra.

Christus ducitur ad crucifigendum.

Cerne igitur hic eum bene, quomodo vadit curvus subtus crucem, et vehementer anhelat. Compatere ergo ei quantum potes, in tot angustiis, et ludibriorum renovationibus posito. Et quia vere mœsta mater ejus propter multitudinem gentium ei appropinquare non poterat nec videre, ivit per aliam viam breviorem cum Joanne et sociabus suis, ut alios præcedens ei approximare valeret. Cum autem extra portam civitatis in concursu viarum eum habuit obvium, cernens eum oneratum ligno tam grandi, quod primo non viderat, semimortua facta est præ angustia, nec verbum ei dicere potuit, nec Dominus ei, quia acceleratus erat ab eis, qui eum ducebant ad crucifigendum. Ulterius autem Dominus procedens parum post convertit se ad mulieres flentes, et dixit eis [2]: *Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete*, etc., sicut in Evangelio plenius continetur. Et in his duobus locis apparent vestigia ecclesiarum adhuc quæ ibi factæ sunt in memoriam hominum, ut habui a fratre nostro qui vidit. Qui etiam dicit, quod mons Calvariæ, ubi fuit Christus crucifixus, distabat a porta civitatis, quantum locus noster a porta Sancti Germani. Unde nimis longa portatio crucis erat. Cum ergo ulterius processisset, et ita esset fatigatus et confractus (*a*), quod amodo portare non posset, crucem deposuit. Illi autem pessimi differre nolentes mortem suam, timentes ne sententiam ejus revocaret Pilatus, quia ostendebat voluntatem dimittendi eum, coegerunt quemdam crucem portare, ipsum autem sic exoneratum, ut latronem ligatum, ad Calvariæ locum duxerunt. Nonne igitur hæc quæ in matutinali, et prima, et tertia hora passus est, videntur tibi sine ipsa (*b*) crucifixione vehementissimi dolores esse, et amarissimi, et horrores valde stupendi? Certe sic puto, et ad compassionem facientia motiva, quinimo valde inferentia passionem. Sic completa videntur, quæ de his tribus dicenda sunt ad præsens. Videamus ergo nunc quæ contigerunt in crucifixione et morte, scilicet hora sexta et nona: postea videbimus de his, quæ contigerunt post mortem, scilicet hora vespertina et completorii.

CAPUT LXXVIII.

Meditatio passionis Christi hora sexta.

Cum ergo Dominus Jesus ductu impiorum ad Calvariæ locum fœtidum pervenit, conspicere potes operarios malos undique nequiter operari. His autem toto mentis intuitu te præsentem exhibeas, et intuere diligenter cuncta, quæ sunt contra Dominum tuum, et quæ dicuntur et fiunt ab ipso atque per ipsum. Videas ergo oculis mentis alios figere crucem in terram, alios parare clavos et martellos, alios parare scalam et alia instrumenta, alios ordinare quidquid facere debeant, et alios ipsum spoliare. Spoliatur etiam, et nudus est nunc tertia vice coram tota multitudine, renovantur fracturæ per pannos carni applicatos. Nunc primo mater conspicit filium suum sic captum, et aptatum dolore mortis affligi. Tristatur etiam supra modum, et cum rubore, quod videt eum totaliter nudum: nam et ei nec femoralia dimiserunt. Accelerat ergo, et approximat filio, amplexatur, et cingit eum capitis sui velo. O in quanta amaritudine est nunc anima sua! Non credo quod ei verbum dicere potuit: si amplius facere posset, utique voluisset; sed amplius non potuit eum adjuvare. Eripitur enim filius suus de manibus ejus furibunde ad pedem crucis.

Modus quo Dominus

Hic modum crucis diligenter attende. Ponuntur duæ scalæ, una retrorsum ad brachium

[1] *Isa.*, LIII, 12. — [2] *Luc.*, XXIII, 28.

(*a*) *Cæt. edit.* contractus. — (*b*) *Item* ista.

crucifixus fuit.

dextrum, alia ad sinistrum brachium, super quas malefici ascendunt cum clavis, et martellis. Ponitur etiam alia scala ex parte anteriori, attingens usque ad locum ubi debebant pedes affigi. Conspice nunc bene singula : compellitur Dominus Jesus crucem ascendere per hanc scalam parvam; ipse autem sine rebellione et contradictione facit humiliter quidquid volunt. Cum ergo in superiori parte istius parvæ scalæ pervenit ad crucem, renes vertit, et illa regalia aperit brachia, et extendens manus pulcherrimas, in excelsum eas porrigit suis crucifixoribus. Aspicit in cœlum, Patri dicens : Ecce hic sum, pater mi, usque ad crucem me humiliari voluisti pro amore et salute generis humani : placet, accepto, et pro eis me tibi offero, quos dedisti mihi, et fratres esse voluisti. Accepta igitur et tu, pater, et deinceps placabilis esto mei amore, et omnium maculas veteres absterge, et elonga ab eis : me pro eis tibi offero, Pater. Qui autem retro crucem est, accipit manum ejus dexteram, et eam fortiter cruci affigit. Quo facto, ille qui est in latere sinistro accipit manum sinistram, et trahit quantum potest, et extendit, et alium clavum immittit, percutit et configit. Descendunt post hæc de scalis, et removentur omnes scalæ. Pendet Dominus ex gravedine corporis deorsum trahentis, solum clavis infixis manibus sustentatur. Nihilominus occurrit et alius, et per pedes quantum potest eum trahit, et eo sic extento, alius configit ejus pedes clavo dirissimo. Sunt tamen quidam qui credunt, quod non hoc modo fuerit crucifixus, sed cruce extenta in terra, eum elevaverunt, et crucem fixerunt in terram. Quod si hoc magis placet, conspice quomodo ipsum capiunt despicabiliter sicut ribaldum vilissimum, et prosternunt super crucem in terra furibunde, brachia ipsius accipientes, et post violentam extensionem cruci durissime affigentes. Similiter et de pedibus factum intuere, quos traxerunt quantum violentissime potuerunt.

Ecce crucifixus est Dominus Jesus, et sic in cruce extensus, quod *dinumerari omnia ossa* ejus possent, sicut ipse conqueritur [1] per Prophetam. Fluunt undique sacratissimi sanguinis rivuli ex illis magnis scissuris. Sicque angustiatus est, quod se movere non potest nisi in capite. Illi tres clavi sustinent totius corporis pondus; dolores acerbissimos tolerat, et ultra quam dici possit vel cogitari, affligitur. Pendet inter duos latrones. Undique pœnæ, undique opprobria, undique convicia. Nam sic coangustato a conviciis non parcunt. Alii blasphemant, dicentes [2] : *Vah qui destruis templum Dei*; alii vero [3] : *Seipsum non potest salvum facere* : et alia dicunt multa convicia [4] : *Si filius Dei est, descendat de cruce, ut credamus ei.* Sed et milites qui crucifixerunt eum [5], *diviserunt sibi vestimenta* ejus in ipsius præsentia.

Et hæc omnia dicuntur et fiunt præsente matre sua mœstissima : cujus compassio multum augmentat filio passionem, et e contrario. Ipsa cum filio pendebat in cruce; et potius elegit mori cum ipso, quam amplius vivere. Undique sunt augustiæ, et tormenta sentiri poterant, narrari vero nullatenus poterant. Stabat mater juxta crucem ejus, et inter crucem latronis, non avertebat oculos a filio, angustiabatur ut ipse, et toto corde orabat ad Patrem, dicens : Pater et Deus æterne, placuit vobis, ut filius meus crucifigeretur : non est tempus ut a vobis repetam. Sed videtis in quanta angustia est nunc anima sua : rogo ut mitigetis ei pœnam, si placet. Pater, recommendo vobis filium meum. Et filius similiter orabat (*a*) Patrem pro ea, et tacite intra se dicebat : Pater mi, vides quomodo affligitur mater mea. Ego debeo crucifigi, non ipsa; sed mecum est in cruce. Sufficit crucifixio mea, qui totius populi porto peccata; ipsa nihil tale meretur. Vides eam [6] *desolatam, tota die mœrore confectam.* Recommendo eam tibi : dolores ejus tolerabiles facias. Erant [7] *autem juxta crucem* cum Domina Joannes et Magdalena, et duæ sorores Dominæ, scilicet Maria Jacobi, et Salome, et forte etiam aliæ, quæ omnes, et maxime Magdalena dilecta Jesu discipula, vehementer flebant, nec de suo Domino dilecto ac Magistro poterant consolari, compatiebantur Domino et Dominæ, et sibi ipsis. Sæpe renovabatur eis dolor, quia semper eis renovabatur compassio, cum in conviciis vel in factis suo Domino nova passio addebatur.

CAPUT LXXIX.

Meditatio passionis Domini hora nona.

Dominus autem in cruce pendens usque ad exitum spiritus non fuit otiosus, sed faciebat et

[1] *Psal.* XXI, 18. — [2] *Matth.*, XXVII, 40. — [3] Ibid., 42. — [4] Ibid. — [5] Ibid., 35. — [6] *Thren.*, I, 13. — [7] *Joan.*, XIX, 25.

(*a*) *Cæt. edit.* orat.

Christi cruce. docebat utilia pro nobis. Unde dixit septem verba, quæ scripta reperiuntur in Evangelio.

Primum fuit in ipso crucifixionis actu, cum oravit pro suis crucifixoribus, dicens [1] : *Pater, ignosce* (a) *illis, quia nesciunt* (b) *quid faciunt.* Quod verbum magnæ patientiæ magnique amoris indicium præstat, et etiam fuit indicibilis charitatis.

Secundum fuit ad matrem, cum dixit [2] : *Mulier, ecce filius tuus*, et ad Joannem : *Ecce Mater tua.* Non vocavit eam matrem, ne præ amoris vehementis teneritudine amplius ipsa doleret.

Tertium fuit ad latronem pœnitentem, cum dixit [3] : *Hodie mecum eris in Paradiso.*

Quartum fuit [4] : *Eli, Eli, lamma sabacthani?* hoc est : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* quasi dicat : Pater, tantum dilexisti mundum, ut dum me pro ipso tradidisti, dereliquisse me videaris.

Quintum fuit cum dixit [5] : *Sitio.* In quo verbo fuit magna compassio matris, et sociorum ejus, et Joannis; et illis pessimis magna fuit lætitia. Nam licet exponi posset, quod sitiebat animarum salutem; tamen in veritate sitivit, quia sanguinis effusione erat totus exsiccatus intus, et etiam arefactus. Et cum illi maligni cogitare non possent, in quo ei plus nocerent; tamen vexandi novam materiam acceperunt. Unde dederunt ei bibere acetum mixtum cum felle. Maledictus eorum furor, quia pertinax, et quantum poterant, nocuerunt.

Sextum verbum fuit [6] : *Consummatum est;* quasi diceret : Pater, obedientiam quam mihi dedisti, perfecte complevi. Adhuc, Pater, etiam quidquid vis, mihi filio tuo præcipe : paratus sum quidquid restat ulterius adimplere. *Ego* enim [7] *in flagella paratus sum.* Sed totum quod de me scriptum est, consummatum est : si tibi placet, Pater, revoca me modo tibi. Et Pater ad eum : Veni, dilectissime fili mi, omnia bene fecisti; nolo quod amplius anxieris : veni, quia in sinu meo et inter brachia mea te suscipiam. Et ex tunc languere cœpit more morientium, modo claudendo oculos, modo aperiendo, et caput inclinare, modo in unam partem, modo in aliam, deficientibus omnibus viribus.

Tandem addidit septimum verbum cum clamore valido et lacrymis, dicens [8] : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens,* [9] *emisit spiritum,* [10] *et inclinato capite* super pectus versus Patrem, quasi gratias agens quod ipsum revocabat, *tradidit* ei *spiritum* suum. Ad hunc clamorem conversus fuit Centurio, qui ibi erat, et dixit [11] : *Vere filius Dei erat iste*, audiens quod clamans expirasset : nam alii homines, cum moriuntur, clamare non possunt : et ideo in eum credidit. Fuit autem ita magnus ille clamor, quod usque in infernum fuit auditus. O qualis tunc erat anima matris, cum sic pœnose videbat eum deficere, languere, lacrymari et mori! Credo quod vel propter angustiarum multitudinem absorpta erat, et quasi insensibilis facta, vel semimortua facta est, nunc quidem multo magis quam cum obviavit ei crucem portanti. Quid nunc Magdalena fidelis, et dilecta discipula, quid Joannes præ omnibus dilectus, quid aliæ duæ sorores Dominæ faciebant? Sed quid facere poterant repletæ amaritudine, completæ doloribus, inebriatæ absinthio? Irremidiabiliter omnes flebant. Ecce ergo pendet Dominus in cruce mortuus; redit tota multitudo; remanet mater mœstissima cum illis quatuor; ponunt se ad sedendum juxta crucem, contemplantur dilectum suum, expectant a Domino auxilium, quomodo ipsum retrahere et sepelire tunc valeant. At tu, si contemplatus bene fueris Dominum tuum, considerare potes, quod [12] *a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas;* non est in eo membrum, nec sensus corporis, qui summam afflictionem, seu passionem non senserit. Habes ergo quæ de crucifixione et morte, in sexta et nona hora contigerunt, quæ modicitati meæ, vel tuæ ruditati scribenda videntur ad præsens. Tu autem studeas devote, fideliter et sollicite his omnibus inhærere. Nunc de his, quæ post mortem contigerunt, dicamus.

CAPUT LXXX.

De apertione lateris Christi.

Commorantibus ergo et sedentibus reverenda Domina nostra Maria, atque Joanne, Magdalena et sororibus matris Domini ab una parte prope crucem, et aspicientibus quasi sine intermissione Dominum Jesum pendentem sic in cruce inter latrones, sic nudum, sic afflictum, sic mortuum, sic et ab omnibus derelictum; ecce

De his quæ post mortem contigerunt.

[1] *Luc.*, XXIII, 34. — [2] *Joan.*, XIX, 26. — [3] *Luc.*, XXIII, 43. — [4] *Matth.*, XXVII, 46. — [5] *Joan.*, XIX, 28. — [6] Ibid., 30. — [7] *Psal.* XXXVII, 18. — [8] *Luc.*, XXIII, 46. — [9] *Matth.*, XXVII, 50. — [10] *Joan.*, XIX, 30. — [11] *Matth.*, XXVII, 54. — [12] *Isa.*, I, 6.

(a) Vulg. *dimitte.* — (b) Vulg. *non enim sciunt.*

armati multi veniebant a civitate versus eos, qui mittebantur ut ipsis crucifixis crura frangerent, occiderent eos, ac sepelirent, ne corpora in cruce pendentia in magno die sabbati remanerent. Tunc Domina et omnes surgunt, et aspiciunt, et vident eos, et nesciunt quid hoc esse possit; renovatur dolor, et timor, et tremor crescit. Multum quidem Domina timet, et nescit quid faciat, et vertens se ad filium mortuum dixit : Fili mi dilectissime, quare redeunt isti? quid facere amplius tibi volunt? Nonne te occiderunt? Fili mi, putabam eos satiatos esse de te; sed, ut video, adhuc te mortuum persequuntur. Fili mi, nescio quid faciam. Te defendere a morte non potui; sed veniam, et stabo juxta crucem tuam ad pedes tuos. Fili mi, roga Patrem tuum, ut eos tibi placabiles faciat : ego autem quod potero faciam. Et omnes tunc quinque flentes iverunt, et apposuerunt se ante crucem Domini Jesu. Appropinquant autem illi cum furore et strepitu magno, et videntes latrones adhuc vivere, frangunt eis crura, et ipsos occidunt, et deponunt, et in aliquam fossam velociter illos projiciunt. Redeuntibus autem ipsis versus Dominum Jesum, timens mater ne similiter faciant cum filio suo, tacta dolore cordis intrinsecus, cogitavit ad arma sua currere, scilicet ad humilitatem innatam. Et genibus positis, et brachiis cancellatis, vultu lacrymabili et voce rauca, sic eos alloquitur, dicens : Viri fratres, rogo vos propter Deum altissimum, ne amplius me vexare velitis in dilectissimo filio meo. Ego enim sum mœstissima mater ejus, et scitis, fratres, vos quod nunquam offendi, nec injuriam aliquam vobis feci, et si filius meus visus est vobis contrarius, ipsum peremistis, et ego vobis remittam omnem injuriam, et offensam, et mortem filii mei. Hanc tamen misericordiam mecum facite, ne ipsum confringatis, ut saltem integrum valeam tradere sepulturæ. Non expedit ut ejus crura frangantur : videtis enim quod jam mortuus est et migravit. Hora enim est postquam discessit. Joannes vero, Magdalena et sorores matris Domini, stabant genuflexi cum ea, et amarissime omnes flebant. O Domina, quid est quod agitis? ad pedes nefandissimorum statis; ibi oratis inexorabiles. Pietate creditis flectere crudelissimos et impiissimos, et humiliare superbos? Abominatio est superbis humilitas; incassum laboratis. Unus autem, Longinus nomine, tunc impius et superbus, sed post conversus, et martyr et sanctus, porrigens lanceam de longe, eorum preces et rogamina contemnens, latus Domini Jesu dextrum vulnere grandi aperuit, et exivit sanguis et aqua. Tunc mater semimortua cecidit inter brachia Magdalenæ. Joannes vero, dolore urgente, assumpto vigore, insurgit contra illos, dicens : Viri iniquissimi, quare hanc impietatem facitis? nonne videtis quod mortuus est? Vultis etiam matrem ejus mœstissimam occidere? Discedatis, quia nos eum sepeliemus. Tunc illi, sicut Deo placuit, discesserunt. Excitatur autem Domina, surgens quasi evigilans, quærens quid sit de dilecto filio suo. Respondent ei, nihil esse factum de eo. Postea suspirat, et anxiatur, et respiciens filium suum vulneratum, dolore mortis atteritur. Vides quoties mortua est hodie? toties certe, quoties contra filium suum videbat fieri novitatem. Unde vere impletum est in ea, quod sibi dixerat Simeon[1] : *Tuam*, inquit, *ipsius animam gladius pertransibit.* Sed nunc vere filii corpus, et matris animam, hujus lanceæ gladius perforavit. Ponunt autem omnes se iterum ad sedendum juxta crucem, quid facere debeant nescientes. Corpus enim deponere et sepelire non possunt, quia vires non habent sufficientes, nec instrumenta, quibus deponere ipsum possint. Recedere autem, sic eo remanente, non audent, et diu sic remanere, nocte appropinquante, non valent. Vides in quanta perplexitate sunt. O Deus benigne, quomodo permittis tuam ex omnibus electam, mundi speculum et reclinatorium nostrum, sic tribulari? Tempus autem esset, ut aliquantulum respirasset.

CAPUT LXXXI.

Hora vespertina, meditatio.

Iterum autem vident alios plures per viam venientes, qui erant Joseph ab Arimathia et Nicodemus, ducentes secum alios, portantes instrumenta, quibus corpus deponant de cruce; et portabant quasi centum libras myrrhæ et aloes, et veniebant ad sepeliendum Dominum. Tunc surgunt omnes cum timore magno. O Deus, quanta est ista afflictio hodie! Circa conspiciens autem Joannes dixit : Ego cognosco ibi Joseph et Nicodemum. Tunc Domina, resumptis viribus, dicit : Benedictus Deus noster, qui mittit nobis auxilium; memor fuit nostri,

[1] *Luc.*, II, 35.

et non dereliquit nos. Fili, occurras eis. Vadit ergo Joannes ejus obvius velociter, et attingentes se, ad invicem amplexantur cum fletu magno, non valentes per magnam horam ad invicem sibi loqui, ex compassionis teneritudine, et abundantia fletus et doloris; postea veniunt adversus crucem. Quærit Joseph, qui sint ibi cum Domina, et quid sit de aliis discipulis. Dicit illi Joannes istas, quæ ibi sunt. De discipulis autem respondet se nescire, quia nullus ibi fuit hodie. Quærit etiam de his, quæ circa Dominum facta sunt, et narrat ei Joannes per singula. Cum autem fuerunt prope locum, genuflectentes et flentes adoraverunt Dominum. Applicantes autem recepti fuerunt reverenter per Dominam et alias socias genibus flexis, inclinantes usque ad terram. Similiter ipsi genuflectentes cum ploratu magno, sic steterunt per longam horam. Tandem Domina dicit : Benefacitis habentes memoriam Magistri vestri, quia multum vos dilexit : et fateor, quod in adventu vestro visum est mihi novam oriri lucem. Nesciebamus enim quid facere deberemus : Dominus vobis retribuat. Et illi : Dolemus ex toto corde nostro de his omnibus, quæ contra eum facta sunt : prævaluerunt enim impii contra justum. Libenter eum eripuissemus de tanta injustitia, si potuissemus. Saltem hoc modicum obsequium Domino et Magistro nostro præstabimus. Surgentes ergo , paraverunt se ad deponendum corpus Jesu.

Modus depositionis Christi a cruce.

Tu autem, ut aliis locis dixi tibi, diligenter et morose modum depositionis attende. Ponuntur duæ scalæ a lateribus crucis oppositæ, Joseph ascendit super scalam lateris dextri, satagit extrahere clavum ipsius manus. Sed difficile est hoc, quia clavus grossus et longus est in ligno valde confixus, et sine magna suppressione manus Domini non videtur posse fieri. Sed non est vis, quia fideliter facit, et Dominus totum acceptat. Evulso illo, Joannes annuit Joseph, dictum clavum sibi porrigi, ne ipsum Domina videat. Deinde Nicodemus alium extraxit manus sinistræ, et clavum similiter dat Joanni. Descendit Nicodemus, et ivit ad clavum pedis. Joseph vero sustentabat corpus Domini; felix quippe ipse Joseph, qui corpus Domini meruit sic amplexari. Tunc pendentem manum dexteram Domina suscepit reverenter, et ponit ad vultum suum, intuetur, et osculatur cum lacrymis validis et suspiriis dolorosis. Evulso autem clavo pedum, paulisper descendit Joseph, et omnes accipiunt corpus Domini, et ponunt in terram. Domina suscipit caput cum scapulis in gremio suo; Magdalena vero pedes, apud quos tantam gratiam olim invenerat. Alii circumstant; omnes faciunt planctum magnum super eum : omnes enim plangunt eum, quasi unigenitum, amarissime.

CAPUT LXXXII.

Hora Completorii.

Post aliquam morulam, cum nox appropinquasset, rogat Joseph Dominam, ut permittat eum volvi linteaminibus, et sepeliri. Ipsa contendebat, dicens : Nolite, amici mei, tam cito filium meum accipere, vel me cum ipso sepelite. Flebat autem lacrymis irremediabilibus, aspiciebat vulnera manuum et lateris, modo unum, modo aliud; aspiciebat vultum ejus, et caput, et videbat spinarum puncturas, depilationem barbæ, faciem et sputis et sanguine deturpatam, et caput tonsum; et de fletu et aspectu non poterat satiari. Legitur autem in quadam scriptura, quod Dominus devotæ suæ revelavit, quod ipse tonsus fuit capillis, et depilatus barba; sed Evangelistæ non scripserunt omnia. Et quidem quod ipse fuit tonsatus, vel sicut est, nescio probare per scripturam, sed de depilatione barbæ potest probari. Dicit enim Isaias in persona Domini [1] : *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus.* Unde ipsa mater hæc fideliter aspiciebat , morose videre volebat. Tardante autem hora, dicit Joannes : Domina, condescendamus Joseph et Nicodemo, et permittamus aptari et sepeliri corpus Domini nostri, quia propter nimiam moram possent pati calumniam a Judæis. Ad hanc vocem tanquam grata et discreta, cogitans quod ipsi Joanni commissa est per filium, noluit amplius contendere, et benedicens eum, permisit aptari et involvi. Tunc Joannes, et Nicodemus, et alii cœperunt involvere corpus, et aptare cum linteaminibus, ut mos erat Judæis. Domina tamen semper tenebat caput ipsius in gremio suo, quod sibi reservavit aptandum, et Magdalena pedes. Cum ergo venerunt ad crura prope pedes, dicit Magdalena : Rogo vos, ut permittatis me aptare pedes, apud quos sum misericordiam consecuta. Quibus permittentibus, illa pedes ipsos tenebat. Videbatur deficere præ do-

[1] *Isa.*, L, 6.

lore, et quos alias lacrymis compunctionis rigavit, nunc multo magis undis lacrymarum doloris et compassionis largiter lavit. Aspiciebat pedes sic vulneratos, perforatos, desiccatos et sanguinatos : amarissime multum flebat. Nam, ut Veritas de ipsa perhibuit testimonium [1], *dilexit multum*; et ideo flevit multum, et maxime in hoc ultimo obsequio Magistri et Domini sui, sic afflicti, sic flagellati, sic vulnerati, sic mortui, et in nihilum sic redacti. Vix cor sibi in corpore stare poterat præ dolore : sed bene cogitari potest, quod si posset, libenter ad pedes Domini sui expirasset. Non videbat remedium doloris, nec consueverat ei in talibus obsequi. Novum (*a*) et ultimum est hoc obsequium, quod ei nunc præstat; et in hoc præstando amaricatur anima sua, quia non potest illud facere, ut vellet intime et deceret. Vellet enim totum corpus lavare, ungere et bene aptare ; sed non est tempus et locus. Non enim poterat plus, non poterat aliud : facit quod potest. Saltem pedes lavit cum lacrymis; tandem devote abstergit, amplexatur, deosculatur, involvit, et aptat fideliter, quantum melius novit et potest. Sic ergo aptato corpore, respiciunt ad Dominam, ut ipsa compleat, et omnes planctum recipiunt. Tunc ipsa videns quod amplius differre non potest, ponit vultum super faciem dulcissimi filii sui, et dicit : Fili mi, in gremio meo te mortuum teneo : durum est valde divortium mortis tuæ; jucunda et delectabilis fuit inter nos conversatio, et sine querela et offensa fuimus inter alios, quamvis tu, dulcissime fili mi, ut nocens sis modo occisus. Fideliter, fili mi, servivi tibi, et tu mihi, sed in hac pugna tua dolorosa, nec Pater tibi auxiliari voluit, nec ego potui. Tu teipsum dereliquisti propter amorem generis humani, quod redimere voluisti. Dura et nimis pœnosa est ista redemptio, de qua gaudeo propter salutem hominum. Sed in tuis doloribus et morte tua multum affligor vehementer, quia scio quod nunquam peccasti, et sine causa tam amare occisus es morte tam turpissima. Modo ergo, fili mi, disjuncta est nostra societas, et me a te nunc oportet separari. Sepeliam ergo te ego mater tua mœstissima; sed postea quo ibo? Ubi etiam morabor, fili mi? Quomodo sine te vivere possim? Tecum ergo libentius sepelirer, ut ubicumque esses, ego similiter essem tecum. Sed ex quo non possum corpore, sepeliar tamen mente; animam meam in tumulo sepeliam cum corpore tuo, eam tibi dimitto, eam tibi commendo. O fili mi, quam anxia est separatio ista ! Et iterum, ex abundantia lacrymarum, multo melius lavit faciem filii, quam Magdalena pedes. Abstergit autem faciem ejus, et deosculans os et oculos ejus, in quodam sudario caput ipsum involvit, et diligenter aptavit. Tandem iterum benedixit eum. Et tunc omnes adorantes eum flexis genibus, et pedes ejus deosculantes, accipiunt et portant ad monumentum. Domina tenebat caput et scapulas, Magdalena pedes; reliqui vero stabant in medio. Erat prope locum crucifixionis sepulchrum, quantum est longitudo ecclesiæ nostræ vel circa, in quo sepelierunt eum reverenter flexis genibus, et cum fletibus magnis, et singultibus, et suspiriis crebris, et multis. Quo sepulto, Mater iterum benedixit, amplexatur eum, et stat super dilecto filio suo; sed elevantes eam, posuerunt magnum lapidem ad ostium monumenti. De hoc monumento dicit Beda [2], quod fuit domus rotunda, de subjacente rupe excisa, tantæ altitudinis, ut vix homo manu extenta culmen posset attingere, introitum habens ab oriente : in parte vero aquilonari locus Dominici corporis de eadem petra factus est, septem pedes habens longitudinis.

CAPUT LXXXIII.

Meditatio post Completorium.

Volens autem Joseph redire in civitatem post officium sic completum, dicit Dominæ : Domina mea, ego vos deprecor propter Deum, et propter amorem filii vestri et magistri mei, si placet, ut divertatis in domum meam; scio enim, quod domum propriam non habetis; utamini mea ut vestra, quia omnia mea vestra sunt. Similiter et Nicodemus. O qualis compassio! Regina cœli non habet ubi caput suum reclinet; et hos dies lugubres et viduitatis suæ sub alieno tecto ducere oportebit. Vere dies viduitatis sunt isti, quia Dominus Jesus erat ei filius et sponsus, pater et mater, et omne bonum; et omnia simul, eo mortuo, perdidit. Vere vidua est et derelicta, et, quo divertat, non habet. Tunc ipsa se inclinans humiliter, et gratias agens, respondit se esse commissam Joanni. Quibus Joannes adhuc eam rogantibus,

[1] *Luc.*, VII, 47. — [2] Bed., *in Matth.*, c. XXVII.

(*a*) *Edit. Vat. et Ven.* Nonum.

respondit, quod volebat eam ducere in montem Sion, in domum in qua magister cœnavit heri sero cum discipulis, et ibidem stare cum ea volebat. Illi vero inclinantes se Dominæ, et adorantes sepulchrum, abierunt; et isti, ut Evangelium dicit [1], remanserunt *sedentes contra sepulcrum*. Appropinquante autem nocte, dicit Joannes Dominæ : Non est honestum hic nimis morari, vel de nocte in civitatem redire. Et ideo, si vobis placet, Domina, recedamus. Tunc Domina surgens et genuflectens sepulcrum amplexatur, benedicensque sepulcrum, dicit : Fili mi, non possum amplius stare tecum ; ego recommendo te Patri tuo. Sublevatis etiam oculis in cœlum, dicit cum lacrymis et affectu magno : Pater æterne, recommendo vobis filium, et meam animam, quam dimitto. Et recedere tunc cœperumt. Cum autem venerunt ad crucem, ibi genuflexit ipsa et adoravit crucem, dicens : Hic requievit filius meus, et hic est pretiosissimus sanguis ejus. Similiter et omnes fecerunt. Cogitare namque potes, quod ipsa prima fuit, quæ crucem adoravit. Exinde recedunt versus civitatem, et per viam sæpe vertebat retrospiciens. Cum autem fuerunt in loco, ultra quem sepulcrum et crucem amplius videre non potuerunt, vertit se, inclinavit, genuflexit, et devotissime adoravit. Similiter et omnes fecerunt. Appropinquantes ad civitatem, sorores Dominæ velaverunt eam tanquam viduam, cooperientes quasi totum vultum suum, et præcedebant; Domina autem inter Joannem et Magdalenam sequebatur mœstissime sic velata. Tunc Magdalena volens in ingressu civitatis sumere viam quæ ducit ad domum suam, et illuc eos ducere, providit (*a*) sibi ante, et dicit : Domina mea, precor vos amore magistri mei, ut eamus ad domum nostram ; et ibi melius stabimus ; scitis enim quomodo libenter veniebat ad eam; ipsa vestra est, et omnia mea vestra sunt ; rogo ut veniatis. Et hic plangere incœperunt. Domina autem tacente, et annuente versus Joannem, adhuc illa rogat Joannem. Ipse vero respondit : Decentius est, ut eamus usque ad montem Sion, et maxime, quia sic respondeamus amicis nostris, tu potius venias cum ea. Tunc Magdalena respondit : Bene scis, quod veniam cum ea quocumque ierit, et nunquam dimittam eam. Intrantibus autem illis civitatem, concurrunt undique virgines et matronæ bonæ, cum pertingere (*b*) eam potuerunt, associant eam per viam consolando, sed magnus utique fit ploratus. Sed et boni homines compatiebantur eidem, per quos transibant, et movebantur ad fletum, dicentes : Certe magna injustitia est facta hodie per principes nostros contra filium istius Dominæ, et Deus pro eo magna signa ostendit; caveant quid fecerint. Cum autem venerunt ad domum, tunc ipsa se vertens versus dominas, et gratias agens, devotissime inclinavit. Ipsæ vero inclinantes se, et genuflectentes, omnes cœperunt facere planctum magnum. Intravit ergo Domina domum, et Magdalena, et sorores suæ. Joannes vero ponens se super ostio, rogavit omnes, ut redirent ad domos suas, quia tarda hora erat, et gratias agens eis, ostium ille clausit. Tunc Domina domum circumspiciens, sic dicebat : Fili mi dulcissime, ubi es, quia hic te non video? O Joannes, ubi est filius meus? O Magdalena, ubi est pater tuus, qui te sic tenerrime diligebat? O dilectæ sorores, ubi est filius noster? Recessit a nobis gaudium nostrum, dulcedo nostra, et lumen oculorum nostrorum ; recessit autem cum magna angustia, vos audistis. Et hoc est, quod mihi magis auget dolorem, quia recessit totus laceratus, totus anxius et sitibundus, coactus, oppressus, et violentus; nec ei potuimus n aliquo sub venire ; omnes reliquerunt eum, et pater ejus omnipotens Deus noluit eum juvare : et quam cito facta sunt ista, vos vidistis. Cujus unquam vel sceleratissimi hominis fuit sic accelerata et fulminata damnatio? O fili, hac nocte captus fuisti, perfide traditus ; mane in tertia condemnatus, et in sexta crucifixus, et ita mortuus es. O fili, quam amara est separatio tua, et memoria turpissimæ mortis tuæ! Tandem Joannes rogans ut desisteret, consolatus est eam. Tu autem, si vires tuas experiaris, scies utique eis parere, servire, consolari, et confortare eam, quod parumper comedat, et alios ad comedendum confortet (*c*), quia adhuc jejuni sunt : postea benedictione a Domina et singulis aliis suscepta, discedas.

Lamentum Virginis.

CAPUT LXXXIV.

Meditatio de Domina et sociabus; de sabbato.

Mane autem sabbati, stant in domo, januis

[1] *Matth.*, XXVII, 61.

(*a*) *Cæt. edit.* prævidit. — (*b*) *Item* perpendere. — (*c*) *Edit. Vat. et Ven.* confortat.

clausis, Domina et aliæ sociæ una cum Joanne afflictæ et dolorosæ, tanquam orphanæ et plenæ mœrore, non loquentes, sed memorantes sedebant simul, aspicientes se mutuo raptim, sicut contingere consuevit magna pressura et calamitate gravatis. Pulsatum autem fuit ad ostium, et timebant, quia omnia timuerunt; securitas enim eorum discesserat. Tamen Joannes ibat ad ostium, et aspiciens cognovit Petrum, et dixit : Petrus est. Et Domina : Aperias ei. Ingreditur igitur Petrus verecunde cum singultibus magnis, et fletibus; et tunc omnes plorare cœperunt, nec verbum loqui poterant præ mœrore. Postea veniunt successim et alii discipuli etiam plorantes. Tandem cessantes a fletu, incipiunt de Domino suo loqui. Dicit ergo Petrus : Ego verecundor in meipso, nec deberem in conspectu vestro loqui, vel hominibus apparere, quia Dominum meum, qui me tantum diligebat, sic reliqui et negavi. Similiter et alii cum percussione palmarum, lacrymarumque effusione, seipsos redarguebant, quia Dominum suum dulcissimum sic reliquerant. Tunc dicit Domina : Magister bonus et pastor fidelis recessit a nobis, et nos remanemus velut orphani; sed spero firmiter, quod cito rehabebimus ipsum : et vos scitis, quia benignus est filius meus, et vos multum diligebat. Non dubitetis, quia bene reconciliabitur, et libenter remittet omnem offensam, sive culpam. Tantus autem fuit, permissione Patris, furor contra eum, et ita prævaluit malorum audacia, quod non potuissetis eum juvare, etiam existentes cum eo : et ideo nolite turbari. Respondit Petrus : Vere, Domina mea, ita est, ut dicis; nam et ego, qui tantum initia vidi, tanto fui timore perculsus (*a*) in atrio Caiphæ, quod vix credebam me posse evadere, et eum negavi. Nec fui memor verborum, quibus hoc prædixerat mihi, quousque me respexerit (*b*). Tunc Magdalena quærit quid ei prædixerat; et respondit de negatione, et narrat ei totum, et addidit, quod eis alia plura dixit in cœna de passione sua. Tunc dicit Domina : Vellem audire de his quæ dicta et facta fuerunt in cœna per eum. Et Petrus annuit Joanni, ut ipse referat. Joannes vero incipit et narrat totum; et sic tam de his quam aliis, quæ fecerat Dominus Jesus cum eis, narrant ad invicem, modo unus, modo alius, sicque totam diem de ipso sermonizando percurrunt. O quam attente auscultabat Magdalena, sed multum attentius ipsa Domina! O quoties in ipsa die dicebat in narratione gestorum : Benedictus sit filius meus Jesus! Intuere ergo eos diligenter, et compatere, quia sunt in afflictione magna, imo permaxima hodie constituti. Quid enim est videre, quod Domina cœli et terræ, et Princeps Ecclesiarum et omnium populorum, et duces totius divini exercitus, sic timorosi stant reclusi in domuncula quadam, nescientes quid facere debeant, nisi quod se confortant, conferentes de factis et verbis dulcissimi Domini sui? Domina tamen stabat mente tranquilla et pacata, quia certissimam spem habebat de resurrectione filii sui, et in ea sola remansit fides in ipsa die sabbati : et propterea dies sabbati attribuitur ei. Non tamen poterat ipsa Domina gaudenter stare, propter mortem filii sui dulcissimi Jesu Christi. Sero autem facto, post solis occasum, cum licuit operari, Maria Magdalena et altera Maria iverunt emere aromata pro faciendis unguentis. Sero etiam præcedenti cum redierant a sepultura Domini, cœperunt parare usque ad solis occasum; postea siluerunt. Nam sabbatum observare oportebat a solis occasu, die Veneris, usque ad alium occasum. Nunc ergo vadunt emere aromata. Intuere tu illas diligenter, incedentes mœstis vultibus, more viduarum, et se applicantes ad aliquam apothecam alicujus forte devoti domini, eis compatientis, et libenter satisfacientis voluntati earum. Ipsæ vero postulant aromata, et eligunt quantum possunt meliora, et pretio soluto redeunt, parantes se ad facienda unguenta Domino suo. Conspice ergo diligenter, quomodo humiliter, devote et fideliter laborant pro Domino suo, cum lacrymis magnis et suspiriis intimis. Domina vero et apostoli aspiciunt, et forte adjuvant; quibus factis, nocte siluerunt. Et hæc quidem est meditatio die Sabbati de Domina, sociabus, et discipulis.

Quare dies sabbati attribuitur B. Virgini.

Observatio Sabbati.

(*a*) *Cæt. edit.* percussus. — (*b*) respexerat.

SABBATO DIE.

CAPUT LXXXV.

Meditatio de Domino Jesu, die sabbati descendente in infernum.

Venit etiam hoc in considerationem nunc, quid scilicet fecerit Dominus ipsa die sabbati. Statim cum mortuus fuerat, descendit ad inferos ad sanctos patres, et stabat cum eis. Et tunc

fuerunt in gloria : nam visio Domini gloria est perfecta. Considera hic ergo, et attende quanta fuerit ejus benignitas in infernum descendere, quanta charitas, quantaque humilitas. Poterat enim unum angelum ad eos mittere, et omnes servos suos liberare, et sibi præsentari ubi voluit; sed hoc non sustinuisset amor suus infinitus, et humilitas sua. Per semetipsum ergo descendit, et non ut servos, sed et ut amicos visitaret Dominus omnium; et stetit cum eis ibidem usque ad diem dominicam, prope auroram. Cogita bene de his, et admirare, et imitari coneris. Jubilaverunt autem sancti patres in suo adventu, et repleti sunt jucunditate immensa, omni displicentia procul expulsa; et stabant in laudibus et canticis coram eo, quas laudes potes hoc modo meditari : imaginando eos, ac si essent cum corporibus suis, sicut post resurrectionem erunt; similiter et animam illam benignissimam Domini nostri Jesu Christi. Cum ergo præsenserunt ejus saluberrimum adventum, occurrerunt ei gaudenter, seipsos exhortantes, atque dicentes [1] : *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit*, etc. [2] *Levate capita vestra, quia ecce venit redemptio vestra.* [3] *Consurge, consurge, Hierusalem, solve vincula colli tui*; ecce Salvator venit solvere nos a vinculis. [4] *Tollite* (*a*) *portas, Principes, vestras; et elevamini, portæ æternales, et introibit Rex gloriæ.* [5] *Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi,* amantissime Deus noster. [6] *Et procidentes adoraverunt eum*, cum gaudio et lætitia magna. Ipsos autem considera, quia cum reverentia, et ingenti exultatione, et vultibus jucundis astant (*b*) ei, et dicunt prædicta coram eo, et in hujusmodi laudibus, et canticis, et jubilationibus steterunt in limbo, usque prope auroram diei dominici, in conspectu etiam multitudinis angelorum ibidem existentium, et cum eis jubilantium. Tunc accepit eos Dominus educens ab inferis in exultatione; et ante eos gloriose procedens, posuit ipsos in paradiso deliciarum. Aliqua vero morula facta, cum eis jucunde, et cum Elia et Enoch eum recognoscentibus, dixit eis : Tempus est ut excitem corpus meum; vadam, et reassumam illud. Qui omnes procidentes, dixerunt : Ite, Domine, Rex gloriæ, et cito redite, si placet : quia gloriosissimum corpus vestrum videre plurimum affectamus.

Habes ergo, quæ circa Dominum Jesum, et matrem ejus, et discipulos, et sanctos patres meditari possis in die sabbati, ante resurrectionem. Verum quia totam passionem Domini tibi sine auctoritatum interpositione transcurri, ne animus ad aliud quam ad ipsam passionem se converteret, cogitavi vel nunc auctoritates aliquas tibi referre, ut earum lectio mentem excitet ad ipsa ferventius et devotius meditanda. Accipe ergo Bernardum more solito, in quibusdam sententiis, sic dicentem : « Jesu Christo debes totam vitam tuam, quia ipse vitam suam posuit pro vita tua, et cruciatus amaros sustinuit, ne tu perpetuo sustineres. Si enim conferrentur in me omnes dies filiorum Adæ, et omnes dies sæculi, et labores omnium hominum, qui fuerunt, et qui sunt, et qui erunt, nihil esset ad comparationem illius corporis, quod spectabile et stupendum est virtutibus etiam supernis, in conceptu de Spiritu sancto, in ortu de virgine, in vitæ innocentia, in doctrinæ affluentia, in coruscatione miraculorum, in revelationibus sacramentorum. Sicut igitur exaltantur cœli a terra, ita exaltata est vita sua a vita nostra, quæ tamen posita est. Et sicut nihil ad aliquid nullam habet comparationem, ita vita nostra nullam habet ad vitam illius proportionem; cum illa dignior, ista miserior esse non possit. Cum ergo devovero quidquid possum, non est sicuti stella ad solem, gutta ad flumen, lapis ad montem, granum ad acervum. » Idem [7] : « Non simplex aut modica Christi exinanitio fuit; sed seipsum exinanivit usque ad carnem, ad mortem, ad crucem. Quis digne penset, quantæ fuerit humilitatis, mansuetudinis, dignationis, Deum majestatis carne indui, mulctari morte, turpari cruce? Sed dicit aliquis : Non valuit opus suum reparare Creator absque ista difficultate? Valuit, sed maluit cum injuria sui : ne pessimum atque odiosissimum vitium ingratitudinis occasionem ultra reperiret in homine. Sane multum fatigationis assumpsit, quo multæ dilectionis hominem debitorem teneret, commoveretque ad gratiarum actiones difficultas redemptionis, quem minus devotum esse fecerat conditionis facilitas. Quid enim dicebat homo creatus et ingratus? Gratis quidem conditus sum; sed nullo Conditoris gravamine, vel labore; siquidem [8] *dixit, et factus* sum, quemadmodum et universa. Et infra : « Sed [9]

[1] *Luc.*, I, 68. — [2] *Luc.*, XXI, 28. — [3] *Isa.*, LII, 2. — [4] *Psal.* XXIII, 7, 9. — [5] Offic. Invent. S. Crucis. — [6] *Matth.*, II, 11. — [7] Bern., *super Cant.*, serm. XI, n. 7. — [8] *Psal.* CXLVIII, 5. — [9] *Psal.* LXII, 12.

(*a*) Vulg. *Attollite* — (*b*) *Cæt. edit.* stant.

obstructum est os loquentium iniqua. Luce clarius patet, quantum modo, o homo, pro te dispendium fecit. De Domino servus, de divite pauper, caro de Verbo, et de Dei Filio, hominis fieri filius non despexit. Memento jam te, etsi de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, et te inter omnia. At vero per totos triginta annos [1] *operatus est salutem* nostram *in medio terræ.* O quantum laboravit sustinens! Carnis necessitates, hostis tentationes, nonne sibi crucis aggravavit ignominia (*a*), mortis sibi accumulavit horrore (*b*)? » Idem [2] : « Super omnia reddit amabilem te mihi, Jesu bone, calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis. Hoc omnino amorem nostrum facile vendicat totum sibi. Hoc, inquam, est, quod nostram devotionem et blandius allicit, et justius exigit, et arctius stringit, et afficit vehementius. Multum quippe laboravit in eo Salvator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis auctor assumpsit. Illa denique *dixit, et facta sunt, mandavit, et creata sunt.* At vero hic (*c*) et in dictis suis sustinuit contradictores, et in factis observatores, et in tormentis illusores, et in morte exprobratores. » Idem [3] : « Ad cumulum pietatis tradidit Christus in mortem animam suam, et de proprio latere protulit pretium satisfactionis, quo placaret Patrem; per quod plane ad se versiculum illum traxit [4] : *Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.* Prorsus copiosa, quia non gutta, sed unda sanguinis largiter per quinque partes corporis emanavit. [5] Quid tibi debuit facere, et non fecit? Illuminavit cæcum, solvit vinctum, reduxit erroneum, reconciliavit reum. Quis non post illum libenter alacriterque currat, qui et ab errore liberat, et errata dissimulat; qui deinde vivendo merita tradit, præmia moriendo conquirit? Quam excusationem habet, qui in odore horum unguentorum non currit, nisi ad quem forte minime odor pervenit? Sed enim in omnem terram exivit odor vitæ : quoniam [6] *misericordia Domini plena est terra, et miserationes ejus super omnia opera ejus.* Ergo qui vitalem hanc sparsam ubique fragrantiam non sentit, et ob hoc non currit, aut mortuus est, aut putidus. » Idem [7] : « Non erubescit sponsa nigredinem, quam novit præcessisse in sponso; cui similari quantæ etiam gloriæ est! Nil sibi (*d*) proinde gloriosius est, quam Christi portare opprobrium. Unde vox illa prorsus exultationis et salutis [8] : *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Grata ignominia crucis ei, qui crucifixo ingratus (*e*) non est. Nigredo est, sed forma et similitudo Domini. Vade ad sanctum Isaiam, et describet tibi qualem illum in spiritu viderat. Quem namque alium dixit [9] *virum doloris et scientem infirmitatem*, et quia *non erat ei species neque decor?* Et addidit : *Nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, et livore ejus sanati sumus.* » Et infra [10] : « Denique seipsum fecit peccatum, et nigrum dicere verear? Intuere sane pannis sordidum, plagis lividum, illitum sputis, pallidum morte. » Idem [11] : « Quid nisi (*f*) deforme, et nigrum oculis spectantium occurrebat, (*g*) cum expansis in cruce manibus, medius duorum nequam, risum malignantibus daret, fletum fidelibus, et solus erat risui, qui solus poterat esse terrori, solus honori esse debuerat? » Idem [12] : « [13] *Petra refugium herinaciis*; et ubi tuta firmaque infirmis requies, nisi in vulneribus Salvatoris? Tanto illic (*h*) securior habito, quanto ille potentior est ad salvandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur : non cado; fundatus enim sum supra firmam petram. Peccavi peccatum grande, turbabitur conscientia, sed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor. Nempe [14] *vulneratus est propter iniquitates nostras.* Quid tam ad mortem, quod non Christi morte salvetur (*i*)? » Et infra [15] : « Clamat clavus, clamat vulnus, quod vere Deus sit in Christo, mundum reconcilians sibi; ferrum pertransiit animam ejus, et appropinquavit cordi, ut non jam nesciat compati infirmitatibus nostris. Patet arcanum cordis per foramina corporis; patet illud magnum (*j*) sacramentum; patent [16] *viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.* Quidni viscera per vulnera pateant? In quo enim clarius

[1] *Psal.* LXXIII, 12. — [2] Bern., *super Cant.*, serm. XX, n. 2. — [3] Ibid., serm., XXII, n. 7. — [4] *Psal.* CXXIX, 7. — [5] Bern., ibid., n. 8. — [6] *Psal.* XXXII, 5. — [7] Bern., *super Cant.*, serm. XXV, n. 8. — [8] *Gal.*, VI, 14. — [9] *Isa.*, LIII, 3 et seq. — [10] Bern., ibid., n. 9. — [11] Ibid., serm. XXVIII, n. 4. — [12] Ibid., serm. LXI, n. 3. — [13] *Psal.* CIII, 18. — [14] *Isa.*, LIII, 5. — [15] Bern., ibid., n. 4. — [16] *Luc.*, I, 78.

(*a*) *Cæt. edit.* ignominiam. — (*b*) *Cæt. edit.* horrorem. — (*c*) *Item* hoc. — (*d*) *Item* ergo. — (*e*) *Item* purgatus. — (*f*) *Item* enim magis. — (*g*) *Cæt. edit. add.* quam. — (*h*) *Cæt. edit.* illuc. — (*i*) *Mabill.* solvatur. — (*j*) *Suppl.* pietatis.

quam in vulneribus tuis eluxisset, quod tu, Domine, suavis et mitis es et multæ misericordiæ? *Majorem* enim [1] *miserationem* (*a*) *nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro* addictis morti et damnatis.

Ait etiam alibi Bernardus: « Meditare passionem crucifixi corporis, et vide si aliquid est in eo, quod non peroret ad Patrem. Pro te divinum illud caput, multiplici spinarum densitate densatum, usque ad cerebri teneritudinem confixum est, dum configitur spina. Spinis peccatorum suorum, ait Dominus per Prophetam, circumdedit me populus iste. Ne doleret caput tuum, ne tua vulneretur intentio, caligaverunt in mortem oculi sui, et illa luminaria, quæ illuminant orbem, ad horam extincta sunt. Nonne, illis obtenebrantibus, tenebræ factæ sunt super omnem terram, et illa duo magna luminaria cum aliis luminaribus submota sunt? Hoc autem totum factum est, ut avertantur (*b*) oculi tui, ne videant vanitatem, et si viderent, non attraherentur. Aures illæ quæ in cœlis audiunt [2]: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*; audiunt in terris [3]: *Dæmonium habes*, et [4]: *Crucifige eum, crucifige eum.* Ut quid illud? ne aures tuæ obsurdescerent ad clamorem pauperis, ne reciperent auditum vanum, ne detractionis virus susciperent. Speciosa illa facies, speciosa forma præ filiis hominum, sputis illita, afflicta colaphis, addicta delusionibus est. Sic namque scriptum est [5]: *Cœperunt conspuere in eum, et percutere faciem ejus, et illudere ei, dicentes: Prophetiza, quis est qui te percussit.* Quare hoc? ut facies tua illuminaretur, illuminata confirmaretur, et diceretur de te [6]: *Vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati.* Os illud quod docet angelos, et homines instruxit, quod dixit, et factum est, felle potatum est et aceto; sed hoc factum est, ut veritatem et judicium loqueretur os tuum, et confiteretur Dominum Deum suum. Manus illæ, quæ fundaverunt cœlos, extensæ sunt in cruce, clavisque verberatæ durissimis, ut manus tuæ extenderentur ad inopem, et dicere posses cum Psalmista [7]: *Anima mea in manibus meis semper.* Quod tenemus in manibus, non de facili obliviscimur; sic et qui animam suam bonæ operationi imprimit, non tradidit eam oblivioni. Pectus illud, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi, lancea militari perfossum est, ut pectus tuum a pravis cogitationibus mundaretur, mundatum sanctificaretur, conservaretur sanctificatum. Pedes illi, quorum scabellum adorare debemus, quia sanctum est, dura transfixione confossi sunt, vel confixi, ne pedes tui festinarent ad malum, sed currerent ad viam mandatorum Domini. Quid plura? [8] *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.* Pro te carnem et animam suam posuit; ut corpus et spiritum tuum sibi vendicaret, toto se totum recuperavit. » Idem [9]: « Expergiscere nunc, anima mea, et excutere de pulvere, et contemplare virum hunc memorabilem, quem in speculo evangelici sermonis quasi præsentem intuearis. Attende, anima mea, quis est ille, qui ingreditur habens imaginem Regis, et nihilominus servi despectissimi confusione repletus. Coronatus incedit; sed ipsa ejus corona etiam cruciatus est illi, et mille puncturis speciosum ejus caput divulneratur. Regali purpura induitur; sed potius in ea (*c*) despicitur, quam honoratur. Sceptrum in manu gestat; sed eo ipso reverendum ejus caput feritur. Adorant coram ipso positis in terra genibus, et Regem conclamant; et continuo ad conspuendum amabiles ejus genas subsiliunt. Maxillas palmis concutiunt, et honorabile collum inhonorant. Vide, anima mea, quomodo vir ille per omnia coarctatur, et spernitur. Sub crucis onere dorsum incurvare jubetur, et suam portare ignominiam ad locum deductus supplicii, myrrha potatur et felle. In cruce sublevatur, et dicit [10]: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Qualis est hic, qui omnibus pressuris suis nec semel os suum aperuit, ut aliquid querelæ aut excusationis, aut comminationis, aut maledictionis, adversus maledictos canes illos proferret; sed novissime verbum benedictionis super inimicos (*d*) suos, quale a sæculo non est auditum, effudit? Quid hoc viro mansuetius, quid benignius, anima mea, vidisti? Adhuc autem attentius illum intuere, quam grandi admiratione et tenerrima compassione dignus appareat. Vide nudum et verberibus laceratum in medio latronum, cruci ignominiose ferreis clavis affixum, aceto in cruce potatum, et post mortem lancea in latere vulneratum, et copiosos san-

[1] *Joan.*, XV, 13. — [2] *Isa.*, VI, 3. — [3] *Joan.*, VIII, 48. — [4] *Luc.*, XXIII, 21. — [5] *Marc.*, XIV, 65 et seq. — [6] I *Reg.*, I, 18. — [7] *Psal.* CXVIII, 109. — [8] *Psal.* XXI, 17. — [9] Quæ sequuntur usque in fin. capitis, sunt Anselm., *Medit.* IX, col. 755, edit. Migne. — [10] *Luc.*, XXIII, 34. — (*a*) Vulg. *dilectionem.* — (*b*) *Cæt. edit.* avertant. — (*c*) *Item* eo. — (*d*) *Item* injustos.

guinis rivos, ex quinque vulneribus manuum, pedum, et lateris effundentem. Fletum deducite, oculi mei, et liquesce, anima mea, igne compassionis super contritione amabilis viri hujus, quem in tanta mansuetudine, tot vides afflictum doloribus. » Idem [1] : «Respice, Domine sancte Pater, de sanctuario, et de excelso cœlorum habitaculo, et intuere hanc sacrosanctam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster, sanctus puer tuus Dominus Jesus Christus pro peccatis fratrum suorum : et esto placabilis super multitudine malitiæ nostræ. Ecce vox sanguinis fratris nostri Jesu clamat ad te de cruce. [2] Ecce gloria et honore coronatus (*a*) in dextera majestatis tuæ astat vultui tuo pro nobis : *caro enim* [3] *et frater noster est.* » Idem [4] : « Respice, Domine, in faciem Christi tui, qui tibi obediens usque ad mortem factus est, nec recedant ab oculis tuis cicatrices ejus in perpetuum, ut memineris quantam ab eo pro peccatis nostris satisfactionem receperis. *Utinam,* Domine [5], *appendantur in statera* peccata, quibus iram meruimus, et calamitas, quam pro nobis passus est innocens filius tuus! Certe hæc (*b*) gravior apparebit, et hæc (*b*) magis digna (*c*), ut propter ipsam effundas super nos misericordiam tuam, quam sint illa, ut (*d*) pro peccatis nostris contineas in ira misericordias tuas. Gratias tibi, Domine Pater, referat omnis lingua super abundantia bonitatis tuæ, qui unico filio cordis tui non pepercisti, sed pro nobis illum tradidisti in mortem, ut tantum tamque fidelem Advocatum haberemus in cœlis coram te. » Idem [6] : « Et tibi, Domine Jesu, fortissime zelotes, quid gratiarum, quid retributionis digne retribuam ego homo, pulvis et cinis, et vile figmentum ? Quid enim pro mea salute facere debuisti, et non fecisti ? Ab imo pedis usque ad summum verticis, totum in aquas passionum te demersisti, ut me totum de illis extraheres, et [7] *intraverunt aquæ usque ad animam* tuam : nam et animam tuam in mortem perdidisti, ut meam perditam mihi redderes. Ecce me duplici debito obligasti; nam et pro eo quod dedisti, et pro eo quod mei causa perdidisti, debitor tibi sum, et pro mea quidem vita bis a te mihi data, semel in creatione, semel in redemptione; quid magis juste tibi reddam, quam ipsam, non habeo. Pro tua autem pretiosa anima ita conturbata, quid ab homine digne rependi possit, non invenio. Nam et si cœlum, et terram, et omnem ornatum eorum, pro ea possem rependere, certe usque ad mensuram debiti nullatenus attingere possem. Ut autem idipsum, quod et debeo, et possibile mihi est, retribuam tibi, tui, Domine, muneris est. Diligendus es mihi toto corde, tota mente, tota anima, tota virtute, et tua mihi sequenda vestigia, qui pro me mori dignatus es; et quomodo fiet illud in me, nisi per te ? Adhæret anima mea post te, quia tota virtus ejus pendet ex te. » Hucusque Bernardus. Habes igitur a beato Bernardo more suo mellifluo eructantem de Domini passione melliflua et pulcherrima. Videas ne in vacuum ea recipias. Sed toto corde, totoque affectu ipsius auctoritatibus incitata in Domine passione verseris, quia ipsius meditatio, super omnes alias, quæ de vita ipsius occurrere possunt, noscitur eminere. De cætero ad resurrectionem ipsius Domini Jesu accedamus.

[1] Anselm., ibid., col. 756. — [2] Ibid., col. 757. — [3] *Gen.*, XXXVII, 27. — [4] Anselm., ibid., 5. — [5] *Job*, XXXI, 6. — [6] Anselm., ibid., XV. — [7] *Psal.* LXVIII, 1. —

CAPUT LXXXVI.

De resurrectione Domini, et quomodo primo apparuit Matri dominica die.

Veniens Dominus Jesus cum honorabili multitudine angelorum ad monumentum die dominico summo mane, et reaccipiens corpus istud sanctissimum, et ipso monumento clauso, processit propria virtute resurgendo. Eadem autem hora, scilicet summo mane, Maria Magdalene, et Jacobi, et Salome, licentia petita prius a Domina, cœperunt ire cum unguentis ad monumentum. Domina autem domi remansit, et orabat, dicens : Pater clementissime, Pater piissime, sicut scitis, mortuus est filius meus, inter duos latrones cruci fuit affixus, et ego eum sepelivi manibus meis : sed potens estis, Domine, eum mihi restituere incolumem. Rogo majestatem vestram, ut eum mihi reddatis. Quare tardat tantum ad me venire ? Remittite, obsecro, eum mihi, quia non quiescit anima mea, nisi videam ipsum. O fili mi dulcissime, quid est de te ? quid agis? quid moram contrahis? Rogo te, ne amplius differas venire ad me; tu enim dixisti [8] : *Tertia die resurgam.* Nonne, fili mi, est hodie tertia dies? Non heri, sed prius heri, id est, nudiustertius, fuit dies illa magna, et amara

Tres Mariæ cum unguentis vadunt ad monumentum

[8] *Matth.*, XXVII, 63. — (*a*) *Cæt. edit.* sum. In. — (*b*) *Item* hoc. — (*c*) *Item* digne. — (*d*) *Item* quantum fuit illa, ne.

valde, dies calamitatis et mortis, tenebrarum et caliginis, separationis et mortis tuæ. Ergo, fili mi, est hodie tertia dies. Exurge ergo, gloria mea, et omne bonum meum, et redi. Super omnia desidero te videre. Consoletur me tuus reditus, quam sic contristavit discessus. Revertere ergo, dilecte mi; veni, Domine Jesu, veni spes mea unica, veni ad me, fili mi. Illa ergo sic orante, et lacrymas dulciter emittente, ecce subito Dominus Jesus venit in vestibus albissimis, vultu sereno, speciosus, gloriosus et gaudens, et dixit ei quasi ex latere : Salve, sancta parens. At illa statim se vertens : Es tu, inquit, filius meus Jesus? Et genuflexit adorans. Cui filius : Mater mea dulcissima, ego sum, resurrexi, et adhuc tecum sum. Eis autem surgentibus, ipsa cum lacrymis præ gaudio amplexans eum, et vultum vultui applicans fortiter stringebat, requiescens totaliter super eum, et eam alacriter sustentabat. Postea consedentibus eis pariter, diligenter et curiose intuetur eumdem in vultu et cicatricibus manuum, et per totum quærens, si omnis dolor ab eo discesserat. Et ille : Reverenda mater, omnis a me dolor abscessit, et mortem, et dolorem, et omnes angustias superavi, nec de cætero inde aliquid sentiam. Et illa : Benedictus sit Pater tuus, qui te mihi reddidit; exaltatum, et laudatum sit nomen ejus, et magnificatum in sæcula. Stant ergo et colloquuntur ad invicem gaudentes, et Pascha ducentes delectabiliter et amanter. Et narrat ei Dominus Jesus, qualiter populum suum liberavit de inferno, et omnia quæ fecit in isto triduo. Ecce nunc ergo magnum Pascha.

CAPUT LXXXVII.

Quomodo Magdalena, et aliæ duæ Mariæ venerunt ad monumentum, et de cursu Petri et Joannis.

Magdalena vero, et aliæ duæ Mariæ ibant, ut dixi, ad monumentum cum unguentis. Dum ergo fuerunt extra portam civitatis, revocabant ad memoriam afflictiones et pœnas Magistri sui, et in omnibus locis, in quibus aliquid notabiliter contra ipsum, vel per ipsum factum fuerat, aliquantulum subsistebant, genuflectentes, et osculantes terram, gemitus et suspiria dantes, et dicentes : Hic obviavimus ei cum cruce super collo, quando Mater ejus semimortua est : hic se vertit ad mulieres : hic crucem deposuit fatigatus, et super isto lapide se appodiavit parumper : hic sic crudeliter et fortiter impulerunt eum, ut velocius ambularet, et quasi eum currere coegerunt : hic spoliaverunt eum, et totum nudum fecerunt; hic eum crucis patibulo affixerunt. Et tunc cum magno clamore, et inundatione lacrymarum, procidentes in facies suas adoraverunt crucem, et osculatæ sunt eam, pretioso adhuc Domini sanguine rubricatam. Deinde surgentes, et euntes versus sepulcrum, dicebant : Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et aspicientes, viderunt revolutum lapidem, et angelum Domini sedentem super eum, qui dicit eis [1] : *Nolite timere*, etc., ut in Evangelio continetur. Illæ autem fraudatæ spe sua, quia putabant corpus Domini invenire, non attendentes ad verba angeli, conterritæ redeunt ad discipulos, dicentes, corpus Domini esse sublatum. Tunc ergo [2] Petrus et Joannes concurrerunt ad monumentum. Conspice bene eos : currunt ipsi, currunt Magdalena et sociæ post eos, omnes currunt ad quærendum Dominum suum, cor suum et animam suam; currunt multum fideliter, multumque ferventer, multumque anxie. Cum autem pervenerunt ad monumentum, respicientes in ipso non invenerunt corpus, sed viderunt linteamina et sudarium, et recesserunt. Compatere ipsis, quia in afflictione magna sunt. Quærunt Dominum suum, et non inveniunt, et nesciunt ubi amplius quærere debeant : ergo dolentes et flentes discesserunt.

CAPUT LXXXVIII.

Quod Dominus apparuit tribus Mariis.

Mariæ autem remanserunt ibidem, et respicientes in monumentum, viderunt duos angelos, stantes in albis, qui dicunt eis [3] : *Quem quæritis, viventem cum mortuis?* Illæ autem nec tunc attenderunt ad verba eorum, nec aliquam consolationem acceperunt de visione angelorum, quia non quærebant angelos, sed Dominum angelorum. Iterum duæ Mariæ conterritæ, et quasi absorptæ, elongaverunt se inde aliquantulum, et sedebant dolentes. Magdalena vero nesciens quid aliud facere deberet, et quia sine Magistro suo vivere non poterat, et ibi eum non inveniebat, et ubi eum quæreret, ignorabat [4], *stabat ad monumentum foris plorans.* Iterum ergo respiciens in monumentum, quia semper sperabat ibi eum revidere, ubi eum

[1] *Matth.*, XXVIII, 5. — [2] *Joan.*, XX, 2 et seq. — [3] *Luc.*, XXIV, 5. — [4] *Joan.*, XX, 11 et seq.

sepelierat, vidit ipsos angelos sedentes, qui dicunt ei : *Mulier, quid ploras? quem quæris?* Et illa : *Tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum.* Vide mirabilem operationem amoris : paulo ante audierat ab uno angelo, quod resurrexerat, et postea a duobus quia vivebat; et non recordabatur, sed dicit : *Nescio.* Amor hoc faciebat, quia, ut dicit hic Origenes [1], anima sua non erat ubi ipsa erat, sed ibi erat, ubi Magister suus erat. Nesciebat cogitare, loqui nec audire, nisi de ipso. Cum autem ista sic ploraret, nec de angelis aliquid curaret, amore suo Magister suus non poterat amplius se tenere. Dominus ergo Jesus refert hoc matri, et dicit quod vult ire ad consolandum eam; quæ hoc multum acceptat, et dicit : Fili mi benedicte, vade in pace, et consoleris eam, quia multum te diligit, et de tua morte multum doluit; et memento redire ad me, et amplexans dimisit eum. Venit ergo ad monumentum in horto ubi erat Magdalena, et dicit ei : *Mulier, quem quæris? quid ploras?* Et illa eum non cognoscens adhuc ut ebria, respondit, dicens : *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum; et ego eum tollam.* Conspice bene eam, quomodo lacrymabili vultu, suppliciter et devote eum exorat, ut doceat eam illum, quem quærit : semper enim sperabat audire aliqua nova de suo dilecto. Tunc Dominus ad eam dixit : *Maria.* Ipsa vero quasi reviviscens, et cognoscens eum ad vocem, indicibili gaudio dixit : *Rabbi*, id est, Magister, Dominus vos estis, quem quærebam; quare tamdiu vos mihi celastis? Et currens ad pedes osculari volebat. Dominus vero volens animum suum elevare ad cœlestia, ut non quæreret eum amodo in terra, dixit : *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum; sed dic fratribus meis : Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum*, etc. Et addidit : Nonne prædixi tibi, quod tertia die resurgerem? quomodo igitur me in sepulcro quærebas? Et illa : Dico vobis, Magister, quod tantus dolor de acerbitate passionis et mortis vestræ cor meum repleverat, quod omnium oblita, de nihilo recordabar, nisi de corpore vestro mortuo, et de loco, ubi sepeliveram ipsum : et ideo unguentum hoc mane detuleram. Benedicta sit magnificentia vestra, quæ resurgere et ad nos redire dignata est. Stant ergo simul dilecti cum jucunditate et gaudio magno. Ipsa vero curiose aspicit eum, et interrogat de singulis, et responsum alacritatis recipit. Nunc ergo et hic est magnum Pascha. Licet autem sic a principio Dominus ei responderet, vix credere possum, quin eum familiariter tangeret, antequam inde discederet, osculando pedes et manus. Sed dispensative sic fecit a principio, vel quia talem se (*a*) ostendebat, qualis erat in corde suo, secundum communem expositionem; vel quia, ut dixi, volebat animum suum erigere ad cœlestia, secundum quod Bernardus innuere videtur. Pie namque credi potest, quod quam sic amanter et singulariter, ante omnes qui scripti reperiuntur, visitabat, ad lætificandam eam, non turbandam faciebat. Mysterialiter ergo, non pertinaciter dixit illud verbum : quia non pertinax, neque durus, benignissimus Dominus est, et maxime diligentibus se. Post aliqualem vero morulam discessit Dominus dicens, quia et alios oporteret eum visitare. Tunc Magdalena, quasi alterata, sicut nolens ab eo unquam discedere, dicit : Domine, ut video, vestra conversatio non erit amodo nobiscum, sicut consueverat; rogo ne obliviscamini mei. Mementote, Domine, tot bonorum, quot mihi contulistis, et familiaritatis et dilectionis, quam habuistis ad me, et recordamini mei, Domine Deus meus. Et Dominus ad eam : Noli timere; confide et constans esto, quia semper ero tecum. Tunc ipsa benedictione ab eo recepta, et Christo discedente, venit ad socias, et nuntiat hoc eis. Illæ vero de resurrectione Domini gaudentes, sed quod non viderant eum dolentes, recedunt cum ea. Cum ergo istæ tres Mariæ insimul pergerent, antequam venirent ad civitatem, apparuit eis Dominus Jesus dicens [2] : *Avete.* Illæ vero ultra quam dici posset exhilaratæ, *procidentes tenuerunt pedes ejus.* Hic ergo similiter et quærunt et aspiciunt, et responsum jucunditatis accipiunt, et faciunt magnum Pascha. Dicit autem eis Dominus Jesus : *Dicite fratribus meis, ut veniant in Galilæam; ibi me videbunt, sicut prædixi eis.* Vides, quod Magister humilitatis vocat discipulos suos *fratres;* numquid hanc virtutem dimisit? Tu autem si in prædictis vis intelligentiam et consolationem habere, recordare de his, quæ superius tibi dixi, ut scilicet in omnibus locis et factis ita sis animo, ac si præsens esses corpore. Et idem de infra dicendis.

Dominus apparuit Mariæ Magdalenæ in horto.

[1] Orig., hom. x. — [2] *Matth.*, XXVIII, 9 et seq.

(*a*) *Forte leg.* non.

CAPUT LXXXIX.

Quod Dominus apparuit Joseph, Jacobo minori, et Petro.

Discedens ergo Dominus Jesus ab eis, apparuit Joseph, qui eum sepelierat. Captus enim erat propterea a Judæis, et reclusus in quodam cubiculo diligenter sigillato, et post sabbatum eum interficere volebant. Apparuit ergo ei Dominus Jesus, et faciem ejus extersit; et osculum dedit, et inde salvis sigillis in propriam domum reportavit. Apparuit etiam Dominus Jesus [1] Jacobo minori, qui voverat se non comesturum, nisi videret Dominum resuscitatum. Dixit ergo ei, et his qui cum eo erant : Ponite mensam. Deinde panem accipiens, benedixit, et dedit ei, dicens : Comede, dilecte frater mi, quia filius hominis resurrexit a mortuis. Ista vero refert Hieronymus[2]. Cum autem Magdalena et sociæ redeunt domum, et narrant discipulis resurrexisse Dominum, Petrus mœrens quod Dominum suum non viderat, nec quiescere valens propter amoris vehementiam, discessit ab eis, et solus ibat versus sepulcrum : nesciebat enim, ubi eum alibi quæreret. Dum ergo pergeret, Dominus Jesus apparuit ei, dicens : Pax tibi, Simon. Tunc Petrus percutiens pectus suum, et procidens in terram cum lacrymis, dixit : Domine, dico meam culpam, quia te dereliqui, et pluries negavi. Et osculatus est pedes ejus. Dominus autem ipsum erigens, osculatus est eum, dicens : Pax tibi, noli timere, omnia peccata sunt tibi dimissa : ego bene sciebam, et prædixi tibi. Nunc ergo vade, et confirma fratres tuos, et confide, quia mortem, et omnes inimicos vestros et adversarios devici. Hic ergo similiter fit magnum Pascha. Stant et colloquuntur ad invicem, et diligenter Petrus aspicit eum, et singula notat. Benedictione vero accepta, rediens ad Dominam et ad discipulos, omnia narravit. Scire autem debes quod de apparitione facta Dominæ nihil continetur in Evangelio : ideo autem ipsam posui, et ante præmisi, quia de ipsa videtur tenere Ecclesia, ut in legenda de resurrectione Domini plenius habetur.

[1] I *Cor.*, XV, 7. — [2] Hieron, *de Scriptor. eccles.*, in *Jacobo*. — [3] Hæc, et quæ sequuntur, pleraque desumpta sunt ex Officio liturgico, tum Circumcisionis Domini, tum diei Paschæ.

CAPUT XC.

De reditu Domini ad sanctos Patres post resurrectionem.

Dominus ergo Jesus cum discessit a Petro, quia nondum visitaverat sanctos patres post resurrectionem suam, quos in Paradiso deliciarum dimiserat, rediit ad eos, procedens in stola candida cum multitudine angelorum. Quem ipsi in tanta gloria conspicientes a longe, cum indicibili exultatione et jubilo, canticis et laudibus, suscipiunt eum, dicentes : Ecce Rex noster; venite, occurramus Salvatori nostro. [3] Magnum principium, et regni ejus non erit finis. Dies sanctificatus illuxit nobis, venite omnes, et adoremus Dominum. Et procidentes in terram adoraverunt eum, et surgentes, et stantes cum eo, reverenter et jucunde compleverunt laudes suas, dicentes : Vicit Leo de tribu Juda; refloruit, Domine, caro mea; adimples nos lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem. Resurrexisti, gloria nostra; exultabimus et lætabimur in te. Regnum tuum, regnum omnium sæculorum, et dominatio tua usque in generatione et generationem. Et nos non discedimus a te; resuscitabis nos, et nomen tuum exaltabimus. Præcursor pro nobis ingressus est, Pontifex factus in æternum. Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea. Hodie illuxit nobis dies redemptionis, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Hodie per totum mundum melliflui facti sunt cœli : quia Dominus regnavit a ligno. Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se. Cantate ei canticum novum, quia mirabilia fecit. Salvavit sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus. Nos autem populus ejus et oves pascuæ ejus, venite, adoremus eum. Appropinquante autem hora vespertina, dicit eis Dominus Jesus : Compatior fratribus meis, quia propter mortem meam contristati et conterriti, disperguntur sicut oves errantes, et multum desiderant me videre. Vadam ergo et ostendam me ipsis; confortabo et consolabor eos; cito revertar ad vos. At illi procidentes dixerunt : Sic fiat, Domine, ut dixistis.

CAPUT XCI.

Quod Dominus apparuit duobus discipulis euntibus in Emmaus.

Cum ergo [1] duo ex discipulis ejus irent versus castellum Emmaus, quasi jam desperati de ipso, et irent tristes, de his quæ acciderant conferentes; venit Dominus Jesus, et junxit se ipsis in specie peregrini, et ibat cum ipsis interrogans eos, et respondens, et conferens verba salubria, ut in Evangelio habes. Tandem coactus ab eis, intravit cum illis et manifestavit se ipsis. Hic autem diligenter attende, et considera bonitatem et benignitatem Domini tui. Primo, quia non potuit ejus fervens amor sustinere suos sic errare et tristari. Vere fidus amicus est, fidelis comes, et benignus Dominus jungit se ipsis, quærit tristitiæ causam, et exponit eis Scripturas, inflammans corda eorum, ad omnem rubiginem extirpandam. Sic quotidie nobiscum facit spiritualiter. Si enim gravati aliqua perplexitate vel acedia de ipso loquimur, statim adest confortans et illuminans corda nostra, et etiam inflammans in amorem sui; optimum enim est contra tales pestes, loqui de Deo. Unde dicit Propheta [2]: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel* [3] *et favum ori meo!* Et iterum [4]: *Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud.* Similiter etiam cogitare de Deo; unde idem Propheta [5]: *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.*

Secundo considera bonitatem ejus, non solum ex amore, ut dixi, sed etiam ex humilitate profunda. Conspice namque ipsum, quomodo humiliter vadit cum eis; vadit namque cum suis, quasi unus ex eis, Dominus omnium: nonne tibi videtur ad primordia humilitatis rediisse? Exemplum nobis est similiter faciendi. Sed et in alio attende Domini humilitatem, quia non est dedignatus hos discipulos inferioris gradus. Non enim erant isti de apostolis, sed de aliis minoribus discipulis; et tamen familiariter jungit se ipsis, vadit et loquitur. Non sic elati; nollent enim, nisi cum præcipuis viris et magnarum opum, conversari et ambulare. Item in alio relucet hic sua humilitas. Nam si considerans elatos, videbis quod nolunt ampullosa verba sua spargere inter paucos. Sed Dominus etiam cum duobus loquitur arcana sua; non vilipendit paucos, imo nec etiam unum, sicut fecit olim cum Samaritana.

Elatorum consuetudo.

Tertio considera Domini bonitatem, quantum ad præsens negotium, quomodo instruit discipulos suos in moribus, reficit et consolatur. Conspicias ergo eum, quomodo fingit se longius ire, ut eorum augeat desiderium, et invitetur, et teneatur ab eis : et quomodo postea benigne intrat cum eis, panem accipit, et benedicens suis sacratissimis manibus frangit et porrigit, et seipsum eis revelat. Et quotidie hoc facit nobiscum invisibiliter : nam teneri vult et invitari per desideria, orationes et sanctas meditationes. Et ideo [6] *semper orare oportet, et non deficere,* ut ipse docuit, qualiter ista fecit ad nostram eruditionem, ut scilicet attendamus ad opera pietatis et hospitalitatis. Et quomodo non sufficit divina eloquia legere vel audire, nisi opere compleantur, de hoc in Homilia Gregorii super hoc Evangelio poteris plenius edoceri. Non autem dedit istis discipulis magnam sui copiam; sed statim porrecto eis pane, evanuit ab oculis eorum. Nam etiam alios consolari volebat, cum quibus tamen etiam istos est consolatus.

CAPUT XCII.

Quod Dominus apparuit reclusis in die resurrectionis.

Redierunt autem prædicti duo discipuli statim in Hierusalem, et invenientes alios discipulos congregatos, absente Thoma, eis ista narraverunt. At pariter audierunt [7], *quia surrexit Dominus, et apparuit Simoni.* Tunc [8] Dominus Jesus intrans ad eos januis clausis, stetit in medio eorum, et dixit eis : *Pax vobis.* Discipuli vero procidentes in terram, et suam culpam dicentes, quod sic eum dereliquerant, ipsum alacriter susceperunt. Dominus ergo : Surgite, inquit, fratres mei, quia omnia peccata sunt vobis dimissa. Stat ergo familiariter inter eos, et ostendit eis manus et latus, et aperit eis sensum, ut intelligant Scripturas, et cognoscant resurrectionem suam. Petit ab eis, si habeant aliquid ad manducandum; et manducat coram eis partem piscis assi et favum mellis. Insufflat in eos, et dicit eis : *Accipite Spiritum sanctum.* Vides quomodo ista sunt plena omni jucunditate et lætitia. Gavisi sunt ergo discipuli viso

[1] *Luc.*, XXIV, 13 et seq. — [2] *Psal.* CXVIII, 103. — [3] *Psal.* XVIII, 11. — [4] *Psal.* CXVIII, 140. — [5] *Psal.* XXXVIII, 4. — [6] *Luc.*, XVIII, 1. — [7] *Luc.*, XXIV, 34. — [8] *Joan.*, XX, 19 et seq.

Domino; lætantur coram eo, qui ante erant pavefacti. O quam libenter eidem illa porrexerunt, ut comederet! Quam fideliter ei ministrabant, et quam jucunde assistebant ei! Conspice etiam Dominam ibidem esse, quia discipuli congregabant se ad eam. Vide ergo eam indicibili gaudio ista conspicere, et juxta filium familiariter sedere, et sicut expedit servire alacriter. Dominus etiam Jesus libenter suscipit omne servitium de manibus ejus, et eam reverenter honorat coram discipulis. Non autem omittas Magdalenam dilectam discipulam, et apostolorum apostolam. Conspice etiam, qualiter more solito sedet ad pedes Magistri sui, diligenter audit verba ejus, et si quid potest etiam ipsa, gaudiose ac toto affectu eidem ministrat. O qualis tunc est domuncula ista, et quam gratiosum habitare in ea! Nonne tibi videtur etiam nunc esse magnum Pascha, si aliquid devotionis habes? Puto quod sic. Sed parum stetit tunc Dominus cum eis, quia jam erat quasi sero. Tamen forte etiam ipsi coegerunt eum aliquantulum plus stare, rogantes ne sic cito recederet. Annon credis quod Magdalena, sedens ad pedes juxta eum, teneret per pannos eum confidenter, et cum reverenti audacia, ne discederet ita cito. Erat enim indutus vestimentis albissimis, vestibus gloriæ suæ. Sic enim eum tenebat: non præsumptuose, sed confidenter faciebat, sic diligens, sic dilecta, nec Domino displicebat. Teneri vult Dominus, ut patet in duobus discipulis supra, euntibus in Emmaus. Tandem Dominus reverentia matri exhibita, similiter et ab ea recepta licentia, benedicens omnes, recessit ab eis; ipsi vero procidentes, de cita reversione rogaverunt eumdem. Remanserunt autem famelici et sitibundi de Domino, de quo tantam copiam habere consueverant, eum sæpe suspiriis et desideriis revocantes. Vidisti quoties hodie habuisti Pascha: nam omnes istæ apparitiones in die Paschatis fuerunt. Sed forte audisti, sed non sensisti, qui nec forte in passione compassionem habuisti. Credo enim, quod si in passione compati scires, et mentem haberes unitam, et non sparsam ad sæcularia, vel superflua, vel curiosa, in qualibet vice sentires Pascha. Et hoc de quolibet die dominico contingere posset, si mente integra diebus Veneris et Sabbati, te cum passione Domini præparares, maxime dicente Apostolo [1]: *Si fuerimus socii passionum, erimus et consolationum.*

CAPUT XCIII.

Quod Dominus apparuit discipulis in octava Paschæ, et erat cum eis Thomas.

Adveniente autem die octava resurrectionis, iterum [2] apparuit Dominus Jesus discipulis, januis clausis; et erat Thomas cum eis, qui prima die cum eis non fuerat. Et cum alii narrassent ei, quia viderant Dominum, respondit: *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum*, et cætera, ut in Evangelio continentur (*a*), *non credam.* Dicit ergo Pastor bonus, et de pusillo suo grege sollicitus: *Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis.* Tunc Thomas procidens, tetigit cicatrices Domini, et dixit: *Dominus meus et Deus meus.* Hominem enim vidit, et Deum credidit. Dixit etiam suam culpam de hoc, quod ipse dereliquerat eum, sicut et alii dixerunt. Dominus autem erigens eum, dixit: Noli timere, omnia peccata sunt tibi dimissa. Hoc autem de Thomæ dubitatione dispensatorie permissum est, ut evidentioribus argumentis resurrectio Domini probaretur. Conspice autem hic diligenter eum, et considera solitam benignitatem, humilitatem et amorem ferventem ipsius, quomodo scilicet Thomæ monstrat et aliis discipulis vulnera sua, ut tolleret omnem obscuritatem de cordibus eorum, ad ipsorum et nostram utilitatem. Reservavit quoque sibi Dominus cicatrices vulnerum, maxime propter tria, scilicet ut faceret apostolis fidem de sua resurrectione, et ut ipsas ostendat Patri, quando vult placare eum, et interpellare pro nobis: est enim noster advocatus; et etiam ut eas monstret reprobis in die judicii. Stat ergo Dominus Jesus cum matre et discipulis suis, per aliquam morulam loquens de regno Dei; et ipsi cum eo in lætitia magna, audientes ista verba excelsa, et aspicientes faciem ejus plenam gaudio et decore. Attende bene eos circumcirca stantes, sed Dominam familiarius juxta eum; Magdalenam vero semper ad pedes ejus considera. Sta et tu reverenter, a longe tamen, nisi forte misericordia motus faciat te vocari. Tandem dicit eis, quod vadant in Galilæam in montem Thabor, ut dicitur, et ibi apparebit eis. Et benedictione data, discessit

[1] II *Cor.*, I, 7. — [2] *Joan.*, LXX, 26 et seq.
(*a*) *Cæt. edit.* continetur.

ab eis. Ipsi vero remanserunt, ut prius, famelici et sitibundi de eo, sed plurimum confortati.

CAPUT XCIV.

Quod Dominus apparuit discipulis in Galilæa.

Post hæc discipulis ad dictum locum pergentibus, iterum apparuit eis Dominus Jesus, dicens [1] : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et docentes eos servare, quæcumque mandavi vobis.* Et confortamini, quia *ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Adoraverunt autem eum in suo adventu, et stant etiam nunc cum magna jucunditate cum eo. Considera bene eos, et ea quæ dicta sunt modo ipsis : nam magnifica sunt valde. Manifestat eis, qualiter est Dominus omnium : dat eis mandatum de prædicando : dat formam baptizandi : dat etiam vigorem eis permaximum, dum dicit, quod semper erit cum eis. Vides quantam jucunditatem dat eis, et quot ostendit eis insignia charitatis. His ergo dictis, per Dominum data eis benedictione, disparuit ab eis.

CAPUT XCV.

Quod Dominus apparuit discipulis ad mare Tiberiadis.

Discipuli vero adhuc remanserunt in Galilæa. Iverunt autem [2] quadam vice piscatum ad mare Tiberiadis septem ex ipsis, et per totam noctem nihil ceperunt. Mane facto, Dominus iterum apparuit eis, et stetit in littore maris. Attende autem hic quæ acta sunt, quia jucundissima sunt. Quærens ergo Dominus, si aliquid cepissent, respondentibus, Non, dixit : *Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis.* Miserunt ergo, et multitudinem magnam ceperunt. Dixit itaque Joannes Petro : *Dominus est.* Tunc Petrus nudus existens, succinxit se tunica, et festinus venit per mare; alii vero navigio venerunt. Et cum descendissent, viderunt piscem positum super prunas, et panem paratum; Dominus enim hoc eis paraverat. Fecit etiam accipi de piscibus eorum, et assari, et simul cum eis comedens, fecit convivium et festum magnum cum eis in littore maris. Et consuetæ humilitatis suæ more ministrans eis, panem eis porrexit, et fregit; et piscem similiter dedit eis. Stant ergo reverenter et multum alacriter isti septem discipuli cum Domino suo; pariter cum eo comedentes, aspiciunt faciem ejus desiderabilem et jucundam, et exultant in cordibus suis. Accipiunt de sacratissimis manibus ejus escas delectabiles, et reficiuntur non minus spiritualiter, quam corporaliter. O quale convivium est illud! Conspice bene singula, et si potes, pascaris cum eis. Attende nihilominus quæ sequuntur, quia pulcherrima sunt et utilissima. Nam completo isto solemni convivio, dicit Dominus Petro : *Diligis me, plus his?* Et Petrus : *Domine, tu nosti, quia amo te.* Dicit ei Dominus : *Pasce agnos meos,* etc. Sic ter interrogans, recommendavit ei gregem suum. In quo Domini benignitatem solitam considera, charitatem et humilitatem. Aperte enim vides, quomodo diligenter (*a*) affectuose imprimit, reiterat et recommendat Petro animas nostras. Iterum autem Dominus post hæc prædixit Petro mortem ipsius, dicens : *Cum esses junior, cingebas te,* etc., significans, quod per passionem crucis clarificaturus esset Deum. Et cum de Joanne Petrus quæreret : *Hic autem quid?* Dominus respondit : *Sic eum volo manere, donec veniam;* quasi dicat : Nolo quod per viam passionis me sequatur, sed in senio et contemplatione requiescet : quamvis alii discipuli intelligerent, quod non moreretur. Sed non erat hoc magnum donum, cum [3] *melius sit dissolvi, et esse cum Christo.* Attendisti quam multa et quam magnifica facta et dicta sunt in hac apparitione. Post hoc disparuit Dominus ab eis, et more solito rediit ad sanctos patres. Discipuli vero cum magno gaudio remanserunt, et post redierunt in Hierusalem, etc.

CAPUT XCVI.

Quod Dominus apparuit plus quam quingentis fratribus simul, et de apparitionibus.

Iterum autem apparuit Dominus [4] *plus quam quingentis fratribus simul,* ut dicit Apostolus; sed quo loco aut quando, non est scriptum. Sed stans benignus Dominus inter eos, prædicans et loquens de regno Dei, magna eos jucunditate replevit. Habes ergo duodecim apparitiones Domini post resurrectionem usque ad ascensionem, absque duabus cum ascensione proxime dicendis, et sic fuerunt quatuordecim. Scire tamen debes, quod in Evangelio non sunt

[1] *Matth.*, XXVIII, 19 et seq. — [2] *Joan.*, XXI, 1 et seq. — [3] *Philip.*, I, 23. — [4] I *Cor.*, XV, 6. — (*a*) *Suppl.* et.

scriptæ nisi decem. Nam quomodo apparuit matri, non est scriptum in aliquo loco; sed sic pie creditur. Quomodo autem apparuit Joseph, dicitur in Evangelio Nicodemi. Quomodo etiam Jacobo, scripsit Apostolus ad Corinthios, et etiam refert beatus Hieronymus. De ista etiam de quingentis fratribus scripsit beatus Apostolus ibidem. Aliæ vero scriptæ sunt in Evangelio. Potes etiam meditari de pluribus. Nam verisimile est, quod benignissimus Dominus sæpe matrem et discipulos visitabat, et Magdalenam dilectam discipulam, confortans et exhilarans eos, qui sic vehementer de sua passione fuerant contristati et conterriti. Quod etiam beatus Augustinus sentire videtur, dicens de tempore post resurrectionem : « Non omnia, inquit, scripta sunt; crebra erat ejus cum eis conversatio. Et etiam forte ipsi sancti patres, maxime Abraham et David, ad quos specialiter facta fuit promissio de Filio Dei, veniebant cum eo ad videndum illam suam excellentissimam filiam matrem Domini, quæ pro (*a*) eis omnibus gratiam invenit, et genuit Redemptorem. O quam lætanter eam respiciebant, et reverenter se inclinabant eidem, et omni qua poterant benedictione replebant, quamvis non viderentur ab ea! Potes etiam considerare in hoc benignitatem, charitatem et humilitatem Domini, more solito, de quibus sæpe fecimus mentionem, et in omnibus factis ejus relucent; quod etiam postquam gloriose vicerat et resurrexerat, peregrinari adhuc voluit per quadraginta dies, ut suos discipulos confirmaret, et roboraret. Digne namque post tot annorum curricula, post tot labores et afflictiones, post tam ignominiosam et acerbam mortem, poterat triumphator ad suam gloriam remeare, et per suos angelos confirmare, et confortare apostolos pro suo nutu : sed quia hoc non patiebatur charitas sua, personaliter voluit conversari cum eis [1], *apparens eis per quadraginta dies in multis argumentis, et loquens de regno Dei.* Pro eis fecit hoc et pro nobis; sed non advertimus. Dilexit te vehementer, et non diligitur, cum ad talem ac tantum ignem, non solum calefieri, sed ardere debeamus. Nunc ad ascensionem veniamus.

CAPUT XCVII.

De ascensione Domini.

Circa dominicam ascensionem te vigilem esse oportet, ut si umquam toto mentis conatu te præsentem exhibuisti verbis et factis ejus, nunc facias multo magis. Nam hæc solemnitas omnes superat alias, ut clarius infra tibi ostendam. Et saltem hoc te animet ad attentionem, quod nunc Dominus discessurus est corporali præsentia, completo suæ peregrinationis cursu. Unde verba et facta ipsius sunt attentius consideranda : quælibet enim anima fidelis debet Sponsum suum, Dominum suum, et Deum suum, in ejus discessu vigilantissime observare, et quæ per eum dicuntur et fiunt, viscerosius mente amplecti, et eidem se devotius et humilius recommendare, et totaliter animum suum ab aliis abstrahere. Quadragesimo itaque die a resurrectione [2], *sciens Dominus Jesus, quia venit ejus hora, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos*, nunc vero *in finem dilexit eos.* Accipiens ergo de Paradiso terrestri sanctos patres et alias animas, stans et benedicens Eliæ et Enoch, ibi remanentibus et adhuc viventibus, venit ad discipulos suos, qui erant in cœnaculo in monte Sion cum matre ipsius et aliis, apparens eis, voluit etiam ante discessum suum prandere cum ipsis, in signum memoriale (*b*) dilectionis et gaudii. Omnibus ergo simul comedentibus cum lætitia magna in hoc ultimo convivio Domini sui, dicit eis Dominus Jesus : Tempus est, ut revertar ad eum qui misit me; [3] *vos autem manete hic in civitate, quousque induamini virtute ex alto :* quia infra paucos dies replebimini Spiritu sancto, prout vobis promisi. Postea ibitis per universum mundum prædicantes evangelium meum, baptizando credentes, [4] *et eritis mihi testes usque ad ultimum terræ. Exprobravit* etiam [5] *incredulitatem eorum, quia his qui viderant eum resurrexisse,* scilicet angelis suis, *non crediderunt.* Hoc nunc maxime facit, cum de prædicando dicebat, quasi daret eis intelligere : Multo magis debebatis vos angelis credere, etiam antequam me videretis, quam gentes, quæ credent vobis prædicantibus, et me non videbunt. Fecit etiam hæc, ut cognoscentes defectum suum, remanerent humiliores; ostendens eis in suo discessu, quantum placebat ei humilitas, et quasi eam peculialiter recommendaret eisdem. Quærentibus autem eis de temporibus futuris, noluit respondere, quia non expediebat eis. Stant ergo, comedunt, et

[1] *Act. Apost.*, I, 1. — [2] *Joan.*, XIII, 1. — [3] *Luc.*, XXIV, 49. — [4] *Act. Apost.*, I, 8. — [5] *Marc.*, XVI, 14.

(*a*) *Forte leg.* præ. — (*b*) *Cæt. edit.* memorialis.

loquuntur, et gaudent propter præsentiam Domini sui, sed nihilominus turbati propter discessum. Tanta enim amoris teneritudine diligebant eum, quod etiam verba discessus sui non poterant æquo animo sustinere.

Quid autem dicam de matre juxta eum prandente, quæ super omnes sic intense eum amabat? An non credis, quod ad hæc verba discessus filii, maternæ dilectionis tacta et commota dulcedine, reclinaret caput suum super filium, et recumberet super pectus ejus? Nam si Joannes hoc fecit in cœna, nunc multo magis meditari potes de ipsa. Unde suspirans cum lacrymis eum rogabat, dicens: Fili mi, si discedere vis, ducas me tecum. Dominus autem consolatus eam, dicebat: Rogo, mater charissima, ne feras moleste discessum meum, quia vado ad Patrem. Te autem remanere hic expedit ad tempus, propter confirmandos credentes; postea veniam ad te, et assumam te ad gloriam meam. Ad quem mater: Fili mi dilectissime, fiat voluntas tua. Nam non solum remanere, sed et mori parata sum pro animabus, pro quibus et mortuus fuisti; sed esto memor mei. Dominus autem eam, et discipulos, et Magdalenam, et alias consolabatur dicens[1]: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet: non relinquam vos orphanos, vado et venio ad vos*, et semper ero vobiscum. Tandem dicit eis, quod exeant in montem Oliveti, quia inde volebat ascendere, et tunc disparuit ab eis. Mater ergo et omnes alii sine mora iverunt ad dictum montem, qui est ab Hierusalem ad unum milliare, et ibidem iterum apparuit eis Dominus. Ecce quomodo habes hodie duas apparitiones. Tunc amplexatus est matrem, valefaciens ei, et mater eum tenerrime. Discipuli autem et Magdalena, et omnes alii procidentes, et lacrymantes, deosculati sunt pedes ejus, ipse vero suos apostolos erigens, benigne osculatus est.

Conspice nunc eos bene, et cuncta quæ fiunt. Considera nihilominus sanctos patres ibidem existentes, invisibiliter tamen, quomodo libenter et reverenter intuentur Dominam, et affectuose benedicunt, per quam tantum beneficium consecuti sunt; quomodo etiam intuentur illos excelsos pugiles et duces divini exercitus, quos inter omnes elegit Dominus ad expugnandum et vincendum universum mundum. Tandem completis cunctis mysteriis, cœpit Dominus Jesus elevari ab eis, et ascendere virtute sua. Tunc mater et omnes alii procidebant in terram. Dicebat Domina: Fili mi benedicte, memor esto mei. Et propter discessum non poterat lacrymas continere: gaudebat tamen multum, quod filium suum sic gloriose cernebat petere cœlum. Similiter et discipuli ejus dicebant: Domine, pro te dimisimus omnia, esto memor nostri. Ipse vero, elevatis manibus, facie serenus et gaudens, regio more coronatus et ornatus, triumphaliter ferebatur in cœlum. Benedicens eis dixit: Constantes estote, et viriliter agite, quia semper vobiscum ero. Ascendebat autem, secum ducens illam nobilem multitudinem, *iter pandens*[2] ad eos, ut dixerat Michæas propheta. Dominus itaque gloriosus, candidus et rubicundus, splendens et gaudiosus, præcedebat eos, viam eis ostendens; et ipsi cantantes et jubilantes, lætissimi sequebantur eum, dicentes[3]: *Cantemus Domino, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.*[4] *Confiteantur Domino, misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.*[5] *Benedictus es, Domine Deus noster, qui salvos facis sperantes in te;*[6] *deducens populum tuum in exultatione, et electos tuos in lætitia.*[7] *Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua, ut liberentur dilecti tui.*[8] *Ascendens in altum*, prosperum iter faciens nobis, perducens nos in refrigerium,[9] *educis vinctos tuos in fortitudine*, desiderium nostrum tribuens nobis. Intrabimus in domum tuam, et in conspectu angelorum tuorum tibi psallemus:

Dom. ascensio.

[10] Gloria, laus, et honor, tibi sit, rex Christe Redemptor,
[11] *Regna terræ, cantate Deo, psallite Domino.*

Interim autem Michael præpositus Paradisi, pergens ad patriam, nuntiaverat quod Dominus ascendebat. Ecce omnes spirituum ordines seriatim per acies suas occurrerunt eidem, unus ex eis non remansit, qui non veniret obviam Domino suo; et inclinantes se cum omni qua poterant reverentia, deducebant eum cum hymnis et canticis ineffabilibus. Quis enim posset cantus et jubilos, qui ab ipsis fiebant, explicare? *Advenerunt* ergo[12] *principes conjuncti psallentibus* (*a*), et dicebant: Alleluia, alleluia, alleluia.

Cælestium spirituum occursus cum Christo in cœlo ascendit.

[1] *Joan.*, XIV, 1, 28. — [2] *Mich.*, II, 13. — [3] *Psal.* LXVII, 3, 5. — [4] *Psal.* CVI, 8, 15, 21. — [5] *Psal.* XVI, 7. — [6] *Psal.* CIV, 43. — [7] *Psal.* CVII, 6. — [8] *Ephes.*, IV, 8. — [9] *Psal.* LXVII, 7. — [10] Ex Theodul. Aurel., *Hymn. proc. Palm.* — [11] *Pasal.* LXVII, 33. — [12] Ibid., 27.

(*a*) Cæt. edit. *psallentes*.

Nomine qui in Domin rex benedicte venis :
Nunc tibi regnanti panginus ecce melos [1].

Alleluia, alleluia, alleluia. [2] *Benedictus es, Domine, qui sedes super Cherubim, et intueris abyssos*, alleluia, alleluia, alleluia. Dignus es Domine omni laude et honore, alleluia, quia victoriam gloriose fecisti, alleluia. [3] *Confiteantur cœli mirabilia tua, Domine*, alleluia, *et virtutem tuam*, alleluia. Ecce nunc ascendunt tribus Domini, alleluia, ut confiteantur, et dicant tibi : alleluia. [4] *Ad lætandum in lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum hæreditate tua*, alleluia, alleluia, alleluia. In hujusmodi canticis et confessionibus Dominum honorabant utrinque coram ipso exultantes, et eidem festum honorificum cum omni reverentia facientes. Et quis posset hoc gaudium enarrare?

Sed et illud quis dicere posset, quod tam beatissimi spiritus, quam sanctissimi patres simul habuerunt, cum sibi ad invicem occurrerunt? Superni ergo spiritus, reverentia prius Domino exhibita, et canticis ejus expletis, illis cum magna jucunditate dicebant : Principes populorum, bene vos venire gratulemur, alleluia; congregati estis cum Deo vestro, alleluia; et vehementer elevamini, alleluia; psallite ei, qui ascendit super cœlum cœli, alleluia, alleluia. Et sancti Patres alacriter respondebant: Principes populi Domini, alleluia; custodes et adjutores nostri, alleluia; gaudium vobis et pax, alleluia; psallite et vos regi nostro, alleluia. Exultate Deo adjutori nostro, alleluia, alleluia, alleluia. Simul etiam se ad invicem adorantes dicebant : In domum Domini lætantes imus, alleluia, alleluia: simul nos capiet urbs veneranda Dei, alleluia; oves pascuæ Domini, portas ejus et atria intremus, alleluia, in hymnis et canticis, alleluia. Dominus enim virtutum nobiscum, alleluia, susceptor noster est, alleluia, alleluia. Vides ergo quod omnes jubilabant et psallebant. Nam juxta Prophetam [5] : *Ascendit Deus in jubilatione* (a), *et Dominus in voce tubæ*. Ascendit autem Dominus Jesus plane propter consolationem matris et discipulorum, quousque eum poterant videre. Ex tunc autem nubes suscepit eum ab oculis eorum, et in momento cum omnibus angelis et prædictis patribus sanctis fuit in patria. Sic enim dicit prædictus propheta [6] : *Ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum*. Pennæ ventorum dicuntur summitates ventorum, id est, partes illæ quæ præcedunt, et velociores sunt. Et ipse adhuc velocius ascendit, ex quo nubem interposuit. Stabant ergo Mater, et discipuli, et Magdalena, et aliæ flexis genibus, et intuebantur in cœlum euntem illum, quousque poterant.

O quid erat videre Dominum sic gloriose ascendentem! et quid si quis potuisset videre et audire beatissimos spiritus, et animas sanctas cum eo pariter incedentes! forte præ gaudio separata fuisset anima talis a corpore, et cum eis etiam ascendisset. Cum ergo sic vultibus adhuc elevatis aspicerent, ecce duo angeli steterunt juxta illos in vestibus albis, dicentes [7] : *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus qui a vobis assumptus est in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum*. Redite ergo in civitatem, et expectate, sicut dixit vobis. Considera hic, quomodo de ipsis Dominus fuit sollicitus. Nam statim cum evanuit ab oculis eorum, misit angelos suos, ne nimium ibidem stantes fatigarentur, et ut confortarentur audientes angelicum testimonium concordare secum de ascensione Domini sui. Auditis ergo his verbis, Domina humiliter rogavit angelos, ut eam recommendarent filio suo. Illi vero se usque ad terram inclinantes eidem, libenter susceperunt mandatum ejus; similiter apostoli, Magdalena, et omnes alii dixerunt eis. Illis itaque disparentibus, ipsi redierunt in civitatem ad montem Sion, ibique morabantur expectantes, ut Dominus Jesus mandaverat eis.

Dominus autem Jesus, cum universa prædicta felici et magnifica multitudine, aperiens januas paradisi, usque tunc humano generi clausas, triumphaliter intravit, et gaudenter Patri genuflectens ait : Pater, gratias ago tibi, qui mihi dedisti victoriam de omnibus adversariis nostris. Ecce animos nostros, qui captivi tenebantur, eos tibi præsento : sed fratribus et discipulis meis, quos in mundo reliqui, promisi mittere Spiritum sanctum : rogo te, Pater mi, ut impleas promissionem, et eos recommendo tibi. Tunc Pater erigens eum, fecit eum sedere a dextris suis, et dixit : Benedicte fili mi, omnem potestatem et judicium dedi tibi; de istis discipulis, et de missione Spiritus sancti,

[1] Hymn. modo citat. — [2] *Dan.*, III, 55. — [3] *Psal.* LXXXVIII, 6. — [4] *Psal.* CV, 5. — [5] *Psal.* XLVI, 6. — [6] *Psal.* CIII, 3. — [7] *Act. Ap.*, I, 11.

(a) Vulg. *jubilo*.

pro tuo velle disponas. Omnes autem sancti patres et beatissimi spiritus, qui adorantes prociderant in facies suas, coram Patre surgentes reincœperunt cantica sua, et jubilabant coram Deo laudes. Si enim Moyses et filii Israel, post transitum maris Rubri, cecinerunt carmen Domino, dicentes [1]: *Cantemus Domino, gloriose*, etc.; et Maria prophetissa soror ejus, et reliquæ mulieres eam sequentes, in tympanis et choris Domino Deo canebant; quanto magis nunc cunctis adversantibus superatis? Similiter cum David deducebat arcam fœderis Domini Hierusalem, totus populus canebat legitime, et David cum cantoribus citharam percutiebat, et omnes laudabant coram Domino in citharis suis et tympanis, et David saltavit totis viribus coram Domino; quanto nunc magis id faciebant, qui vere sunt cum Domino in tanto gaudio constituti? Et si Joannes, ut in *Apocalypsi* refert [2], audivit vocem in cœlo centum quadraginta quatuor millia citharœdorum, citharizantium in citharis suis, et cantabant quasi canticum novum ante sedem Dei et Agni : quodcumque gaudium illud significet, ego multo magis ipsum hodie contigisse, meditabor. Omnes ergo ibidem constituti psallunt, omnes exultant, omnes lætantur, omnes cantant, omnes gaudent, omnes jubilant, omnes manibus plaudunt, omnes chorizant, omnes jucundantur, omnes tripudiant. Vere nunc in superna Hierusalem auditur canticum lætitiæ, et per omnes vicos ejus ab universis dicitur, Alleluia. Nunquam ab origine mundi, tale festum et tam solemne Pascha celebratum est, nec unquam erit forte nisi in die judicii, cum omnes ibi præsentabuntur electi cum corporibus gloriosis. Et propterea tibi dixi in principio, quod hæc solemnitas, omnibus consideratis, cunctis supereminet aliis. Percurras singulas, et videbis si verum loquor. Magnum pascha, et solemne festum est Incarnatio Domini, et initium omnis nostri boni; sed hoc nobis, non sibi, nam ipse tunc in thalamo virginali inclusus est. Magnum etiam pascha est Nativitas ejus : sed et illud nobis. Nam sibi compatiendum est, quia ad tantam paupertatem, vilitatem, et penuriam natus est. Magnum similiter quoad nos festum est passio ejus, quia tunc omnia peccata nostra deleta sunt. *Nihil* enim [3], ut ait Gregorius, *nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset*; sed propter tormenta durissima, et mortem turpissimam, quam sustinuit, nec sibi fuit, nec nobis esse debet materia gaudii et lætitiæ. Magnum insuper et solemne, et verum pascha est Resurrectio ipsius Domini Jesu, tam pro se, quam pro nobis, quia ipse gloriosus triumphator apparuit, et nos justificati sumus. Venerabilis itaque multum : et ideo singulariter in ipso cantat Ecclesia : *Hæc dies quam fecit Dominus*, etc., secundum beatum Augustinum. Hæc dies sanctior universis, quod exponi potest de præcedentibus. Nam hæc dies Ascensionis major et sanctior videtur, quia licet resurrexit Dominus, adhuc tamen peregrinatur in terris, adhuc est clausa paradisi porta, adhuc sancti patres non iverunt ad Patrem; quæ omnia in Ascensione completa sunt. Et si bene inspicias, quidquid Deus fecit usque modo, fecit ut perveniret ad hunc finem, et sine hoc omnia sua opera erant imperfecta. Nam cœlum et terra, et omnia quæ in eis sunt, facta sunt propter hominem : homo autem propter gloriam habendam : ad ipsam vero usque hodie, nullus quantumcumque justus, pertingere poterat post peccatum. Vides quam magnificus et mirificus sit iste dies. Similiter magnum pascha valde dies Pentecostes, et eum multum solemnizat Ecclesia, et recte, quia tunc donum summum recipit, scilicet, Spiritum sanctum. Sed et illud nobis, non sibi. Sed hodiernus Ascensionis dies, est proprie festum solemnissimum Domini Jesu, quia hodie incipit sedere ad dexteram Patris, et requiem capit a peregrinatione sua. Et etiam proprie festum est omnium supernorum spirituum, quia novum gaudium suscipiunt a Domino suo, quem ante ibi in humanitatis forma non viderant. Et quia hodie primo restaurari incipiunt ruinæ ipsorum in tanta multitudine beatorum, est (*a*) proprie illorum egregiorum patriarcharum, prophetarum, et animarum sanctarum, qui ad supernam patriam hodie primitus intraverunt. Si ergo festum facimus de aliquo sancto migrante ad cœlos, quanto magis de tot millibus, et quanto magis de Sancto sanctorum! Est etiam festum Dominæ, quæ filium suum regali diademate sublimatum, sic vidit, tanquam Dominum verum, super excelsa conscendere. Est etiam nihilominus proprie festum nostrum, quia humana natura hodie super cœlos est exaltata, et quia nisi Christus ascendisset, illud ipsum etiam donum Spiritus sancti, pro quo sic merito solemnizamus, recipere nequibamus.

Quare solemnitas Ascensionis præemineat aliis omnibus festivitatibus.

[1] *Exod.*, XVI, 1. — [2] *Apoc.*, XIV, 3. — [3] Cant. *Exultet*, ad bened. cerei pasch. — (*a*) *Cæt. edit.* et.

Unde ipse dicebat discipulis suis [1] : *Expedit vobis, ut ego vadam; si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos.* Ad robur autem dicti mei, adduco Bernardum, qui de hac die sic loquitur, in sermone *de Ascensione Domini* [2] : « Solemnitas ista, charissimi, gloriosa est. Consummatio enim et adimpletio est reliquarum solemnitatum, et felix clausula est totius itinerarii Jesu Christi Filii Dei vivi.[3] Merito quidem solemnitatis et lætitiæ dies agitur, quando Sol ille supercœlestis, Sol justitiæ, nostris se præsentavit obtutibus. Magna quoque lætitia et exultatio multa nimis, quando conscisso (*a*) sacco lætitia circumdatus est, et nostræ dedicavit primordia resurrectionis. Verumtamen quid mihi et solemnitatibus istis, si conversatio mea usque adhuc detinetur in terris? Dico ergo : non multo minus mihi tolerabilior videtur exilii hujus habitatio, quam gehenna. Denique [4] *nisi ego abiero, paraclitus non veniet ad vos.* Videsne quemadmodum cæterarum solemnitatum, ea quam hodie celebramus, et consummationem habeat, et fructum declaret, et augeat gratiam ? [5] Sicut enim cætera omnia pro nobis fecit, qui pro nobis natus est: ita quoque ipsius ascensio propter nos facta est, et facit pro nobis.» Hucusque Bernardus. Manifeste ergo videas, quod solemnior est dies ista omnibus aliis. Et anima quæ bene diligeret Dominum Jesum, magis hodie exultaret, quam in aliquo die anni. Unde ipse dicebat discipulis [6] : *Si diligeritis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem.* Et propterea credo me recte dixisse, quod nunquam in patria fuit aliqua dies adeo solemnizata, ut ista. Duravit autem gaudium et exultatio tanti festi usque ad diem Pentecostes. Et per hunc modum potest meditari. Ascensio enim Domini fuit hora sexta, nam primo comederat hora tertia cum discipulis suis. Quamvis ergo omnes in patria, ultra quam dici posset, exultarent; tamen prima die usque ad aliam sextam sequentis diei angeli fecerunt singulariter festum, et Dominus Jesus ostendit, vel fecit aliquam singularem familiaritatem et consolationem. Secunda die fecerunt Archangeli. Tertia Principatus. Quarta Potestates. Quinta Virtutes. Sexta Dominationes. Septima Throni. Octava Cherubim. Nona Seraphim, qui sunt novem ordines Angelorum. Et sic hæc duraverunt usque ad sextam sabbati vigiliæ Pentecostes. Et tunc festum fecerunt sancti patres, usque ad horam tertiam diei dominicæ.

[1] *Joan.*, XVI, 7. — [2] Bern., *in Ascens. Dom.*, serm. II, n. 1. — [3] Ibid., serm. IV, n. 1. — [4] *Joan.*, XVI, 8.—

CAPUT XCVIII.

De missione Spiritus Sancti.

Tunc his completis, dixit Dominus Jesus Patri : Pater mi, recordare promissi mei, quod feci de Spiritu sancto fratribus meis. Cui Pater : Fili mi, multum gratum habeo quod promisisti : tempus est, ut impleatur promissum tuum, dic ergo ad Spiritum sanctum : Rogamus te, ut descendas ad discipulos nostros, et eos repleas, consoleris, robores, instruas, et cumulum virtutum et gaudiorum conferas eis. Et statim venit, et descendit in linguis igneis, super centum et viginti discipulos simul congregatos, et eos replevit omni gaudio; cujus virtute discipuli vigorati, docti, et accensi, ac illuminati, totum mundum circumcurrerunt, et pro magna parte sibi subjecerunt. Nihilominus tamen superni cives etiam postea laudaverunt, et semper laudant Dominum, et habent dies lætitiæ, et nunquam deest ibi solemnitas, et gratiarum actio, et vox laudis. Scriptum est enim [7] : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Festinemus itaque et nos ingredi in illam requiem, ubi tanta superabundat indefectibiliter lætitia, et ad patriam nostram totis conatibus suspiremus. Odiamus hujus miseri et putridi corporis nostri compagem, et ejus curam non faciamus in desideriis, quod nos hic detinet carceratos, et peregrinos a tanto bono. Dicamus ergo cum Apostolo [8] : *Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et iterum [9] : *Quamdiu in hoc corpore sumus, peregrinamur a Domino.* Et iterum [10] : *Cupio dissolvi, et esse cum Christo.* Desideremus ejus dissolutionem, et eam continue postulemus a Domino : quia per nos eam cum salute consequi non valemus. Et iterum : Saltem moriamur mundo, pompis et concupiscentiis ejus. Abstrahamus nos corde forti et perseveranti, ab his rebus caducis, et a miseris et brevibus consolatiunculis harum visibilium rerum, quæ inficiunt et vulnerant animas nostras. Ascendamus autem mente cum Domino, vel potius ad Dominum, et cum ipso in cœlis sit conversatio nostra. Et sic facientes, non ex

Missio. Spiritus sancti.

[5] Bern., ibid., n. 2.— [6] *Joan.*, XIV, 28. — [7] *Psal.* LXXXIII, 5. — [8] *Rom.*, VII, 24. — [9] II *Cor.*, V, 6. — [10] *Philip.*, I, 23. — (*a*) *Cæt. edit.* conciso.

toto simus peregrini, et advenæ, ut in tempore visitationis nos ad se dignetur assumere, ipse de quo loquimur. Dominus noster Jesus Christus, qui est super omnia Deus benedictus, et laudabilis in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT XCIX.

Excitatio desiderii ad patriam per mortis appetitum.

Habes ergo ex prædictis, dilectissima filia, vitam Domini Jesu tibi pro majori parte in meditationibus traditam. Suscipe reverenter, libenter et gaudenter prædicta, et in eis tota devotione, hilaritate, ac sollicitudine conversari non pigriteris : quia hæc est via tua, et vita tua, hoc est fundamentum, super quo poteris magnum ædificium constituere. Ab hoc te incipere oportet, si vis ad sublimiora ascendere, prout in pluribus locis superius habuisti. Nam hæc vitæ Christi meditatio non solum per se dulciter pascit, sed ad majorem cibum transmittit. Hæc enim sunt, quæ Dominus gessit in carne; sed longe sublimius est, in spiritu intueri, ad quæ per hanc scalam pervenire poteris : sed in hac interim immorandum. De quo sic ait Bernardus [1] : « Ego hanc arbitror præcipuam invisibili Deo esse causam, quod voluit in carne videri, et cum hominibus conversari : ut carnalium videlicet, qui non nisi carnaliter amare poterant, cunctas primo ad suæ carnis amorem affectiones retraheret, atque ita gradatim ad amorem perduceret spiritualium. » Et infra [2] : « Monstrabat discipulis altioris amoris gradum, cum diceret [3] : *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam.* » Et paulo post : « In carnis igitur devotione interim consoletur, qui vivificantem spiritum non habet, eo dumtaxat modo, quo habent illi, qui aiunt [4] : *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus.* Et iterum [5] : *Si cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus.* Nam alias quidem nequaquam sine Spiritu sancto, vel in carne diligitur Christus, et si non in (*a*) illa plenitudine. Cujus tamen mensura devotionis hæc est, ut totum cor illa suavitas occupet, totum sibi ab amore universæ carnis ac carnalis illecebræ vendicet : hoc quippe toto corde diligere est. Alioquin si carnis meæ quamlibet consanguinitatem, vel voluptatem, forte præfero carni Domini mei, per quod me videlicet minus ea implere contingat, quæ in carne manens, verbis et exemplis me docuit; nonne liquido constat, quod toto nequaquam diligo corde, cum illud divisum habens, partem impendere videar (*b*) carni ejus, partem intorquere ad propriam? Denique ait [6] : *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Ergo, ut breviter dicam, toto corde diligere, est omne quod blanditur, de carne propria vel aliena, sacrosanctæ carnis amori (*c*) postponere. In quo et mundi æque gloriam comprehendo, quia gloria mundi est gloria carnis; et qui in ea delectantur, carnales esse non dubium est. »

Vita Christi fundamentum ædificii nostri et cibi animæ.

Quid s toto co de Deu diligere

Vides quomodo etiam carnalis est hæc meditatio, respectu spiritualis. Hoc non accipias, ut minuatur devotio; sed ut fervor crescat ad majora, ad quæ tamen per hæc transeundo, te venire oporteat; in hac etiam ferveat tuus affectus, ut in eam te totum immergas. Bona est enim hæc meditatio carnalis, per quam vita carnalis excluditur, contemnitur et vincitur mundus. Sed et sic faciendo stabilies mentem, erudieris (*d*) ad virtutes, et animi robur accipies, ut in prologo tibi dixi. Hæc ergo meditari sit tota et una intentio tua, requies tua, cibus tuus, studium tuum. Nam ex his non solum prædicta bona consequeris, nec solum erunt tibi gradus ad cœlestis patriæ et ad majestatis contemplationes; sed etiam erit continua et perpetua consolatio tua. Non enim qui ad majorem contemplationem ascendunt, hanc dimittere debent pro loco et tempore. Alioquin viderentur hanc quasi vilem contemnere : quod esset magnæ superbiæ. Unde recordare, quod habuisti supra in tractatu hujusmodi contemplationis, scilicet de humanitate Christi, quam beatus Bernardus, qui fuit altissimus contemplator, nunquam dimisit. Imo, ut in suis sermonibus patet, eam supra modum amplectitur et extollit.

Conte platio medit tio v Christ sunt gr dus, qu bus p venitu ad sal tem.

CAPUT C.

De modo meditandi vitam Christi, et de conclusione opusculi.

Volo autem tibi tradere modum, quem teneas in meditando prædicta : ne si forte teipsam crederes pertingere et extendi ad omnia, quæ supra reperies, quasi per molem gravem ne-

[1] Bern., *super Cant.*, serm. XX, n. 6. — [2] Ibid., n. 7. — [3] *Joan.*, VI, 64. — [4] *Thren.*, IV, 21. — [5] II *Cor.*, V, 16. — [6] *Matth.*, XVII, 38.

(*a*) *Cæt. edit.* et sine. — (*b*) *Item* videat. — (*c*) *Item* amore. — (*d*) erudiens.

gligereris, maxime cum credam meditationibus prædictis unius hebdomadæ spatium convenire. Igitur scire debes, quod meditari sufficit solum factum quod Dominus fecit vel circa eum contigit fieri vel dici secundum historiam evangelicam, te ibidem præsentem exhibendo, ac si in tua præsentia fierent, prout simpliciter animo in dictis cogitanti occurrit. Moralitates autem et auctoritates, quas ad tuam instructionem in hoc opere posui, non expedit in meditationem adduci, nisi si qua virtus amplectenda, vel vitium detestandum, ipsa prima facie cogitationis occurrat. Eliges ergo in his meditandis, aliquam horam quieam, postea infra diem poteris discere moralitatem et auctoritates, et eas studiose memoriæ commendare. Quod omnino te facere convenit, quia pulcherrimæ sunt, et quæ te quasi in tota vita spirituali valeant informare.

Meditationes vitæ Christi per omnes dies hebdomadæ distribuendæ.

Meditationes vero sic divide, ut die Lunæ incipiens, procurras usque ad fugam Domini in Ægyptum. Et eo ibi dimisso, die Martis, pro eo rediens, mediteris usque ad apertionem libri in synagoga; die Mercurii exinde, usque in ministerium Mariæ et Marthæ; die Jovis abinde, usque ad passionem; die Veneris et Sabbati, usque ad resurrectionem; die vero Dominica, ipsam resurrectionem, et usque in finem; et sic per singulas hebdomadas facias, ut ipsa meditationes tibi reddas familiares : quod quanto magis facies, tanto facilius tibi occurrent, atque jucundius. Libenter converseris cum Domino Jesu, et vitam ipsius tanquam Evangelium, ad imitationem beatæ Cæciliæ, in corde studeas inseparabiliter collocare.

Conclusio Opusculi.

De cætero tempus est signandi librum; sed ne meis verbis, illud fiat de uberibus patris Bernardi, de quibus tibi tot flores, et tam pulchros decerpsi. Fiat conclusio in nomine illius, qui est liber signatus, Dominus noster Jesus Christus, ad cujus laudem totus est liber. Unde beatus Bernardus, quantum ad præsentem materiam spectat, sic ait super illo verbo : *Oleum effusum nomen tuum* [1] : « Est proculdubio inter oleum et nomen Sponsi similitudo, nec otiose Spiritus sanctus alterutrum comparavit. Ego autem dico in triplici qualitate olei, quod lucet, pascit, et ungit, si vos non melius habeatis; fovit ignem, nutrit carnem, lenit dolorem; lux, cibus, medicina. Vide idem nunc de Sponsi nomine : lucet prædicatum, pascit recogitatum, invocatum lenit et ungit. Et percurramus singula. [2] Unde, putas, in toto orbe tanta et tam subita fidei lux, nisi de prædicato Jesu? Nonne in hujus nominis luce Deus nos vocavit in admirabile lumen suum? Quibus illuminatis, et in lumine isto videntibus lumen, dicat merito Paulus [3] : *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* » Et infra : « Nec tantum lux est nomen Jesu (*a*), sed et cibus est. An non toties confortaris, quoties recordaris? Quid æque mentem cogitantis impinguat, quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat bonos mores atque honestos, castas fovet affectiones? Aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infunditur: insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Jesum. Si disputes aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus. Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus; sed est et medicina. Tristatur aliquis vestrum? veniat in cor Jesus, et inde saliat in os. Et ecce ad exortum nominis hujus, quod est (*b*) lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando? nonne si invocet nomen Jesu (*a*), confestim respirabit ad vitam! Cui aliquando, si (*c*) stetit ante faciem salutis hujus nominis, infuit (*d*) duritia, ut assolet, cordis, ignaviæ torpor, et rancor animi, languor acediæ? Cui fons forte siccatus lacrymarum, invocato Jesu, non continuo erupit (*e*) uberior, fluxit suavior? Cui in periculis palpitanti et trepidanti, invocatum virtutis nomen non statim fiduciam præstitit, depulit metum? Cui, quæso, in dubiis æstuanti et fluctuanti, non subito ad invocationem clari nominis emicuit certitudo? Cui in adversis diffidenti, si nomen adjutorii sonuit, defuit fortitudo? Nimirum morbi et languores animæ isti sunt; illud medicina. Denique et probare licet. *Invoca*, inquit [4], *me in die tribulationis, eruam te, et honorificabis me.* Nihil tam iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem. Siquidem cum nomino Jesum, hominem mihi propono mitem et humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, et omni denique puritate ac sanctitate conspicuum, eumdem ipsum

De nomine Jesu.

Suu mira encomia.

Discursus de nomine Jesu pulcher et devotus.

[1] Bern., *super Cant.*, serm. XV, n. 5. — [2] Ibid., n. 6. — [3] *Ephes.*, V, 8. — [4] *Psal.* XLIX, 15.

(*a*) *Cæt. edit.* Jesus. — (*b*) *Mabill. non habet* hujus, quod est. — (*c*) *Nec* si. — (*d*) *Neque* infuit. — (*e*) *Cæt. edit.* eruit.

Deum omnipotentem, qui suo me et (*a*) exemplo sanet, et roboret adjutorio. Hæc omnia mihi sonant, cum insonuerit Jesus. Sumo itaque mihi exempla de homine, et auxilium a potente; illa tanquam pigmentarias species; hoc tanquam unde acuam eas; et facio confectionem, cui similem medicorum nemo facere possit. [1] Hoc tibi electuarium habes, o anima mea, reconditum in vasculo vocabuli hujus, quod est Jesus : (*b*) salutiferum certe, quodque nulli unquam pesti tuæ inveniatur inefficax. Semper tibi in sinu sit, semper in manu, quo tui omnes in Jesum et sensus dirigantur et actus. Denique et invitaris [2] : *Pone me,* inquit, *ut signaculum in brachio tuo.* Sed hoc alias. Nunc vero habes, unde et brachio medearis, et cordi. Habes, inquam, in nomine Jesu, unde actus tuos vel pravos corrigas, vel minus perfectos adimpleas, itemque unde tuos sensus aut serves, ne corrumpantur; aut si corrumpantur, sanes. » Idem [3] : « Quam pulcher es angelis tuis, Domine Jesu, in forma Dei, in die æternitatis tuæ, in splendoribus sanctorum, ante luciferum genitus, splendor et figura substantiæ Patris, et quidem perpetuus, minimeque fucatus, candor vitæ æternæ ! Quam mihi decorus es, Domine mi, in ipsa tui hujus positione decoris! Etenim ubi te exinanivisti, ubi naturalibus radiis lumen indeficiens exuisti, ibi pietas magis emicuit, ibi charitas plus effulsit, ibi amplius gratia radiavit. Quam chara (*c*) mihi oriris [4], *stella ex Jacob!* quam lucidus [5] *flos de radice Jesse* egrederis ! quam jucundum lumen *in tenebris* visitasti me [6], *oriens ex alto !* quam spectabilis et stupendus etiam Virtutibus supernis, in conceptu de Spiritu sancto, in ortu de Virgine, in vitæ innocentia, in doctrinæ fluentis, in coruscationibus miraculorum, in revelationibus sacramentorum! Quam denique rutilans post occasum, Sol justitiæ, de corde terræ resurgis, quam formosus in stola tua ! Demum, rex gloriæ, in alta cœlorum te recipis : quomodo non pro omnibus his [7] *omnia ossa mea dicent : Domine quis similis tui?* [8] Hæc ergo, similiaque puto de (*d*) dilecto, intuentem sponsam advertisse, cum diceret [9] : *Ecce tu pulcher es et decorus;* neque hæc sola, sed insuper aliquid proculdubio de natura decoris (*e*) superioris, quod nostrum omnino prætervolat intuitum, et effugit experimentum. Ergo iteratio utriusque decorem substantiæ designavit. » Hæc Bernardus. Deo gratiarum actio viventi in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Bern., ibid., n. 7. — [2] *Cant.*, VIII, 6. — [3] Bern., *super Cant.*, serm. XLV, n. 9. — [4] *Num.*, XXIV, 17. — [5] *Isa.*, XI, 1. — [6] *Luc.*, I, 78. — [7] *Psal.* XXXIV, 20. — [8] Bern., ibid., n. 10. — [9] *Cant.*, I, 15.

(*a*) *Cæt. edit.* suomet. — (*b*) *Cæt. edit.* repet. Jesus. — (*c*) *Mabill.* clara. — (*d*) *Mabill.* puta in. — (*e*) *Item* naturæ decore.

STIMULUS AMORIS [1]

ARGUMENTUM

(*Ex editione Vaticana.*)

Opusculum hoc in tres partes distributum anno Domini millesimo quingentesimo decimoseptimo, die septima mensis Junii, Parisiis impressum fuit, et a magistro Joanne Quentin, sacræ Paginæ professore eximio, Canonico, et Pœnitentiario Parisiensi correctum et emendatum. Cujus editio longe copiosior, ac integrior est ea, quæ omnium ultima Venetiis prodiit, et magis concordat cum Trithemio, qui Opuscula Sancti Bonaventuræ connumerans, hoc quod *De passione Domini* inscribit, tribus libris constare affirmat, ejusque principium apponit, nempe : *Currite gentes undique.* Propterea visum est exemplar hujus antiquæ editionis sequi. Prologus vero longe diversus est ab eo, qui habetur in prœnominata editione Veneta. In ea enim, loco Proœmii, est devota illa oratio Auctoris : *Transfige, dulcissime Domine* Jesu, etc., cujus magna pars habetur supra in *Soliloquio*, cap. I; quæ etiam hic apposita est post Prologum antiquæ editionis. Argumentum vero hujus Opusculi, quod est in antiqua editione, sic habet :

Liber iste, qui stimulus amoris in dulcissimum, et piissimum Jesum Salvatorem nostrum non incongrue potest dici, in tres dividitur partes. In quarum prima de Christi gloriosissima passione agitur, videlicet quomodo homo ipsam passionem meditari debet, et quam sit utilis ejus meditatio : et qualiter, et quam libenter homo converti debet ad compatiendum Domino Jesu crucifixo : et alia plura, quæ circa ipsam passionem considerari possunt. In secunda vero parte, de his, quæ ad contemplationem disposita sunt, tractatur, videlicet qualiter homo possit amplius proficere, et magis Deo placere : qualiterque ordinatus esse debeat ad Deum, ad se, et ad proximum; et alia plura, quæ, ad ipsam contemplationem dispositiva et inductiva sunt. Tertia vero et ultima parte, de ipsa contemplationis quiete prosequitur, videlicet quæ sunt, quæ inducunt hominem ad contemplationis quietem, et quam gloriosissimum sit se mutare in Deum, qualiterque homo mutetur in Deum; et alia plura, quæ ad ipsius contemplationis quietem pervenire volentibus, perutilia, ac necessaria sunt. Qui vult habere saporem amoris in his, quæ sequuntur, debet cum humilitate et amore majestatem, et dignitatem Dei admirari, quantam humilitatem et passionem propter charitatem pro nobis moriendo in cruce sustinuit meditari, et ruminare cum amore, et cum ardentissimo desiderio; petitiones, quæ ibi continentur, sibi petere, et pro certo proficere in Christi amore [2].

[1] *Cf.* Edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, part. III, pag. 205; edit. Ven., an. 1611, tom. II, 8; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, pag. 199; edit. Ven., an. 1756, tom. XII, pag. 1. — [2] Enumerationem capitum hujus primæ partis, huic loco in cæteris editionibus assignatam, ad calcem tomi ipsius, id est ad indicem materiarum potius remittendam censuimus, et sic de aliis ejusdem Opusculi partibus.

PROLOGUS

[1] *Ad te, Domine, levavi animam meam; Deus meus, in te confido, non erubescam.* Confisus de tua liberalissima pietate, allectus mira suavissimi amoris et odoris tui suavitate, attractus instringibili vinculo tuæ ardentissimæ charitatis, ad te, qui habitas in cœlis, levavi oculos meos, splendore Solis justitiæ illustratus, charitatis tuæ lumine provocatus, avidissime requirens speciosissimum decorem amatissimi vultus tui. Sollicitant me intima, quæ tibi in me placita habeas. Quid autem mihi indigno servo acceptabilius, quam scire qualiter tanto Domino valeam famulari ? Ad tuum igitur amorem erectus, amici prece inductus, zelo interno coactus, qualiter quisque te studiose quærere debeat, qualiter invenire valeat, qualiter possit ad te accedere, et strictis tenere amplexibus, quibusdam meditationibus declamare præsumam. In quibus, etsi diversæ chordæ tanguntur, ad unum redactæ puris auribus faciunt melodiam. Quamvis enim diversæ et plurimæ materiæ in diversis capitulis describantur, tamen inde nihil resonat nisi perfectio animi ad divinum amorem. Si aliquid aliud inveneris, pie lector, legitime corrigas, et non rodas, quia malitia non est in causa, sed simplicitas. Diversum namque modum invenies in eis, ut, diversitate modi et materiæ, lectoris fastidium temperetur, et ejus anima ad cœlestia cautius elevetur variis illustrata radiis, cibis refecta diversis, multiplicique varietate allecta. Tu autem, frater mi Joannes de ordine Fratrum Minorum, qui Eucharistius appellaris, accipe munusculum quod a me indigno sæpe tua humilitas postulavit; nec irrideas meam ignorantiam, sed potius mihi parvulo balbutienti, et infantilibus artubus gestienti, sicut pia mater arride. Scio namque quod simplicitatem diligas, et fercula etiam rusticana sapide quodam famelico appetitu degustes. Insatiabile est enim desiderium tuum, et avide apprehendis oblata. Aperi ergo os tuum, et tibi quamvis rudis incorpora infra scripta. Ipsa enim præservativa sunt, et conservativa humidi radicalis, quia ea de ligno vitæ suscepi. Cave ergo ne lignum scientiæ retrahat ab hoc esu, et nudus apparere verearis coram Deo, insipidaque tibi sapida, et sapida tibi insipida videantur. Hic vero modum orandi, vivendi, et meditandi inveniet vir devotus. Istis justus ab infimis eripitur, ad intima tollitur, ad summa erigitur cum dulcore. Qui ergo voluerit usque ad perfectum crescere, legat et impleat, quæ scribam gratia Crucifixi irrigante.

ALIUS PROLOGUS SIVE ORATIO

Transfige, dulcissime Domine Jesu, medullas animæ meæ, suavissimo ac saluberrimo vulnere amoris tui. Vulnera viscera animæ meæ, vera, et firma, et apostolica charitate : ut vere ardeat, langueat et liquefiat anima mea solo semper amore, et desiderio tui. Concupiscat, et deficiat anima mea in atria tua, cupiat dissolvi et esse tecum. Da, ut anima mea te solum semper esuriat panem vitæ cœlestis, qui de cœlo descendisti, panem angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum et supersubstantialem, habentem omnem saporem, et omnem dulcorem, et omne delectamentum suavitatis, in quem desiderant angeli prospicere. Te semper esuriat, te comedat cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ. Te semper sitiat fontem vitæ æternæ, fontem sapientiæ, fontem scientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, et ubertatis domus Dei. Te semper ambiat, te quærat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, de te loquatur, et omnia operetur ad laudem et gloriam nominis tui, cum omni humilitate et discretione, omni dilectione et delectatione, omni facilitate et affectu, omni patientia et pace perfecta, omni longanimitate et perseverantia usque in finem : ut tu solus semper sis mihi spes mea, gaudium meum, jucunditas mea, fiducia mea, divitiæ meæ, dilectio mea, quies mea, tranquillitas mea, dulcedo

[1] *Psal.* XXIV, 2.

mea, suavitas mea, cibus meus, refectio mea, tutela mea, sustentatio mea, expectatio mea, refugium meum, auxilium meum, refrigerium meum, patientia mea, protectio mea, responsio mea, locutio mea, meditatio mea, operatio mea, thesaurus meus, in quo solo fixa et firma, et immobiliter radicata sit semper mens mea, et cor meum. Amen.

PARS PRIMA

CAPUT PRIMUM.

Quomodo debet homo libenter Christi passionem meditari.

Currite, gentes, undique, et miramini erga vos charitatem Dei, et erga ipsum cæcitatem et malitiam vestram. Si enim Dei Filius voluit inseparabiliter conjungi naturæ humanæ, quanto magis anima vestra deberet sibi inseparabiliter copulari? Si enim Dei Filius voluit tanto charitatis fervore sic vilissimos cineres sibi venire, quanto avidius deberet unusquisque ad recipiendum ipsum devotissime cor suum recipere? Quæ vesania animæ, quod hoc negligit, et potius vult stercoribus adhærere! Non enim assumpsit Filius Dei carnem, ut homo carni adhæreat, sed sicut ipse in carne existens carnem afflixit, et carnalia contempsit, et anima ejus semper Deo Patri adhæsit; sic homo carnem mortificet, et semper se exigat ad divina. O mirabilis cæcitas hominis, qui cum ex anima et carne consistat, et anima sine comparatione melior sit et nobilior ipsa carne, totum tempus expendit in provisione carnis, sive in his quæ caro requirit; et animam suam negligit, ac si nihil esset, nec ipsam pascere, nec ipsam nutrire, nec in summo quietare studet Creatore: cum tamen hoc lenius, suavius, delectabilius, seu opportunius sine comparatione valeat impetrari. Ubique se enim offert homini Deus, et suiipsius nisi mortem Filii sui pretium non requirit. Corporalia autem semper fugiunt, nec etiam cum omni sollicitudine et labore, ac anxietate, possunt plene ab aliquo possideri in hoc mundo: nisi forte dicamus, quod plene omnia contemnit. Sed quod mirabile est, hoc sibi facit anima a carne aliquantulum inclinata, non tamen coacta. Nam voluntarie subdit se carni, et carnis beneplacita nititur adimplere, et Deo suo subdere cum omni exhortatione, beneficiorum collatione, interna inspiratione contemnit, et in proprio bono, id est, in propria utilitate non vult Dei voluntatem facere. Certe si anima non esset pejor omni animali, Deum, cui similis est, deberet super omnia diligere, et de cæteris non curare. Si ergo, anima, carnem diligis, nullam carnem, nisi carnem Christi ames. Hæc enim pro tua, et totius humani generis salute, est super aram crucis oblata, cujus passionem in corde rumines quotidie. Hujus enim passionis Christi meditatio continua mentem elevabit: quid agendum, quid meditandum, quidque sciendum et sentiendum sit, indicabit: te demum ad ardua inflammabit: te vilificari, et contemni, et affligi faciet: affectus tuos tam in cogitatione, quam in locutione, ac etiam operatione regulabit. O passio desiderabilis! o mors admirabilis! Quid mirabilius, quam quod mors vivificet, vulnera sanent, sanguis album faciat, et mundet intima, nimius dolor nimium dulcorem inducat, apertio lateris cor cordi conjungat? Sed adhuc mirari non cesses, quia sol obscuratus plus solito illuminat, ignis extinctus magis inflammat, passio ignominiosa glorificat. Sed vere mirabile est, quod Christus in cruce sitiens inebriat, nudus existens virtutum vestimentis ornat, sed et ejus manus ligno conclavatæ nos solvunt, pedes confossi nos currere faciunt, emittens spiritum vitam inspirat, in ligno decedens ad cœlestia vocat. O passio mirabilis, quæ suum meditatorem alienat, et non solum reddit angelicum, sed divinum! Nam per meditationem commorans in Christi tormentis, etiam seipsum non videt, semper intuetur Dominum suum passum, vult secum crucem bajulare, et pro ipso levissime omne bonum et malum vult portare; et ipse in corde portat cœlum et terram pugilo tenentem. Vult secum spinis coronari; et ipse spe gloriæ coronatur. Vult secum in ligno sine vestimentis frigescere; et nimio amoris ardore accenditur. Vult secum acetum gustare; et vino inenarrabilis dulcedinis potatur. Vult secum in cruce existens sibi illudi; et ipse ab angelis honora-

Passionis Christi meditatio quam utilis.

tur, et a beata Virgine in filium adoptatur. Secum volens tristari, lætatur; secum volens affligi, consolatur, et nimium jucundatur. Cum Christo vult in cruce pendere; et eum dulcissime Christus amplexatur. Secum vult faciem mortis pavore perfusam inclinare; et ejus caput Christus elevans suavissime osculatur. O mors amabilis! o mors delectabilis! O cur crucis illius loco non fui, ut Christus fuisset manibus meis et pedibus conclavatus? Certe illi Joseph ab Arimathia dixissem : Non auferas Jesum a me, sed me secum sepelias in sepulcro : non enim volo amplius ab ipso separari. Sed si hoc modo facere non possum corpore, saltem hoc volo mente. Bonum est enim secum esse, et in ipso volo tria tabernacula facere, unum in manibus, unum in pedibus, sed aliud continuum in latere, ubi volo quiescere, dormire, videre, bibere, comedere, legere, orare, et omnia mea negotia pertractare. Ibi loquar ad cor ejus, et ab ipso, quod voluero, impetrabo. Sic faciens dulcissimæ matris vestigia sequar, cujus *animam* [1] passionis *Filii gladius pertransivit.* Secure de cætero ipsam alloquar vulneratus, et ipsam ad quod voluero, inclinabo. Et non solum apparebo cum Filio suo crucifixus, sed ad præsepe rediens, ibi cum eo jacebo parvulus, ut ibidem cum suo Filio suis uberibus merear ablactari. Miscebo igitur lac Matris cum sanguine Filii, et mihi faciam unam dulcissimam potionem.

Raptus mirabilis S. Bonaventuræ.

O amatissima vulnera Domini nostri Jesu Christi! Nam cum in ea quadam vice oculis subintrarem apertis, ipsi oculi sanguine sunt repleti, sicque nihil aliud videns cœpi ingredi manu palpans, donec perveni ad intima viscera charitatis suæ, quibus post undique circumplexus reverti nequivi. Ideoque ibi inhabito, et quibus vescitur cibis, vescor, ac inebrior suo potu. Ibi tanta abundo dulcedine, ut tibi non valeam enarrare. Et qui prius fuerat pro peccatoribus in utero virginali, tunc dignatur me servum suum intra viscera sua comportare. Sed multum timeo, ne veniat partus ejus, et ab illis deliciis excidar, quibus fruor. Sed certe, etsi me pepererit, debebit sicut mater me lactare uberibus, levare manibus, portare brachiis, osculari labiis, foveri gremiis, aut certe quid faciam scio. Quantumcumque me pariat, scio, semper sua vulnera sunt aperta, et per ea in ejus uterum iterum introibo, et hoc toties replicabo, quousque ero sibi inseparabiliter conglobatus. O cæcitas filiorum Adæ, qui per hæc vulnera in Christo (*a*) nesciunt introire! Supra suas vires laborant in vanum, et aperta sunt ostia ad quietem. An ignoratis, quod Christus est gaudium beatorum? Cur ergo tardatis per sui corporis foramina in illud gaudium introire? Quomodo insanitis, quia beatitudo angelorum patet, et circumstans, aut paries ejus confractus est, et vos introire negligitis? An forsan expectatis, quod prius resolvatur corpus vestrum, non credentes quod in Christo in præsenti anima valeat quietari? Sed crede mihi, o homo, quia si in ipsum per hæc angusta foramina intrare volueris, non solum anima, sed etiam quietem ac dulcedinem mirabilem inveniet corpus tuum : et quod carnale est, et ad carnalia tendit, ex illo vulnerum introitu fiet adeo spirituale, ut cæteras præter eas, quas ibi sentit, delicias reputes esse nihil. Imo fortasse aliquando anima propter aliquam obedientiam vel utilitatem dictabit esse recedendum, et caro allecta illa dulcedine dicet ibi esse immorandum. Et si ita accidit de corpore, quanta credis animam frui dulcedine, quæ per illa foramina conjungitur cordi Christi? Certe exprimere tibi nequeo; sed experire, et scito. Ecce aperta est apotheca omnibus aromatibus plena, et medicinalibus opulenta. Per vulnerum ergo fenestras intra, et accipe medicinam sanativam, restaurativam præservativam et conservativam. Ibi quascumque volueris species accipe. Ibi quæcumque delicata appetieris electuaria sume.

Si etiam suavitatis unguentis volueris deliniri, per illa intrare vulnera non postponas. Ecce aperta est janua paradisi, et per lanceam militis gladius versatilis est amotus. Ecce lignum vitæ tam in ramis, quam in stipite perforatum, in quibus foraminibus nisi pedes, id est, affectus posueris, non poteris capere fructus ejus. Ecce apertus est thesaurus divinæ sapientiæ, et charitatis æternæ. Intra ergo per vulnerum aperturam, et cum cognitione delicias obtinebis. O quam beata lancea, et beati clavi, qui apertionem hujusmodi facere meruerunt! O si fuissem loco illius lanceæ, exire de Christi latere noluissem, sed dixissem [2] : *Hæc requies mea in sæculum sæculi. Hic habitabo, quoniam elegi eam!* O stulti et tardi corde, qui ad possidendum ali-

[1] *Luc.*, II, 35. — [2] *Psal.* CXXXI, 14.

(*a*) *Leg.* Christum.

quod vanum per incerta foramina introitis, et inde etiam exire multoties non potestis; sed ad possidendum Dei Filium summum bonum, candorem et splendorem æternum, per apertas vulnerum januas non introitis! O anima ad imaginem Dei facta, quomodo te potes amplius continere? Ecce Sponsus tuus dulcissimus pro te vulneratus, jam factus gloriosus, te cupit amplecti, et tibi dulcissima elargiri oscula; et ad ipsum negligis festinare? Nam præ nimio amore aperuit sibi latus, ut tibi tribuat cor suum; sibi etiam voluit pedes et manus perforari, ut cum ad ipsum perveneris, sic tuæ manus intrent in suas, ac pedes tui in suos, ut sibi inseparabiliter conjungaris. Obsecro secundum Apostolum [1], *omnia proba*, hoc experiri coneris, et si ibi bonum tibi videtur, inde amplius ne discedas: et non dubito, quod si fueris expertus, omnia, præter ipsum, amaritudinem reputabis. Velles libenter tunc tibi illa vulnerum ostia, postquam intraveris, obserari, ut inde exire amplius non valeres. Admiraberis tunc valde tuam et aliorum super hoc habitam cæcitatem. Gaudebis nihilominus de tanta dulcedine, quam tu senties; et in tantum etiam inflammabitur cor tuum, ut quasi nitens anima de corpore exire velit, et naturaliter in Christi vulneribus habitare. Et inebriabitur anima a tanta dulcedine et fervore, et vix poteris eam ad aliud inclinare. O vulnera corda saxea vulnerantia, et mentes congelatas inflammantia, et pectora adamantina liquefacientia præ amore! O certe vita, dulcedo, et spes nostra! Si enim per meditationem istius passionis ad illam perveneris dulcedinem, de qua dixi, vel etiam ad majorem, attende ne velis ipsam passionem meditari propter aliquam dulcedinem temporalem, sed ut, tui Creatoris beneficium recognoscens, in ejus accendaris amore. Et hæc debet semper esse tua continua oratio.

ORATIO DEVOTISSIMA.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, propter tuam largitatem, et Filii tui, qui pro me sustinuit passionem et mortem, et Matris ejus excellentissimam sanctitatem, atque beati Francisci, et omnium Sanctorum merita: concede mihi peccatori, et omni tuo beneficio indigno, ut te solum diligam, tuo amore semper sitiam, beneficium passionis continue in corde habeam, meam miseriam recognoscam, et ab omnibus conculcari, et contemni cupiam: nihil me contristet nisi culpa. Amen.

[1] I *Thess.*, v, 21.

CAPUT II.

Qualiter debet homo niti ad compatiendum Christo crucifixo.

Ad compatiendum Domino Jesu Christo crucifixo, primo studeas, quantum potes, te unire illi per ferventem amorem. Nam quanto ferventius diliges eum, tanto magis suæ compatieris passioni: et quanto plus ei compatieris, tanto plus erga eum tuus accendetur affectus. Unde sic mutuo se augebunt dilectio et compassio, donec venias ad perfectum, nisi hoc remanserit propter aliquam tuam miseriam. Et præcipue studeas abjicere omnem præsumptionem, diffidentiam et negligentiam: debet enim homo tam nobile opus aggredi humiliter, et confidenter, et instanter, et cum quanta potest munditia cordis. Et quamvis homo videatur sibi indignus et nequam, nihilominus non desistat, quia ipse pro peccatoribus crucifixus est.

Instructio ad compatiendum Christo crucifixo prima.

Primo igitur sic sibi uniaris amore, ut cor tuum jam sibi, non tibi, videatur conjunctum. Quomodo enim tunc non senties ejus vulnera? Aut quas passiones habebit, quæ non perfundant cor tuum? Studeas ergo, quantum potes, ut cor tuum intret in ipsum totaliter, et te extra ipsum reputes esse nihil, et de te extra ipsum tanquam de nihilo curabis. Tota cura tua vertatur ad præsens circa Dominum tuum passum. Nam ejus es quidquid es, nec debes alteri de te quidquid exhibere. Si ergo translatus in ipsum sic fueris, non possum credere, quin ejus vulneribus vulnereris, et perfundaris ejus contumeliis, illusionibus et opprobriis. Tunc quantam jucunditatem et dulcedinem assequaris, Dominus per suam misericordiam te faciat experiri. Male enim scirem hoc tibi calamo declarare. Et si hæc tibi nimis alta videntur, nec ad hæc bene pertingere potes, sicut velles; potes te adhuc exercere modo alio grossiori subsequenti.

Instructio secunda.

Debes enim cogitare quantam passionem sustineres, si excoriareris sicut beatus Bartholomæus, vel assareris ut beatus Laurentius, aut usque ad ossa carnes tuæ dentibus ferreis lacerarentur. Alias etiam cogita pœnas, quas volueris, et passiones; et cum ita, ista cogitando

super te, conceperis quemdam horrorem nimiæ passionis, tunc cogita quod Dominus noster Jesus Christus pro te vilissimo peccatore multo graviores et intolerabiliores sustinuit in cruce dolores, quam tu sustineres in passionibus supradictis. Tunc ergo rumina in corde tuo, quantam sustinuit angustiam et afflictionem, et quantus amor ad hoc ipsum induxit: et sic meditando afficiatur cor tuum illis doloribus, quantum potest, et, quasi illos sustineres, amarissimis lacrymis perfundaris: nec dubium quin in dulcedinem maximam convertantur.

Instructio tertia. Et si adhuc hoc tibi non valet, melius experire. Facias tibi unum bonum flagellum multum afflictivum, et non nimis læsivum, et in abscondito egregie te flagella, non parcens corpori, donec fuerit bene perfusum dolore. Et tunc, cum illos senties dolores, ad Christum passum dirige cogitatum tuum, et meditare, quod dulcis dilectus Sponsus tuus, amor tuus, desiderium animæ tuæ, angelorum solatium, beatorum præmium, Dominus Jesus Christus pro te vilissimo stercore voluit in suo corpore quasi sine comparatione sustinere multo intensiores dolores. Et non dubites, quod ultimum istud remedium multum valet, quia per passiones addiscit homo compati patienti. Ad hæc omnia addas orationem, ut quasi continue depreceris Dominum Jesum Christum, ut suis vulneribus mentem tuam vulneret: ut per ipsas passiones et vulnera, a sua largitate impetres, quod intendis.

Instructio quarta. Et si hæc omnia non valent tibi propter duritiem cordis tui, te tanquam stercus abhorrens plores amare, et dicas: Usquequo cordis mei nequitia prævalebit adversus Jesum Dominum meum passum, cujus vulnera vicerunt diaboli potestatem, superaverunt primi parentis veneficia, confregerunt portas inferni, et aperuerunt portas paradisi, et in tantum abundat malitia cordis mei, ut non devincatur a tam excellentissima bonitate? Quid ergo me nequius, et quid majus malitia cordis mei? Heu mihi! quid faciam, qui nimium infirmus a passione Domini mei Jesu Christi nequeo recipere medicinam? Non cessent oculi mei a ploratu, donec lacrymarum abundantia demolliat duritiam cordis mei. Heu, heu, [1] *quo ibo a spiritu tuo?* Quid faciam, ex quo animæ meæ vitam nescio invenire, et erga me summam diffusionem divinæ clementiæ non valeo degustare? *Sedebo in sterquilinio* [2], et mentis meæ *saniem testa radam:* affligam me de cætero, nec aliquatenus mihi parcam, donec in afflictione inveniam Dominum meum afflictum. Mirum est certe, quomodo homo habet (*a*) patientiam in seipso, videns tantam nequitiam cordis sui, et non doleat. O cor pessimum, imo diabolicum, usquequo resistes largitati immensæ? Quare magis delectaris in vulneribus peccati, quam in vulneribus Jesu Christi? Quare magis compateris parvæ puncturæ pedis tui, quam gravissimæ morti Domini tui, et intensissimo dolori patris tui, vitæ animæ tuæ Christi? Ubi major imbecillitas et insania? O homo, nonne tibi videtur quod illum plus diligis, cui plus compateris in dolore? Et numquid ergo plus diligis pedem tuum, quam Dominum tuum, quia scilicet isti pedi plus compateris in parva afflictione, et in illum quasi cor tuum tendis, quam illi, scilicet Domino Deo tuo, in maxima angustia et dolore? et parum aut nihil inclinatur cor tuum ad ipsum? O cæcitas immensa! o (*b*) serpentibus deterior es, qui in afflictione compatiendo capiti, totum corpus suum exponunt flagello! Sed certe videtur quod tanquam membra putrida jam sumus excisi a capite nostro Jesu Christo, quia, ipso vulnerato, ejus vulnera non sentimus. Heu, heu, Domine mi, quare me fecisti, si non debeo tibi esse conjunctus? Aut si tibi sum conjunctus, quare non sum tecum pariter vulneratus? Pro me, Domine, pro me vulneratus es, non pro te; et tu vulnera portas, non ego. Quid est hoc? Ego debeo esse subjectum vulnerum, et non tu, quia ego sum qui peccavi, ego qui inique egi; sed tu, qui es innocens ovis, quid fecisti? Vertantur, obsecro, vulnera hæc in me, et in domum patris mei. Redde nobis, Domine, redde vulnera nostra, ne tu, qui innocens es, nocens appareas, retinens vulnera aliena, aut saltem tecum vulnera corda nostra. En mori volo, nisi vulneres mentem meam. Abhorreo videre cor meum non vulneratum, cum videam te Salvatorem sic pro me vilissimo cruci affixum. Aut ergo, Domine Jesu, me tecum convulnera, aut certe da mihi licentiam transverberandi meipsum materiali gladio. Nolo enim, Domine, sine vulnere vivere, quia te video vulneratum. Si

[1] *Psal.* CXXXVIII, 7. — [2] *Job*, II, 8.

(*a*) *Leg.* habeat. — (*b*) *Suppl.* quanto.

hæc omnia non valuerint tibi, tam nobilissimo beneficio es indignus; et de cætero non reputes te hominem, sed bestiam, et cum feris sit habitatio tua, quia indignus es consortio aliorum. Forte tamen si multum te humiliaveris, ille, qui[1] *respexit humilitatem ancillæ suæ*, respiciet humilitatem animæ tuæ, et dabit tibi cor novum, ut cognoscas Dominum Deum tuum passum. Sed quando, Domine Jesu, quando hoc erit? Differre, Domine, mors mihi est. Et si multum expectaveris, forte desiderio liquefiam, et postmodum in liquido vulnera permanentia imprimi non valebunt. Nam anima mea, Domine, incipit jam languere, et quasi ad nihilum redigor, desiderans tuis vulneribus consolari. O Domine Jesu, ubi est sapientia tua? An ignoras, quod melius est te habere creaturam tuam vulneratam, quam ad nihilum redactam? Non ergo me, quæso, differas vulnerare, ne multa dilatione amittas, quem tuo pretioso sanguine redemisti. Curre, curre, Domine Jesu; curre, et me vulnera, quia fortasse nihil de me invenies, si expectas. Sed, heu mihi, quam vilis factus sum! quia videtur etiam quod Deus qui inimicos diligit, me odiat. Numquid ergo plusquam inimicus factus sum? Nam ut inimicos redimeret, voluit lethaliter vulnerari; et ego deficio, et non videtur curare. Non enim peto, ut pro me amplius vulneretur, sed ut mihi quasi jam mortuo applicet sua vulnera, et revivam.

Domine Jesu, ferrum, tuam creaturam insensibilem, voluisti tuum corpus vulnerando intrare; et me tuam creaturam rationalem intrare per jam facta vulnera non permittis. Quid est hoc? Numquid cor meum est durius et vilius omni ferro? An cogitas, quod crudelius est? Sed mea crudelitas non tibi oberit, si intravero, cum amodo sis impassibilis. Quantumcumque enim intrem per tua vulnera, et discurram, et tuas carnes comedam præ amore, semper impassibilis permanebis, et meus satiabitur appetitus, ita tamen quod amplius incendatur. Sed quid vociferabor amplius? Tardas, et non venis, et jam lassatus desiderio incipio insanire. Amor regit, et non ratio, et curro cum impetu, quocumque me volueris inclinare. Nam qui me vident, derident, et quod tuo amore sim ebrius, non cognoscunt. Dicunt enim : Quid iste insanus vociferatur in plateis? Et quantum sit desiderium non advertunt. Ignorant, quod amor tuus incensus impedit usum sensus; et quod qui te ferventer quærit, seipsum et omnia derelinquit; et qui te quærit puro corde, sic parum de extrinsecis curat, ut etiam quid faciat multoties non advertat. Veni, Domine, bone Jesu, et noli amplius tardare, ne præ nimio desiderio fiam simpliciter sine sensu. Sed forsitan hoc requiris, ut cum ab omnibus fuero abstractus, purus intrem per vulnera tua gloriosa, quibus tunc plenarie vulneres amantem. Tunc clamabo, et dicam : Heu, heu mihi, Domine mi Jesu, quomodo te video crudeliter vulneratum! quanto dolore te video aggravatum! Quis mihi hoc tribuat, ut pro te moriar, dulcissime Domine Jesu? Te videre vivere in tanto dolore sustinere non possum; te aspicere horreo supra modum; te etiam liberari, mors mihi esset : et ideo angustiæ sunt mihi undique, et quid eligam, ignoro, nisi tecum pariter crucifigi. Tuas angustias considerans, in meipso deficio; etiam exanimis efficior præ dolore, et ita, quod pro me sustines tanta mala. Quid fecisti, Domine? quare pro me vilissimo ascendisti in crucem? Et quid sum ego vilissimus vermis, putredo detestabilis, pro quo tu Dominus omnium debeas sic affligi, cum tu sis sapientia Patris? Quare talem commutationem fecisti, ut dares vitam pro morte, veritatem pro vanitate, gratiam pro malitia, gloriam pro miseria? Quis, quare hoc tu potens feceris, poterit cogitare vel judicare? Nimia fuit dilectio tua, et in hoc apparuit abyssus, tuæ scilicet immensitas pietatis. Non enim in te video causam mortis, nisi superabundantiam charitatis. Nonne melius erat, bone Jesu, ut non essem, quam ut factus te occiderem? Et cur carnes meas non lacero præ dolore, aut quomodo me omnis creatura non occidit, qui fui occasio tuæ mortis? Nonne mirabile videtur me cogitare te tam nobilissimum et benignissimum Dominum pro me tam vilissimo mortuum, et non statim deficere præ nimia tristitia? Et quomodo, si non esset tuæ contrarium voluntati, me materiali gladio non occido præ dolore, qui fui occasio tuæ mortis? Cum patientia ergo magna me debeo sustinere, sicut sustinerem aliquem inimicum meum coram oculis meis, cum video (*a*), quem toto corde occidere affectarem, quamvis non auderem aliqua ratione. Nonne et hoc nequissimum est, quod post tam admirabile et fruc-

[1] *Luc.*, I, 48.

(*a*) *Forte legendum* eum videndo.

tuosum tuæ passionis beneficium non cesso peccare in conspectu oculorum tuorum, ac si tua passio nihil esset? Te mihi dedisti, et te renuo: tenebras effugasti, et ipsas incurro: mundum abjecisti, et ipsum eligo, vel elegi. An non vides, patientissime Domine Jesu, quod semper nitor facere tuæ contrarium voluntati, et in facie tibi resisto aperte? Si dicis: Nolo ut hoc facias; dico: Volo. Si dicis: Volo ut hoc fiat; dico: Nolo. Scio te Dominum meum summum bonum esse, et nihil ego sum; et ad te, ac si nihil esses, non aspicio, sed converto cordis et corporis mei faciem ad ea, quæ vana sunt, et aliquando ad quæ incongruum est nominare, et sic eis cor meum amoris vinculo colligatur, ut ad te, cujus est, nequeat elevari: et hoc certe detestabilis abusio est. Sed numquid, bone Domine Jesu, voluisti pro me frustra mori, qui quem sic care emisti, pro nihilo perdidisti? Me tecum occidas, et pariter transfigas, ne a te valeam amplius separari, ut tecum possim vivere in æternum. Amen.

ORATIO DEVOTISSIMA.

Domine Jesu Christe, cor meum tuis vulneribus saucia, et tuo sanguine inebria mentem meam: ut quocumque me vertam, semper te videam crucifixum; et quidquid aspexero, in tuo sanguine mihi appareat rubricatum: ut sic in te totus tendens, nihil præter te valeam invenire, nihil nisi tua vulnera valeam intueri. Hæc mihi consolatio, tecum, mi Domine, vulnerari; hæc intima sit mihi afflictio, sub te aliquid meditari. Non quiescat cor meum, bone Jesu, donec inveniat te centrum suum. Ibi cubet, ibi suum terminet appetitum. Amen.

CAPUT III.

Meditatio compassiva, in Parasceve, doloris quem tunc habuit beata Virgo Maria.

[1] *Stabat juxta crucem Jesu Mater ejus.* O Domina mea, ubi stabas? Numquid tantum juxta crucem? Imo certe in cruce cum Filio, ibi crucifixa eras secum. Sed hoc distat, quia ipse in corpore, tu autem in corde. Necnon et ejus vulnera per corpus ejus dispersa, sunt in corde tuo unita. Ibi, Domina, lanceatum est cor tuum; ibi spinis coronatum; ibi illusum, exprobratum, et contumeliis plenum, aceto et felle potatum. O Domina, cur ivisti immolari pro nobis? Numquid non sufficiebat filii passio nobis, nisi crucifigeretur et mater? O cor amoris, cur conversum es in globum doloris? Aspicio, Domina, cor tuum; et id non cor, sed myrrham et absynthium, et fel video. Quæro matrem Dei; et ecce invenio sputa, flagella, et vulnera, quia tota conversa es in ista. O amaritudine plena, quid fecisti? Cur vas sanctitatis fecisti vas pœnalitatis? O Domina, quare non es solitaria in camera tua? Quare ivisti ad Calvariæ locum? Non est tua consuetudo, Domina, ad talia spectacula properare. Cur te non retinuit pudor mulieris: cur te non retinuit horror facinoris? Cur te non retinuit verecundia virginitatis? Cur te non retinuit loci turpitudo, multitudo vulgi, detestatio mali? Cur te non retinuit clamoris vehementia, stultorum vesania, dæmoniacorum caterva? Hæc non considerasti, Domina, quia cor tuum alienatum totum præ dolore non erat in te, sed in afflictione Filii, et in vulneribus unici, et in morte dilecti. Non considerabat cor tuum vulgus, sed vulnus; non pressuram, sed fixuram; non clamorem, sed livorem; non horrorem, sed dolorem. Revertere, Domina, ad locum pristinum, ne cum percussione pastoris, te etiam amittamus, ut non una hora utriusque privemur regimine. Non est consuetudo, Domina, mulieres tali morte condemnari; nec etiam contra te, Domina, sententia est promulgata. Sed, ut puto, audire hæc non potes, quia amaritudine repleta es: totum cor tuum versum est, Domina, circa filii tui passionem. O mira res! tota es in vulneribus Christi, totus Christus crucifixus est in intimis visceribus cordis tui. Quomodo est hoc, quod continens sit in contento? O homo, vulnera cor tuum, si vis hanc intelligere quæstionem. Aperi cor tuum clavis, et lanceæ (*a*), et veritas subintrabit. Non enim intrabit Sol justitiæ in cor clausum. Sed, o vulnerata Domina, vulnera corda nostra, et in cordibus nostris tuam, et filii tui renova passionem. Cor tuum vulneratum conjunge cordi nostro, ut tecum tuis vulneribus pariter vulneremur. Cur hoc tuum cor saltem, Domina, non habeo, ut, quocumque pergam, semper tuo filio videam te confixam. O Domina, si non vis mihi dare tuum filium crucifixum, nec cor tuum vulneratum,

[1] *Joan.*, XIX, 25.

(*a*) *Cæt. edit.* lancea.

saltem, quæso, mihi tribue filii tui vulnera, contumeliasque et illusiones, ac opprobria, et illa quæ in te sentis. Quæ enim mater est, quæ, si posset, et a se, et a suo filio non auferret passiones, et in suo poneret servo? Aut si sic inebriata es istis, quod nec ea vis a tuo corde, nec a tuo filio separare, saltem, Domina, illis ignominiis et vulneribus indignissimum me conjunge, ut tibi et filio tuo solatium sit habere socium pœnarum. O quam beatus essem, si possem vobis saltem in vulneribus sociari! Nam quid est majus hodie, Domina, quam habere cor junctum cordi tuo, et filii tui corpori perforato? Nonne cor tuum plenum est gratiæ illius? Et si apertum est, gratia illa non decurrit in cor sibi junctum? Et si filius tuus gloria beatorum, quomodo, si perforatum est corpus ejus, non emanat illius dulcedo gloriæ in cor sibi junctum? Non enim intelligo aliter posse esse; sed timeo ne simus aliquando longe, et credamus esse prope. O Domina, quare mihi quod peto non tribuis? Si te offendi, pro justitia cor meum vulnera. Si tibi servivi, nunc pro mercede peto vulnera. Et ubi est, Domina, ubi est pietas tua? ubi est immensa clementia tua? Quare facta es mihi crudelis, quæ semper fuisti benigna? Quare facta es mihi amara, quæ semper fuisti dulcis et pia? Quare facta es mihi avara, quæ semper fuisti liberalis et larga? Non peto a te, Domina, solem, neque sidera, sed peto vulnera. Quid est hoc, si de istis vulneribus es avara? Aut a me, Domina, vitam auferas corporalem, aut cor meum vulnera. Verecundum enim et opprobriosum est mihi, videre Dominum meum Jesum vulneratum, et te convulneratam Dominam, et me servum vilissimum pertransire illæsum. Certe scio quid faciam: vel tibi sine cessatione vel intermissione, cum clamore et lacrymis, tuis pedibus provolutus postulabo, proclamabo, et ero nimium importunus, et hæc mihi tribues; aut si me percusseris, ut recedam, tamen stabo, et tua sustinebo flagella, donec ero undique vulneratus: nec aliud a te nisi vulnera peto. Si autem sine percussione blandiri volueris, perseverabo constans, et tua recipiam blandimenta, et ipsæ blanditiæ cor meum vulnerabunt amore. Si autem nec quidquam dixeris, tunc cor meum vulnerabitur tristitia et dolore, et sic sine dolore non recedam.

CAPUT IV.

Circa passionem Domini sex consideranda.

Circa passionem Domini Jesu sic potest homo se habere ut consideret eam: primo, ad imitandum; secundo, ad compatiendum; tertio, ad admirandum; quarto, ad exultandum; quinto, ad resolvendum; sexto, ad quiescendum.

Primo igitur eam consideret ad imitandum: hæc enim est summa et perfectissima Christiani imitatio. Hæc est summa et perfectissima vita imitando Christum. Hæc est summa et perfecta religio, et religiosa perfectio. Hæc est regula et exemplar perfectionis omnis vitæ et virtutis, scilicet Christum imitari in passione et morte. Sit ergo regula nostra vivendi passio Salvatoris: et tanto amplius in hoc consolemur, quanto amplius Christo conformamur; et tanto amplius desolemur, quanto ab hoc exemplari et regula amplius elongamur. Semper ergo, quantum in nobis est, velimus ab omnibus conculcari, dejici, vilipendi, illudi, persequi, flagellari, et in divinis obsequiis ab omnibus exprobrari. Simus nudi cum eo nudo, et nihil penitus cupiamus: habere aliquid, sit nobis gravissima pœna et dolor immensus; nihil autem habere, plena exultatio. Abhorreamus dulcia et delectabilia degustare, et potius velimus vilibus et amaris cibari, et desideremus quod quælibet cibaria felleum nobis potius, quam melleum ferant saporem: quia ipse Christus felle et aceto fuit potatus. Et, ut breviter dicam, consideremus, quæ pro nobis sustinuit, qualiter in passionibus se habuit; et nos pro modulo nostro, quantum possumus, conformemus eidem.

Passio Christi consideranda est ad imitandum.

Secundo deberet eam homo considerare ad compatiendum. Debemus enim considerare ipsius flagella, illusiones et opprobria, et in corde nostro ruminare, et imaginari quanta ibi fuit dejectio, et contemptus erga Dominum nostrum Jesum Christum, quantus dolor, quantave afflictio in corde et corpore. Sic et ratione passionis, et compassionis pro peccatis nostris fuit. Consideremus ergo, quanta tunc amaritudine repletus erat angelorum dulcedo, quantumque aggravabat eum non tantum pœnæ illatio, et nostra ingratitudo, sed et assistentis Matris afflictio, quam sic diligebat, et quasi deficere præ compassionis dolore videbat. Ibi Filius crucifigebatur cum Matre, et propter mutuam et

Passio Christi consideranda est ad compatiendum.

intensam dilectionem ex compassione mutua erat nimia afflictio utriusque, et maxime cum pro invicem paterentur. Sciebat Mater, quod Filius patiebatur pro ipsa, sicut pro reliquis redimendis; sciebat Filius, et certissime scrutabatur, quod suus gladius, ex compassione, Matris animam pertransibat. Unde passio Filii erat passio Matris. Eia ergo, Christiane, hæc verte et converte in corde tuo, et totum cor tuum reple convitiis illis et pœnis, videns Dominum tuum et Sponsum tuum pro te talia sustinere. Si enim ei per amorem bene unitus fueris, tunc compatieris eidem. Si autem non sentis dolorem capitis, quomodo es unum cum ipso? Et sicut plus compatiendum est capiti, quam cæteris membris, sic magis sine comparatione sibi compati debemus, plusquam quantumcumque dilecto filio, vel amico, imo plusquam tibi ipsi, si omnia prædicta patereris. Nunc ergo, charissimi, felle et absinthio, atque myrrha inebriemur, et solum ejus vulnera sentiamus : transfigant cordis nostri intima, ejus convitia, flagella et vulnera, nec in nobis sit, quod non perfundatur compassionis dolore, et affligatur intense.

Passio Christi considerandaest ad admirandum.

Tertio consideremus eam ad admirandum. Si enim consideremus quis, quæ, pro quibus (*a*) passus est, multum mirari debemus. Quis? Scilicet Filius Dei verus, summe potens, sapiens et bonus; et simpliciter quidquid nobilitatis ei attribueris, nihil est adhuc respectu magnitudinis suæ. Omnia, quantumcumque bona sint et magna, sunt sicut quædam favilla, imo quædam vanitas in comparatione ipsius. Quæ? Scilicet peregrinationem, fugas, sitim, famem, calorem, frigus, tentationes, horrores, persecutiones, sputa, opprobria, vincula, flagella, illusiones et dolores, plagas et vulnera. Conspuitur enim gloria, condemnatur justitia, judex judicatur, inoffensus inculpatur, innocens infamatur, Deus blasphematur, Christus conculcatur, occiditur vita, obscuratur sol, luna denigratur, sidera disperguntur : et hæc omnia tolerat patienter ut agnus, cum solo nutu omnem creaturam demergere posset in profundum inferni. Sed pro quibus hæc patitur? Pro nequissimis mancipiis, pro sceleratissimis inimicis, imo pro diabolicis viris, et per imitationem diaboli filiis, pro contemptoribus divinæ majestatis, et divinæ bonitatis (*b*) ingratis. Ergo talis et tantus, talia et tanta, pro tam vilissimis et abjectissimis passus est. Sed a quibus? A specialiter prædilectis, quibus omnem benignitatem ostendit, a vilissimis maximus, a stultis sapientissimus : quia Dei Verbum, et Dei Sapientia, ab impiis summe pius, a sanie fœtidissima Splendor æternus. In his ergo omnibus in (*c*) divinæ benignitatis et largitatis admirationem elevemur.

Pa: Chri consi randa ad ex tandu

Quarto consideremus eam ad exultandum. Exultare in ea debemus de redemptione humana, restauratione angelica, et divina clementia. De redemptione humana sine dubio nimis gaudere debemus facta per Christi passionem et mortem. Quis, quæso, non exultet et gaudeat, cum cernit seipsum per hanc beatissimam passionem liberatum a damnatione æterna, a culpæ ignominia, a potestate diabolica? Sed quis non exultet in immensum, cum cernit Deum ipsum in tantum diligere, ut tantæ vilitati et pœnalitati subjecerit semetipsum pro eo? Non quod gaudeat de ejus vilitate et passione dico, sed de ejus effectu, affectusque et amoris manifestatione. Quis princeps in regno vel imperio alicujus imperatoris, vel regis, cernens se tantum a rege vel imperatore diligi, ut paratus esset mori pro ipso, non gauderet et exultaret? Quanto magis nos vilissimi homines, et nefandissimi peccatores, et servi, gaudere debemus et exultare, cum videmus Regem regum, et Dominum dominantium, et Creatorem nostrum Jesum nos ita continue diligere, ut immolaverit seipsum pro nobis in tam turpi et vilissima morte? Debemus etiam superextolli immensa exultatione; plus enim sine comparatione me diligit, quam ego meipsum. Gaudeamus etiam et exultemus, quod per Christi passionem restaurata est angelica ruina : magna jucunditas debet nobis esse, cum videmus per Christi mortem tam nobile collegium reparari de nobis, ut fiat *unum ovile et unus pastor* [1], et simus unum in uno. In hoc enim debet tota cœlestis Curia et etiam militaris Ecclesia gratulari. O certe amabilis et venerabilis, passio salutaris, quæ sic disjuncta conjungis, et transequestrata conglutinas, et unis firmissime insimul, stringisque vinculo consummati amoris et felicitate gaudii sempiterni! Præcipue autem gaudere et exultare debemus, cernentes in supradictis omnibus summam clementiam Domini

[1] *Joan.*, x, 16.

(*a*) *Suppl.* et a quibus.— (*b*) *Leg.* bonitati.— (*c*) *Leg.* ad.

Deique nostri Jesu Christi. Hæc puto summam esse gloriam bonorum tam hominum, quam etiam angelorum, quanto intimius et profundius contemplantur clementiam et benevolentiam Dei, et immensitatem bonitatis ejus; et hoc debet esse cujuslibet contemplantis exultatio medullaris. Sed ubi, quæso, magis apparet diffusio bonitatis divinæ, et benignissimæ clementiæ dulcissimi et amantissimi Patris et Domini nostri Jesu Christi, quam in passione sua, ubi talia, tanta, tam turpia et gravia sustinere voluit pro inimico suo liberando et glorificando, pro vanitate quadam digna morte æterna? In istud gaudium intret homo, et reficiatur magnificentia benignitatis divinæ. *Accedat homo ad cor altum* [1], et in corde suo exaltetur excellentissima et inenarrabilis clementia Christi passi, etc.

Passio Christi considenda est in transformationem in ipsum.

Quinto etiam consideremus beatissimam Christi passionem ad cordium nostrorum resolutionem, et etiam perfectam transformationem in ipsum : quod fit, quando homo non solum imitatur, compatitur, admiratur et exultat, sed etiam totus homo convertitur in eum, scilicet Dominum nostrum Jesum Christum crucifixum, ut jam quasi ubique et semper crucifixus sibi occurrat. Imo tunc ille vere in ipsum resolvitur homo, quando exiens ex se, et superpositus universis, imo super se abstractus ab omnibus, totus est conversus in Dominum suum passum, ut nihil videat, aut sentiat intra seipsum, nisi Christum crucifixum, illusum, exprobratum et passum pro nobis.

Passio Christi considenda est inter dulcoquien.

Sexto consideremus eamdem beatissimam Christi passionem ad quietem dulcoris interni : quod fit, quando resolutus homo, ut dixi, sitibundus eamdem passionem ruminare non cessat, et intrans secundum posse suum illum passionis thesaurum humiliter et devote, liquescit amore devoto, et fervida devotione vel dilectione deficit a se, et requiescit in Christo crucifixo. Sed quanto ei plus inhæret et appropiat, tanto amplius devotissimo amore in se deficit et liquescit; et quanto plus deficit a se amore et devotione, tanto amplius eidem dilecto pro se mortuo inhæret, et plus requiescit in eo. Et sic mutuo se augent adhæsio amoris, et devotio, donec tota sponsa absorbeatur ab illo camino amoris passionis dilecti. Sic in amplexibus Sponsi soporata quiescit, qui clamat et dicit [2] : *Adjuro vos, filiæ Hierusalem, ne evigiletis, neque suscitare faciatis dilectam, donec ipsa velit*, etc. Sic ergo circa passionem Domini debet esse imitatio ad purgationem mentis et dilectionem, compassio ad unionem et amorem, admiratio ad mentis elevationem, gaudium et exultatio ad cordis dilatationem, resolutio ad perfectam conformationem, quies et pausatio ad devotionis compositionem.

[1] *Psal.* LXIII, 7. — [2] *Cant.*, III, 5. — [3] *Rom.*, VII, 32. — [4] *Luc.*, XXIII, 41.

CAPUT V.

Qualiter passio Domini adaptatur quatuor affectibus animi.

Sed necdum ruminare cessemus Christi gloriosissimam passionem, ut per eam dirigamur in omni bona affectione, virtute, sapientia, cogitatione, locutione et operatione. Sed primo de quatuor affectibus animi videamus, qui sunt gaudium, dolor, spes et timor. In hac autem beatissima passione datur nobilissimi gaudii materia, et vehemens exultatio; ibi est etiam omnis inutilis, et nocivi gaudii resecatio. Ubi est major materia gaudii et exultationis, quam circa Christi passionem, qua ab omni potestate diaboli liberamur, a culpa et pœna absolvimur, in Dei filios adoptamur, et Christo in matrimonium jungimur, qua etiam gratia largitur, cœlum aperitur, gloria offertur et datur? Ubi est major et excellentior gaudii materia, quam ut videamus nos a Deo in tantum diligi, ut talia voluerit pati pro nobis? Est etiam ibi inutilis et nocivi gaudii resecatio : considera Domini nostri passionem beatissimam, et videbis quomodo resecanda est omnis consolatio corporalis, et omne gaudium corporale, et omnis laus humana. Est etiam in hac beatissima passione materia immensi doloris : in dolore enim Domini nostri Jesu Christi, debemus intime sibi condolere et compati. Debemus etiam ei condolere et multum dolere, quod peccata nostra fuerunt sibi occasio tantæ abjectionis, tam immensæ afflictionis. Est insuper ibi materia spei : *Qui* enim [3] *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo etiam cum illo non omnia nobis donavit?* Est etiam ibi vehemens materia timoris : si enim pro delictis nostris passus est homo Deus, in quo non potuit esse peccatum, magis punientur peccatores. *Si* enim [4] *sic actum est in viridi, quid fiet in arido?* Invicem autem conjunge, scilicet gaudium et dolorem, spemque ac timorem, ne desperatio-

nem incurras, vel præsumptionem. Et sic aliqualiter adaptatio de quatuor animi affectibus patet.

CAPUT VI.

Qualiter passio Domini adaptatur fidei nostræ, et cæteris virtutibus præsertim theologicis (*a*).

Nunc aliquantulum de virtutibus videamus divinis. Quid dicimus de fide? Dico, quod hæc est robur et fundamentum totius christianæ fidei, vel religionis. Peto, an Deus erat iste, qui passus est, an non? Si sic, habeo propositum : quia ipsa passio veram humanitatem demonstrat, patet ipsum esse verum Deum et hominem. Si autem dubitas, ostendo tibi ex ipsa passione ipsum fuisse Deum. Nam si non erat Deus, et dicebat se Deum esse, erat superbissimus hominum, imo et dæmonum : quia Lucifer nunquam dixit se esse Deum, licet quantum ad aliud voluerit esse similis Altissimo. Sed sic superbum impossibile est tantam dejectionem, illusionem, passionem, et ignominiosam mortem subire, tam voluntarie, tam humiliter, tam pacifice, et velle cum peccatoribus reputari. Si enim non erat Deus, et volebat se ostendere Deum, quidquid fuisset vilitatis, fragilitatis et dejectionis, occultasset pro posse. Ideoque nec famem, nec sitim, nec laborem, nec fatigationem, nec lacrymationem, nec timorem, nec ullum dolorem ostendisset; sed si habuisset, libenter occultasset. Nec enim multum curasset se ostendere hominem, et maxime passibilem et mortalem, sed quod videretur esse apparentiæ sublimitatis et magnificentiæ, ut posset aliqualiter credi Deus. Cum hæc simul credere sit difficillimum, et parum ad elationem superbi faceret reputari homo mortalis, quomodo, obsecro, dixisset [1] : *Tristis est anima mea usque ad mortem?* Quomodo se dixisset *Filium hominis* [2]? Si dicas quod non voluntarie, sed invite passus est, hoc stare non potest, quia ipse dixerat [3] : *Ecce ascendimus Hierosolymam, et Filius hominis tradetur, ut crucifigatur*, etc. Unde prædixit omnia. Si dicas, quod hæc ad deceptionem fecit, hoc nihil est, quod scilicet aliquis se velit morti tradere propter aliquam deceptionem. Si dicas, quod videbatur mori, sed non moriebatur, ad hoc dico, quod nullo modo homo, quantumcumque malitiosus, seu etiam diabolicus, nec etiam diabolus hoc fecisset : quia non erat ista via tradenda ad credendum aliquem non Deum esse Deum, sed potius contrariabatur. Quod patet, quia discipuli ejus, *relicto eo, abierunt* [4], et ut dicitur, in sola Virgine remansit fides Ecclesiæ. Stultissimum enim et incredibile est, nec etiam licet dicere, nec etiam cogitare, quod homo quantumcumque diabolicus procuret se ab omnibus pro Deo coli, tam ignominiosa morte, et vilissima dejectione; sed potius e contrario, cum passio Christi sit [5] *Judæis scandalum, gentibus autem stultitia.* Ex qua gloriosissima passione arguitur, Jesum Christum non esse tantum verum hominem, sed etiam verum Deum, et omnium Dominum. Item si solam humanam laudem quæreret et appeteret, nonne descendisset de cruce, quando Judæi dixerunt [6] : *Descendat nunc de cruce, et credemus ei?* Hæc enim via passionis ignominiosæ, etsi non esset expediens homini decipere volenti, ut ostensum est, tamen congruentissima fuit Deo salvare cupienti, ratione suæ bonitatis, potentiæ et sapientiæ, qui non procurabat nisi nostram redemptionem et salutem, obediendo Patri usque ad mortem.

Est autem hæc gloriosissima passio non solum fidei fundamentum; sed spei erectio, ubi seipsum donavit; et charitatis inflammatio, ubi se pro nobis immolavit. Et hæc sufficiant de theologicis virtutibus, et etiam de cardinalibus. De quibus tamen latius tam in præcedentibus, quam etiam in sequentibus, patet.

Est nihilominus exemplum et ratio perfectissimæ prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis et justitiæ, sicut intelligentibus apparet manifestissime.

CAPUT VII.

De septemplici ascensu contemplationis in passione secundum septiformem gratiam Spiritus sancti.

In hac etiam gloriosissima passione gloriosissime lucet speculum sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis, et timoris. Sed qualiter ibi sit et appareat summa sapientia, est sensus consummatus cogitare de ea; et quam sapientissimus homo fiat in illa, et de aliis donis pertractare per singula nimis est prolixum. Adhuc tamen, charissime frater, potes in præclarissima passione, quam nominare

[1] *Matth.*, XXVI, 38. — [2] Ibid., VIII, 20, et alias passim. — [3] *Luc.*, XVIII, 31. — [4] *Matth.*, XXVI, 56. — [5] I *Cor.*, I, 23. — [6] *Matth.*, XXVII, 42. — (*a*) Edit. Vatic. *virtutibus, et primo fidei, et post de aliis.*

sum indignus, septem ascensus sive gradus contemplationis evidentissime speculari secundum septiformem gratiam Spiritus sancti, donum scilicet sapientiæ, et intellectus, etc.

Gradus primus per donum sapientiæ.

Nam in illa beatissima passione crucifixus cum Christo ad acumen contemplationis ascendit per sapientiæ donum hoc modo. Consideratio sapientialis est in hac beatissima passione, quando homo considerat potentissimum pro nobis conculcari, sapientissimum ad modum stulti illudi, optimum amaritudine repleri, et tanquam pessimum turpissima morte damnari. Et ex hoc surgit mens in quamdam admirationem tantæ dignationis divinæ, et tantæ erga nos benignitatis indignos. Et tunc cum masticat illam passionem Domini sui Jesu, diligenter admirans in ea excellentissimam benignitatem Domini Dei nostri Jesu Christi erga nos servulos suos, incipit mentis desiderium, et amoris ardor erga Dominum nostrum Jesum Christum intendi, et quadam aviditate hanc excellentissimam passionem et immensam Salvatoris clementiam ruminare. Incipit ejus gustus animi quodam modo ineffabili dulcorari, amaritudine appetitus refici, et totus homo interior alienari a se, et quietari in Christo. O mira, et a sæculis res inaudita! In ineffabili amaritudine, dulcor indicibilis reperitur : et in hoc perficitur contemplatio speculantis, quia summam et inenarrabilem dulcoris suavitatem, quam sentit in consideratione illius summæ clementiæ, qua dignatus est pro nobis mori, conjungit cum amaritudine inæstimabili, quam sentit compatiendo doloribus Domini nostri Jesu Christi passi. Amaritudo enim compassionis animum recolligit, et unit admiratio divinæ clementiæ in eadem passione : animum jam unitum elevat, et totum in Deum diffundit. O mira passio, o ineffabilis potatio, o confectio impretiabilis, commixtio ineffabilis, intimus dolor internæ compassionis cum immensa exultatione divinæ bonitatis! Et quia ibi inenarrabilis amaritudo cum inenarrabili dulcedine reperitur, ideo inter utrumque contemplantis animus obstupescit, et quasi ebrius corruit totus in Deum. In compassione illius amaritudinis fit quasi aurum in fornace anima purissima. In consideratione vero illius clementiæ et benignitatis, fit anima ab illo sole justitiæ splendidissima. Fit quidem illa amaritudine homo innocentissimus, fit illa benignitate doctissimus. Fit homo interior illa amaritudine abstractissimus, et fit illa clementiæ immensitate divinissimus. Quid dicam? Ecstaticus fit aspectus interior, et ab illa ineffabili clementia absorbetur, et tunc requiescit sponsa cum Sponso, et mira suavitate sopitur.

Gradus secundus per donum intellectus.

Est etiam ascensus in præamabili passione per donum intellectus hoc modo. Eo enim quod homo cogitat, quod Filius Dei voluit pro ipso redimendo talia sustinere, recognoscit quantæ nobilitatis sit anima sua, pro qua redimenda voluit Filius Dei mori : et hoc ipso ad nobiliora animatur. Et quia illum pretiosissimum sanguinem pro anima sua dealbanda effusum esse agnoscit, dedignatur se vilitatibus vitiorum inquinari. Quia cognoscit etiam per illam beatissimam passionem ruinam angelorum de hominibus reparari, ideo revocatur ad angelice vivendum, et in cœlestibus conversari. At quia videt Christum in cruce totum pro nobis expositum tribulationi, jam sibi omnia levia videntur, dum tamen possit illi soli vivere, et placere. Recogitat quomodo ab ipso Christo dilectus est, quem pro se sic videt ignominiose et acerbe tractatum; et amore ipsius accensus illud latus beatissimum pro suo modulo nititur introire, quod pro se ac sibi dignoscit esse apertum. Ardescit quasi ignis animus ejus, et cum Christo toto corde desiderat crucifigi. Suspirat, anhelat et anxiatur totaliter illa passione perfundi, et plenarie in suum Dominum crucifixum transformari. In servitute et miseria se reputat esse, nisi conservetur (*a*) in sanguine Redemptoris. Non se reputat hominem, sed bestiam, et pejus quam bestiam, nisi sit vestitus Dominica passione. Abhorret negligere tam nobilissimum Dei beneficium; et ideo semper, vel quasi, vult meditari de ipsa passione. Sicut enim vult semper redemptus manere, sic semper vult redemptionis pretium in corde portare. Suam vitam, et suas delicias reputat Christum passum, et ideo semper conversatur cum illo. O quantus dolor, quantaque tristitia, si videat cor suum ad aliud inclinari! Inebriat se Christi cruore, et jam dedignatur perfrui alia re. Nam sanguis Christi ornat genas ejus, ut christi formis sit pura Christi sponsa. Agnoscit enim quod apertione lateris ejus copulata est in conjugium ejus. Et ideo semper vult stare ad latus ejus. Palpat et tractat Sponsum suum vulneratum, et totum vulneratur cor ejus. Applicat cor suum vulneribus Sponsi, perligat

(*a*) *Forte legendum* conversetur.

et signat indissolubili vinculo charitatis, et sic colligatur vulnerata sponsa cum vulnerato Sponso, et vulnus vulneri copulatur. Emanat Sponsi sanguis in vulnera sponsæ, et ipsa deficit dolore, amore liquescit, ibique requiescit.

Gradus tertius per donum consilii.

Tertius ascensus est in illa beatissima passione per donum consilii, hoc modo. Recogitat animus contemplantis, quod Dominus noster Jesus Christus crucifixus usque ad crucis mortem fuit obediens Patri, omni vilitati, abjectioni, et derisui subjectus pro nobis, paternum cum sua dejectione requirens honorem, ut sicut, quantum ex parte nostra erat, peccatis nostris inhonoraveramus eum, sic seipsum inhonoraret ignominiose moriendo pro nobis. Recogitat etiam quod si Christus semper fuerit pauper in cruce, tamen pauperrimus fuit, cum expoliatus, nudus remansit pendens in ligno. Recogitat etiam quod in cruce fuit amaritudine et doloribus plenus, qui angelorum dulcedo et solatium erat. Elongata enim fuit ab eo omnis delectatio et consolatio temporalis. Ex his ergo consurgit animus ad similia facienda : etiam se abstrahere cupit ab omni appetitu honoris, et ab omni rerum possessione, ac ab omni corporali consolatione. Primo ergo intuens Christum Dominum suum abjectum et vilificatum, non jam temporalem honorem appetit, sed toto corde desiderat cum Domino suo omnem vilitatem, abjectionem et derisionem subire, in quibus possit Domino suo aliqualiter conformari : honores, tanquam vilissimum stercus, abhorret. Jam non desiderat placere hominibus, sed potius, quantum in se est, omnibus displicere, et ab omnibus abhorreri, semper tamen ad Dei honorem : et etiam, si indifferenter esset utrumque, vituperium potius appeteret quam honorem. Sunt enim ei fœtidissimæ sanies laudes sui, id est, de seipso ; unde solum divinas laudes requirit, ibique totus affluit, resolvitur, et siti inextinguibili inæstimabiliter in omnibus solum divinum honorem requirit, jam non ad se reflexus, nec ad alia obliquatus, sed totus rectissime tendens in Deum. Tunc maxime lætatur ejus animus, quando vituperio suo honorificat Deum : quia ad utrumque anhelat cor ejus, et utrumque respicit in Christo crucifixo fuisse. Sed quid dicam de paupertate? Semper vellet esse nudus cum nudo in cruce : dolor enim sibi est intimus aliquid habere, gaudium maximum, non habere, sive in proprio, sive in communi, sive quantum ad dominium, sive quantum ad usum. Usus enim paupertatis maxime ei placet. Sed quia necessitas, aut spiritualis utilitas non permittit eum aliquorum usibus non indigere; ideo, secundum quod ad honorem Dei videt esse, tenet ea, sed tamen quasi gladium acutum in corde. Et ideo paucioribus utitur, quibus potest, allevians se amplius quo potest, nec delectatur in multiplicando, sed gaudet in abjiciendo. Sed quid de corporeis consolationibus et deliciis dicam? Ab omni breviter consolatione, quæ est a Deo, vel secundum Deum, vel in Deo, se abstrahit, quantum potest. Semper desiderat amaritudine et afflictione cum Christo repleri : quidquid complacet suo corpori, aut corporis sui oblectationi, corde abhorret. Non potest gaudere, non potest lætari, nisi videat se illis beatissimis vulneribus conformari : horret in consolationibus, in amaritudinibus et doloribus gaudet. Sic ergo egregius contemplator per donum consilii in passione Christi se ab omnibus abstrahens, totus in Deum tendens, super omnia elevatur, a seipso abstractus, solum in Dei honore, in Christi vilificatione et afflictione, cor suum, et sua meditatio conversatur. Jam solus cum solo conversatur, et circa divinos honores, circa æternas divitias, circa immensas Dei divitias negotiatur in prædicta passione anima delicata. Ibi habitat, ibi requiescit, in Domino suo dulcoratur, cor liquescit, pectus, mens supra se elevatur, inebriatur anima spiritualibus deliciis, et in eis sepelitur.

Gradus quartus per donum fortitudinis.

Quartus ascensus est per donum fortitudinis, per hunc modum in prædicta passione. Nam anima diligenter illam passionem Domini sui ruminans, considerat Christi fortitudinem aggrediendo, tolerando, subjugando : in aggrediendo tam voluntarie, tam opprobriosa certamina, offerendo se ad tam vilia et acerbissima perferenda pro nobis idololatris et inimicissimis suis ; in tolerando tam acerba et vilia pro creatura sua, quam in momento destruere posset, quasi mansuetissimus agnus, imo sine comparatione mansuetior in tolerando; in subjugando se in cruce, diabolum superavit, et moriendo destruxit. Sic et fortis Christi miles, et imitator Domini sui, quanto res difficilior, quantoque ignominiosior, tanto ferventius et ardentius, atque libentius aggreditur eam, dum tamen sit ad Dei honorem et laudem, aut aliorum salutem, vel propriæ animæ utilitatem,

quod totum ad honorem Domini est. Nam nihil ei difficile esse vel ignominiosum videtur, dum pro eo facit, qui pro ipso indigno talia est aggressus : imo omnia dulcia, omnia amabilia, omnia laudabilia, et desiderata judicat. Quanto magis assimilatur illi ignominiosæ passioni, illam libentius astringit, amplectitur avidius. Hæc quærit, hæc recogitat, hæc scienti animo adimplere desiderat. Non dicit : Quare mihi impositum est hoc vel illud onus ? sed dicit : Quare non subeo hoc, et illud gravissimum et vilissimum opus ? Ex hoc nititur etiam imitari Dominum suum Jesum in tolerantia passionum. Fit enim agnus, et coram se tondentibus, irridentibus et flagellantibus, obmutescit penitus ; imo in omnibus his arridet cor ejus, videns se Domino suo conformari, et pro meritis digna pati, et eo ipso Dominum honorari. Imitatur etiam Dominum in fortitudine dominandi. Subjugat enim sibi omnem animi sui appetitum, ut ad nihil nocivum, nihil supervacuum, et inutile extendatur. Quasi castrum fortissimum cor suum custodit, ut non solum nociva, sed etiam otiosa, vel infructuosa (*a*) permittat ibi rogari. *Omni custodia custodit cor suum* [1], et semper vult divina vel ad Deum suum tendentia ruminare. Et quia, dum in hac vita sumus, semper, vel quasi semper tritico paleæ admiscentur [2]: ideo semper ventilabrum tenet in manu ad continue perflandum et purgandum aream suam. In ostio cordis sui ipsius statuit versatilem gladium [3], ut ipsum quasi Dei paradisum custodiat diligenter. Quique (*b*) cogitatus in corde suo vesci voluerit ligno vitæ, hunc diligenter fovet et nutrit ; qui vero ad lignum vetitum solum aspectum direxerit, illum statim a corde suo abscidit. Non ibi introitus colubri tortuosi, nec muliebris cogitatio reperitur : et si inveniatur, cum vituperio et cum impetu removetur, solumque ibi virilia nutriuntur. Hic vere potest divinæ contemplationi adhærere, qui purgato corde, et mundo corpore incedit. Non enim levat oculos ad vana, aures ad inutilia vel nociva ; non nares ad odorifera, non gustum ad dulcia, non tactum ad mollia ; sed totaliter interius et exterius cum omni diligentia se custodit, et dominatur sui plenarie, secundum quod potest assequi in hac vita ; sicque propter sui puritatem aptissimus fit ad susceptionem divinarum irradiationum. Libenter in tam puro habitaculo habitat Sol justitiæ, et fulget in quibuslibet angulis ejus. In intimis ejus resplendet claritas hujus Solis, quia nec impediens invenit, nec resistens : splendet, et resplendet, donec illud cor purum absorbeatur divina claritate. Tunc anima super se elevata, divinam caliginem intrat; tunc clamat, et dicit [4] : *Et nox illuminatio mea in deliciis meis.*

Gradus quintus per donum scientiæ.

Quintus gradus per donum scientiæ est in beatissima passione Domini nostri Jesu Christi. Et si velis accipere donum scientiæ, in medio nationis pravæ et perversæ prudenter conversari; primo clarissimum speculum de hoc invenies in hac beatissima passione. Possumus tamen præfatum donum scientiæ accipere, prout est inferiorum cognitio, prout ipsa sunt auxiliantia, et inducentia ad spiritualia et supercœlestia contemplanda : et hoc in passione Domini nostri Jesu Christi invenire poterimus, maxime considerantes correspondentiam figurarum. Et reperies ibi mirabilem thesaurum sub illis figuris absconditum, in quo mira devotionis suavitas et animarum satietas fodienti cum diligentia elargitur. Videas ergo qualiter figuræ et divina Scriptura in Domini passione clarescunt, et inde postmodum altius elevare ad admirandam sapientiam et clementiam Dei Patris nostri, qui sic ad utilitatem nostram omnia tam diligenter ordinavit. Omnia ergo, in quantum possumus, ad Christum crucifixum reducamus. Dicamus igitur [5] : *In principio creavit Deus cœlum et terram*, id est, in Filio sic crucifixo angelicam et humanam naturam restauravit, humanam redimendo, angelicam de hominibus reparando. [6] *Dixit Deus : Fiat lux.* Ipse in cruce lux est expellens omnes peccatorum tenebras, per sui præsentiam faciens diem, et per absentiam noctem. *Fecit* etiam [7] *firmamentum in medio aquarum* in cruce, dividens consolationes temporales ab æternis, vel dividens aquas sapientiæ humanæ ab aquis sapientiæ divinæ, vel dividens aquas vitiorum ab aquis gratiarum, vel aquas tribulationum ab aquis divinarum consolationum. Item in Christo existente in cruce *congregatæ sunt aquæ, quæ sub cœlo* [8] erant, quia Deus posuit in eo omnes iniquitates nostras, id est, pœnas pro nostris iniquitatibus debitas. In eo vero facta est congregatio aquarum, quia in eo fuit diluvium pas-

[1] *Prov.*, IV, 23, quoad sensum. — [2] *Matth.*, III, 12; *Luc.*, III, 17. — [3] *Gen.*, III, 24. — [4] *Psal.* CXXXVIII, 11. — [5] *Gen.*, I, 1. — [6] Ibid., 3. — [7] Ibid., 7. — [8] Ibid., 9.

(*a*) *Suppl.* non. — (*a*) *Forte legendum* Quicumque.

sionum, amaritudinum, et opprobriorum: et ideo gratia sui terra apparuit arida. Qui enim pro peccatis nostris digni eramus inundatione omnis pœnæ, liberati sumus merito passionis suæ. Unde vere ipse fuit [1] *mare magnum, et spatiosum* nimis, *et profundum.* Et sic discurre per Scripturas, secundum quod Dominus tibi dabit: quia quasi infinita invenies ibi, quæ pulcherrime Dominicam passionem designant. Nec tamen, si multo plus sine comparatione essent, sufficerent ad ipsam plenarie declarandam. Et si quis bene et diligenter eas Scripturas recolligeret, et videret, in quo ista et illa Christi passionem ostendunt, videret in eis mirabilem correspondentiam, et audiret ibi mirabilem melodiam, quæ miro modo dulcoraret cor suum, et faceret eum ingredi in sanctuarium Domini. Accipe unam quantumcumque vis alienam figuram de passione Domini nostri Jesu Christi, et videbis quanta est ibi dulcedo, si bene cum diligentia ruminetur. Vide, obsecro, illam Abrahæ figuram de vitulo [2], quem tribus angelis ad vescendum dedit, quantam dulcedinem continet contemplationis, quæ tamen in apparentia parum, vel parva apparet. Quantam ergo continet dulcedinem, quæ in ipso primo aspectu ipsam mentem dulcorat, sicut est illa ligni vitæ in medio paradisi, id est Christi in cruce in medio Ecclesiæ, sive in corde Virginis, quæ erat sicut paradisus, et de fonte egrediente de loco voluptatis, id est de latere Christi, etc. Quid est, obsecro, Abraham vitulum tenerrimum de armento dare ad vescendum tribus viris, nisi Deum Patrem, suum Filium unigenitum innocentissimum, imo gratiæ et veritatis plenum pro nostris iniquitatibus tradere morti crucis? Et quid est tres viros vitulo vesci, nisi ex illa passione toti satisfieri Trinitati, quæ erat pro nostris iniquitatibus ad justitiam famelica? In hoc apparet illius figuræ dulcedo, quod per Abraham intelligitur Deus Pater, et per vitulum Filius, et per illos tres viros ipsa Trinitas, cum tamen non distinguantur Pater et Filius ab ipsa Trinitate, nisi quia sunt de tribus personis duæ. In hoc, dico, apparet ineffabilis et mira dulcedo cordi contemplantis: quia Deo ad justitiam suam famescente in seipso, propter nimiam benignitatem suam judicium flexit. Alioquin devorasset nos justitiæ fames, quia non erat qui satisfacere posset illi appetui, nisi iste vitulus tenerrimus. Deus ergo Pater tradidit Filium suum omni afflictioni et derisui, ad satisfaciendum sibi, et Filio, et Spiritui sancto, pro injuria eis illata a nobis. Quid est hoc? Numquid, quia offendimus eum, debuit seipsum judicare? Nonne aliter potuit vindicare se, nisi adiret (*a*) pœnam offensæ? Ipse Christus erat offensus a nobis, et iterum judicatus fuit a nobis, et in nobis, et pro nobis: et hoc secundum diversas naturas; tamen eadem persona fuit offensa, et judicata. Comede ergo tu, frater dulcissime, de vitulo Abrahæ, si vis mirabilem refectionem habere. Attende etiam quidquid in figura sequitur. Filius Abrahæ promittitur de Sara post vituli comestionem, cum tamen essent ambo senes provectæque ætatis. Quid est hoc? Numquid post mortem Christi nascitur denuo Christus, qui per Isaac intelligitur? Sic certe in cordibus nostris. Nam iste Abraham senex est Deus Pater, qui *antiquus dierum* in Daniele [3] vocatur propter principalitatem auctoritatis, quæ residere consuevit apud senes. Non enim in eo est durationis successio. Nam etsi propter immensitatem sit ejus duratio *interminabilis vitæ possessio* [4], tamen propter nimiam simplicitatem est *tota simul.* Iste pater antiquus de Sara antiqua post vituli comestionem genuit Isaac, id est, unicum Filium quem genuit, et generat ab æterno, id est (*b*), postquam pro nobis in cruce immolatus est, in mentes nostras omni malitia antiquatas misit non per loci mutationem, sed per mentium nostrarum irradiationes: et tunc ridere vere potuimus, quia dulce lumen, et delectabile oculis, Solem justitiæ intueri potuimus. Et ideo vere Isaac dicitur risus [5] noster. Sed numquid Domino mirabile fuit, quod antiquus de antiqua generaret? Item omni admiratione dignum, et gratiarum actione, quod ille, qui est summæ majestatis, et antiquus propter auctoritatis principalitatem, vilissimarum animarum, et idololatrarum, omnique malitia antiquatarum voluerit recordari; sed hoc maxime mirum videtur, quia post mortem vituli, id est, Filii: quia eo ipso digni eramus carentia ejus, quia ipsum occideramus. Fecit ergo benignissimus Dominus, antiquato tempore, et antiquata malitia, nobis bene, quia facimus ei male, occidimus Filium suum, et illa morte nobis ipsam damnavit. Vide, et attende mira-

[1] *Psal.* CIII, 25. — [2] *Gen.*, XVIII, 7. — [3] *Dan.*, VII, 9. — [4] Boet. — [5] *Gen.*, XXI, 6.

(*a*) *Leg.* subiret. — (*b*) *Forte legendum* eumdem.

bilia Dei. Sed nonne anxiaris in corde in novissimis diebus, jam sene Sara? Quid si Sara mortua esset? quid si paululum expectasset, qui tanto distulit tempore? Nonne defecissemus in iniquitatibus nostris, nisi esset Isaac amplius risus noster? Sed quare plus modo, quam prius? Nonne quia abundaverunt iniquitates præ cæteris? Gratias tibi, Domine Jesu, gratias agimus, quia recordatus es nostri, repugnantibus meritis nostris.

Totum ergo me tibi debeo, imo in infinitum plusquam totum, si possem: quia non solum me fecisti totum, sed immensa etiam benignitate tua me refecisti. Accedam ergo, et attendam ad te totus, et tibi totaliter adhærebo. Ibi requiescat cor meum, et de cætero per devia non discurrat. Si (*a*) ergo in prædicta passione mens elevari debet per scientiam figurarum correspondentium, et præfigurantium ipsam beatissimam passionem : debet enim eas cum summa diligentia ruminare, et in illos divinæ bonitatis et benignitatis thesauros per ipsarum considerationem introire, donec in tantum elevetur, ut tota mens in Christum suum Dominum vulneratum totaliter perfundatur, et ejus amore absorbeatur cor ejus. Hoc tamen donum Dei est, totumque ab ipso recognoscere debet; faciat tamen quod in se est.

Gradus sextus per donum pietatis.

Sextus est etiam ibi ascensus per donum pietatis. Cum enim homo considerat illa intima pietatis viscera Domini nostri Jesu Christi, quæ super nos effudit in cruce taliter moriendo pro nobis, movetur, et aperitur cor ejus erga proximum suum, ut libenter pro salute sua se totum ei impendat, pro quo videt suum Dominum crucifixum. Dilatatur cor ejus ad sanguinem Christi Redemptoris, et sicut toto corde compatitur Domino suo Jesu Christo in cruce pendenti, ita intime, et quasi sibimetipsi condolet proximo suo ab ipsis vulneribus recedenti, imo istum sanguinem conculcanti. Ideo vulneratur cor ejus propter contemptum sui Domini vulnerati, et propter compassiones, scilicet proximi, beatam vitam in æternam mortem voluntarie commutantis. Dei videt contemptum, mortem Christi Filii Dei unigeniti contemptam, ejusque pretiosissimum sanguinem conculcatum, nobilissimam creaturam, Dei imagine insignitam, voluntarie ire ad inferni suspendium. Et sicut malis condolet, ita bonis congaudet, videns eos recipientes effectum vulnerum Jesu Christi. Cum omnibus intrat vulnera illa, et fit unum cum illis. Cum gaudentibus de bono gaudet, et cum tristantibus de malo tristatur. Quemlibet proximum reputat seipsum, videns se et proximum esse ab eodem creatos, consimili imagine insignitos, eodem sanguine redemptos, et ad idem præmium ordinatos. Et ex hoc præcipue ad proximum cor suum aperit, quia videt Dominum suum pro omnibus crucifixum : et ideo ipsum in omnibus requirit, in omnibus considerat, et in omnibus pro suo modulo intuetur, scilicet Christum suum contemplans; totusque est proximi, quia totus est Crucifixi. O quantum cordis gaudium, quantumque tripudium, cum videt is proximum suum Dominum bonis operibus honorare! Non invidet, non æmulatur, non detrahit, non retrahit, non impedit, non retardat signis, dictis, aut factis, causaliter, seu occasionaliter, sed totaliter sitit proximi profectum, et detestatur defectum, utrumque reputans suum. Et hoc maxime placet Domino nostro Jesu Christo crucifixo, quia pro ipsarum salute, et paterno amore est ipse affixus in cruce. Animarum salus, honor divinus, compassio proximi, inflammatio sui sunt proprie attendenda in vulneribus Christi, et per illius pietatis donum modo mirabili anima elevatur in Deum suum. Quando enim homo, in quantum potest, se nititur conformare illi divinæ pietati, quam erga nos manifestavit in cruce, tunc anima præcipue complacet ipsi Christo. Et ideo sibi conformatam, sibi dilectam, ad pietatem apertam, ad suos amplexus tanquam sponsam electam adduxit, hanc amat, hanc diligit, hanc stringit, quam videt secum idem sentire, sibi compatiendo; idem sapere, Deum honorando; idem zelare, animas sitiendo; in seipsum transformari, nimio amore ardendo. Ideo *pietas ad omnia utilis est* [1], quæ et divinum honorem appetit, et dolores ab animabus expellit, et animarum fructus sitit, et Christi sanguinem in anima sua requirit, et amorem erga Deum et proximum erigit, et ignit, etc. Attendamus ergo, charissimi, quia pro certo credo quod istud donum inter omnia, et forte præ aliis, imo firmiter credo, quod præ aliis placet Domino Deo nostro Jesu Christo. Faciamus ergo, obsecro, beneplacitum ejus, et pietatem suam hauriamus de latere ejus. Simus

[1] I *Tim.*, IV, 8.

(*a*) *Leg.* Sic.

omnes unum in Domino nostro crucifixo, et nihil nisi Jesum in proximo requiramus, et sic in proximum tendamus, ut super Christi vulneribus recurramus cum ipso. Non proximum nostrum aspiciamus ut pulchrum, aut hujusmodi, quæ animam retrahere a Christo vel ejus amore possunt; sed ut Christi morte redemptum, sanguine Christi perfusum. Anima proximi cum sanguine Christi intret in cor nostrum: nihil nobis sit difficile, nihil videatur vile, etiam ignominiosa morte mori pro illo, pro quo Dominus noster est cum tanta ignominia crucifixus: imo omnes sitiamus pro animarum salute omnem afflictionem, omnem ignominiam, et mortem etiam turpissimam sustinere. Sit unusquisque proximus sicut cor nostrum, pro quo fuit cor, vel corpus Domini nostri Jesu Christi tot doloribus aggravatum. Multiplicemus prædicationes, exercitationes, bona exempla, orationes, jejunia, genuflexiones, vigilias et vilificationes pro animarum salute. Hoc sit officium nostrum, hæc gloria et consolatio nostra, semper pro animabus aliquid Deo offerre. Non cesset lacrymarum fons ab oculis nostris, pro nostris et proximorum peccatis. Sufficiat nobis, charissimi, his doloribus in hac valle miseriæ satiari. Semper proximorum peccata, et nostra pendeant in oculis nostris, imo intrent et penetrent intima cordis nostri, et semper ubique et in omnibus Dominus noster Jesus Christus pro peccatis nostris crucifixus occurrat. Hæc pietatis ascensio totum emollit cor, et dilatat, et inter Christi amplexus collocat et quietat.

Gradus septimus per donum timoris.

Septimus gradus ac ultimus est per donum timoris, a quo omnis perfectio actionis et contemplationis observatur, vel conservatur, duntaxat ut servitus excludatur. Et est iste ascensus per hunc modum in passione Domini nostri Jesu Christi. Quando enim homo videt, quod Filius Dei Dominus Deus suus, natura humana assumpta, tanta pro peccatis nostris sustinuit, et tam gravissime peccatum nostrum in se judice innocentissimo, imo Deo nostro piissimo vindicavit; considerat quanta pœna, quantis opprobriis atque illusionibus, et flagellis dignus est ipse, qui ipsam nequitiam perpetravit. Cognoscit etiam ex hoc quantum peccatum suum summæ majestati displicuit, et quantum ipsum abhorruit, dum, ad ipsum abluendum, suum Filium tradidit morti crucis. Sicut enim Deo displicet Filii contemptus et occisio, sic suo modo ei nostrum displicet peccatum, pro quo facta est illa traditio; imo tantum peccatum nostrum abhorruit, ut potius mortem Filii, quam peccatum sustineat, magis sibi placuit Filium tradere cruci, quam dedecus peccati sustinere. Videat ergo homo, et consideret, quantum illam majestatem offenderit, dum ipsum Deum etiam post tale judicium contempsit, *rursus*, quantum in se est, *Dei Filium crucifigens* [1]. Mirum est quomodo homo nimio timore non continue tremit coram Deo, quem offendit, sicut tremit populeum folium, cum a magno vento movetur; et deberet quasi in cinere et terra præ timore resolvi. Recurramus ergo, charissimi, ad vanitatem et nequitiam nostram, et divinam offensam; et coram ipso nos humiliemus, quantumcumque poterimus, quia adhuc modicum est secundum quod congrueret nequitiæ nostræ et majestati suæ. Paveamus atque vereamur oculos nostros ad cœlum levare, et tundamus pectora more publicani [2], ut nobisipsis peccatoribus misereamur (*a*). Dicamus: Magnum est, si indignabitur aspicere nos, qui pro vilissimo stercore contempsimus ipsum? Timore reverentiæ illius summæ majestatis, in nihilum, prout possumus, redigamur, et de cætero de nobis nonnisi vilia sentiamus. Contra nostram pravam nequitiam animemur, et nosipsi nostri judices simus: vindicemus in nobis injuriam Domini nostri, et quantum possumus, nos conculcemus, dicentes unusquisque intra se: Si pro peccatis meis Dominus meus ita vilificatus est et afflictus, quomodo meæ vilitati et afflictioni parcere potero, qui peccavi? Absit a me, ut de cætero præsumam de me, nisi detestabile, vilissimum et abominabile stercus, cujus fœtorem ego ipse sustinere non possum: ego ipse, qui contempsi Dominum Deum, et pro quo mortuus est Dominus meus Jesus. Jam horrent me vestimenta mea; et mirum videtur, quomodo me non detestatur omnis creatura, quia omnium Creatorem contempsi? Sic tamen timere debemus, ut semper de Dei infinita clementia confidamus: quia certe in infinitum sua bonitas excellit malitiam nostram. Et iste supradictus timor, et humilitatis, et reverentiæ, est miræ ascensionis occasio, quia tunc præcipue ducitur homo ad superabundantiam gratiæ. Sed ne tibi displi-

[1] *Hebr.*, VI, 6. — [2] *Luc.*, XVIII, 13.

(*a*) *Leg.* misereatur Deus.

ceat, charissime frater, si hujus timoris occasione aliquam digressionem fecero a Dominica passione. Intendo enim tandem reverti ad illam. Ut plenius ergo hujus timoris conceptum tibi exprimere valeam, jam mihi videtur, ut tota hujus mundi machina post me, et contra me nefandum, proclamet et dicat : Iste est ille, qui Dominum Deum nostrum contempsit et contemnit. Iste est vanissimus et nequissimus, qui plus vanitatem quam Dominum dilexit. Iste est ille pessimus et ingratissimus, qui plus diabolicis figmentis, quam divinis beneficiis est tractus ; plus sibi complacuit diabolica nequitia, quam divina benevolentia ; magis eligit esse servus diaboli, quam filius Dei. Iste est, qui in præsentia Dei ei injuriari non timuit. Iste trahi non potuit divinis blanditiis, nec terreri divinis judiciis. Iste certe est, qui divinam potentiam, divinam scientiam, divinam sapientiam, divinamque bonitatem suis maleficiis contempsit, et, quantum in se fuit, irrisit. Plus timuit uni infirmissimo viro injuriari, quam summæ potentiæ Dei. Plus verecundabatur coram aliquo vilissimo rustico aliqua turpia peragere, quam coram summæ sapientiæ Deo nefandissima perpetrare. Plus amplexus est stercus fœtidissimum, quam summe bonum et summe suavissimum, cum tamen id esset in prohibitione, istud in præcepto et exhortatione. Iste est, qui Deum pro nihilo reputavit, et non (*a*) pro Deo adoravit, et vanitatem supra Deum dilexit : convertebat se ad abominabilissimam saniem, et dorsum vertebat ad divinam majestatem. Quid dicam ? omnia abominabilia non timuit in Dei præsentia perpetrare, nec veritus est Creatorem suum. Clamant suo modo creaturæ, et dicunt : Iste est qui nobis abusus est, et qui debuit in beneplacito Creatoris nos ordinare, fecit nos ad diaboli dolum servire : dum nos supra Deum amavit, magnam nobis injuriam fecit. Iste est nefandissimus homo, qui nos ad honorem Dei factas in injuriam Dei convertit : debuit nobis in beneplacito Dei uti, et voluit potius nobis in diabolica servitute abuti. Erat anima ejus ad imaginem Dei facta, et ipsam deturpans voluit omnium nostrum imagine insigniri. Terrenior enim fuit terra, fluxibilior aqua, vanior aere, plus ardescens, vel ardentior igne, concupiscentia, durior saxis contra se, crudelior brutis contra alios, venenosior basilicis. Quid dicam ? Nec Deum timuit, nec homines reveritus est : suum venenum, quantum in se fuit, in multos diffudit, nunc oculis, nunc cogitationibus, nunc verbis, nunc gestibus et factis. Non suffecit ei Deo injuriari in se ; sed et alios ad Dei injuriam, quasi in quantum potuit, provocavit. Quid dicam ? Seipsum quasi aliquid magnum, non omnipotentem Deum existimavit, dum nec Dei voluntate, nec aliqua lege voluit regulari, sed pro libito contra Deum, et prout sibi placuit, sua voluntate vagari, se pro suo posse supra Deum erexit. Si Deus suum non adimplevit beneplacitum, et aliqua adversa intulit, vel non semper suæ felicitati providit ; contra ipsum Dominum Deum suum, quasi contra unum suum famulum, turbabatur. Non Deum dilexit propter Deum, sed propter seipsum, et Deum ordinans ad se, tanquam ad finem. In sua propria voluntate omnia ad se, tanquam finem, et Deum, et finem ultimum, prout potuit, ordinavit. Et si dimisit aliquando peccare, non dimisit propter odium et detestationem mali, et dilectionem summi boni, sed quia aliquando timuit repelli. Unde semper erat ad se reflexus, sive in dimittendo, sive in faciendo, et omnia propter se, vel dimisit, vel fecit. Tam de bonis, quam de malis voluit commendari, ac si Deus esset, a quo cuncta quæ sunt bona, et mala ordinantur in bonum. Quid ultra discurram ? Superbior fuit Lucifero, præsumptuosior Adam ejecto de paradiso : quia illi claritate pleni habuerunt allectivum aliquod, imo maximum ad præsumendum ; iste autem plenus fœtidissimo stercore, tenebrositate et miseria, non habuit nisi retrahentia. Clamant ergo contra me indignissimum dignissime omnes vel universæ creaturæ, et dicunt : Venite, et disperdamus eum, qui totus fuit deditus injuriæ Dei nostri. Unde suo modo clamat, et dicit terra : Quare tam nequissimum sustineo ? Aqua dicit : Quare eum non suffoco ? Dicit aer : Quare non deficio ? Ignis autem : Quare eum non comburo ? Lapis : Quare eum non lapido ? Infernus : Quare eum non devoro, et crucio ? Heu, heu, miser, quid faciam, quo ibo, quia omnia contra me sunt armata ? Ad quem recurram ? Quo divertam ? Contra omnia feci, Deum contempsi, angelos irritavi, sanctos inhonoravi, homines viatores multipliciter offendi, abusus sum cæteris creaturis. Quid tantum discurro ? Hoc ipso quod Deo Creatori omnium injuriatus sum, cum ipso simul omnem

(*a*) *Leg.* nihilum.

creaturam offendi. Nescio ergo miser, quo me convertam, qui omnium me constitui inimicum, nec superius, vel inferius, ante, vel retro, a dextris, vel a sinistris declinare possum, imo nec interius, nec exterius. Conscientia enim mea contra me pugnat, et totum divisum est cor meum. Evigilabo ego miser, et oculis sine fine plorabo, dum sum in hac valle miseriæ, si forte dignetur me respicere piissimus Pater. Scio quid faciam, vel facere disposui. Projiciam me in conspectu Domini Dei mei, et dicam ei :

Eia vere, Domine, ego sum ille tuus pessimus inimicus, nequissimus servus, nefandissima creatura, quæ fecit detestabilissima in præsentia tua. Non sum dignus, Domine, creatura tua esse, etiam in quantacumque pœna constitutus. Si enim ego solus haberem illam pœnam infernalem, quam omnes dæmones, et omnes homines damnati habebunt, non sufficienter secundum peccata mea punirer. Expande, Domine, super hunc miserum, pallium immensæ clementiæ tuæ, et vincat nequitiam meam immensa bonitas tua. Recognosce in me imaginem tuam, quamvis deturpatam, et deduc me ovem, quamvis errantem, ad te pium pastorem. Gratuletur dulcissimus pater de redeunte prodigo filio, pastor bonus de inventa ove, et piissima mater de drachma reperta. O quam felix erit dies, et hora, quando super collum meum corrues, et oscula exhibebis! Et ut te quidem possim placare, scio quid faciam. Contra meipsum ego ipse armabor, et ero præ cæteris crudelior mihi, et severissimus judex. Afficiam me undique pœnalitatibus et angustiis, et me tanquam lutum fœtidissimum conculcabo, et abominabor me sicut stercus, et intolerabilis ero mihimetipsi. In mea confusione, et dejectione, et conculcatione, sive a me, sive ab aliis illata, lætabor et exultabo, cum apparuerit ignominia mea. Et quia non sufficio me detestari, contra me universum cœtum creaturarum congregabo, et a qualibet confundi et puniri desiderabo, quia earum contempsi Creatorem. Hic erit mihi thesaurus desiderabilis, super me pœnas et opprobria aggregare, et eos intimo corde diligere, qui me adjuverint in hoc facto. Omnem consolationem et honorem vitæ præsentis horrebo, et velut valde hostes (*a*) blandientes habebo. Credo firmiter, quod si sic fecero, universa, quamvis a me offensa, ad mihi compatiendum potius, quam ad vindicandum inclinabo, et quæ prius contra me clamabant, nunc suo modo pro me Creatori suo intercedent. Aperietur super me indignum et miserrimum divinæ pietatis thesaurus; sed et illustrabor in eum vel gloria sua. Exuar vestimentis viduitatis nimiæ, et clara veste fulgebo. Et certus sum, quod si sic me dejecero, sicut dixi, qui nunc sum omnibus creaturis abominabilis, et malo dignissimus, propter nimiam clementiam Dei mei ornabor monilibus, et in ejus sponsam assumar. Introibo secum in cubiculum ejus, et tandem secum matrimonium consummabo. Resolvar in ipsum, et fiam unus spiritus cum eo, et qui prius eram dæmoniacus, ero divinus. O mira et inenarrabilis immutatio dextræ tuæ, Domine Deus meus! Ad quid ergo retardabo adimplere, quæ dixi? Quomodo capient somnum oculi mei, aut quietem cor meum, donec veniam ad diu desideratum Sponsum meum, et Dominum meum Jesum? Currant ergo undique opprobria et flagella, et me nequissimum introducant ad benignissimum Dominum meum Jesum. Omne honorificum et delectabile sit procul a me, nec audiatur in finibus meis. Solus honor divinus in omnibus nobis requiratur, et abjectio nostra. Scio etiam quid faciam : Domini mei Jesu vulnera introibo, et in ejus dolores et opprobria, quantum potero, transibo, vel transformabor, et ejus opprobriosissimam passionem induam tanquam vestimentum regale, et nihil requiram, nisi quæ sunt conformia huic passioni, cæteraque abjiciam sicut stercus. Quæ creatura audebit de cætero post me conclamitare? Si fuero hac veste indutus, jam Christi passio pro me, prout necessarie (*b*) fuerit, contra omnia militabit. Non erit qui contra me militare audeat, si Christi stigmatibus fuero consignatus. Ubique et semper habitabo in illis, ut sim quasi in castro securus ab omni impulsu maligno. Et impossibile erit, charissime frater, quod si fuero bene in Christum crucifixum transformatus, quin sim illi conformis, et cohæres in regno, ubi illi sunt dilectissimi Dei, qui sunt crucifixi cum Christo. Non enim potest se Deus negare sanguine Christi perfuso. Ornabo ergo genas meas Christi cruore, et ero amabilis Deo, mirabilis mundo, laudabilis consortio beatorum, qui clamabunt, et dicent : *Quis est iste formosus in stola sua* [1]? Quis est iste, qui sic gloriose in-

[1] *Isa.*, LXIII, 1.

(*a*) *Leg.* hostiles. — (*b*) *Leg.* necessarium *vel* necesse.

cedit laureatus in sanguine Christi? Certe omnes prædicabunt me beatum, qui oculum habebunt apertum. Unde non dubites, frater charissime, quod hoc est summum refugium ad omne malum vitandum, et ad omne bonum assequendum. Hic deliciarum paradisus, de cujus lateris medio abundantia omnis dulcoris et suavitatis emanat. Ibi inebriatur homo dulcedine indicibili, et mira amœnitate alienatur a se, et superexcedenti devotione reparatur, et superfertur in Christo, ibique requiescit inter amplexus dilecti. Hæc autem omnia, charissime frater, redigamus ad tria, ad quæ semper tenemur, vel conemur, scilicet ad honorem Dei, compassionem Christi et proximi, et dejectionem nostri. Et hoc toto corde, et nihil aliud sitiamus. Quod nobis concedat, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT VIII.

Quod Christus in sua passione beatitudines octo perfecte habuit.

Beatitudinum octo (*a*) refulget clarissimus splendor in hac beatissima passione Domini nostri Jesu Christi : imo proprie hic est fons et origo earum, et etiam allectivum et directivum exemplar. Quis enim pauper spiritu, nisi Christus in cruce nudus? Quis mitis, nisi qui [1] *tanquam ovis ad occisionem ductus est, et coram tondente se non aperuit os suum?* Quis lugens, nisi qui [2] *cum clamore valido et lacrymis preces supplicationesque offerens* pro suis crucifixoribus, et nobis peccatoribus suisque inimicissimis, quos (*b*) excusabat apud Deum Patrem intercedendo (*c*) dicebat [3] : *Pater, ignosce* (*d*) *illis, quia nesciunt quid faciunt.* Ipse enim plus peccata nostra lugebat, quam pœnam suam, plus compatiendo nobis, quam sibi. Quis vero esurivit et sitivit justitiam, nisi Christus in cruce pro peccatis nostris satisfaciendo injuriæ Patris, esuriens et sitiens animarum salutem? In cujus rei signum dicebat [4] : *Sitio.* Quis vero misericors, nisi hic Samaritanus qui, transeunte [5] sacerdote et Levita, *infundens vinum et oleum,* vulnerato *alligavit vulnera, et imposuit jumento suo,* scilicet corpori proprio, nostras infirmitates assumens pro peccatis nostris? Quis patiens, nisi qui justissimus et innocentissimus, pro peccatis et injustitiis nostris crucifixus vi amoris, et ardore charitatis iniquitates nostras portavit super lignum? Ubi relucet munditia cordis, nisi in eo, qui innocens immolatur, et ipse corda nostra suo sanguine pretioso mundavit et lavit? Quis vero pacificus, nisi ille, qui est [6] *pax nostra, qui fecit utraque unum,* et passione sua pacificavit [7] nos Deo in sanguine suo? Quis vero persecutionem passus est propter justitiam, quam habebat, faciebat, prædicabat, et sitiebat, nisi ille, qui est a Judæis crucifixus? Vere hic est vere beatus, cui maledixerunt homines adversus eum mentientes. Hæ sunt beatitudines, quas habere ipse Christus docuit, et in seipso qualiter sint adimplendæ, suo exemplo monstravit.

[1] *Isa.*, LIII, 7. — [2] *Hebr.*, V, 7. — [3] *Luc.*, XXIII, 34. — [4] *Joan.*, XIX, 28. — [5] *Luc.*, X, 31 et seq. — [6] *Ephes.*, II, 14. — [7] *Coloss.*, I, 20. — [8] *Gal.*, V, 22. — [9] Ibid., 24.

CAPUT IX.

Quod in cruce apparent duodecim fructus Spiritus, quos enarrat Apostolus ad Galatas.

In hac etiam crucis arbore sunt illi suavissimi fructus, quos enarrat Apostolus ad Galatas, dicens [8] : *Fructus autem spiritus sunt charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides :* quia ibi est fundamentum fidei, et fulcimentum, et verum oblectamentum in ratione sui objecti, et non subjecti, quia in Christo non fuit fides. Sequitur *modestia, continentia* et *castitas.* Hæc omnia manifestissime relucent in passione Christi in cruce. Et ideo convenientissime subdit Apostolus ibidem [9] : *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis,* scilicet ut manifestissime ostendat hos fructus pendere in arbore sanctæ crucis, quos capere possunt conformantes se ei, affigentes seipsos cruci.

CAPUT X.

Quod in cruce speculari possumus pulcherrimum exemplar decem mandatorum Decalogi.

Est etiam in hac beatissima passione regula, et exemplar, et executio mandatorum Dei, ut sicut ipse fuit Deo Patri obediens usque ad mortem, sic et tu obedias usque ad mortem divinis mandatis. Possumus autem ibi speculari exemplar pulcherrimum omnium mandatorum.

Quantum enim ad primum mandatum, in quantum ipse homo, summus Dei cultor fuit,

(*a*) *Cæt. edit.* septem. — (*b*) *Item* Quis. — (*c*) *Cæt. edit. add.* et. — (*d*) Vulg. *dimitte.*

offerens se Deo Patri in ara crucis sacrificium medullatum, oblationem et hostiam pacificam pro peccato.

Quantum ad secundum mandatum, non assumpsit nomen Dei in vanum, nec falsum juravit; sed in passione crucis beatissima, quæ Patribus juraverat, adimplevit.

Quantum ad tertium mandatum, sabbato in sepulchro quievit, et ibidem etiam nos debemus celebrare sabbata nostra, non in trufis, vanitatibus et discursibus, sed in quiete cum gratiarum actione.

Quantum ad primum præceptum secundæ tabulæ, Patri summam reverentiam in cruce exhibuit, dum se ei usque ad mortem crucis humiliavit, ut debitum honorem contra injuriam a nobis illatam impenderet ei. Exhibuit etiam debitam reverentiam Matri suæ, cui non solummodo fuit subjectus, imo in cruce pendens cum magna diligentia dilecto discipulo eam commendavit.

Quantum ad secundum, non solum mortuos non occidit, sed etiam sua beatissima passione, et morte, mortem occidit, et mortuos vivificavit.

Quantum ad tertium, contra mœchiam detestabilem, sibi in matrimonium copulavit Ecclesiam, Sponsus castissimus Sponsam castissimam eligendo *non habentem maculam, neque rugam* [1].

Quantum ad quartum, [2] *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed exinanivit semetipsum formam servi accipiens.* Vel dicimus quod furtum non fecit, sed furtum recuperavit per mortem : descendit enim ad inferos, et spoliavit infernum; et quos furtiva manus diaboli de bonis injuste rapuerat, et injuste detinebat, merito suæ passionis redemit, *captivamque* [3] *ducens captivitatem, dedit dona hominibus.*

Quantum ad quintum, non solum falsum testimonium non dixit; sed pro veritate quam dicebat et faciebat, contra se falsos testes habuit, dicentes contra eum blasphemiam et nequitiam : propter quod etiam adjudicatus est morti.

Quantum ad sextum et septimum, non solum non aliena concupivit, sed etiam semetipsum proximis in cruce donavit.

Sic igitur manifestissime apparet, qualiter mandatorum observantia relucet in passione gloriosa Domini nostri Jesu Christi.

[1] *Ephes.*, v, 27. — [2] *Philip.*, ii, 6, 7. — [3] *Ephes.*, iv, 8. — [4] *Apoc.*, iii, 7. — [5] *Joan.*, xv, 13.

CAPUT XI.

Quod a passione Domini omnia sacramenta ecclesiastica trahunt virtutem, et quod sine ea impossibile est intelligere sacram Scripturam.

Ab hac etiam sacratissima passione omnia sacramenta ecclesiastica trahunt virtutem, quæ sunt nobis contra omnem morbum spiritualem saluberrima medicina. Hæc etiam beatissima passio est nobis divinarum Scripturarum davidica clavis, quæ [4] *aperit, et nemo claudit, claudit et nemo aperit.* Sine hac enim impossibile est intelligere sacram Scripturam; et hac bene in mente impressa, omnia in luce clarescunt. Incipias ab Adam, quomodo Eva de latere ejus formata est, et de ligno vitæ in medio paradisi, de immolatione Abel, et morte ejus : et sic per totam Scripturam discurre, si vis videre, quomodo veritas ejus resplendet in speculo passionis.

CAPUT XII.

Quomodo in beatissima Domini passione relucent omnium angelicarum hierarchiarum officia.

Ex prædictis manifestissime apparet, quomodo a passione Christi emanat omnis perfectio, et in ea relucet omnis pulchritudo ecclesiasticæ, vel evangelicæ hierarchiæ. Simili modo in ea resplendet et relucet omnis perfectio, pulchritudo et decor angelicæ hierarchiæ. Nam in ea primo et principaliter refulget ille seraphicus ardor amoris, quia [5] *majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Non credo, quod omnes angeli de paradiso possent suis intelligentiis capere hanc vehementiam charitatis, qua Dominus noster Jesus voluit talia pati pro nobis vilissimis servis, imo nequissimis inimicis ejus. Refulget etiam Cherubim speculatio, et intelligentia veritatis. Nihil enim scio in hoc mundo, quod tantum veritatem Scripturæ elucidet, tantum ad cœlestia contemplanda elevet, tantum ad Deum sapiendum illuminet, sicut passio Jesu Christi. Hic vere invenitur scientiæ plenitudo. Hic etiam maxime splendet erga majestatem æternam thronica reverentia et veneratio. Sicut enim illi cœlestes spiritus Throni dicuntur, quia in ipsis dicitur Deus tanquam in suo throno quiescere, propter nimiam venerationem et reverentiam, quam erga divinam majestatem habent, quia ipse

Hierchia lesti prim

quiescit[1] super humiles et timentes ejus sermones : sic et in hac beatissima passione Domini nostri Jesu Christi, dicitur Dominus Deus tanquam in suo throno quiescere, quia ibi fuit excellens humilitas, reverentia, et veneratio summa erga majestatem æternam, nullamque credo angelorum reverentiam huic posse comparari. Et ideo, ut per anthropopathos loquar, spiritus Dei, peccatis nostris irritatus et inquietatus, in hac beatissima passione pacificatus fuit, et quievit. Naturaliter enim Dei thronus potest appellari passio, quia in ea, id est in signis ejus, judicaturus est mundum. Unde etiam firmiter credo, quod ad mundum judicandum de nequitia sua apparebit ibi lancea, corona spinea, clavi, spongia, et hujusmodi, et Dominus Jesus cum stigmatibus suis, qui clamabit, dicens : Videte qualia a vobis, in vobis, et pro vobis passus sum ; et tamen ingrati omnia contempsistis, et pro nihilo pœnam et ignominiam meam duxistis. *Ite* ergo, *maledicti, in ignem æternum*, etc. Et sic patet de prima hierarchia.

Hierarchia secunda. In hac etiam beatissima passione relucet Dominationum præcellentia. *Humiliavit* enim[3] *semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen.* Ibi etiam relucet vel resplendet Potestatum resistentia, quia illam diabolicam potestatem, de qua dicitur[4], quod *non est potestas super terram, quæ comparetur ei*, ipse Jesus victoriosissime sibi subjugavit per patibulum crucis, et mortem moriendo destruxit. Refulget etiam ibi Virtutum efficax operatio, et præcipue ibi fuit virtus cordium penetrativa et attractiva. Unde illud est[5] : *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Unde quod nos credamus et diligamus eum, nullo modo nobis ipsis attribuamus, quia nemo venit nisi tractus[6]. In quo notatur motus non voluntarius ex parte nostra, sed potius violentus. Et sic patet de secunda hierarchia.

Hierarchia tertia. Clarescit etiam in hac beatissima passione Principatuum regimen, quia[7] *factus est principatus super humerum ejus.* Ibi etiam virescit Archangelorum resolutio, quia per hanc gloriosissimam passionem fit sufficiens levatio ab omni culpa, et ab omni pœna. Ibi etiam lucescit Angelorum revelatio, quia (*a*) occulta Scripturæ abdita, vel abscondita, et divinorum secretorum mysteria panduntur per apertionem lateris Christi. Et ideo merito in ejus morte *velum templi scissum est*[8], ut apparerent quæ erant in sacris Scripturis occulta. Et sic patet de tertia Hierarchia.

Ex his ergo omnibus patet manifestissime, quomodo non solum ecclesiastica, sed etiam angelica hierarchia in passione Domini refulget. Et sicut est angelorum purgare, illuminare, et perficere; sic, imo multo magis in passione Christi reperitur aperte. Per has igitur conformitates, quas Christi passio cum ordinibus angelorum habet, convenientissimum fuit non solum redimere animas, sed etiam ad reparationem angelicæ ruinæ convenientissime disponere, et ordinare. Propter nimiam enim charitatem, quæ resplendebat in cruce, incendium amoris erga Deum et proximum in hominibus accendebatur. Et sic reddebantur, et adhuc redduntur apti ad supereminentem seraphicum ordinem. Per veritatem etiam in hac beatissima passione expressam illuminantur homines contemplantes ipsam ad divinæ veritatis cognitionem : et ideo aperti sunt ad cognitionem et restaurationem Cherubim. Et per magnam humilitatem, et reverentiam, et venerationem erga Dei majestatem, quæ fuit in illa passione, provocantur homines ad consimilem pro suo modulo humilitatem, et venerationem, ac reverentiam, et honorem : et sic apti fiunt ad Thronorum reparationem. Exemplo etiam illius excellentissimæ dominationis divinæ per passionem habitæ, de qua dictum supra, propter *quod et Deus exaltavit illum*, etc., homines provocantur ut macerationibus et afflictionibus corporalibus nitantur vitiis, et concupiscentiis dominari, et omnem sibi animi appetitum subjugare, ut nihil otiosum, nihil inordinatum præsumat (*b*) in ratione hominis dominari, sed omnia recto judicio rationis hujusmodi appetituum genua flectantur, et sic apti fiant ad reparationem ordinis Dominationum. Et ut breviter transeam, sic per reliquos ordines discurre, sive per ordinum perfectiones, secundum quod de istis dictum est : ut scilicet per resistentiam contra diabolicam tentationem et fraudem, ad Potestates; per virtuosas operationes et conversationes, ad Virtutes; per diligens regimen omnium sensuum suorum, et motuum interno-

[1] *Isa.*, LXVI, 2. — [2] *Matth.*, XXV, 41. — [3] *Philip.*, II, 7, 8. — [4] *Job*, XLI, 14. — [5] *Joan.*, XII, 32. — [6] *Joan.*, VI, 34. — [7] *Isa.*, IX, 6. — [8] *Matth.*, XXVII, 51.

(*a*) *Cæt. edit.* qua. — (*b*) *Item* præsumant.

rum, et etiam aliorum hominum, si ad ipsum spectant, ad Principatus; per relevationem (*a*) necessitatum, et diligentem curam (*b*) proximorum, ad Archangelos; per prædicationem et doctrinam, ad Angelos. Vel si vis dicere, quod Archangelorum est majora, Angelorum minora docere: sic doctores ad Archangelos, prædicatores ad Angelos ordina. Et hæc omnia ad passionem Christi ordina, sicut de Seraphim et aliis dictum est.

Potes etiam aliam brevem assignare rationem, quare passio Christi fuit idonea ad reparationem angelorum, quia sicut illi per summam præsumptionem et superbiam ceciderunt, ita per infimam exinanitionem et humiliationem Christi crucifixi, veri Dei et hominis, debuerunt prædicti ordines ex hominibus, in suis oculis abjectis et humilibus, reparari: ut quod superius dictum est, particulariter per (*c*) restaurationem Thronorum, hoc pro omnibus universaliter restaurandis ordinibus sumamus.

His autem eisdem rationibus, quibus videmus qualiter angelorum decor et perfectio in Christo crucifixo refulget, possumus videre, quomodo in eadem passione refulget gloria hominum beatorum: quia illi claræ veritati, quæ est in illa passione beatissima, sicut supradictum est, correspondet aperta visio patriæ quantum ad cognitionem rationalis. Illi profundissimæ humilitati et reverentiæ, qua passio Domini Thronus dicebatur superius, correspondet firma intentio quantum ad irascibilem, quia [1]: *Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem?* etc. Illi etiam superexcellentissimæ charitati Dominicæ passionis, correspondet in patria ipsius concupiscibilis dilectio vere consummata. Illi Dominationi, de qua dictum est [2]: *Propter quod et Deus exaltavit illum*, etc., correspondet agilitas, quia [3] *subest ei, cum voluerit, posse.* Illi resistentiæ Potestatis, qua moriendo mortem destruxit, correspondet impassibilitas. Illi virtuositati, qua [4] *exaltatus a terra omnia traxit ad seipsum*, correspondet subtilitas, tanquam penetrativa virtus. Illi claritati, et nobilitati Principatus, de quo dicitur [5]: *Factus est principatus ejus super humerum*, etc., et de qua claritate potest illud adduci [6]: *Pater, clarifica me*, etc., correspondet dos claritatis. Officio autem Archangelorum et Angelorum, quod bene repræsentatur in illa passione, ut præmonstratum est, correspondet in hominibus beatis decor aureolæ, quæ debetur doctoribus et prædicatoribus.

Et sic patet qualiter in hac beatissima passione refulget, tanquam in speculo præclarissimo et mundissimo, omnis gratiæ et gloriæ plenitudo. Gloriæ dico: quantum ad præmium substantiale, ut dotes corporis; et quantum ad præmium accidentale, ut decor aureolæ, quæ debetur prædicatoribus, sive doctoribus, martyribus, et virginibus. Nam in cathedra sanctæ crucis docuit, et martyrum caput fuit, et Virgo virginum Virginem virgini commendavit. Non solum autem ipsorum sanctorum plenitudo gloriæ refulget in hac beatissima passione, sed etiam ab ipsa meritorie emanat. Et ut magis appropriate loquamur, per apertionem lateris mittit sanctis visionem apertam; per pedum et manuum conclavationem, intentionem firmam; per gustationem aceti et fellis, inebriationem amoris, et hoc erat quod sitiebat; per coarctationem ligaminum, meruit nobis agilitatem; per illusionem sputorum, solis claritatem; per mortem, impassibilitatem; per inclusionem in sepulcro, subtilitatem; per coronam spineam, non solum aureæ, sed etiam aureolæ venustatem, scilicet illis tribus generibus hominum, videlicet virginum, martyrum, et doctorum. Et quidquid dicamus, credo quod in hac beatissima passione est materia excellentissimæ gloriæ, et immensi gaudii tam angelorum, quam hominum beatorum. Et hoc est quod credo firmiter, et non dubito, quod tam angeli, quam homines beati, totaliter in Deum tendunt, et totis mentibus intime Deum diligunt, ita quod plus sine comparatione Deum diligunt, quam seipsos; imo non credo quod seipsos diligant, nisi propter Deum. Et ideo sine comparatione plus exultant et gaudent de Dei magnificentia, quam de propria gloria. Cum ergo in Christi passione sit excellentissima manifestatio summæ potentiæ, summæ sapientiæ, summæ clementiæ Dei, sicut postea aliqualiter declarabo; ideo prædicta passio est eis materia excellentissimi gaudii, et exultationis immensæ. Unde quamvis gaudeant homines videntes se per illam passionem redemptos, et angeli videntes se per eamdem reparatos, et sic quodammodo ad seipsos reflectantur, quamvis hoc

[1] *Isa.*, LXVI, 2. — [2] *Philip.*, II, 9. — [3] *Sap.*, XII, 18. — [4] *Joan.*, XII, 32. — [5] *Isa.*, IX, 6. — [6] *Joan.*, XVII, 5.

(*a*) *Cæt. edit.* revelationem. — (*b*) *Item* diligentiarum. — (*c*) *Leg.* propter.

semper videant, et referant in Deum : tamen credo, quod sine comparatione plus exultent, et gaudeant, et totaliter in Deum excedant, cognoscentes in ea tam potentiam, quam sapientiam, et inæstimabilem et immensam clementiam Dei sui. Unde, sicut apparet hic summa et immensa diffusio divinæ bonitatis, ita credo quod in ea sit excellentissima, plenissima, et totaliter medullaris diffusio mentium in Deum ob nimiam jucunditatem, et gaudium. Sic ergo manifeste apparet quod passio Christi fons gratiæ et gloriæ reperitur, et quod in ea refulget decor, et perfectio subcœlestis hierarchiæ, et etiam cœlestis.

CAPUT XIII.

Quod summa potentia, sapientia, et clementia summa ibi relucent, et etiam circa hæc quædam excitativa vel exercitativa.

Nunc, Deo favente, videre restat, qualiter supercœlestis hierarchia, quæ Deus est, in cruce splendet, ut scilicet aliqualiter videamus, qualiter in ea refulget summa potentia, summa sapientia, summa clementia Dei. Et quia infirmum de potentia, stultum de sapientia, pravum de bonitate loqui, præsumptuosum est : ideo mihi velle subtilia, et quæ supra vires meas sunt, investigare non licet. Attamen ad majorem prædictorum intelligentiam, et consolationem nostram aliqua communia videamus. Manifestatur autem in illa beatissima passione divina (*a*) potentia, et benevolentia, in tolerando, in liberando, in gratificando, in suscitando, in magnificando.

Dico primo, quod manifestatur in hac beatissima passione ejus fortitudo, et clementia in tolerando. Quod autem ille, qui est Deus omnium, et omnia conservat, sine cujus manu omnia reducuntur in nihilum, sustineret patienter effugari, qui ubique erat; ligari, qui immensus erat; flagellari, qui gloriosus existebat; alapari, qui mundum plasmaverat; conspui, splendor æternus, et speculum sine macula; blasphemari, pater immensæ bonitatis; dijudicari, judex immensæ potestatis; crucifigi, Dominus immensæ libertatis; aceto et felle potari, fons immensæ suavitatis; gaudium angelorum affligi, vita viventium occidi, spinis coronari gloriæ corona, latus aperiri agnus immensæ clementiæ, in lapide sepeliri sol justitiæ : hæc omnia a nequissimo homine pro eo patienter sustinere, imo pro eis orare, fuit potestatis immensæ, tolerantiæ, bonitatis, et clementiæ. Sic ergo patet potestas seu potentia, et bonitas Christi in tolerando.

Signum etiam fuit hujus immensæ bonitatis et potentiæ, in liberando. Quod enim Christus crucifixus potentissimum ligaret, mortem moriendo destrueret, et occideret, et sepultus infernum spoliaret, fuit immensæ potentiæ signum. Sed etiam hoc fuit immensæ et excessivæ clementiæ signum, quod pro suis nequissimis inimicis a morte liberandis dignatus est mori. Hoc enim inexcogitabile est, quod morte, quæ sibi inferebatur, liberaret inferentes a morte, cum propter hoc debuisset fortius, vel potius secundum humanum judicium nos omnes æterna morte condemnare, hoc ipso quod a nobis, et occasione nostri fuisset tam vili et crudeli morte occisus. Nec credo, quod angeli de paradiso potuissent hanc summam clementiam cogitasse, antequam fuerit eis revelatum.

Fuit autem immensæ potentiæ et benevolentiæ signum, in justificando. Si enim majus est justificare impium, quam cœlum et terram creare, propter repugnantiam voluntatis; quantæ ergo clementiæ, quantæque fuit potentiæ salvare et justificare impium summam impietatem perpetrantem, et Salvatorem, et Justificatorem occidentem? Et ideo illud immensæ clementiæ fuit, quod effectu illius summæ impietatis voluerit nos ab omni impietate justificare, cum secundum humanum judicium debuisset, si nunquam alia intervenisset culpa, nos penitus reliquisse, et ad nihilum redegisse, quod idem est, quia si penitus nos relinqueret, in nihilum redigeremur; aut illam nequitiam non in justificationem, sed in pœnam ordinasset æternam. Hoc ergo summæ potentiæ et clementiæ fuit, quod nos justificavit merito suæ passionis, quæ procreata est a nequitia nostra, et merito nequitiæ nostræ. Hæc omnia inaudita, et mirabilia, sunt diligenter ruminanda, et omni admiratione digna, et deficit ibi omnis ratio et intellectus, et non modicum succenditur affectus.

Apparuit etiam ibi summa potentia in resurgendo. Planum est enim, quod a mortuis resurgere, et maxime per se, vel mortuum resuscitare, utrumque est infinitæ potentiæ : et utrumque ibi fuit, quia resurrexit, et aliquos secum

(*a*) *Cæt. edit. repet.* divina.

suscitavit, qui [1] *venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis.* Sed et hoc fuit immensæ clementiæ, quod dignatus est non statim resurgere, sed pro fide nostra aliquantulum differre, et pro nobis mortuus permanere, ut ipsum fuisse verum hominem crederemus fideliter. Nec nimis distulit, ut et ipsum esse Deum verum credamus; et alios suscitavit, ut ei redderent testimonium. Et ipsemet per quadraginta dies adhuc apparens in multis argumentis, ut ei crederemus, distulit ad cœlum ascendere, cum omni dignatione, et ferventi dilectione, nostram salutem operans et procurans. Non enim sufficit ei mortalis et passibilis conversari nobiscum; sed et gloriosus, et immortalis, per quadraginta dies manifestissime apparere apostolis, et eos de regno Dei docere. O amor, quantum Deum nostrum Jesum signasti nobiscum, qui non videtur posse separari a nobis, et nos vilissimam saniem dignatur cum tanta ac tali diligentia sibi per fidem et amorem unire!

Manifestata est etiam ibi summa potentia in magnificando. Magnificavit enim eum in conspectu regum, et principum, qui tamen in conspectu Dei fuit semper magnus : et istud, scilicet Christum crucifixum in conspectu hominum magnificare, et omnibus superextollere, fuit summæ potentiæ. Quare? quia fuit contra sapientiam Græcorum, contra scandalum Judæorum, contra idololatriam Romanorum, contra sævitiam tyrannorum, contra omnem astutiam dæmoniorum, supra omnem rationem et intellectum, scilicet credere hominem crucifixum esse Deum. Et istud fuit summæ clementiæ ejus, quod nos fecerit sibi credere, imo etiam eum credere Deum, contra omnem duritiam et nequitiam nostram, nos ad se sua intima virtute trahendo. Et ideo summas grates et gratias ei debemus, quia [2] *non* fuit *currentis, neque volentis, sed Dei miserentis.* Quid enim sibi fecimus, quod nos in eum plusquam reliqui crederemus? Fideliter ergo, et cum omni timore et honore serviamus ei, perfecto corde, et animo volenti, et jubilemus ei cum totis præcordiis nostris : quia nobis indignis luxit cum jucunditate admirabile lumen ejus, et dulcissima, suavissima, et amabilissima claritas ejus irradiat intima mentis et tenebras convertit in lucem, elevat, conjungit, deificat, et resolvit. Ex his ergo manifeste apparet, quod summa potentia, et summa clementia Dei refulget in passione Domini nostri Jesu Christi.

Nunc restat videre qualiter summa sapientia relucet ibidem. Et quamvis non sufficiamus, neque sciamus omnia enarrare, tamen aliqua de multis ad consolationem nostram dicamus. Sapientia ejus summa in hac passione apparet in gratissima correspondentia in omnibus mysteriis redemptionis a culpa. Nam sicut prima mulier, de virginea carne sumpta et facta, seducta est; sic Christus, de Virgine natus, crucifixus est. Et sicut illa accepit de ligno vetito, et dedit viro suo, de quo facta erat, sic Christus in ligno crucis est passus voluntarie, et hanc passionem Matri suæ, de qua natus fuerat, communicavit, cujus [3] *animam doloris gladius pertransivit.* Usque enim hodie ignoravi, quare Dominus noster Jesus Christus voluerit illam dulcissimam Matrem suam sibi assistere, et secum tam immenso dolore affligi, cum bene nobis sufficeret sua passio. Sed, ut video, hoc summa clementia, et summa ejus sapientia exigebat, quamvis essemus indigni. Et sicut Eva seducta est volendo esse sicut Deus [4], ita passus est homo Deus. Et sicut illa de latere viri facta fuit principium nostræ damnationis, quia virum sibi consentire fecit; sic Christus latus aperuit, unde virtus sacramentorum emanavit. Et sicut illa vidit lignum, quod erat pulchrum visui, et ad vescendum suave; sic Christus consputus est in vultu, et amaritudine fellis gustatus. Et sicut illius pedes currunt ad lignum, et manus extenduntur ad fructum, sic Christus pedibus et manibus est in cruce affixus. Illa ambitiosa; iste humillimus. Illa vero inobedientissima; iste usque ad mortem obedientissimus. Contra appetitum scientiæ, Dei sapientia condemnatur. Illi erant ambo nudi, cum peccaverunt; Christum vero nudum crucifixerunt. Ibi homines post culpam se absconderunt a facie Dei; hic Christus Dominus Deus noster post mortem in sepulcro absconditur a facie hominum. Illi descenderunt ad imum ad laborandum; hic descendit ad infernum spoliandum. Sic apparet aperte, et manifestavit, qualiter in hac beatissima passione gloriosissima summa Dei sapientia claret. Et in omnibus istis non solum Dei sapientia, sed etiam summa Dei dignatio et clementia demonstratur, quod ipse voluerit pro comestione illius ligni lignum crucis ascendere, et pro extensis ad fructum manibus, manus suas elevare in cruce, et hujusmodi,

[1] *Matth.*, XXVII, 53. — [2] *Rom.*, IX, 16. — [3] *Luc.*, II, 35. — [4] *Gen.*, III, 5.

quæ superius dicta sunt. Hoc enim fuit summæ et ineffabilis suæ clementiæ. Nec credo, quod tanta dignatio possit a creatura aliqua comprehendi; sed credo quod in ipsa angeli et sancti vere exceduntur, et supereffunduntur ab illis (*a*) immensitate clementiæ, utpote sicut piscis in mari, etsi non sit similitudo perfecta. Accedamus ergo, charissimi, ad cor altum, et in illa profunditate benignitatis immensæ totaliter immergamur. Accedamus cum fiducia ad Christi latus, et intremus ipsum. Accedamus, charissimi, accedamus, et moriamur cum ipso. Accedamus, obsecro, accedamus, quia ad amplexus ejus brachia sunt extensa. O bone Jesu, quid fecisti, quid me tantum amasti? Quare, Domine, quare? Quare, Domine Jesu? Quid sum ego? *Non sum dignus ut intres sub tectum meum*; quanto magis ut moriaris propter peccatum meum! *sed tantum dic verbo et sanabitur* [1] *anima mea* [2]. Quare, ad ipsam sanandam, vis emittere animam tuam? Sufficit, Domine, sufficit verbum tuum. Quare tam ignominiosa et crudeli morte effundis sanguinem tuum? Solo verbo angelos, cœlos, et totum hunc mundum creasti. Quare tot doloribus tam dura et crudeli morte me nequissimum servum redemisti? Sonet, obsecro, charissimi fratres, in auribus vestris vox illa Domini nostri Jesu Christi; imo sonet in intimis cordis vestris [3] : *Attendite, et videte, si est dolor similis sicut dolor meus.* Penetrent, charissimi, etiam isti dolores intima nostra, et corda nostra istis doloribus gladientur. Accedamus ad latus ejus, et sugamus sanguinem ejus : quia hoc bene placitum ejus est. Non faciamus ipsum talia frustra pati : non permittamus hunc sanguinem effluere super terram. Fiant ergo corda nostra receptacula et vasa sanguinis Domini nostri Jesu Christi, et ejus inebriati doloribus, dicamus : Nobis autem *absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* [4] crucifixi. Quod nobis concedat, qui vivit, et regnat, etc.

CAPUT XIV.

Quod in passione Domini excitetur et inflammetur cor hominis ad septem opera misericordiæ.

Cum jam per ea, quæ dicta sunt, in passione Domini nostri Jesu Christi multipliciter possit nostra contemplatio regulari et perfici, nunc qualiter in eadem ad actionem excitemur, et dirigamur, restat aliqualiter intueri. Et quia activæ vitæ, inter alia opera misericordiæ et pietatis, amplius eloquia sacra commendarunt, et etiam quia de illa actione quæ ad veram afflictionem et dejectionem spectat, satis est superius tractatum : ideo ad præsens, aliis prætermissis, videamus qualiter in illa passione Dominica est excitatio, inflammatio, exemplar, speculum illorum misericordiæ operum, de quibus in *Matthæo* Dominus noster dicit se in judicio disceptaturum, et pro illis æternum præmium largiturum, sive redditurum : *Venite,* inquiens [5], *benedicti Patris mei,* etc. *Esurivi,* etc. Abstergamus ergo, charissimi, caliginem ab oculis cordis nostri, et intueamur diligentissime illam beatissimam passionem; et videbimus clare qualiter, in ipsa, prædicta opera eleganter relucent. Sed primo videamus qualiter ad ipsa complenda allicimur; postea videre poterimus qualiter per ipsam in eisdem operibus regulamur. Si enim consideramus, qualiter Dominus noster esurivit et sitivit (*b*) pro nobis, multum moveri debemus, ut esurientes et sitientes pascamus, ut sibi in suis membris subveniamus. Et, ut omnia reducamus ad passionem Christi, audiamus in Evangelio ipsum Jesum clamantem in cruce : *Sitio.* Nam, si beati sunt qui esuriunt et sitiunt justitiam; cum ipse fuerit plenus omni gratia et perfectione, ipse maxime in hac beatissima passione nostram justitiam esurivit et sitivit : quia, quando moriebatur, non pro ea solum esuriem et sitim spiritualem habuit ipse in cruce, sed etiam valde probabiliter credo quod corporalem famem et sitim ibi habuit : quia nocte præcedente multum laboraverat et vigilaverat in oratione, et postmodum in capturæ anxietate, et demum diversis flagellis et laboribus fatigatus, circa horam sextam, quando appetitus solet incitari et incendi, fuit cruci affixus, et usque ad nonam jejunavit ibidem, et dixit [6] : *Sitio.* Et ipsi ei propinaverunt acetum, quod [7] *cum accepisset, inclinato capite,* [8] *emisit* (*c*) *spiritum.* Nec est multum credibile, quod tunc virtute divinitatis restiterit alicui necessitati, et indigentiæ corporali, sicut cum quadraginta diebus jejunavit, quia ipsi passioni exposuerat se plene pro nobis in cruce. Sic ergo quia Dominus noster Jesus Christus esurivit

[1] *Matth.*, VIII, 8. — [2] Oratio Ecclesiæ. — [3] *Thren.*, I, 12. — [4] *Gal.*, VI, 14. — [5] *Matth.*, XXV, 34. — [6] *Joan.*, XIX, 28. — [7] Ibid., 30 — [8] *Matth.*, XXVII, 50.

(*a*) *Leg.* illa. — (*b*) *Cæt. edit. add.* multum. — (*c*) Joan., *tradidit.*

et sitivit pro nobis, multum allici debemus ad ipsum pascendum in membris suis. Peregrinus etiam fuit Dominus noster, quia dixit, imminente illa morte beatissima [1] : *Regnum meum non est de hoc mundo.* Etiam in cruce maxime peregrinus fuit, et alienus reputatus pro nobis, quia [2] *amici et proximi ejus* tunc *longe recesserunt* ab eo, et tanquam [3] *peregrinus extraneusque factus est fratribus suis.* Hunc ergo peregrinum, fratres charissimi, pro nobis factum, recolligamus in membris ejus.

Nudus etiam fuit Dominus noster in cruce pro nobis : ipsum, obsecro, induamus in membris ejus. Ibi etiam apparuit vere infirmus doloribus et angustiis plenus pro nobis : ipsum visitemus in membris ejus. Captus est pro nobis, et captivus ad crucem deductus, in ea suspensus et conclavatus : ad membra sua captiva et incarcerata eamus. Sic ergo apparet qualiter in præhabita passione fuit tanquam verum objectum allectivum et excitativum ad prædicta opera complenda in membris ejus.

Nunc videamus qualiter in prædicta passione fuit exemplar motivum et directivum in operibus supradictis. Ipse enim eadem opera exercuit. Ipse enim latus suum aperuit, et sanguinem suum fudit ad sitientes potandos. Carnem suam, in ara crucis, igne ardoris nimii amoris concremavit ad esurientes pascendos. Et ideo in cœna præcedenti sacramentum altaris ordinavit ad nos reficiendum, quod quidem sacramentum est memoriale Dominicæ passionis. Nam *caro sua vere est cibus, et sanguis* ejus *vere est potus,* sicut ipse Dominus testatur [4]. Si ergo de seipso Dominus noster Jesus fecit cibum nobis et potum, quanto magis nos alere debemus esurientes et sitientes, non solum de superfluis, sed etiam de necessariis nostris ? Si enim Dominus noster dedit nobis carnem suam in cibum, quanto magis nos debemus dare ei in membro suo carnes bestiarum nostrarum ? Si enim seipsum panem vivum, qui de cœlo descendit, dedit nobis ad manducandum, quanto magis dare ei debemus in membris ejus panem mortuum, qui de terra exivit? Si nobis dedit cibum spiritualem, panem scilicet angelorum, qui nos sibi unit et convertit in seipsum, quanto magis nos ei in membris ejus dare debemus utrem vini, vel lactis, vermium scilicet nutrimentum? Simus ergo, charissimi fratres, solliciti ad alendos pauperes Christi, imo ad alendum Christum in pauperibus suis.

Opus etiam hospitalitatis exercuit in ipsa cruce. Nam ibi erat quidam peregrinus qui iverat in viam longinquam, et a Christo hospitium petens, ait [5] : *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.* Quasi diceret : Digneris, Domine Jesu Christe, peregrinum recognoscere, et in illo regni tui palatio recolligere. Mirum! de Dei clementia jam oblitus esse videtur, quod alias dixit illi, qui de ejus hospitio interrogabat eum [6] : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Sed quid? Non tantum non tardat ipsum hospitio recipere, non sub porticu, non in stabulo, sed in seipso; non cras, non post cras, sed [7] *hodie mecum eris in paradiso.* O misera hominum nequitia! Dominus noster latronem recipit in hospitio, et in seipso; et nos in terrenis et lutosis domibus etiam bonos recipere nolumus, sed excusamus nos, et dicimus : Forte ipsi sunt latrones. Memento, miser homo, quod latronem Dominus ipse recepit. Et si forte non potes, quia et tu pauper es, recolligere in materiali domo, recollige saltem eum in corde tuo, ei compatiendo.

Denudavit etiam se Dominus noster Jesus Christus ad nostra verenda operienda, et nudus pependit in cruce. Quanto magis personas nostras nudare debemus ad operiendum eum in pauperibus suis, aut, ut de nobis loquar, cellarum aut lectorum angulos a superfluis tunicis pro Christi pauperibus evacuare debemus? O quantum gaudium nobis esse deberet, cum nos exuere possemus pro Christo, ut non solum superflua, sed etiam nobis necessaria pauperibus largiremur! Ipse enim pro me nudatus est, et ego pro ipso nolo indigentiam illam pati? Absit a nobis hoc, fratres charissimi : non solum nostra, sed nos proximis nostris, imo Christo in proximo largiamur, quia ipse se totum nobis dedit. Nam et ipse nos infirmos visitavit, et in cruce infirmitates nostras, et cunctarum infirmitatum nostrarum angustias et dolores super se portavit. Sic, charissimi fratres, infirmos ejus sollicite visitemus, et eorum infirmitates in nos compatiendo insimul recipiamus, sive transformemur, ut dicamus cum apostolo Paulo [8] : *Quis infirmatur, et ego non infirmor ?*

[1] *Joan.*, XVIII, 36. — [2] *Psal.* LXVIII, 9. — [3] *Psal.* XXXVII, 12. — [4] *Joan.*, VI, 56. — [5] *Luc.*, XXIII, 42. — [6] *Matth.* VIII, 20 ; *Luc.*, IX, 58. — [7] *Luc.*, XXIII, 43. — [8] II *Cor.*, XI, 29.

Ipse etiam Dominus noster Jesus in illo triduo captivos inferni adiit. Quomodo ergo erit sic deterrimus et profundissimus carcer, quin ibi visitemus captivos, imo in captivis Dominum nostrum Jesum? Totum enim reputat Dominus noster sibi fieri, quod amore ipsius facimus membris ejus. Omnium autem istarum pietatum in Domino nostro compulsiva, conservativa et confortativa fuit illa pietas, qua pro suis crucifixoribus exoravit. Sic et nos nostram pietatem et misericordiam erga proximum conservare debemus in hoc, ut non solum nos offendentibus parcamus, et erga illos tranquillum animum habeamus, verum etiam pro ipsis affectuosissimas ad Deum preces fundamus. Quod nobis concedat, qui in Trinitate, etc.

CAPUT XV.

Oratio valde devota circa passionem Domini.

O Domine Jesu Christe, o vere amice, o amantissime Sponse, fac lutum ex sputo, et lini oculos meos, ut qui cæcus sum, videre valeam vulnera tua. Introduc me, Domine Jesu, quamvis indignissimum famulum tuum, in gazophylacium veri templi, ut intueri valeam, quid quantumque obtuleris Patri pro nobis. Fortassis anima mea, quamvis a te vero sponso multis iniquitatibus viduata sit, offerret tibi *duo minuta* [1]. Recipe me, quamvis filium prodigum, ad comedendum tecum vitulum saginatum, assatum in cruce. O bone et vere magister, doce me thesauros sapientiæ beatissimæ mortis tuæ. Iterum atque iterum, Domine Jesu, aperire digneris latus tuum mihi nequissimo famulo tuo, ut oculi mei, qui deprædati sunt animam meam, in tuo latere inveniant prædam meam. O bone Jesu, nimis saxeum est cor meum, nisi emolliatur sanguine tuo : nimis distractum est cor meum, nisi recolligatur in latere tuo. O bone pastor, ego sum illa ovis quæ periit, et erravit, pro qua in cruce posuisti animam tuam. Ecce ego sum, agnosce eam, introduc me caulas vulnerum tuorum. Tu autem, Domine Jesu Christe, in tua passione me custodias diligenter. Nam sine tua morte morior, sine tuis vulneribus vulneror, sine tuis conviciis convicior, sine tuis flagellis virga non æquitatis, sed iniquitatis flagellor. Sed quia nescivi perseverare in tua beatissima passione, sum quasi in nihilum redactus : quia ignominiam crucis dimisi, ignominiosus factus sum : quia stultitiam crucis reliqui, stultissimus et vanissimus factus sum : quia infirmitatem tuæ passionis neglexi, infirmus factus sum : quia a doloribus aculeorum tuorum recessi, spinis concupiscentiarum confixus sum. Quid dicam? Nisi cor meum doloribus tuis aperiatur, nefandissimis vitiis aperietur. Nisi sciat latitare in vulneribus tuis, a latronibus plagis impositis spoliabitur. Nam contra supervacuam, et vanam gloriam, avaritiam, et invidiam, odium sive iram, et acediam, gulam et luxuriam, perfectissima medicina, imo sine qua nulla alia medicina, est passio tua. Contra superbiam, ejus humilitas; vanam gloriam, ejus vilitas; avaritiam, ejus nimia largitas : et sic de aliis. Ipsa est, quæ sepit aures, ne audiam vana vel prava; oculos claudit, ne aspiciam mortifera vel nociva; os obstruit, ne loquela vel gustu offendam; nares obturat, ne circa odorifera offendam : manus ligno affigit, ne extendantur ad tactus vel opera vitiosa; pedes conclavat cruci, ne inutiliter vel nocive discurrant. Ipsa fovet mutuam dilectionem, auget internam devotionem, elevat ad supernam contemplationem. Hanc ergo, Domine, acerbissimam passionem, et ignominiosam, da mihi in sponsam, et indivisibili et indissolubili vinculo ipsam mihi conjunge. Super omnes mulieres, id est, delicias et consolationes temporales adamavi eam, et tamen sæpe, alia superinducta, repudiavi eam. Nunc modo venio, et requiro eam : ne, quæso, mecum agas juris rigore, sed tuæ clementiæ dispensatione. Hanc ergo da mihi, Domine Jesu, quia hanc amavi, hanc dilexi, hanc totis visceribus concupivi, ipsa sola mihi sufficit, ipsa sola me medullitus nutrit et reficit in hac vita. Ipsa est vita mea, consolatio mea, et deliciæ meæ, ipsa lux et sapientia mea; ipsa reducit, et deducit; sine ipsa devio, et erro; sine ipsa a portu salutis declino.

O bone Jesu, nihil a te peto in hac vita, nisi ut perfecte sim tecum crucifixus in cruce. Certe, dilectissime Domine Jesu, nolo vivere, nisi moriar tecum : aut ergo da mihi mortem temporalem, aut in corde meo imprime tuam mortem. Heu mihi, quare natus sum, nisi Dominum meum Jesum amplectar in cruce, et requiescam in vulneribus ejus? Magis eligo ad præsens tecum crucifigi, quam tecum deliciis affluere. Hanc tuam beatissimam passionem

[1] *Marc.*, XII, 42.

volo, hanc peto, hanc totis internis concupisco medullis, omnibus pro ipsa abrenuntio, et etiam meipsum relinquo : ipsa sit mihi anima mea et corpus meum, et omnis consolatio mea. Nam sanguis tuus inebriat me, et dolores tui sciderunt cor meum. Domine Jesu, pro me fecisti cœlum, et solem, lunam et stellas, ignem, aerem, aquam et terram, aves et pisces, bestias et reptilia, arbores et flores, herbas et olera, aurum et argentum, universa metalla, colores diversos, lapides pretiosos. Sed quis de manibus tuis quæsivit hæc? Sine petitione, sine instantia hæc omnia nobis dedisti; et tota die affligo animam meam petendo ignominiosam mortem tuam, et vix possum aliquam guttulam impetrare. Scias, Domine Jesu, quia omnia visibilia mihi vilescunt pro ipsa : tibi universa restituo, et da mihi vulnera tua. Hæc super cœlum habilitant cor meum, super sidera refulgent, et illuminant intellectum meum, super ignem accendunt affectum meum, super aerem fœcundant sermonem meum, super aquam emolliunt animum meum, super terram stabiliunt et fœcundant affectum meum. Hæc avibus, bestiis et piscibus utiliora, fructibus suaviora, arboribus et floribus amœniora, argento, auro et lapidibus pretiosis pretiosiora; imo certe hæc omnia non nisi vanitas est, vel sunt, respectu tuæ passionis beatissimæ. Hanc volo, Domine Jesu, hanc volo, tribue mihi in uxorem. Non peto pulchritudinem cœli, sed ignominiam tui; non mundi delicias, sed tuas angustias. Cito mihi, Domine Jesu, tribue eam : nolo secum, Domine Jesu, sponsalia facere, sed matrimonium consummare. Consentiat in me, Domine Jesu, quia consentio in eam, et est matrimonium ratum. Intrent cor meum vulnera tua, et ipsa intrent animam meam, et erit matrimonium consummatum.

Sed quis sum ego, Domine mi Jesu, ut a te in sponsam illam audeam petere, quam solam (*a*) tuis intimis amicis et maximis pro omnibus amicitiis tuis conjungis? Sed quamvis nihil nisi vanitas et detestanda sanies sim, præsumo tamen de immensa clementia tua. Et si non habeam puritatem et sanctitatem matris tuæ, ut digne tibi compatiar, latronis tamen pravitatem habeo, ut secum ad latus tuum crucifigi debeam. Magis in hac vita desidero, Domine Jesu, cum latrone tecum in crucem ascendere, quam cum Petro, Jacobo et Joanne in monte transfigurationis tuæ conscendere. Magis placet ad præsens oculo mentis videre te consputum, quam transfiguratum. Et si non sum tanquam velum nobilissimum in templo, ut morte tua scindar, sum tamen fœtidissimum monumentum, ut ad apertionem tui lateris aperiri debeam. Quid in me quæris, dulcissime Domine Jesu? Si in morte (*b*) petræ scissæ sunt, et ego tamen durior sum petra. Si enim terra mota est, ego terrenissimus sum. Quid ergo iniquitatis deest in me, ut non indigeam tua morte? Et si cœlestis non sim in tibi compatiendo, nec queam cum sole obscurari, tamen infernalis conversationis sum, ut in hoc triduo mortis tuæ a te debeam visitari. Non ergo, Domine Jesu, te retrahat iniquitas mea, quin mihi hanc nobilissimam sponsam, ignominiosam scilicet mortem tuam, inseparabiliter mihi ejus desiderio æstuanti conjungas. Ipsa enim est pulcherrima omnium mulierum, id est, excellentissima omnium gratiarum. In ea fuit summus cultus Dei, summa Dei dignatio, summa Dei ad nos diffusio. Ipsa summa Dei sapientia et prudentia percussit superbum, sua potentia animas de inferno transtulit in cœlum, sua potestate placavit, imo et donavit Deum, cujus violeum colorem amplectuntur humiles et confessores, lilii candorem innocentes et virgines, roseum ruborem amplectuntur martyres in charitate ferventes, quia in ea fuit summa humilitas, innocentissima virginitas, et excellentissima et excessiva charitas. Ejus purpureum et coccineum colorem admirantur angeli; ad ejus fragrantissimum odorem sentiunt et suscitantur mortui; ad ejus suavissimum tactum roborantur infirmi; ad ejus dulcissimum gustum reficiuntur et conservantur perfecti. Talis est, filii Hierusalem et filiæ, sponsa mea et amica mea, desiderium animæ meæ. Ipsa inimicum meum diabolum superat in me, a mundo me alienat, carnem meam bene castigat. *Mihi* ergo [1] *absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus*, etc. Est ergo mihi quippe, mi Domine Jesu, magna gloriatio, quod pro me cœlum, et sidera, et alias inferiores creaturas fecisti; sed multo sine comparatione major mihi gloriatio, quod pro me dignatus es mortalis fieri. Magna quippe gloriatio, quod me fecisti ad imaginem et similitudinem tuam; sed sine comparatione

[1] *Gal.*, VI, 14.

(*a*) *Leg.* solum. — (*b*) *Suppl.* tuæ.

major mihi gloriatio, quod pro me formam servi accipiens, factus es similis mihi. Magna mihi gloriatio, quod tot beneficiis me gubernas et nutris; sed sine comparatione major mihi gloriatio, quod pro me esuristi, sitisti, et fatigatus super fontem sedisti, et multa incommoda sustinuisti. Magna mihi gloriatio, quod cunctis animalibus me præposuisti; sed sine comparatione major, quod pro me te Dominum omnium uni puellæ et fabro subdidisti. Magna mihi gloriatio, quod me, si amicus tuus fuero, honorificaturus es in cœlo tuo; sed sine comparatione major mihi gloriatio, quod pro me adhuc pessimo inimico tuo conviciatus, consputus, et multipliciter illusus es in medio terræ. Magna mihi gloriatio, quod me, si justus fuero, ditaturus es in regno; sed multo magis est mihi magna gloriatio, quod pro me peccatore in extrema paupertate fuisti in ligno : quia quantum ad gustum, cum sitires, fel habuisti et acetum; quantum ad operimentum, corpus habuisti nudum; quantum ad reclinatorium, non habuisti ubi reclinares caput tuum, imo corona spinea fuit pulvinar tuum. Magna mihi gloriatio, quod si gratiam usque ad finem habuero, me delectatione es impleturus universarum deliciarum paradisi; sed multo mihi major gloriatio, quod pro me tuo contemptore, et pleno omni abominabili sanie, impletus es inæstimabilibus angustiis et doloribus, morte turpissima condemnatus in Calvariæ loco. Magna mihi gloriatio, quod si angelice vixero in terris, angelis es me sociaturus in cœlis; sed multo major mihi gloriatio, quod pro me, diabolicam vitam ducente, cum latronibus es crucifixus, in terris cum impiis et iniquis associatus et deputatus. *Mihi* ergo *absit nisi in cruce Jesu Christi gloriari.* In quo debeo gloriari, nisi in summo Dei mei honore, summa Dei mei erga me gratia, sive dilectione, et dignatione? Hæc autem sunt plene in cruce. *Mihi* ergo *absit gloriari*, etc. Si enim [1] *pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus,* quia patiuntur et moriuntur pro ipso, quanto magis debet esse gloriosa in conspectu nostro mors Domini nostri Jesu Christi, cum ipse patiatur et moriatur pro nobis? Igitur gloriari nos oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi. Sed heu, heu! audi iterum clamantem Jesum, et dicentem [2] : *Longe fecisti notos meos a me, posuerunt me abominationem sibi. Elongasti a me amicum et proximum, et notos meos a miseria.* [3] *Qui videbant me, foras fugerunt a me.* [4] *Periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam.* [5] *Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ. Sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit; qui consolaretur, et non inveni.* Nolite, fratres charissimi, nolite fugere, nolite crucifixum in medio latronum solum relinquere. Redite, obsecro, et eamus, et moriamur cum illo. Omnes fugerunt; sola Domina Mater remansit cum eo. Eamus cum Joanne, et associemus Dominam nostram, et stemus juxta crucem cum ea. Si enim Maria Cleophe, et Maria Magdalene associantur Virgini Matri, bene possumus nos associare Matri et Discipulo. Credo firmiter, quod cum Joanne dicetur nobis : Ecce Mater vestra, de Domina nostra; et ei dicetur : Ecce filii tui. Simus, charissimi, cum Matre, si volumus Filium cum Matre lucrari. Non enim potest unus sine altero impetrari. Ascendamus cum eis in palmam, et apprehendamus fructum ejus : nam in ea cor Virginis cum Filio pendet. Nullus se excuset, in quocumque sit statu, quia nullus est, qui non inveniat in hac arbore suavissimum fructum, et sufficientissimum nutrimentum. Nam si peccator es, illam acerbissimam, et ignominiosam passionem considera ad detestandum peccatum, et horrendum, quia ipse pro peccatis nostris mortuus est. Si incipiens et pœnitens es, considera illam passionem ad exemplum pœnitentiæ, et satisfactionem habendam. Si es proficiens, considera illam passionem ad ejus effectus rimandum et ruminandum : in quo multum proficit homo. Si es perfectus, considera illam passionem ad Christo et Matri ejus intime compatiendum, et totum te in illam passionem transformandum. Si tu es in justitia consummatus, considera illam passionem ad Dei dilectionem et dignationem erga nos admirandum. Nullus ergo se excuset, quin hic inveniat suum pabulum, quin hic inveniat portum, domicilium, et centrum suum. Hos igitur quinque status, quinque Domini nostri plagas cum æstuanti desiderio apprehendite in curam et sollicitudinem continuam cordis vestri. Quod nobis concedat Jesus Christus crucifixus benedictus in sæcula. Amen.

[1] *Psal.* CXV, 5. — [2] *Psal.* LXXXVII, 9, 19. — [3] *Psal.* XXX, 12. — [4] *Psal.* CXLI, 5. — [5] *Psal.* LXVIII, 9, 21.

PARS SECUNDA

CAPUT PRIMUM.

Qualiter homo possit amplius proficere, et magis Deo placere.

Ut homo possit amplius proficere, et magis Deo placere, ista decem, quæ sequuntur, in se studeat habere.

Primo studeat, qualiter possit, vel quantum potest, se vilissimum reputare, et indignum omni beneficio Dei. Sibi displiceat, soli Deo placere cupiat. Ab aliis velit vilis, non humilis reputari. Et ex hoc summam Dei clementiam recognoscat, quod cum stercus sit vilissimum, in omnibus infidelissimum, ad immensæ majestatis injuriam tam promptissimum, dignatur in servum sibi assumere, et quod majus est, adoptare in filium. Non enim reputes magnum, quod Deo servis; sed reputa maximum, quod ipse dignatur habere sic insufficientem et miserum servum.

Secundo, ut de nihilo, nisi de peccato, vel ad peccatum inducente, et a bono retrahente doleat, imo de quacumque tribulatione, injuria et afflictione gaudeat. Inferentes intime diligat; specialem orationem pro eis faciat Deo; inde copiosas laudes referat, et ad regratiandum ei de tanto beneficio insufficientem se recognoscat : quia [1] *quem diligit Deus corripit et castigat*, et ipsæ tribulationes ad Deum nos ire compellunt.

Tertio, ut paupertatem et omnem penuriam propter Christum diligat : de temporalibus, nisi stricte ad necessitatem suam, non requirat, aut quocumque modo appetat; sed Christo capiti in paupertate, et in omnis consolationis corporalis dejectione, se studeat conformare. Et hoc debet maximum reputare, quod Rex regum, et Dominus dominantium Christus sic servum vilissimum suis dignatur induere ornamentis vel vestimentis, et sibi lutum fœtidissimum similare. Ideoque quanto videt se ditiorem, et in pluribus corporis consolationibus abundare, tanto debet intimius et profundius contristari, cernens se eo magis a Christi similitudine elongatum.

Quarto, ut in bonis, et in indifferentibus, alterius potius quam suam studeat adimplere voluntatem; imo semper suam in exterioribus actibus studeat abnegare, aliorum beneplacita affectans cum omni vigilantia in licitis adimplere. Et si hoc circa omnes facere debeat, suorum tamen superiorum debet præcipue obedire beneplacitis, et totis viribus et visceribus amplexari quæcumque dixerint honesta esse, aut velle fieri. Si ergo aliqua intimaverint, debet pro posse suo cum magno desiderio effectui mancipare.

Quinto, ut nullum quantumcumque miserum despiciat, sed potius erga omnes materno moveatur affectu : et sic omnibus intime compatiatur, sicut mater unico filio suo prædilecto : omnes eorum miserias reputet esse suas; et sicut sibimetipsi, debet omnibus, si tamen potest, subvenire. Et quamvis erga omnes in compatiendo et ministrando debeat maternaliter se habere, debet tamen omnes tanquam patres et dominos, revereri.

Sexto, ut nullum judicet de peccato, cum ignoret quid divina gratia in anima operetur. Sed si aliquem per signa aliqua manifesta compererit peccatorem, plus de peccato doleat, quam si vulnus proprio corpori millesies inferretur. Recogitet etiam quod pretiosior est anima, quæ sic lethaliter vulneratur, quam omnia corpora universi, scilicet tam hominum, quam cœlorum, in quantum corpora. Et ideo sicut corpus meum amare vel custodire vellem; sic, imo multo magis deberem proximum cum omni diligentia custodire, et a peccato retrahere oratione, exhortatione et exemplo.

Septimo, ut bonum proximi sicut suum diligat : et sicut mater in bonis filii jucundatur, sic in bonis omnium viventium debet (*a*) jucundari, et maxime de his quæ spiritualia sunt et ad spiritualia inductiva : et sic, ac si sua essent, debet aliorum bona procurare, et procurata sollicite promovere; et semper debet plura, et majora, de proximo credere, quam valeat intueri : debet nihilominus de bonis temporalibus proximi non modicum congaudere.

Octavo, ut nihil præter Deum diligat, sed pure propter Deum ut in omnibus solus Deus sinceriter

[1] *Prov.*, III, 12; *Hebr.*, XII, 6.

(*a*) *Cæt. edit.* debent.

diligatur sine socio : nec alliciat quantacumque sanctitas alicujus, aut beneficiorum immensitas : nec aliquem diligat amore singulari, sed amore communi, ut scilicet charitate omnes in Deum referens, magis diligat meliorem. Potest tamen beneficia pro beneficiis rependere, et pro benefactoribus, et propinquis, et præcipue parentibus orationem Deo ad salutem animarum effundere specialem.

Nono, ut quidquid faciat, et quibuscumque negotiis implicetur, Deum tamen semper actu in corde habeat, et nihil aliud quam honorem suum in omnibus actualiter, seu habitualiter intendat : ac ad hoc præcipue nitatur, ut sic semper præsentem Deum intelligat, ac si ipsum qui ubique est præsens in sua videret substantia et essentia, sicque eum timeat, et revereatur, et immenso amore in ipsum feratur, eoque, prout potest in via, fruatur, et in ipso, et non in alio requiescat.

Decimo, ut si prædicta assequi potest, esse magna Dei beneficia recognoscat. Debet tamen, et cæterorum beneficiorum innumerabilium secundum quod potest reminisci, et præcipue quod sua eum voluit imagine insigniri, ejusque naturam assumere, et se pro ipso morti tradere, in via sibi in cibum, in gloria in præmium tribuere semetipsum. Et quia nondum assecutus est eum in præmium, tandem in via aspiciat eum in patibulo, sicque sibi compatiatur, ac si omnia ejus vulnera in suo corde sustineret. Et de hoc præcipue dolere debet, quod tot videt frustrari beneficio tam immenso. Cernat eum denique in altari exhibitum sibi in cibum et potum omnis saporis suavitatem habentem, et in ipso toto affectu delectatus clamet, et dicat :

Oratio. Domine Jesu Christe, qui es panis vitæ, ita me de te satiare dignare, ut nihil præter te esuriam; ita me de te inebriare digneris, ut nihil præter te sitiam. Tene, Domine, mentem meam, ne interveniente umbra terræ, a te vero sole justitiæ separetur.

Matri autem Christi omnem quam poterit reverentiam exhibeat, et dicat :

Oratio. Dilectissime Domine Jesu, dignare me infirmum peccatorem Matri tuæ reverentiam debitam exhibere. Et tu, clementissima Domina, impetra mihi ut suæ et tuæ semper deditus sim servituti, et tibi omni tempore obsequar pura mente, et corde et corpore devotis (*a*) continue tuæ benignitati assistam. Amen.

CAPUT II.

Qualiter homo ad amorem Dei se debet excitare, et, quantum potest, cor suum unire, vel ignire.

Quia cor contemplantis non cessat, sive cessare non debet investigare, quomodo sui Creatoris amore amplius inardescat, proposui balbutiens ad hoc inducere aliquod inductivum.

Primum ergo agnosce, o homo, quod nihil est, quod ad ejus amorem tantum te inflammet, sicut beneficiorum ejus immensa donatio. Hoc enim ipso, quod ipsum ad largiendum tibi ineffabilia liberum vel liberalem recogitas, ipsum te diligere nimium recogitare convinceris. Quid est hodie, quod magis incitet, vel excitet ad amorem, quam diligi et amari? Hoc enim faciunt quantumcumque crudeles homines, quia diligentes se diligunt, quamvis hoc erga suum Creatorem, instigante antiquo serpente, negligant adimplere. Cogita quidquid velis, et inde Creatorem tuum habebis non modicam materiam diligendi. Accede ergo ad ipsum per hunc modum. Debes non ficte, sed veraciter recogitare te assistere coram Domino tuo. Ita enim est, ubi es, sicut est in cœlo empyreo : et te esse suum, et non tuum cogita : et non dubites, quod ab eo quidquid ad salutem pertinet, non ad tuum damnum, petieris, impetrabis. Hæc certe omnia sunt incentiva amoris. Quomodo diligis eum, cujus es, et qui paratus est omnia tibi dare? Nonne multum diligis eum qui aliquid tibi tribuit? Nonne ergo magis eum diligis, qui omnia, imo etiam tibi tribuit semetipsum? Si ergo te diligis, quomodo ipsum, qui te fecit, non diligis? Tu te destruxisti, et adhuc destruis, et te amas : et ipsum, qui te construit et restruxit, et conservat, non amas? Dic ergo Domino : Domine, creatura tua sum, et mihi teipsum negare non potes. Sed antequam procedas, hæc, quæ dixisti, meditare, et inflammare amore. Quis enim amplius se continere potest, quin statim omnibus oblitis in Deum se totum projiciat, non per partes, dum cogitat Dominum suum, summum bonum, delicias angelorum, præmium beatorum, homini infirmo et corruptibili, cujus miseriam nemo posset exprimere, semetipsum negare non posse, et quantumcumque sit infirmus, seu miserrimus et peccator, si ad ipsum se converterit, et ab ipso pe-

(*a*) *Forte leg.* devotus.

tierit, obtinebit, et hæc nos desiderat petere et largiri, cum dicit[1] : *Petite, et accipietis?* Nescio quid amplius laboramus, cur quotidie nos affligimus circa nihil, cum possidere Creatorem omnium valeamus. Quid ergo amplius laboramus, et quærimus? Si enim omne bonum sic leviter habere valeo, cur nitar plena miseriis possidere? O Domine Deus meus, quid tibi nisi injuriam facimus, quod te nobis tribuis sic libenter? Si te habeamus, nihil tibi confert; et tamen sic nos diligis, quod te nobiscum esse delicias tuas dicis. Quare nos tantum diligis, ut libentius teipsum nobis tribuas, quam aliquid aliud quod petamus? Et certe nec ego volo de cætero aliud possidere, ex quo debita petitione valeo possidere Deum meum. Ornabo me monilibus, et ipsum introducam in thalamum cordis mei, et ibi secum de cætero requiescam. Bene scio, quod nihil aliud petit et quærit ipse : animam meam visitare et intrare desiderat, et diu est, quod pulsavit; doleo tamen quod tantum et tamdiu carui tanto bono. Dic ergo ei : Scio, quod plusquam ego me diligis : de me igitur amplius non curabo, sed solum tuis deliciis inhærebo, et tu mei curam habeto. Non possum intendere mihi et tibi. Et ideo permutatim tu intende mihi, et meæ infirmitati, ut ipsam subleves : et ego intendam tuæ bonitati, ut in ipsa delecter. Et quamvis ego tecum lucrer nimis, et tu mecum nihil, scio tamen quod libentius mecum es, et me conservas et promoves, quam ego tecum, ut tua perfruar bonitate. Unde hoc? Certe nisi quod ego me odi, et tu me diligis. Si autem, Domine, vellem discurrere per omnia tuæ dilectionis signa, deficerem, quia nec bona naturæ, nec bona fortunæ, nec bona gratiæ, nec bona gloriæ, si hominum et angelorum linguis loquerer, exprimere possem. Et ideo his tacitis, in tuum Filium, Pater æterne, respirabo. O quanta fuit erga hominem, Deus meus, tua dilectio, qui eum tantum dilexisti, ut velles hominem esse Deum, et Deum hominem appellari. Quid dicam de sexu fragili? Ipsum tuum Filium de ipso nasci voluisti, et qui erat tuus unigenitus et proprius, voluisti filium virginis nominari et esse. Multum quidem, Domine, secundum utrumque sexum exaltasti genus humanum, qui tibi æqualem Filium voluisti hominem esse, et filium mulieris. Non hoc dilectionis signum voluisti circa angelos demonstrare. *Non enim angelos, sed semen Abrahæ apprehendit*[2]. Mirum est certe quomodo pro tuo amore corda fidelium vel filiorum hominum non scinduntur. Quid habuit Deus aliud facere, quam, cum peccavimus, in infernum profundum nos dejicere, et aliam nobiliorem creaturam, si voluisset, in instanti creare? Quanta fuit ista Dei dilectio, quod post lapsum dignatus est nos quærere tam benigne, et post ejus offensam nos amplius, quam prius, exaltare! Quid fuit istud? Numquid exaltationem meruit culpa nostra? Certe non; sed ne a te fugeremus amplius, humanam naturam tibi inseparabiliter unire voluisti. Mira videtur tua dilectio, Deus meus, qui te odientes diligis et exaltas. Si ergo nos, qui nihil sumus, tantum diligis, qui es summus, quomodo nos miseri te non diligimus, qui es omne bonum? O cor meditantis, quomodo in tam excellenti dilectionis affectu non deficis præ amore? Quid in hoc Deus voluit, nisi ut suo nos inebriaret amore? Quanta est hæc Creatoris nostri dignatio, quod nos tantum desiderat sibi per dilectionis vinculum colligari! Quomodo potest cor hominis aliud cogitare? Ut sic ergo nos exaltares, Deus noster, voluisti parvulus nasci : ut nos bestiales per peccatum cœlestes faceres, voluisti inter bestias in præsepio collocari. O mira bonitatis divinæ diffusio! o detestabilis nostrorum excæcatio oculorum! o glacies, non cor, cur non liquescis ad hunc calorem? Heu mihi, nescio per quam viam Deus amplius nos requirat, ex quo per hanc nos non habet. Sed quid dicam? Christus, qui est receptaculum expulsorum, voluit fugere in Ægyptum. Numquid, Domine Jesu, qui ubique eras, fugere indigebas? Non certe, quia omnes inimicos tuos in tua potestate tenebas. Sed hoc facere voluisti, ut pro me patiens, tuum mihi manifestares amorem, et ad te fugerem persecutus. O Deus meus, bene video, quia totus es meus, et me vis totaliter possidere. Sed quid plura? Taceo vitæ tuæ processum, qui totus es dilectione plenus; et venio ad alapas et consputa.

Certe hoc dilectionis signum cor hominis non sufficit cogitare. Si enim nihil amplius mihi unquam fecisses, nec etiam facturus esses, nisi quod Deus æternus in mea natura sustinere voluisti hæc opprobria, deberem totaliter tuo igniri amore. Quid enim gratius Deo, et quid vilius peccatore? Et tamen tu, Deus, pro peccatoribus voluisti a peccatoribus conspui, et illudi.

[1] *Joan.*, XVI, 24. — [2] *Hebr.*, II, 16.

O Deus meus, quid fuit istud, quoniam a creatura tua, quam in momento delere poteras, sic vilia tolerasti, et dicentibus te esse dæmoniacum benigne respondebas? O summa tuæ manifestatio charitatis, qui talia pro nobis a dæmoniacis audiebas! Quid tibi tantum curæ erat de nobis, quod te omni opprobrio supponebas? Sed tua nimia dilectione hoc sustinere voluisti placide. O cor plusquam lapideum, o cor non cor, cur non accenderis ex amore? *Lapis calore solutus in æs vertitur* [1], et tu ad tantum calorem immutabilis perseveras. Utinam ergo lapideum esses, non carneum! Et quid vero mirabilius, quam caro cordis lapide durior, et insensibilior invenitur? Sed nonne dicit Dominus [2], quod *auferet a nobis cor lapideum, et dabit nobis cor carneum?* Imo ex quo lapis citius immutatur, quam cor carneum, det lapideum cor, carneum auferendo. *Ad verecundiam* nostram *dico* [3]. O cor nequissimum! o cor inanissimum! o cor infidelissimum! cur te sic odis? cur te sic laceras, et consumis? cur te sic fortiter diligentem non diligis? O cor crudelissimum, cur mortem plusquam vitam diligis? cur te quærentem non recipis? O lapides, et creaturæ insensibiles, flectite vesaniam cordis mei. Certe, Domine Jesu, etiamsi me odires, ex quo Deus meus es et refugium meum, solus protector et gubernator meus, te diligere deberem; quanto magis, cum me tantum diligas, et me sequaris tuis beneficiis fugientem? Nam tantum me diligis, ut te pro me odire videaris. Nonne tu, judex omnium, voluisti pro me judicari, et mortem turpissimam et gravissimam sustinere? O Deus meus, quid mihi amplius facere debuisti? Certe si hoc mihi fecisset minimus rusticus, ipsum deberem diligere in æternum; et ego non te diligam Deum meum? Non dico, quod sanguinis effusio, quæ tota fuit plena charitate, sed plane solus tuus aspectus me inebriare deberet; quanto magis ergo passio tua gravissima, et ignominia plena? Certe me totum voluisti, qui mihi te totum tribuisti. Et quis requirebat hoc de manu tua, Domine mi? Cur tibi curæ fuit de tam vilissima creatura? Certe nihil aliud, nisi tua maxima bonitas et immensa dilectio, hoc exigit. Nam si nos redimere volebas, aliter facere potuisti: sed sic facere dignatus es, ut nos tuo amplius inflammares amore. O amor et desiderium cordis, o dulcedo et suavitas mentis, o ardor et inflammatio pectoris, o lux et claritas oculorum, o aurium pulchra symphonia, o hostia Deo Patri odorifera, o melliflua gustatio fluxus sanguinis, o amantissima palpatio lateris, o anima mea, o vita mea, o viscera cordis mei, o medulla ossium, vegetatio carnium, sensificatio organorum, intellectus inspiratio et exultatio mea! Cur ergo non sum conversus totus in tuum amorem? Quare aliquid est in me, nisi amor? Quomodo possum aliquid aliud cogitare vel meditari? Et quid amore tuo dulcius? Quid amplius cupio? Cur ergo non solum illo illaqueatus et captus? Undique circumdat me amor tuus, et nescio quid sit amor. Sed heu mihi, cur sic insensibilis maneo sine causa? Cur vanitas plusquam tu, qui es veritas, me allexit, et allicit? Cur iniquitas, plusquam Salvatoris mei benignitas, me attraxit? Cur stercorum odium, plusquam mei Creatoris et Redemptoris amorem nimium adamavi? O quantum dilexisti hominem, Deus meus! Non solum in cruce pro ipso pati voluisti; sed etiam apud inferos ipsum visitasti, et tecum ad supernos reduxisti. Nonne potuisti, Domine Jesu, pro ipso mittere aliquem angelorum, nisi ipsum extraheres per teipsum? Cur vis hominem ubique sociare? Cur in omni loco vis cum homine habitare? Quid habet, nisi vilia et mala, ipse homo? Cur ipsum diligis sic immense? Postquam etiam surrexisti, voluisti adhuc quadraginta diebus homini apparere; sed et cum glorificatus esses, vesci voluisti, pacem donasti, et te ei palpabilem tribuisti. Sed, Domine Jesu, nonne sufficiebat homini, quod pro ipso fueras crucifixus, nisi ipsum de inferni profundo et infimo lacu extraheres? Videtur quod tantum hominem dilexeris, ut ab ipso nolueris abstinere. An ignorabas, quod de tam excellenti passionis beneficio fueramus ingrati? Etiam quos speciales habueras, increduli extiterunt. Quomodo ergo nos potuisti amplius intueri? O quam mirabilis est tua dilectio, dulcissime Domine Jesu, cum non possis ab hominibus separari. Nonne qui ascensurus eras ad dexteram Patris tui, potestatem homini dimisisti, ut te, cum velit, habeat in altari, hanc potestatem, et (*a*) antequam mori inciperes, dimisisti, ne amittere te timeret? Sed cur hoc facere voluisti, cum missurus esses Spiritum sanctum? Cur semper cum homine vis morari? Sed tuo corpori incorporare nos totaliter voluisti, et tuo nos potare sanguine, ut sic tuo inebriati amore, tecum

[1] *Job*, XXVIII, 2. — [2] *Ezech.*, XXXVI, 26. — [3] I *Cor.*, VI, 5. — (*a*) *Leg.* et hanc potestatem.

unum cor et unam animam haberemus. Quid enim aliud est tuum sanguinem bibere, qui sedes est animæ, quam nostram animam tuæ animæ inseparabiliter colligari? Hoc est certe quod vis; hoc certe est quod desideras, Deus meus; hoc est, Redemptor et Domine mi, quod tanto tempore procurasti. Pro hoc enim ab infantia tua laborasti. Hoc nobis concedas, qui in æternum vivis, etc.

CAPUT III.

Qualiter homo debet libenter Deo dare cor suum.

O Domine mi Jesu, et tu te mihi dedisti, et a me cor meum petis; sed quantum est hoc, Domine mi, qui ita excellens es? Si enim haberem cor unum, quod solum majus esset, quam si simul essent omnia corda filiorum hominum, et omnes angelorum effectus (*a*), et ut moraliter loquar, majus esset, et quod plura spiritualia et corporalia simul actu contineret, vel continere posset, quam cœlum empyreum, ipsum totum et totaliter tibi tribuere deberem, et adhuc tanto Domino munusculum parvum, imo quasi nihil esset : quanto magis ego illam parvam scintillam cordis, quam habeo, tibi dabo et totaliter in te ponam! Hoc enim permaximum est mihi, quod cor meum habere digneris. Nonne ergo stultus essem, si illud applicarem de cætero alicui creaturæ, cum Deus meus illud velit habere? Et jam in meipso nolo quod remaneat amodo; sed volo ut totaliter requiescat in te, qui creasti illud ad laudandum te. Melius est, quod cor meum maneat in æterna jucunditate, in divina majestate, et immensa bonitate, quam in mea fragilitate : in tua scilicet deitate, quam in mea iniquitate.

Si hoc habere, contemplative, cupis, multum corde desideres, et multum ore postules : et desiderium animæ tuæ tribuet tibi Deus, et voluntate tua non fraudaberis; sed mentem tuam elevans in benedictionibus dulcedinis te præveniet, tanquam corona lapidis pretiosi semetipso mentem tuam circumdabit. Nullus enim potest perfecte invenire Deum, qui se perfecte non odit.

CAPUT IV.

Qualiter homo ordinet cogitationes suas ad Deum, ita quod Deum semper habeat in corde.

O homo, vis cognoscere, quomodo ad Deum tuum dirigas cogitatum? Semper cogitare debes te esse in præsentia Dei tui, et ipsum semper habeas in tuo cogitatu. Super Christum autem pro te gravissime vulneratum, quasi semper dirigas cogitatum, et quod ipse sit Deus tuus, qui pro te talia passus est, cogitabis. Sæpe etiam ad Matrem Christi reverenter, quæ est multorum solatium, festinabis; et quotiescumque ad ipsam tuum diriges cogitatum, ipsam cogita Matrem Dei, ut sic quocumque dirigas cogitatum, Deum tuum semper habeas in corde, et semper coram ipso existens, suamque admirans magnitudinem, et tuam miseriam (*b*) recognoscens, quantum poteris, resilies in teipsum, admirans non modicum, quod dignatur rem tam fœtidam coram suis oculis præsentare, et te ad momentum patitur in sua præsentia commorari. Hæc sic faciens, de hoc dono et de omnibus aliis referas Deo gratias. Et quod etiam ei regratiari possis, recogita magnum donum. Et hoc donum, scilicet quod in præsentia sua valeas commorari semper, et alia quæ tibi concesserit Dominus, debes cum omni vigilantia custodire semper, cum magna aviditate inhians ad majora. Et si propter tuam miseriam, aut aliquam occupationem exteriorem, cogitatum tuum a sua præsentia absentari perpenderis, vel respicis impeditum, cum magna anxietate reverti studeas ubi eras, scilicet ad præsentiam Dei. Et hoc faciens, qualiter processum habere debeas, cito te docebit. Hoc tamen pro certo in te habeas, quod quidquid sit de aliis, semper debes te ad nihilum redigere, quantum potes, et omnium peccatorum te infimum reputare, et tam pro te, quam pro aliis, a Deo tuo tibi præsente cum omni humilitate veniam postulare, et tuam considerationem super hoc dirigere (*c*) poteris per hunc modum. Nunquam considerare vel cogitare debes, quod alii peccatores taliter a Deo sint elongati, quin ipsi sæpe, etsi non semper, ad Dominum se convertant in corde, et quin Dominum suum tunc intimius recogitent, quantum et clarius recognoscant, et quin reverentia majori coram ipso assistant, et majorem suorum habeant confusionem peccatorum, et humilius se ei præsentent; quin etiam majori et ardentiori moveantur affectu in præsentia tanti boni. Et si hoc pleno corde non poteris cogitare, hoc ipso deberes te superbissimum reputare. Nec de congruo deberes huic tuæ superbiæ præponderare conscientias alio-

(*a*) *Forte legendum* affectus. — (*b*) *Cæt. edit.* misericordiam. — (*c*) diligere.

rum. Nullum etiam quantumcumque publicum peccatorem judices, vel contemnas, quia nescis finem ejus. Potens est enim Deus justificare impium, et malignum. Te ergo, et non alios, judices in hoc mundo : quod si facere non potes, debes tunc firmiter præsumere, quod superbia sit illud vitium, in quo cæteros singulariter tu excedis, ex quo non potes tuam aspicere pravitatem. Et certe si hoc est verum, satis potes te infimum omnium reputare. Sed forsan tua superba cogitatio dicet tibi : Quomodo hoc de infidelibus cogitare possum, scilicet quod sim eis infimus, qui nec Deum etiam cognoscunt? Sed audi, cæca superbia. An ignoras, quod si Deum recognoscis, ipsumque te redemisse credis suo sanguine pretioso, et contra eum elevaris in superbiam, quod gravius peccas, quam si hæc omnia ignorasses? Nonne ubi cum peccato major est cognitio, major est contemptus? Et nonne ubi major est contemptus, majus est peccatum? Nullum ergo excipias, o insania, sed pleno corde te humilians tuam miseriam recognosce. Et si tibi tunc subrepat cogitatio : Ergo tu a Deo reprobatus; hanc quam citius excludere debes, nec permittere aliquo modo tecum commorari. Timere tamen debes non modicum, et altissimi Dei superextollere pietatem, et confidere in Christi vulneribus, et in clementia Matris ejus. Immensa est enim misericordia Dei nostri. Et si essent in te solo omnia peccata, quæ unquam facta sunt, vel etiam possent de cætero perpetrari, in infinitum superexcellit ejus misericordia, et tibi hæc omnia, si ad se recurreres, propter suam pietatem largissimam condonaret. Si etiam tunc tibi subrepat cogitatio, utrum sis in charitate, an non, timere procul dubio debes; sed cave ne determinate in partem aliquam inclineris : fideliter tamen age, et de divina misericordia semper spera. Si enim hoc egeris, et tui consideratione reputaveris teipsum peccatorem nocte undique obrutum, ac de tanta tenebrositate intense dolens ad fontem pietatis humiliter converteris mentem tuam, *orietur in tenebris* illis *lux tua* [1], et elevaberis Dei nostri dulcissima pietate ad cœlestia contemplanda, et ibi deliciis abundabis, et dices cum Propheta [2] : *Et nox illuminatio mea in deliciis meis.* Quod nobis præstare dignetur, etc.

[1] *Isa.*, LVIII, 10. — [2] *Psal.* CXXXVIII, 11. — (*a*) Cæt. edit. *opere mundo vel ad operandum plus in Deo.* — (*b*) *Item* et. — (*c*) *Leg.* et quod haberes exosum quidquid.

CAPUT V.

Qualiter homo operum Dei memor plus in ejus servitio et amore (*a*).

Si attenderes, o homo, qualiter Deus ad imaginem suam te creare, et formare voluit, et pro te tot et tam nobiles creaturas condidit, et tuam assumens naturam tam chare te redemit, et non solum ut ipsum habeas in cibum in præsenti, sed etiam seipsum in futurum tibi in præmium repromisit, nunc naturam conservat, gratiamque infundit, et hæc omnia ad suum facit honorem : si etiam in ipsum tenderes, ut deberes, et ejus honorem appeteres, ut quasi tui oblitus, pro nihilo te supponeres, quidquid honoris, consolationis, aut tribulationis sive injuriæ tibi contingeret, ac si nihil accideret, reputares, totum in laudem et gloriam referens Creatoris : Et quantumcumque, et quandocumque aliquid faceres ad Dei honorem, animæque salutem, utrum difficile esset, non judicare deberes, sed cum impetu mentis, imo amore ferventi deberes studere effectui mancipare. Si enim bene Creatoris tui esses succensus amore, o homo, nihil pro ipso injuriosum, nihil difficile reputares, omnia tibi levia, amabilia, omnia dulcia, et suavia apparerent : et tam libenter hæc omnia adimpleres, ut (*b*) cum omnia perfecisses, te tamen quasi nihil pro ipso fecisse crederes, imo potius defecisse : teque ex hoc tantum exosum haberes, ut teipsum vix posses aliquatenus tolerare, et cogitares sollicite quomodo posses majora facere, aut saltem perfectius eadem adimplere, proponeresque in corde tuo de factis et defectibus tuis graviter flagellari. Nam erubesceres non modicum et doleres tam altissimo Domino tuo sic miserrime ministrare. Quid plura dicam? Quanto plus proficeres, tanto plus te deficere cogitares, et amplius erubesceres, et doleres; et majori succensus ardore, semper majora reincipere conareris. Nunquam enim de his, quæ ad honorem Dei cerneres, tuus posset refici appetitus. Semper enim famelicus appareres. O mirabilis calor amoris, qui sic cito digeri omne molestum facis, ac tandem convertis in præmium sine fine! Non dubito, quin tunc nimio fervore ebulliret cor tuum summum, quod haberes exosum, et quidquid (*c*) ad momentum te subtraheret a servitio Dei tui. Semper tamen videreris tibi ad serviendum Deo tuo piger, aliique servi Dei res-

pectu tui viderentur tibi promptissimi, et ferventissimi apparerent, et eorum pronitas, seu promptitas tibi esset in magnum gaudium, sed tua pigritia in mœrorem verteretur. Accede ergo ad cor altum, et in tuis actibus exaltabitur Deus tuus. Si enim habueris cor infimum (*a*) et terrenum, minima servitia maxima reputabis, et quæ quasi nihil erunt, tibi difficilia apparebunt, et illa, quæ pro te, aut pro uno amico tuo vilissimo libenter faceres, pro Deo tuo altissimo facere gravaberis, ultra modum dulcia et amabilia reputabis amara, et amarissima dulcia judicabis. Oculus infirmus irradiationes veri solis justitiæ abhorrebit, et ambulare in tenebris affectabit. De spiritualibus viris triumphabis, et te triumphari a dæmonibus ignorabis. Sed heu, et væ tibi, quia jam bestiis non potes comparari. Utinam jumentis similis factus esses, quæ subeunt onera dominorum. Non poteris de culpa alios arguere, et te tuis intimis nequitiis adimplere. Si ergo sic ad serviendum Deo tuo habes manus ligatas, et pedes, non restat tibi, nisi ut in exteriores tenebras projiciaris. A quo nos ipse custodiat, cujus misericordia totus est plenus orbis. Amen.

CAPUT VI.

Qualiter homo se perfecte odiat, ut Deum perfecte diligat.

Quoniam a dilectione Dei habenda (*b*) impedit dilectio sui, et quanto una intenditur, altera remittitur : ideo ut perfecte possimus Deum diligere, debemus nos perfecte odire. Tunc autem perfecte te odis, cum appetis ab hominibus pleno corde conculcari, vilissimum reputari, flagellari, dejici, et quasi ad nihilum redigi : et hæc omnia reputas esse pauca, in tuis injuriis delectari, et in tuis tribulationibus consolari : et non solum vis tibi hæc ab omnibus inferri, sed etiam cupis eos credere, te istis injuriis et tribulationibus esse dignum. Hoc dico ideo, quia multi appetunt sustinere adversa, ut in eorum tolerantia ab hominibus commendentur. Tales autem non se odiunt, sed diligunt, et mercedem suam, proh dolor! jam recipiunt in hoc mundo. Tunc etiam perfecte te odis, quando non solum vis ab hominibus conculcari, sed etiam teipsum tantum abhorres, ut vix teipsum valeas tolerare, et es tibi abominabilis nimis, et velles etiam a creaturis irrationabilibus, et insensibilibus impugnari : et cum aliquid propter tuam necessitatem, licet non contra Deum, delectabile tamen aut afflictivum recipis, contra temetipsum turbaris, solum Deum quæris, et omnia renuis extra ipsum. Ad hoc donum permaximum pervenire valebis, si confidenter et ex corde sæpe petieris hoc a Deo. Ex parte tamen tua possunt esse aliqua inductiva et dispositiva ad donum istud.

Primo considerare debes quod natus es in peccato, et ex quo ab illo lavacro regeneratus es, et purgatus, et lotus, postquam usum liberi arbitrii habuisti, usque ad hanc horam, quasi continue, immemor ablutionis patriæ quæ derivavit a latere Christi Jesu, et divinam non timens nec reverens majestatem, in cujus præsentia existebas, temetipsum offenderis plusquam aliquis crudelissimus inimicus. Quomodo si hæc cogitaveris, te non odibis? Et quid odimus, nisi mala contraria et nociva? Et quid pejus, quam se opponere summo bono? Quid contrarius, quam sanguinis Christi evomere medicinam? Quid est nocivius, quam suæ animæ occisio ? Et tu tibi talis fuisti etiam plusquam valeas cogitare. Debes etiam cogitare, quod quanto ab extrinsecis amplius molestaris, tanto magis tibi præcluditur via, ne vageris per devia, et affectum amplifices creaturæ, sed ut in solo Deo altissimo requiescas. Quis ergo non odibit illius apertionem clausuræ, unde potest exire a Deo? Certe tunc aperitur, cum propria tribulatio non amatur, sed ab animo effugatur, potius volendo requiescere in stercore, quam in Deo. Cogita ergo, quod soli Deo debetur reverentia et honor, et ipse in se, et in suis creaturis solus est diligendus. Et ideo, si vere Deum diligis, debes te honorari, et diligi ab omnibus, abhorrere. Quomodo non abhorrebo mihi attribui, quod est Dei? Imo oppositum potius affectabo, ne si medium tenere vellem, incurrerem extremum. O quam utiles sunt istæ afflictiones extrinsecæ! Certe per ipsas ad cognitionem miseriæ nostræ devenimus, et per hanc cognitionem nostri pervenimus ad cognitionem Dei. Nam quanto quis magis est suæ vilitatis cognitor, tanto magis est divinæ majestatis inspector. Quid ergo utilius, quam per hoc humiliari, et ad cœlestia exaltari? Quis ergo renuet se odire, et ab omnibus conculcari? Certe nescio, nisi stultus. Si ergo times, o homo, quæ ab hominibus inferuntur, quanto magis timere deberes,

(*a*) *Cæt. edit.* infirmum. — (*b*) *Item* ad dilectionem D. habendam.

quæ a Deo infliguntur? Sed si illa times, certe ista diliges, et amabis. Nam istæ afflictiones sunt viæ ad patriam, et materia magni boni; consolationes vero sunt viæ ad pœnas, et materia magni casus. Istæ scilicet consolationes animam interficiunt, et deturpant; hæ autem animam lavant a maculis, et purgant a scoria peccatorum, ut sic dealbata et mundata videat Deum suum. O Deus, quis non appetit hoc habere, nisi qui non appetit te videre, aut qui non appetit ad tuam gloriam evolare? Et quomodo probabitur aliquis esse verus tuus amicus, nisi qui pro te adversa voluerit sustinere? Numquid vera amicitia probatur in consolationibus et honoribus hujus mundi? Certe si sic, pauci inveniuntur mali, quia pauci sunt, et vix aliqui, qui non appetant consolari. Sed certe illi filii tui concernuntur, quos corrigere non desinis. Nam semper cum talibus commoraris. Non ergo hoc renuat, sed diligat, nisi qui non vult tanquam specialis amicus, imo tanquam charissimus filius cum Domino habitare. Et hæc nos semper stimulant, et faciunt currere ad majora, faciuntque conscendere ad montana, et ad cœlestia contemplanda. Hæc sunt certe, quæ cæteris patientibus membris compati instruunt. Quomodo enim proximo, injurias, passiones et damna patienti, compatiar, qui ea nunquam probavi? Propterea dicit Apostolus ad Hebræos [1] : *Non enim habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris.* Et hoc est, quia in suo corpore fuit eas expertus, sicut ibidem innuit. Nam [2] *languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Et nunc si aliis non compatimur, quomodo cum isto conregnabimus? aut si membra mortua et insensibilia sumus, quid restat nisi ut de corpore excidamur? aut dicito mihi, quomodo tuo capiti Christo, pro te mortuo, scies compati, qui non pateris? aut si Christo non compateris, quomodo poteris sibi conformari? Sed certe si nihil aliud te moveret, hoc solum deberet te facere avidum passionum. Quid pejus, aut magis mortiferum, aut pestiferum, quam passionibus Christi non compati, aut tanti beneficii ingratus existere? aut quid fructuosius, aut suavius, quam illius passionis ex corde compassionem plenam gerere? Quod bene nullus potest facere, nisi qui injurias passus, vel expertus est. Aut dic mihi, quid nobilius est, quam assimilari Filio Dei? Quomodo si nunc ei dissimiles fuerimus per consolationes et honores, erimus sibi confratres in regno Dei? Minime : Quid enim abominabilius, quam videre pro me, vilissimo stercore, Dei Filium in assumpta humanitate injurias et opprobria sustinere, mortem turpissimam et gravissimam tolerare, et ego velim ab hominibus honorari, et deliciis affluere? O homo, stercus, et plusquam stercus, pro injuria quam sibi feceras, ipse semetipum ad talia judicavit, ipse scilicet actor et judex super se reflexit judicium amarissimum, et tu adhuc coram eo, qui sibi injuriaris, vis pertransire immunis? Saltem coram oculis sic pro te afflicti prætende mœrorem, et corde te offer ad consimilia patienda : et certe non dubites, quod ex quo es (*a*) sufficienter punitus, si hoc iterum sustinere volueris, et toto appeticris corde, non sustinebis hoc : quia non vult, ut pro eadem injuria bis passio inferatur. Sed quod credis injurias esse, in honorem convertet : et quod credis tribulationem esse, in consolationibus mutari videbis : et ubi credis esse damnum, reperies fructum multum. Et quanto injuria major, tanto honorabilior eris : et quanto tribulatio et afflictio intensior, tanto magis consolaberis : et si omnia propter ipsum amiseris, certe ipsum, qui est omnia, possidebis. Si autem honorem appetieris, deprimeris : si consolationes, tribulaberis : si temporalia, pauper eris. Qui enim aliud præter Deum appetierit, se affliget : imo etiam si se indebite dilexerit, se occidet. Si autem se odiens, Deum dilexerit, ipsum plenarie possidebit. Unde qui Deum diligit, ipsum tunc habet Deum, ita quod si solum Deum dilexit, ipsum plenarie possidebit. Unde quanto perfectius Deum diligit, quanto perfectius ipsum habet. O stultissimi homines, quomodo hic oculos vestros non ponitis, si vultis vos et omnia abhorrere? Certe cum videritis vos possidere Creatorem omnium, et mens vestra in ipso quieta fuerit, omnia mundana (*b*) vanitatem reputabitis; et corpora vestra, dum adhuc sunt mortalia, tanquam stercora erunt vobis abominabilia : et sicut qui auferret stercus, vel aliquid abominabile, ab oculis vestris, sic qui vos usque ad mortem affligeret : et sicut qui detestaretur quod abominaremini, gauderetis, sic qui vos detestando injurias et opprobria vobis dixerint, et fecerint,

[1] *Hebr.*, IV, 15. — [2] *Isa.*, LIII, 4.

(*a*) *Cæt. edit.* est. — (*b*) *Item* mundanam.

exultabitis. Nam nihil poterit vobis evenire adversi, quia consolationes et honores non poterunt vos decipere, eo quod de ipsis non curatis, sed eorum contrarium appetitis. Adversitates etiam non poterunt vos decipere, quia ipsas affectatis; imo quanto major erit tribulatio, tanto major erit consolatio, quia magis in hoc casu adimplebitur desiderium vestrum. Non certe sic deberet esse? Quis enim non deberet gaudere, si separaretur a vanitate, et conjungeretur veritati? Nonne hæc omnia sunt vanitas? Et quid est veritas? Nihil nisi Deus. Et ideo omnia præter Deum, aut quæ in ipsum non tendunt, abhorrenda sunt. Si enim sic esses, o homo, quod in solo Deo velles affici, et suum sitires honorem, et te, ut dictum est, non diligeres, sed odires, et ab aliis appeteres conculcari, viam diabolo obstrueres, vel obstruxisses, ut ad te penitus intrare non posset. In hoc enim concordant Doctores, quod omnis malitiæ causa est timor vel amor; imo etiam causa ipsius timoris est amor sui. Quomodo ergo ex timore peccare poteris, qui te desiderabis affligi, et contemni, et ab hominibus conculcari? Et quomodo amore tui peccare poteris, qui te perfecte odis, et creatorem tuum diligis? Hæc certe si habueris, a fœditate separaberis, et ad perfectam innocentiam, et sanctitatis consummationem pertinges, et qui aliquando fuisti servus diaboli, eris permaximus in regno Dei. Quid ergo assequi ista tardas? Quare negligimus hanc mentis perfectionem habere? Numquid hoc donum excellentissimum negabit nobis Deus, si ab ipso illud postulare voluerimus? Certe non de hoc te certifico, sicut possum; imo libentissime hoc tibi dabit. Non dico quod tibi dabit pati, quia non omnibus concedit hoc; sed tribuet tibi velle pati. Et forte, si dignus fueris, etiam istud dabit tibi. Et si dicis : Non possum tantum laborare, ut ad tantam sanctitatem venirem, ut non solum Deum diligerem, et me super omnia abhorrerem, et ab aliis vilipendi appeterem : et ego dico tibi, quod ad hoc non requiritur iste labor extrinsecus, aut corporis valetudo, sed potius sollicitudo cordis et corporis quies, labor cordis, et quies mentis. Non requiritur, dico, multus labor extrinsecus, quia per illum destrueretur vel distraheretur homo interior. Labor tamen pietatis et humilitatis ad hoc et ad omnia utilis est, dum tamen quietem mentis homo custodiat : nec requiritur valetudo corporis, quia repugnat valetudini spiritus. Requiritur autem labor cordis in surgendo, et totaliter se evellendo ab istis infimis, et ad cœlestia ascendendo. Et dum ascenderis, requiritur quies mentis. Multum enim abhorret Deus, cum quis eum degustat, et ibi non quiescit, sed potius, tanquam si Deus non esset ei sufficiens, redit ad amplexanda stercora, et sic inquinatus iterum vult Dominum amplexari : sed hoc uni rustico facere non auderes : ergo ipsum Deum plus omni rustico vilipendimus. Et nihilominus volumus, quod in omnibus satisfaciat voluntati nostræ : sed non est ita. Sed si impetrare volueris sine repulsa tam hoc præcellens donum, quam alia, ad ipsum reverenter conscendas, ibique quiescas, et sollicite roga eum ut amplius non te permittat redire ad vomitum. Et si sic feceris, non dubito quod ab illo splendore æterno illuminatus tuas miserias recognosces, et super omnia te odibis, divinam experieris bonitatem, et omnia tanquam stercora reputabis, et conjungeris amoris vinculo soli Deo. Quod ipse nobis concedat, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT VII.

Qualiter homo debet in omni actione frui contemplatione.

Si homo bene inebriatus amore sui Creatoris esset, nihil in omnibus requireret, nisi quomodo suo Creatori posset diligentius et perfectius deservire; et propriam penitus, quantum posset, voluntatem abscindens, solum quæ magis crederet Deo placere, cum impetu animi assequi conaretur : sic in omnibus, et per omnia, non quæ sua sunt, quæreret, *sed quæ Jesu Christi* [1]; oblivisceretur quodammodo sui, solius memor Dei. Hic talis et tantus præ fervore, et amoris magnitudine vel immensitate, non multum, ut credo, distingueret inter gradum et gradum, vitam et vitam, statum et statum, personam et personam, tempus et tempus, locum et locum; sed quocumque modo, et quacumque hora discernere posset quid amplius suo Creatori placeret, statim perficere conaretur, toto animi affectu tendens in Deum. Quanto enim creaturæ ad Deum magis reducuntur, tanto sibi vel inter sese mutuo amplius uniun-

[1] *Philipp.*, II, 21.

tur. Omnino ergo communicans, id est, ad unum commune omnia reducens (quod facit quis, cum nihil requirit in omnibus nisi honorificentiam Dei, ad quam facta sunt omnia et ad hoc universa ordinata), et in uno Creatore conjungens (quod verum est, cum universa in Deo collocat, et solum Deum in omnibus intuetur), et nihil in omnibus nisi Deum videre semper suspirans, semper anhelans, et ad serviendum Deo suo in omnibus totus accensus, totus ignitus, non consideraret quid sibi suavius, quid dulcius esset; sed in omnibus quid Deo suo amabilius. O felix talis, qui cum activa contemplativam haberet! quia sic Domino ministraret, ut Martha, ut tamen a pedibus Domini non discederet cum Maria; sic se angelicis spiritibus niteretur conformare, qui nobis ministrando a divina contemplatione non vacant. Quid enim est hoc, scilicet Domino ministrare, aliud, nisi, cum ministrat sano, cum visitat infirmum, vel servit infirmo, semper in eis Dominum intueri, et frui Deo in proximo? Assistendo servit, manum porrigit proximo, et cor ad Deum. Proximo servit, non ut homini, sed ut in homine Deo. Totum semper refert ad Jesum, qui dicit [1]: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Et ideo cum in lecto videt proximum infirmum, sibi videtur quod videat Christum suum; et per hoc nihil sibi difficile, nihil sibi abominabile, nihil ignominiosum æstimat facere pro infirmis, ac pro aliis desolatis: sed omnia dulcia, omnia suavia, omnia amabilia judicabit, cum sic in proximo ministrat Christo. Credo sine præjudicio, quod qui sic, ut dictum est, ferventer et diligenter Christo in proximo ministraret, pure propter Christum tendens in Christum, quod plus mereretur, et virtuosius moreretur, et a Deo amplius approbaretur, quam si proprio corpori Christi ministraret. Et hoc sic patere potest. Unus enim pessimus homo si videret Christum esse in uno lecto, et bene cognosceret eum, non est dubium quod sibi ferventer et diligenter ministraret; sed sibi, id est, Christo in proximo cum tanto fervore et diligentia ministrare non posset, nisi perfectus, ut credo, imo, ut ita loquar, et plusquam perfectus. Et ideo cum toto animi conamine hanc gratiam habere conemur. Quis de cætero abhorrebit leprosum, declinabit infirmum, negliget desolatum, cum in eis intuemur Christum, et plus ibi possumus mereri, et Deo placere, ut probatum est, quam si etiam ministraremus ipsi Christo? Indicabo tibi, Sponsa, *quem diligit anima mea* [2]. Certe in infirmaria jacet, ibi angustiatur, ibi dolore gravatur, vel torquetur. Curre, et sibi ministra, sibique compatere infirmanti. Cur instas, Sponsa, quotidie, ut Sponsi osculo osculeris? Accede ad leprosum, et osculare eum, quia ibi jacet. Cur, Sponsa misera, præ Sponsi amore languere te dicis, et ipsum quotidie nudum, discalceatum et afflictum ante te vides transire, et negligis, et etiam non compateris ei? Et si non possumus, fratres, omnibus præstare obsequia, quia multi sunt indigentes, saltem omnibus compassionem donemus, et in omnibus consideremus Christum. Credo firmiter, quod si Christum neglexerimus in cœlo vel in terra, quod ipsum non habebimus in cœlo. Audi quid ipse dicit [3]: *Infirmus eram, et non visitastis me,* etc. *Ite, maledicti,* etc. Et bene nostis, quod non sunt hæc verba mea, sed ineffabilis veritatis. Timeamus ergo, fratres, hanc sententiam, qui toties negleximus eum. Non interrogemus eum de cætero, nec dicamus ei: *Ubi jaces? ubi cubas in meridie* [4]? quia jam novimus locum. Scimus enim eum in infirmaria jacere. Non autem restat, nisi præstare obsequium.

Audite, obsecro, consilium meum, et non aspiciatis ad factum meum. Qui enim vult, ut dixi, cum activa contemplativam vitam habere, ut suum Dominum in omnibus contempletur, videtur mihi quod hæc via sit brevis et bona, videlicet, ut se totum recolligens intret ad cor suum, et intima cordis ingrediens, se resolvat in Deum: ut nihil nec videat, nec sentiat, nisi Deum: et tunc aliquo modo sic deificatus et transformatus in Deum ad quodcumque se vertet, nihil nisi Deum considerabit, et quidquid operis faciat, non homini, sed soli Deo facere existimabit. Et dum hanc formam habebit, vel tenebit, in omnibus Deum videbit, et in labore activo contemplativa fruetur. Et si contingat, imo quia continget, ab hac nobili forma discedere, ad ipsam statim nitatur homo redire: et hæc toties faciat, quod quasi in habitum ducat: et hoc magis honore, et divina largitate, quam aliqua industria impetrare credat. Et si hæc omnia nimis difficilia tibi videntur, saltem ad hoc conare, ut semper et in omnibus quæras facere, quod sit magis honorificum Deo, conforme Christo, utile tibi et proximo, afflictivum et ignominiosum corpori proprio. Quod ipse

[1] *Matth.*, XXV, 40. — [2] *Cant.*, I, 6. — [3] *Matth.*, XXV, 43, 41. — [4] *Cant.*, I, 6.

nobis concedat, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT VIII.

Quoddam delectabile et allectivum.

[1] *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est,* etc. O mira et inæstimabilis virtus amoris! Deum inclinat ad terram, mentem elevat ad patriam, et Deum, et animam vel hominem, simul conglutinat ad gloriam, Deum facit hominem, et hominem facit Deum, temporalem facit æternum, immortalem occidit, mortalem immortalem facit, et imum excelsum constituit, inimicum facit amicum, servum facit filium, et abominabile facit gloriosum, frigida facit ignea, obscura facit clara, dura facit liquida. Nam *anima mea liquefacta est,* etc. O verbum admirabile! o verbum nimium delectabile! Ego vilissimus et nequissimus servus tuus, Domine Deus meus, qui etiam non sum dignus aliqua tua creatura vocari, nec esse, quomodo sum, tibi tantæ charitatis vinculo colligatus, ut ad verbum tuum præ amore fuerim liquefactus. O ardor amoris, qui intima mentis in Deum infundis! Nam adamantina erat anima mea, et ejus intima nimium solidata; nunc amore liquescit, nunc extra se exit, et in Deum tota se diffundit, proprium locum relinquit, et in Deum currit, absorbetur a Deo, et obliviscitur sui.

O amor, quid tibi tribuam, qui me fecisti divinum? [2] *Vivo ego, jam non ego; vivit autem in me Christus.* Inenarrabilis est virtus tua, o amor, qui lutum in Deum transfiguras! Quid ergo te potentius, quid dulcius, quid jucundius, quid et nobilius, obsecro? Bone amor, qui terrena ponis in cœlum, deficio tui memor, et facio (*a*) me uniri dilecto. O felix amor, qui nos facis languidos Sponsi nostri amplexibus sustentari! O desiderabilis amor, qui summis deliciis reples egentes! Sed si liquefacta es ad verbum ejus, o anima mea, quomodo sustines amplexus ejus, quomodo non es consumpta ad oscula ejus? Si liquefacta es ad affatum ejus, quomodo non es absorpta, cum intras per vulnera et per venas ad cor ejus? Sed, o mira dulcedo, et mira jucunditas, ut quod non meremur nominare, possimus masticare? Non mereor esse ancilla, et facta sum in deliciis charissima. Quis sufficit tanti amoris etiam scintillam modicam intueri? Quid est hoc? Nescio, capere nequeo, inquit, sed obstupesco admiratione, jucundor delectatione, inebrior exultatione. Sed quid merui, quid feci, ut tanta mihi beneficia exhiberes? Te persecutus sum, et in te collocatus sum: tuam faciem conspui, et tu oscula mihi tribuisti: te vulneravi gladio, et tu me a morte liberasti: te replevi dolore, et tu me gaudio et consolatione: occidi te Deum meum, et mihi te felicem vitam tribuisti. O mira mutatio dextræ tuæ! Non ergo mirum, si ad verbum tuum liquescit cor meum, imo de cætero totus accendar, et totaliter liquefiam, ut in te totaliter sim effusus, nihil præter te videam, nec in aliud cogitata, dicta, vel facta transeant ullo modo; imo mirum videtur quomodo non sumus sic intenti ad te, quod ignoramus omnia præter te. Si enim habemus te, quid amplius volumus? In te ergo, dulcissime Domine Jesu, quiescat mens nostra, et a te nec ad modicum separetur. Stultissimum quidem est etiam nobilissimo et jucundissimo loco exire. Quomodo audemus nisi dulcissimum Sponsum inspicere, ne subtrahatur a nobis? Quid, quæso, nos movet aliud intueri? Nonne terrena sunt stercora, et hoc est summum bonum? Quomodo omnia non desipiunt et despiciuntur? quomodo omnia non fœtent ad præsentiam tanti boni? O, o, o, stultitia hominum impiorum! *Redite, prævaricatores, ad cor* [3]. In vobis est regnum Dei, et vos pro sanie fœtidissima insanitis, et diabolicam servitutem subitis. In vobis est certe Deus noster: convertimini super eum, et fruimini ipso, et eo, quem prius contempsistis, nunc et de cætero contenti sitis, et hæc sit portio vestra. Quod nobis concedat, qui vivit et regnat. Amen.

CAPUT IX.

Quomodo sit homo bene ordinatus in cogitatione, locutione et operatione.

Servus Dei nunquam deberet nec aliud, nec aliter cogitare, loqui et operari, quam si Deum facie ad faciem videret. Nec enim dubium est, quod sic est nobis præsens Deus, et sic nos videt, sicut si essemus in cœlo empyreo in sede B. Virginis, quamvis non sic influat hic, sicut ibi. Et ideo quamvis eum non videamus, ex quo scimus eum esse juxta nos, et etiam in inti-

[1] *Cant.*, v, 6. — [2] *Gal.*, II, 20. — [3] *Isa.*, XLVI, 8.

(*a*) *Leg.* facis.

mis cordis nostri, non propter hoc debemus plus, vel minus, vel aliter loqui aut facere, quam si semper videremus eum. Tantum enim timeret servus imperatoris, si sciret quod imperator esset juxta eum, et videret eum, et ipse imperatorem videre nequiret, quantum timeret si imperatorem videret, imo forsitan magis. Nullus enim servus est, qui non timeat proprie quod videatur a Domino suo. Unde si sciret servus pro certo, quod Dominus suus non posset eum videre, nec etiam scire posse quid servus faceret, non timeret tunc dominum, ut credo. Sed si sciret se videri a domino, et dominum tamen videre non posset, tunc multum timeret. Quanto ergo magis Dominum nostrum timebimus, quia nobiscum, et in nobis est, et omnia intuetur? Debemus semper moveri timore, reverentia, devotione, amore et erubescentia peccatorum. Mirum est certe, quomodo tam modica scintilla, sicut est cor meum, non absorbetur totaliter ab immensa bonitate divina, et quomodo servus Dei amore Domini sui non semper inebriatus incedit. Hoc credo fieri, si illi bonitati immensæ vellet applicare cor suum. Unde de hoc non dubitet aliquis, quod quanto magis illi bonitati divinæ vellet applicare cor suum, tanto melior et perfectior esset. Et qui in summo bono cor applicare posset, ut penitus oblitus omnium, præter ipsum, toto animi conamine in ipsum tenderet, ibique quiesceret, non statim a tanto bono resiliens, tunc credo, quod absorptus dulcedine consummaretur in statu. Tunc enim inter consolationes et tribulationes, vituperia et honores, blandimenta et opprobria, inseparabilis pertransiret, nihil sitiens nisi Deum suum, et solum ejus affectans honorem. Tunc comprehensor dici posset, potius quam viator; beatus, non miser; angelus, non homo; non peccator, sed sanctus. Et si ad hoc pertingere cupis, o homo, hanc brevem regulam tene. Quicumque vult esse consummatus in statu, debet de sua virtute totaliter desperare, et plenarie se convertens et committens in manibus pietatis immensæ, toto corde confidat de ipsa, nihilque, quantum in se est, omittens de contingentibus, fideliter agat quidquid potest cernere ad sui pertinere honorem. Sed et hoc in præfata regula scriptum est donum Dei permaximum. Et quisquis hoc habuerit, non a se, sed a Deo fideliter habuisse recognoscat, sciens pro certo, quod ad hoc per se est impossibilis, sed pronus potius ad digna tormenta mortis æternæ. A qua morte nos custodiat ille, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT X.

De ordinatione ad proximum.

De proximo accipe hanc doctrinam : Unumquemque hominem de mundo, reputa teipsum. Et si hoc bene feceris, et in corde tuo bene impresseris, non est dubium, quin bonum suum, sicut tuum diliges (*a*), et quod ad salutem suam spectare videris, sicut pro te sollicite procurabis, oratione, exhortatione et auxilio, et quocumque modo poteris : et cum ipsum videris bona dicere vel facere, repleberis gaudio, sicut si tu diceres, vel faceres; si autem sciveris ipsum esse in peccato, aut in aliquo speciali vel spirituali delicto, vel defectu, nimium condolebis, et ipsum, prout poteris, a malo revocabis, et induces ad bonum. De miseriis autem corporis sic compatieris sibi, ac si illas in proprio corpore haberes, et sic libenter ac diligenter servies ei, sicut faceres tibi, et etiam quia te debes odire, illum autem diligere. Et ideo si te offenderit dicto, vel facto, non plus curabis, quam si tu ipse hoc fecisses, vel dixisses; et eo amplius tibi placebit, quia ibi est major merendi materia. Et si quid feceris boni vel dixeris, non plus elevaberis, quam si alius fecisset vel dixisset. Et si aliquem defectum non culpabilem feceris coram eis, non plus curabis, quam si in privato, ubi nullus vidisset, fecisses. Inde etiam sequitur, quod si unumquemque reputaveris teipsum, quod nullum specialem habebis : et quia omnes tibi singulares erunt, nullum plus altero diliges, nisi quantum noveris ipsum meliorem esse, non quia tibi plus familiaris vel notus. Nec etiam circa quantumcumque bonum debemus affici, sed solummodo circa Deum, sive in se absolute, sive etiam in quantum illi vel isti tanta dona largitur. Possumus tamen plus orare pro illis, quibus sumus magis obligati; nec tamen sic orandum est pro illis, ut alios dimittamus. Hoc autem solum appropriabis tibi, scilicet tuam culpam et defectus tuos, et quod te viliorem omnibus reputes, et non solum tua, sed etiam aliena peccata reputes esse tua : et pro ipsis veniam postulabis, sicut et pro tuis. Et si dicas :

(*a*) *Leg.* diligas.

Quomodo possum omnes homines æstimare plus quam meipsum? Hoc te docet facere perfecta charitas, quæ, te eis conjungens, unum cum eis facit. Hoc tamen clarius intuetur, et ad hoc faciendum facilius movetur, qui cor suum in honorem Dei totaliter radicavit (a), nihil aliud nec in se, nec in aliis quærens. Unde hæc est via optima, quod qui vult Deum et proximum diligere, solum Dei honorem sitiat, et cum magna aviditate quærat, nihil aliud intendens in omnibus. Quod nos concedat Deus æternus. Amen.

CAPUT XI.

Qualiter zelator animarum se ordinare et habere debeat.

Sic debet esse modus et forma præparandi et disponendi se, ut possit quis fructificare in proximo sine sui detrimento : quia contingit, et contingere aliquando potest, quod in procuranda aliorum salute, propria negligitur, imo propria suffocatur. Cum ergo vis pro proximo orare, ei prædicare, lectionem legere, vel ejus confessionem audire, aut aliqua talia facere, primo faciem mentis ad æternum lumen converte, et ad ejus splendorem : confortare spiritu, ut non prævaleat caro : abstine ab exteriori homine, quantum potes, ut solum sis interior ad interiora conversus. Tunc eumdem interiorem hominem in proximo considera, de ejus exteriori, nisi in quantum ad interiorem ordinatur, non curans. Tunc interior tuus homo ad interiorem proximi convertatur, et utriusque exterior in supradictis actibus tanquam vanitas negligatur, ne pro exteriori interior ad vana trahatur. Ipsum ergo exteriorem proximi hominem tanquam sacculum stercorum relinquens, considera interiorem ad imaginem Dei factum, sanguine Christi redemptum, locum Spiritus sancti, habitaculum Christi, Dei virtutis et sapientiæ sedem, et ad æternam beatitudinem possibilem. Tunc honoris Domini tui sitibundus ingemisce, et plora, quia ejus imaginem vides denigrari, pretiosissimum sanguinem conculcari, Spiritus sancti habitaculum pollui, sponsam Christi prostitui, ejus sedem dejici, et totam suam beatitudinem pro vilissimis stercoribus contemni. Mirum certe videtur, quomodo justi oculi possunt a ploratu cessare, videntes tantam vesaniam in proximo, imo etiam fuisse aliquando in seipso, et tantam injuriam Deo suo fieri. Quis mihi, quæso, dabit, ut cum Mardochæo indutus sacco [1] pro tanta populi nece, non imminente, ut illa Judæorum, sed jam facta, quotidie plorem, imo continue usque ad fores palatii ululando incedens? Si enim ille pro corporali morte Judæorum tantum dolorem et tristitiam, propter nimiam plenitudinem charitatis, publice prætendebat, quomodo ego miser lacrymis impono quietem, qui infinitam stragem video animarum, et Deum meum pro nihilo reputari? Animetur iis anima viri justi, et Dei sui contemptum non sustinens, animarum mortem abhorrens, conetur modis omnibus, quibus potest, animas a peccatis liberare. Quomodo potest dicere se Deum diligere, et ejus amorem appetere, qui ejus imaginem videt jacere in sterquilinio, et non curat? Aut quomodo, si cogitat quod Filius Dei pro animabus redimendis mortuus est, quomodo et ipse pro animabus mori non cupit? Et maxime cum videt Christi sanguinem pedibus conculcari, quomodo, quæso, potest hanc sui Domini injuriam sustinere? quomodo se totum non fundit in oratione quotidie, clamat in prædicatione, aut proximos instruit lectione, vel eos audit in confessione, ut hunc sui Domini sanguinem recolligere possit, animas recolligendo et convertendo? Quid plura dicam? Credisne te esse habitaculum Spiritus sancti, qui vides ejus templum latrinam fieri, et non clamas, sed dissimulas, qui solum tuam quietem requiris? Absit. Quomodo ergo credis te Sponsi amicitiam habere, qui ejus sponsam ab adulterio non custodis, aut adulterantem non reprehendis, cum facultas non desit, aut eam festinanter ad Sponsum non reducis? Aut quomodo poteris æternaliter summo bono frui, quod vides adeo contemni, ut pro vilissima sanie commutetur, aut negligatur, imo potius blasphemetur, et tamen ab hoc contemptu negligis animas removere et ad ejus amorem convertere? His auditis scindantur, obsecro, corda nostra, et nullo modo tantam Dei injuriam patiamur. Fateor, ut nos ad animarum zelum alliciam, in corde meo jacere, quod si certissimus essem quod nunquam deberem perfrui Deo meo, nihilominus ad honorem suum vellem libentissime pro qualibet anima peccatrice semel mori, ita quod

[1] *Esth.*, IV, 1.

(a) *Leg.* dedicavit.

tot mortes in præsenti sustinerem, quot sunt in mundo animæ peccatrices, ut ipsæ consequerentur gratiam in præsenti, et gloriam in futuro : quanto magis, si secum deberem postmodum gloriari? Ista, charissimi, scilicet divinus contemptus et animarum interitus, sunt quæ deberent nos inflammare ad prædicationes, confessiones, orationes, et ad bonorum exemplorum exhibitiones, non vana gloria, non cordis jactantia, non complacentia humana, non aliqua utilitas mundana. Solum ab animabus Jesum Christum crucifixum quæramus. Emptæ sunt enim *pretio magno* [1], ut aut pretium reddant, aut in emptione permaneant. Inebriemus eas sanguine, non curiositate, ut sic Dominum nostrum crucifixum concupiscant. Dicat quilibet nostrum eis [2] : *Nihil judicavi me scire inter vos, nisi Dominum Jesum, et hunc crucifixum*, non certe Aristotelis, vel Platonis philosophiam. Illum enim reputo hoc solum verbum dicere posse, qui nihil e proximo nisi passionem Christi requirit, et in quolibet proximo sibi videtur, quod videat Jesum Christum passum. Unde signanter dicit : *Inter vos nihil me judicavi scire*, etc. Quid dicam? Non solum vestra non volo aut vobis placere cupio; sed nec etiam vosipsos, aut aliquid aliud cognoscere me judico, sed in omnibus solum Dominum Jesum, et hunc crucifixum. Et bene dicit : *Non judicavi*, quia etsi alia habitualiter sciam, sic tamen ad hoc, scilicet ad Christi passionem sum totaliter intentus, ut meum judicium ad aliud non flectatur. Posset autem illud verbum aliter ad animarum consolationem exponi, id est : Tantum sum in (*a*) hac passione in Deo inebriatus, ut quidquid aliud offeratur mihi, aut visui, vel gustui, seu auditui, sive alii sensui, et quidquid sit præter istud, totum reputo esse nihil : quia jam non delector, jam non glorior, jam non morior, nisi in sanguine Christi. Ad hunc totaliter sum conversus. Non sunt oculi mei pleni adulterio, sed Christi tormento. Non os meum plenum est detractione, sed Christi passione. Et sic de aliis prosequere sensibus, quicumque es, qui hoc dicere potes, quia longe est a me verbum istud ; et si in verbis istis non fuit hæc intentio Pauli, sit tamen intentio nostra, quia non intendo hic intentionem Pauli exponere, sed nostram devotionem excitare. Quod nobis concedat, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT XII.

Quod anima debet affici tantum amore Christi, terrenorum vilitate contempta.

Anima rationalis ad imaginem divinam procreata, inter Deum et irrationales creaturas media constituta, non ad infima per amorem se deberet inclinare; sed solum se erigere ad Deum, ejus inebriata amore, inferiorum vilitate contempta. Et si ad aliquam contingeret se vertere creaturam etiam æqualem, utpote alium hominum aut angelorum, statim deberet omnia ad amorem dilecti referre, solum ad suum Sponsum unicum medullitus et impetualiter tendens, nihil inveniens columbina sponsa, in quo, nisi in Sponso, requiescat pes ejus, nec etiam appodietur aut adhæreat ullo modo. Nescit castissima sponsa vivere nisi cum Sponso, sicut nec piscis nisi in aqua, vel infra aquam. Ibi vacat, vel natat, anima delicata; ibi delectatur, ibi reficitur inenarrabili et suavissimo nutrimento. Si quo modo exit, statim incipit palpitare, statimque ad igneum flumen, seu fluvium, rapidumque redit, extra ipsum omnia suspicans mortem esse. Tota liquescit, et resolvitur in dilectum. O amor, quid facis? quid hoc amore nobilius? quid utilius? quid suavius? Et tamen omnes aut quasi omnes negligunt hunc amorem. Nunc hic dici potest [3] : *Qui manet in Deo, manet et Deus in eo.* Quod nobis concedat, etc.

CAPUT XIII.

Descriptio beatitudinis.

Accipe, frater, sana verba, quæ de beatitudine dicam indignus. Nam sic puto eam posse describi : tu tamen corrige. Beatitudo est plena et intima in Deum resolutio. Beatitudo est summa exultatio de honorificentia Dei. Beatitudo est castissimis et æternis amplexibus Sponsi cum sponsa, vel sponsæ cum Sponso matrimonii consummatio. Beatitudo est divinæ dulcedinis inebriatio sine fine. Beatitudo est sol justitiæ æternus. Beatitudo est cum immenso desiderio plena refectio. Ad quam nos perducat, qui vivit et regnat per æterna sæcula, Jesus Christus. Amen.

[1] *Cor.*, VI, 20. — [2] Ibid., II, 2. — [3] I *Joan.*, IV, 15.
(*a*) *Del.* in.

CAPUT XIV.

Oratio devotissima.

O Deus meus, o amor meus, o lux delectabilis, o suavissima irradiatio, o jucundissima contemplatio, o nutrimentum deificum, pabulum suavissimum, sapidissima degustatio, indicibilis refectio, o mellifluum osculum, et amplexus felicissimus, o indissolubilis conjunctio, cordialis diffusio, medullaris transformatio, o accensio amantissima, inflammatio incentiva, ebriatio sobriissima, et liquidatio solidissima! O Sponsa mea! o Deus meus, o amor meus, o cordis jubilus, o mentis ardor, o amoris incendium, o dulcissimum solatium, o verissimum gaudium! Irradia fulgoribus animam meam dulcissimæ castitatis tuæ transfixam jaculo et amoris facibus inflammatam, sapidissimis affectionibus tuis et amore languentibus desideriis refice dulcoratam. Amen.

CAPUT XV.

Quædam notabilia.

Si enim aliquis princeps invitasset aliquem pauperem et vilissimum hominem ad convivium abundans et delicatum in quo omnis sufficientia et suavitas reperiri posset, quæ reperiri posset in aliqua creatura, et ille vilissimus homo nausearet super illo nobilissimo convivio, et ad stercora potius inhiaret, deberet stultissimus reputari : sic, imo sine comparatione magis stultus reputari debet quilibet homo, et præcipue sacerdos, qui cœlestibus alimentis vescitur, si cor suum istis corruptibilibus applicatur. Et sicut sapiens et deliciosus homo fœtidissimam saniem non solum non appeteret, sed nec etiam videret, vel nominare, vel audire nominare abhorreret; sic omnis vir perfectus, et sacerdos præcipue, abhorrere deberet quidquid illas internas delicias modo aliquo impediret, aut quidquid aliud Christi habitaculum modo aliquo macularet. Unde *omni custodia*[1] deberet custodire *cor suum*. O mira cæcitas omnium impiorum, qui magis eligunt pretio animæ suæ a diabolo emere unam fœtidissimam consolationem, et vilissimam, quam summam, et excellentissimam consolationem a Deo gratis habere. Quis enim non putaret stultum illum, qui potius vellet ab uno tabernario vinum corruptum et fœtidissimum emere pretio omnium bonorum suorum, et se totaliter omni bono pro tam vilissimo potu expoliare, quam ab uno alio dulcissima vina gratis habere, et ex hoc omnibus bonis repleri? Hanc stultitiam, et multo majorem adimplet peccator. Sicut enim stultus reputari debet, et nunquam ad opulentiam perveniret ille mercator, qui in caterva mercantium loca, tempora, et modum mercandi notaret, et hæc etiam referret aliis, et in seipso sæpius hæc repeteret, et nunquam tamen mercationem bonam, vel utilem faceret; sic qui tota die de regno cœlorum scripta multiplicat, et ipsis vacat, et aliis etiam prædicatione denuntiat, et tamen nunquam aggreditur aliquam operationem bonam. Quid prodest, o stultissimi mercatores, studere et prædicare, et opere non implere? Sicut sponsa delicata et nobilis, quæ haberet nobilissimum sponsum, et pulcherrimum, et sapientissimum et optimum, non inclinaretur ad afficiendum circa aliquem fœtidissimum leprosum; sic ergo multo magis affectus viri perfecti nullo modo non solum separari, sed nec etiam retardari deberet ab amore Dei sui propter amorem alicujus creati : nec ullo modo, prout potest, deberet affici circa aliquam creaturam, sed potius deberet abhorrere et abominari, sicut supradicta sponsa prædictum leprosum. Quod nobis concedat, etc.

CAPUT XVI.

Quædam alia notabilia.

Sic pie, juste et caste debet vivere unusquisque, ac si sciret proprie, et pro certo, se eadem die vel statim migraturum vel moriturum. Unde non est perfectionis, ut credo, quod communiter dicunt multi : Si scirem me moriturum infra breve tempus, ita bene me præpararem, et tam sancte viverem. Debet enim perfectus dicere non sic, sed sic : Si mille millia annorum viverem, et hoc scirem pro certo, ita studiose, tam juste et sancte, ac sollicite volo Deo meo servire, ac si hodie deberem de hoc mundo transire. Et in hoc filius, non mercenarius vel servus, apparet. Sicut enim diligo Deum, et ipsi servio propter se, cum æque bonus sit si multum vixero, sicut si parum; ita debeo ei servire, et eum diligere si multum vixero, sicut si parum.

[1] *Prov.*, IV, 23.

CAPUT XVII.

Qualiter se debet habere sacerdos, cum ad corpus Christi venit.

Ad Missam celebrandam sex considero attendenda. Primum est rationis discretio, etc.

Quæ tractantur in hoc, et sequenti capite, eadem sunt cum iis, quæ habentur supra, pag. 288 *et seq., in Opusculo de instructione sacerdotis ad se præparandum ad celebrandum Missam ; nec re, nec verbis quidquam differunt. Quare, Lector, eo recurre, ne hic eisdem repetitis absque necessitate crescat volumen.*

CAPUT XVIII.

Petitio ad excitandum cor in amorem dulcissimi Jesu.

O Domine Deus meus, quomodo ausus sum te alloqui vilissima creatura? etc.

Require ut supra, pag. 290 *et seq.*

PARS TERTIA

CAPUT PRIMUM.

Quæ sunt quæ inducunt hominem ad contemplationis quietem.

Si ad contemplationis quietem volueris pervenire, in te tria studeas radicare.

Primum est, ut quantum tuum Conditorem offenderis, et a te, et ab aliis quotidie offendatur, recognoscas, et de tuis sceleribus intime dolens, aliisque tanquam tibi compatiens, abundanter, si potes, quotidie lacrymeris, et hæc cogitans magis tristari desideres, quam gaudere, cernens, quod non sumus in statu lætitiæ, sed mœroris. Magnum est enim, si Deum nostrum sic graviter offensum in nostris delictis, possumus toto tempore vitæ nostræ plorando placare. Et hanc consolationem debemus eligere in præsenti pro posse, semper nostras et proximorum miserias et nequitias deplorare : et ipse benignissimus Dominus animæ sic fideliter in amaritudine existenti, post lacrymarum fletum, exultationem infundet. Et sicut aqua in vite putrefacta, cum solis calore decocta, in vinum convertitur; sic lacrymæ in perfecte contrito, fervore charitatis decoctæ, in vinum lætitiæ convertuntur. Nec enim decet Dominum tam nobilem in aliqua domo habitare, nisi mundissimam invenerit, et cum omni diligentia lacrymis expiatam.

Secundum est, ut nitaris, quantum potes, Christi compati passioni, et ubique eum tecum circumferre in corde. Nisi enim compatiendo noverimus pati secum, secum non poterimus jucundari. Si enim bene passionem fueris meditatus, et multum intraveris latus ejus, cito venies ad cor ejus. O felix cor, quod sic cordi Christi dulciter colligatur, cujus læva sub capite ejus, et dextera illud amplexatur! quia tunc recte cum sponsa Sponsus collocatur et colligatur in cubiculo. Sed optimum cor mihi narra, obsecro : dulcedinem quam tu sentis, quibus affluis deliciis, non occultes. Sed ut bene video, non audis, quia cor tuum absorptum est præ dulcore. Jam tu interpretis tui existentis in carcere oblitus es. Cerno enim sic te amœnitate nimia esse captum, ut jam non sint amplius neque vox, neque sensus. Quicumque enim ad contemplationis quietem et dulcedinem, nisi per istud ostium, voluerit intrare, furem se reputet et latronem.

Tertium est, ut possidere non cupias nisi Deum, et quidquid nisi Deum habueris, aut oblatum fuerit, vel videris, aut nominare audieris, debes tanquam de tot foliis non curare; sed in Deo solo stabilias mentem tuam, et solus soli sibi jungaris. Tunc in auribus tuis melos suæ eloquentiæ resonabit, thesauros suæ sapientiæ revelabit, melliflua oscula exhibebit, neque præ deliciis non poteris sustinere, et suis te sustentans amplexibus, nimia dulcedine absorbeberis. O felix anima, quo abiisti, quod nos in tanta amaritudine reliquisti? Nuntia nobis, obsecro, si tibi sufficit istud bonum, aut si vis, quod de nostris obsequiis tibi transmittamus. Sed, ut puto, vel credo, non reputas nos xeniis, sed stercoribus abundare. Quid tibi offendimus, o anima mea, jucunditate repleta, quod etiam maxima nostra aspicere non dignaris? Quare quæ sic diligimus, tu contemnis? Sed, ut video, nobis non loqueris, quia rapta

es a dilecto. O amor ineffabilis, qui sic cor conglutinat suo fini! O mira benignitas Salvatoris, qui se singulariter diligentes tam dono visitat excellenti!

CAPUT II.

Quam gloriosum sit, et qualiter possit homo mutari in Deum.

O mirabilis mutatio dexteræ Excelsi! Sicut enim apud homines temporalia diligentes, mirabile esset, si quis unum fœtidissimum stercus commutaret in omnes delicias et honores mundi hujus, scilicet ut pro uno fœtidissimo stercore haberet hujus mundi plenam dominationem, et quantum ad temporalia ad modum imperatoris, et quantum ad spiritualia ad modum Papæ, et nullam resistentiam habere posset; et insuper maligni spiritus obtemperarent ei, et non solum terra, sed etiam cœli et sidera ad suum regerentur nutum; mortificare etiam posset, et mortuos suscitare, et infirmos curare; et etiam posset cursum naturæ in omnibus mutare, et habere omnes divitias et delicias, quas circa Deum posset excogitare, imo quas Deus posset facere, dum tamen in Deum non ducerent : sic, imo sine comparatione multo magis est admirabilis, laudabilis et amabilis illa commutatio, quando quis commutat se in Deum. Nam major est sine comparatione distantia inter hominem et Deum, quam inter quamcumque vilissimam creaturam, et omnia quæ citra se Deus facere posset. Tunc autem homo seipsum commutat in Deum, quando eligit et diligit se odiri, et solum Deum diligere, et circa nihil aliud vult affici, nisi solum circa Deum, et ille solus in suo jacet affectu, et de nihilo curat, nisi de ipso Deo, et totaliter sitit quomodo per se, vel per alios honorificetur Dominus Deus suus. O commutatio desiderabilis! Nam certe iste vulnera peccatorum in Christi vulnera commutavit, et mentis fœtiditatem in Dei bonitatem, suam vilitatem in Dei majestatem, suam nequitiam in Dei clementiam, amaritudinem cordis in dulcedinem Creatoris. Nam totus est in Deum vel Dei, et nihil nisi Deum requirit. Cor suum plenum est ipso Deo : se exuit, et Deum induit : zelo Dei, sibimet guerram facit, tanquam crudelissimo hosti. Si ergo talis est commutatio ista, cur, serve nequam, infidele mancipium, inutilis creatura, hoc adimplere retardas? Cave etiam, ne hoc adimplere studeas cum torpore vel tepore (*a*) operis, gravamine cordis, anxietate pectoris, insensibilitate mentis, sed potius cum animi aviditate, fervoris intentione, amoris immensitate, maxime cum nihil sit utilius homini, nihil delectabilius, nihil nobilius. Si ergo teipsum exueris, et per hunc modum in Deum intraveris, cave ne extra ipsum possis aliquo modo inveniri. Et si aliqua mentis infirmitate vel negligentia te exire contigerit, illuc statim recurre cum fletu, et deprecare suppliciter, ut tibi indulgeat, et dignetur te fugitivum servum recipere. Et nunc proponas firmiter in corde tuo, quod amplius inde non exeas. Non tamen dico, ut tale propositum facias, quod ad novam culpam te obliget, quia fragiles sumus et inconstantes. Et si millesies ab eo exieris, toties ad ipsum recurras.

Regula istius capituli bona est, quod nullus cum Deo potest bene perfecte uniri, vel esse, qui alicui creaturæ affectum suum ligatum, sive inclinatum habet.

CAPUT III.

Quod mirabile est gustantem semel Deum, posse ab eo amplius separari.

Multum mirari debemus, imo nos non miramur, quomodo homo semel Deum degustans, et ejus dulcedinem, potest ab eo amplius aliquatenus separari, et quomodo non obliviscitur omnia ex ebrietate nimia, et comedere, et bibere ac dormire, et si quid aliud ante ipsum ponatur, quomodo potest ibi aliud, quam suum Dominum benignissimum intueri, et in eo summa dulcedine delectari : cum ipsum in omnibus sciat esse, et in omnibus illum invenire possit, ac in omnibus requiescat. *O quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde* [1]! *O quam dulcis et suavis est spiritus* [2] ejus in eis! O quanta amaritudine, quanta tristitia, quanta anxietate repleri deberet aliquis, qui etiam ad momentum ab illa sequestraretur dulcedine!

CAPUT IV.

Quod homo in brevi potest fieri perfectus.

Quicumque per contemplationem ad summitatem montis Dei vult pervenire, oportet quod

[1] *Psal.* LXXII, 1. — [2] *Sap.*, XII, 1.

(*a*) *Cœt. edit.* tempore.

nunquam quiescat dum vigilat, sed semper per mentis elevationem ascendat. Nam in isto ascensu non quiescere, est quiescere; et qui quiescere vult, fatigatur : nec postea sic potest bene ascendere; imo contingit aliquando, quod cum quiescere vult, in tantum fatigatur, ut amplius nullo modo ascendere possit. In ascensu enim montis materialis, quia caro infirma est, quietem interpositam requirit. In ascensu autem montis spiritualis, quia spiritualis promptus est, contrarium requiritur, ut scilicet non quiescat spiritus; sed dum fatigatur, tunc ascendere debet velocius, currere fortius, et recentior fiet, et avidior erit ad majora, et sibi levius apparebit; et delectabilius, et suavius, et dulcius gradietur, non quiescere eligens pro quiete. Et ideo stulti sunt, et quid sit contemplatio inexperti, qui causa resumendi vires requiescunt. Tunc habeant pro certo, quia in illa quiete vires minime resumunt, sed potius disperdunt. Unde si fortiter currit animus contemplantis, tunc suave est; et si plane incedat, incipit fatigari; si quiescit, vires disperdit. Et ideo non est aliud nisi cum Virgine ascendere *in montana cum festinatione*[1]. Si quis hoc capere non potest, sed vult quiescere, et tamen ascensum in desiderio habet, hoc restat remedium, quamvis non valeat his, quæ dicta sunt, adæquari, scilicet ut saltem modum ascendentium materialiter non deserat. Nam qui materialiter in montem ascendunt, et in medio fatigati quiescere volunt, non descendunt ad quiescendum in valle : quia sic ad summitatem nunquam venire possent, et stultissimi reputarentur ab omnibus hominibus. Sic sunt stulti reputandi, et nunquam ad cacumen contemplationis pervenient, qui hodie per contemplationem modicum vel multum ascendunt, et affecti tædio ad locum unde veniunt, sive ad statum unde recesserant, redeunt ad quiescendum, et in peccatorum sive vanitatum vallibus, seu imperfectionis planitie credunt ad ascensum effici fortiores, ignorantes quod vix poterunt ad locum sive statum, ad quem pervenerant, pervenire. Et ista est ratio, sicut credo, quare sic pauci homines contemplativi attingunt supercilium montis. Unde si homo ascenderet quantum posset, et ibi quiesceret, non inde recedens aliquo modo, et cras elevaretur altius, et ibi etiam figeret pedem cordis, et postmodum sic ascenderet sic faciendo semper, dico vobis, quod iste plus proficeret in uno mense, quam alius in quadraginta annis, qui retrocederet ad quiescendum, et semper ad idem rediret. Et credo, quod iste in brevi consummaretur in statu, et esset gloriosus coram Deo, et a tota cœlesti curia prædilectus. Si autem in monte timueris aliquid, curras ad cavernas lateris Christi. Si vero non potes abstinere a valle, quia ibi nutritus es, nec vis adimplere quæ dixi; hoc saltem fac, ut ad vallem tuæ miseriæ et totius humani generis condescendas per humilitatem tui et compassionem proximi, tam de tuis, quam de alienis dolendo peccatis, et pro eis veniam postulando a Deo. Quam ipse concedat, qui est benedictus in sæcula. Amen.

Unde hæc brevis regula hæc omnia in brevi comprehendit. Qui voluerit per contemplationem ad summitatem montis Domini pervenire, non quiescat, nec retrocedat, donec assecutus fuerit quod intendit : nisi forte descendere velit ad suorum, et aliorum, tristitiam peccatorum.

CAPUT V.

Quomodo anima inebriatur in contemplatione a Creatore suo.

O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus[2]*! Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus*[3]*?* Sed si quis ascendere voluerit, per quam viam, cum *investigabiles* sint *viæ ejus?* Audi dilectum tuum, anima dilecta, et gaude, cum cuncta, quæ dicta sunt, cum omni diligentia studueris adimplere, et sic Deo appropinquaveris, ut nihil præter ipsum valeas cogitare, et cætera præter ipsum tibi sint in nimia amaritudine, et quasi libentius velles animam a corpore separari, quam animam tuam separare a continua cogitatione Dei tui, vel quasi continua. Et quasi videretur tibi, quod teipsum non ames, nisi te propter ipsum amaveris, quid tibi de dilecto tuo contingat ausculta, amore repleta, imo in amore conversa. Iste dilectus tuus, o dilecta, a qua non potes aliquatenus separari, seipsum a cogitatu tuo continuo paulisper subtrahet, ita ut cor tuum circa aliquid aliud incipiet evagari, et tu videns eum, quem fortiter diligis, abscessisse, nimia aviditate repleta, quæres undique, quomodo possis, quem sic fortiter diligis, invenire, omnibusque creaturis breviter nuntiabis,

[1] *Luc.*, I, 39. — [2] *Rom.*, XI, 33. — [3] *Psal.* XXIII, 3.

ut dicant vel indicent tibi, ubi est dilectus tuus, quia languida efficieris præ amore. Quanto tunc fletu, quanta lamentatione perfunderis, quanta anxietate post dilectum tuum discurres, tibi nescio enarrare. Sed, o mirabilis inebriatio amoris! hoc ipso quod in ipsum tendis, cum ipso es, et ignoras. Sed quid faciet dilectus tuus, omni amore repleta? Numquid poterit se amplius occultare? Sed dilectissimus Sponsus tuus quantocyus se tibi præsentabit; et tu illum videns, quem cum tanta aviditate quæsieras, nimio amore amplexaberis eum, semper tamen cum omni reverentia et timore. Sed quanta ad hæc adsit tibi consolatio, tunc si sapiens fueris, poteris experiri. Sed audi, o amantissima Domini : cum te securam reddideris, iterum se absentabit. Et tunc majorem ardorem, quam prius, ipsum requirendo habebis. Quid tibi dicam? Iterum se absentabit, et iterum atque iterum, et breviter toties a te se absentabit, donec sis sollicita custodire eum, ut te securam non audeas reddere, et omnia habeas jam suspecta. Sed, o felix anima, audi, quid faciet tibi dilectus tuus. Cum secum incipies delectari vel quietari, vino dulcissimo incipiet te potare. Et tu ejus illecta dulcedine, amplius eum incipies affectare, et ipse largissimus amplius tibi dabit : et quanto plus dabit, amplius postulabis, et ipse benignissimus amplius tibi ministrabit. Quid dicam? Satiari non poteris, donec inebriata fueris, et vino jam undique perfusa. Utrum autem post frequentem et nimiam inebriationem, soporem aut raptum, consequaris : sicut Dominus tibi concesserit, poteris experiri. Largissimus est enim, et plus sine comparatione, quam credi valeat, elargitur. Hoc tamen debes semper habere in corde tuo, quod tu sis vilissimus, et quod nullo modo ad hoc aptus sis; imo permaximum tibi debet videri, si ipse delet peccata tua, etiam cum quantumcumque pœnarum afflictione in hoc mundo. Qui est laudabilis, et gloriosus in sæcula. Amen.

CAPUT VI.

Quod homo ante raptum diversimode inebriatur.

Quoniam in pluribus locis supradictorum capitulorum diximus, hominem divina influentia inebriari posse : ut mens tua amplius elevetur, volo, ut ebrietatem illarum influentiarum divinarum non ignores. Debes enim intelligere, quod vir contemplativus, quamvis multas consolationes habeat spirituales, antequam ad soporem et raptum perveniat, ad quod pauci attingunt, valet duplicem experiri ebrietatem.

Prima est quædam abundantia jucunditatis in corde, et vehemens jubilatio mentis, quæ post multum fluxum aut considerationem passionis Christi, aut per magnum fervorem amoris singularis in Deum, venit ex quadam nova influentia, et divina irradiatione, in mentem. Et illa lætitia tantum abundat in corde, ut etiam in membra corporis redundet, et illa faciet (*a*) divinæ clementiæ arridere, et præ exultatione nimia ad modum ebrii præcipitanter graditur, quietem non sustinens, et creaturas, quas invenit, sui Creatoris amoris magnitudine amplexatur. Et bene potes credere, quod cor suum non multum applicat ad terrena; sed si aliquid occurrit, omnia reputat esse vana. Ebrietatis mentis duplex

Est alia dulcedo sive ebrietas, quæ nimia dulcedine replet cor ex divino consortio : hæc venit per contemplationis quietem; et in tantum abundat hæc dulcedo in corde, ut redundet ad omnia membra abunde, adeo ut totus sibi, tam interius, quam exterius, mellifluus videatur. Et sicut prima ebrietas præ hilaritate quietem non sustinebat, sic et ista præ nimia dulcedine quiescere facit. Et hæc nisi in tantum incendat, ut soporem generet, non auferet totaliter particularium sensuum actus; sed ad modum ebrii esse liberos non permittit, et tunc quasi quidquid viderit, reputabit quadam divina dulcedine abundare. Et quamvis prima sit intensione lætitiæ, et ista intensione dulcedinis, tamen non oportet dubitare, quin illa sentiat dulcedinem, et ista lætitia non privetur. Et quamvis non sit necesse timere de prima, sed potius sit gaudendum, tamen de secunda, quæ consistit in quadam admirabili dulcedine cordis, semper securum est dubitare, quia diabolus *transfigurat se in angelum lucis* [1], et consuevit aliquando similia procurare. Vellet enim, quod homo superbiret, et se aliquid reputaret, ut talibus deliciis frueretur, et ibidem quiesceret, ut sic averteretur a Deo. Et hoc bene permitteret Dominus evenire, quia aliqui contemplativi aliquando de se nimis præsumunt, aliosque contemnunt, et credunt se Deo esse proximos, cum tamen sint per superbiam ab eo

[1] II *Cor.*, XI, 14.

(*a*) *Forte legendum* faciat.

nimis elongati. Et ideo diabolus pater superbiæ hanc potestatem in eos accipit, ut talibus deliciis illos decipere possit. Et ideo cum summa diligentia attendendum est, ut quandocumque acciderit talis delectatio, aciem mentis in Deum dirigas, nec ab ipso cor tuum discedat; et si delectari oporteat, solum delecteris in Deum. Tunc si a Deo esset illa dulcedo, deberet intendi; si a diabolo, deberet privari, aut saltem remitti. Quod si Deus in hoc te voluerit aliquando consolari, ut qui pro tuis, aliorumque peccatis, amaritudine repleris, aliquando deliciis perfruaris, regratiari sibi debes, ut potes, et adhuc tamen timere, ne præsumptionem incurras. Potes enim cogitare ad humiliandum cor tuum sub hac dulcedine, quod Dominus pro parvo aliquo bono, quod facis in præsenti, quod tu reputas esse magnum, fortasse vult tibi pro præmio dare illud, quia te præmiis æternis reputat esse indignum. Potes enim timere, ne istud dulcissimum vinum te adhuc spiritualiter febricitantem in periculum mortis inducat, id est, occasionaliter te faciat subire. Ideo pleno corde, dum sumus in hac valle miseriæ constituti, debemus magis appetere cum Christo crucifixo affligi, quam periculosis deliciis afflui. Et sicut quotidie peccamus, imo quasi continue; sic debemus pro eisdem peccatis velle pœnam continuam sustinere. Et sicut sumus vilissimi servi Dei, sic debet nobis placere, imo debemus appetere ab omnibus vilissimos reputari. Et sicut ad honorem Dei facti sumus, sic illud solum deberet in me, et in aliis placere mihi, quod ad suum tendit honorem; et illud solum displicere, quod in contrarium vergit. De indifferentibus autem nullo modo debemus curare, nisi quia omnia debemus ad laudem Dei referre. Quod nobis concedat, etc.

CAPUT VII.

Quod contemplativus debet gaudere de bonis proximi; quod si non fecerit, tria mala committet.

Hæc omnia etiam appetere debes, o contemplative, cuilibet homini, et debes pro quolibet homine sollicite orare. Et quando vides aliquod bonum in proximo, mirabiliter gaudere debes, etiamsi illud non videas in te. Quod si non feceris, sed potius dolueris, tria maxima mala in hoc committis. Primum est, quod honorem Dei, qui in bonis illius resultat, odire videris. Secundum est, quod passionem Christi, qui ad hoc est passus, ut unusquisque abundet virtutibus, contemnis. Tertium est, quod charitatem, qua proximum sicut teipsum diligere debes, et ejus bonum affectare sicut tuum, laceras, et dividis. Multum ergo bonum proximi diligas et procures, et maxime spirituale, et etiam, cum necessitas se obtulerit, temporale : et semper spiritualia tibi Dominus exhibebit, et tandem ad cœlestia te vocabit. Ad quæ nos perducat, qui pro nobis voluit crucis opprobria sustinere. Amen.

CAPUT VIII.

Quod contemplativus non judicet alios propter defectus in ipsis apparentes.

Diabolus in malitia antiquatus viros contemplationis cernens in cœlestibus conversari, unde propter superbiam est ejectus, nititur modo aliquo eos ad se attrahere. Et quia videt eos non posse vincere in aperto, conatur saltem decipere eos in occulto. Sed quamvis diversa mala diversis temporibus suggerat, tamen ad hoc nititur, ut contemplativus de se præsumat, et alios judicet vitiosos, apostolicæ inhærens sententiæ [1] : *Omnia judicat spiritualis, et ipse a nemine judicatur.* Sed, o pestis atque mors gravissima et occulta! Hæc Deum fugat, præsumptionem pessimam inducit et abhorrendam : hæc vescentem in croceis facit stercora amplexari : hæc spirituali plenum lætitia ad acediam ducit: hæc omnia ad honorem Dei referenda facit diabolice fraudari. Sed, o homo, numquid in altum contemplationis ascendisti, ut sic faciens, aliosque judicans, debeas majus (*a*) præcipitium sustinere? Pone ergo te novissimo loco in consideratione tuiipsius, et cadere non valebis, et Dei commendans opera omnia, commendaberis. Attende ergo, o homo, in contemplatione constitutus, et cognosce qualiter Deus propter suum honorem faciens creaturam, diversis diversa voluit munera elargiri, ut non uno modo, sed multiformiter honoretur, atque sui thesauri manifestari sic queant, et commendandi suam magnificentiam materiam multipliciter habeamus. Debes ergo cogitare primo, quod Deus sicut bonus paterfamilias ordinans domum suam, pensat filiorum sapientiam, potentiam et boni-

[1] I *Cor.*, II, 15. — [2] *Thren.*, IV, 5.

(*a*) *Cæt. edit.* magis.

tatem, et secundum quod viderit, diversa committit officia et tribuit dignitates. Cogita ergo primo tu, qui contemplationi vacas, quod Deus pater tuus benignissimus sciens te ad omnia imbecillem, noluit te in periculosis et difficilibus ac implicatis operibus ministrare, sed sua clementia, tanquam infirmum, per contemplationis quietem te voluit consolari. Alios autem cernens in charitate ferventes et fortiter radicatos, voluit super periculosa et difficilia ordinare, sibi nihilominus quietem tribuens post laborem, et consolationem non modicam in labore. Si ergo videris te spiritualibus inhærere, cæteros autem circa alia laborare, non eos judices, sed sapientiam et bonitatem Dei in eis inspice. Te autem infirmum agnosce, aliosque considera esse fortes. Quomodo enim fortem te reputare potes, qui propter nimiam tui infirmitatem lecti mollitiem, id est contemplationis dulcedinem sustinere non vales, sed ad modum arundinis omni vento moveris? Quid ergo faceres, si te oporteret una manu ædificare, et alia hostes gladio effugare? Nempe solo pavore deficeres. Lauda ergo Dominum Deum tuum, qui potentes in arduis posuit et adversis, prudentes cautos fecit studiis, clementes bonorum temporalium fecit distributores. Te autem, ne deficeres, voluit quiescere per contemplationis quietem; ne errares, noluit te subtilia et curiosa investigare; ut simplicitatem haberes, ne malus dispensator esses, voluit te omnia abnegare, ut pauper esses [1]. Non ergo te de istis exaltes, et alios judices, sed exaltes; nec ab eis excludas eos, quos videris otiosos. Debes enim cogitare, quod tanquam sapientes et probi thesaurum acquisitum abscondunt, laborantes in occulto, et in publico quiescentes. Aut certe cogita, quod ille, qui dedit ventis pondus, permittit eos in istis minimis et manifestis deficere, ne de maximis, quæ sibi concedit, in superbiam eleventur. Et quamvis sic facere debeas de omnibus supradictis, tamen quia vides eos in periculo esse, debes tu, qui in quiete es, pro eis orare, ut sic possis eos allicere ad quietem. Debes secundo omnia ad laudem Creatoris reducere : quod facere poteris per hunc modum, et etiam melius, si Dominus dignabitur tibi indicare. Cum etiam videris aliquos in prælatione temporali, vel spirituali, sive in dignitate aliqua constitutos, hoc esse factum ad commendandum magnificentiam et potentiam Dei cogitabis, et eum laudabis. Cum autem aliquos insistentes scientiæ videris, et non solum Creatoris, sed etiam creaturarum occultissima inquirentes, et quemlibet versiculum (*a*) curiosissime observantes, seu ordinantes, hoc esse ad manifestandam Dei sapientiam non ignores, et in eis divinam sapientiam commendabis. Cum autem videris aliquos temporalibus negotiis insistentes, in ipsis laudabis Dei providentiam, per tales quiescentibus providentem. Si videris aliquos insistere operibus pietatis, in ipsis laudabis divinam bonitatem se ad omnia diffundentem. Si videas aliquos cæteros judicare, Domini judicium time. Si videas pœnam inferentes, divinam recogita justitiam. Si rigidos, divinæ justitiæ expavesce rigorem. Si reprehensores, et causarum discussores, futuri judicii recordare. Si videris prælatos circa punitionem remissos, in eis divinam misericordiam commendabis. Si calorem habueris, recogita Dei Patris erga nos nimiam charitatem, qui suum Filium voluit incarnari, et pro nobis omnibus crucifigi. Si frigus habueris, ab omni æstu miseriæ ad refrigerium anhelabis. Et sic omnia potes reducere ad laudem Conditoris. Non enim debet esse creatura, quantumcumque tibi vilissima ac infima videatur, in qua tuum non honorifices Creatorem. Hoc ipso enim omnis creatura digna est omni laude, quod a Deo condita est, et ab eo conservatur in esse : et hoc ipso dicitur esse Dei si suum mirabiliter commendat auctorem. Hæc pauca exempla posui, ut habeas mentem et viam ad majora. Et istud est divinum judicium, ad quod te voluit Apostolus invitare in auctoritate prædicta, quam tu pessime assumebas. Non enim vult Apostolus innuere, quod spiritualis homo cæteros debeat contemnere, vel judicare, cum alibi ipse dicat [2] : *Nolite ante tempus judicare.* Et alibi [3] : *Tu qui* (*b*) *es, qui alienum servum judicas?* Sed tu dices, quod hæc secreta divinæ sapientiæ non percipit homo carnalis, sed spirituali mente præditus, ut dixi, quod melius in creatura qualibet judicabit, id est, discernet. Judica ergo et tu omnia, id est, divinam sapientiam et bonitatem in omni creatura discerne, ut verum omnium honorifices Conditorem. Si autem aliquem certitudinaliter et probabiliter noveris peccatorem, cave diligenter, ne propter hoc ipsum condem-

[1] Ibi nonnulla videntur interversa. — [2] I *Cor.*, IV, 5. — [3] *Rom.*, XIV, 4.

(*a*) *Leg.* vermiculum. — (*b*) *quis.*

nes, nec etiam ipsum commendes; sed vitium tibi displiceat, et compatiaris, in quantum poteris, personæ. Laudabis etiam Dominum Deum tuum, qui non permisit impium gravius cadere, nec te illud vitium perpetrare. Nullo enim modo dubites, quod si te non custodiret a malo, gravissima et turpissima deduceres ad effectum. Deum etiam suppliciter exorabis, ut ipsum et quemlibet peccatorem relevet a peccato, et te custodiat ab omni malo. Nisi enim noveris compati peccatis proximorum, ad bonum indurabitur cor tuum, et forte in malum corrues sine fræno. Qui enim fideliter oratione vel exhortatione bonum proximi non procurat, cum facere potest, non dubito quod ab ipso Domino elongatur. Sed quanto magis credis ab his Dominum elongari, qui arridendo detractoribus, ac cæteris peccatoribus applaudendo, eis in sua malitia favent, et audaciam tribuunt iterum similia faciendi? Si ergo opportunitas se obtulerit, malum argue; aut si non expedierit, saltem tristitiam prætende faciei, ut aliqualiter confundantur (*a*) peccato. Ne attendas magnitudinem alicujus, quia illum reputa esse magnum, qui approximat Deo, et tanto meliorem vel majorem, quanto amplius approximabit. Quæ enim perversitas facit servum diaboli timere, et magnum reputare, et filium Dei adoptivum contemnere, jam arrham patriæ possidentem? Vesania est nimis magna, a qua nos custodiat Christus, qui est benedictus Deus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT IX.

Quod contemplativus non reputet alios impares sibi.

Non cessans antiquus hostis, cum non potest virum contemplativum in hoc decipere, ut velit alios judicare, saltem nititur eos ad hoc deducere, ut quia vident se in multis operibus, quæ ipsi faciunt, proficere, alios imperfectos esse judicent, quia eisdem non vacant laboribus, aut certe quia eadem, qua ipsi, sollicitudine et quiete, sive vigilia et abstinentia non utuntur, sed potius eos vident secundum suum judicium otiosos, vel cernunt eos circa temporalia implicatos, in quibus ipsi qui sic mundo proficiunt, aliquando offendunt. Sed, o error pessime et occulte, qui secundum exteriorem conversationem vult de interiori homine judicare! Non enim requirit tantum laborem corporis, quantum laborem cordis, ædificium spirituale. Imo apud Deum primum sine secundo non valet; secundum autem sic, sine primo : et quod uni est nocivum, alii quandoque perutile erit. Et sicut facies hominum sunt diversæ, sic et modi vivendi, et in bono proficiendi. Et ideo quando te vides laudabilibus operibus fulgere, et alios vides circa alia intentos et negligentes, cogitare debes, quod licet ista sint in aperto, in occulto tamen, vel saltem in cordis cubiculo, laborant opera delicata. Et quia Deus illos per cordis sanctitatem diligit specialiter, forte non curat eos exterioribus laboribus aggravare, ut ne tam interius, quam exterius laborantes, sustinere non possent.

Debes ergo, ad istam tentationem expellendam, primo in corde tuo cogitare, quod non est consuetudo quod filii regum quotidie ad lucrandum panem suum manualibus operibus se affligant, sed ut delicate et sine labore magno de regalibus deliciis nutriantur. Nam sic est ad litteram, quod oportebit multoties unum fratrem ad habendam unam devotionem, aut aliquam interiorem ordinationem, multum laborare, et illud idem vel melius habebit alius in sola mentis conversione ad Deum.

Secundo cogitare debes, quod illud, quod habere laboras, et modo de novo incipis degustare, sit jam in aliis inveteratum, et firmiter radicatum. Et fortassis ista est ratio una, quare affici, sicut tu, exterius circa bona spiritualia non videtur, quia dulcedo spiritualis de novo veniens mutationem inducit, sed non sic, ut credo, illum, qui jam diu est mutatus, immutat, sed perficit et conservat. Et quando vides te quodam modo liquefieri præ amore, alios vero minime, cogitare debes, quod ad calorem solis justitiæ, ad similitudinem solis materialis, aliqui liquefiunt præ amoris fervore adeo (*b*), ut sua membra non (*c*) valeant sustinere. Alii vero desiccantur non solum ab aquositate peccati, sed etiam ab humiditate reliquiarum peccati : et in bono ita consolidantur contra malum, ut nihil a charitate Dei valeat eos separare. Aliqui vero maturescunt ita, quod sibi tam interius, quam exterius, dulcissimi videantur, et abolita jam omni mentis acerbitate, jam potius in patria, quam in via habitare cernantur. Aliqui vero crescendo ad modum arborum, quamvis tales dulcedines non degustent, crescentes tamen de

(*a*) *Cæt. edit.* confundatur. — (*b*) *Item* a Deo. — (*c*) *Cæt. edit. deest* non.

die in diem, fiunt apud Deum majores. Alii autem putrescunt, ut mali. Dum ergo aliquos istorum effectuum recipis, debes credere, quod ille idem effectus vel major sit in fratre tuo. Et quamvis non sic cito liquefiat præ amore, sicut tu, fortassis consolidatur vel maturescit, vel crescit in bono, et hujusmodi sunt forsan meliores effectus. Et certe cum credis te liquefieri, tu marcescis : et ideo alios non minus te propter talia perfectos judices ; sed potius time, ne sibi tu valeas comparari. Nam si cera, cum liquescit ad solem, cæteris creaturis diceret nullum beneficium solis, aut non ita magnum, percipitis sicut ego, stultum esset : quia etsi non liquefiant ad solem sicut ipsa, tamen arbores potiora fructus percipiunt beneficia. Potes et a te adhuc totaliter prædictam tentationem effugare. Debes namque cogitare, quod sicut quantum ad bona temporalia bonitatem Dei percipimus omnes, ita tamen quod secundum aliam rationem iste, et ille, et quot homines, imo quot creaturæ sunt, tot participandi Dei bonitatem differentes rationes recipiunt; ita simili modo credendum est quantum ad spiritualia in rationalibus creaturis. Nam gratia naturam perficit. Et hanc diversitatem in spiritualibus innuit (*a*) Apostolus, cum dixisset [1] : *Volo autem omnes homines esse, sicut meipsum,* cum statim subdit : *Sed unusquisque proprium donum ex Deo habet, alius quidem sic, alius vero sic.* Et ex aliis diversis locis hanc veritatem habere potes. Si ergo ita est, quomodo non aliter spiritualiter vivet, et serviet iste, quam tu? Aliqui enim tendunt ad Deum per quietem, aliqui per laborem, alii sic, alii vero sic : et multoties est melior, qui vilior reputatur. Non ergo aliquem imperfectiorem te judices, si non facit omnia quæ tu facis.

Cum etiam vides fratrem tuum cum aliquo, vel cum aliquibus commorari, et tu solitarius es, tunc cogitare debes, quod iste perfectus est in charitate, et propter magnam Dei dilectionem ubique sit cum eo, sive cum fratribus sit, sive solus ; et quia tu in dilectione Dei es imperfectus, vix te potes ad proximum convertere, quin offendas ; vix autem aut nunquam ad Deum potes bene te convertere, quin oporteat te a proximo sequestrari : sed hoc certe imperfectionis est. Nam angeli, qui sunt in charitate perfecti, ita bene moventur in Deum, cum sunt nobiscum, aut cum nobis ministrant, sicut cum sunt in cœlo empyreo. Hoc tamen non dico, quia credam sic totaliter posse in via fieri, sive dum viatores sumus ; sed aliqualiter possumus eos sequi.

Adhuc etiam potes cogitare, quod sunt ab istis exterioribus retracti, et soli Deo vacant, et ita ferventer moventur in ipsum, quod propter nimiam intensionem mentis corpus dissolvi videatur, et ad nimiam redigatur debilitatem. Et ideo, ut vires resumant, ne penitus deficiant, et ne etiam sua sanctitas ab aliis advertatur, se offerunt ut servos solatio proximorum, semper tamen omnia ad honorem Dei facientes. Et ideo stultum est, fratrem suum judicare pro qualibet trufa, vel imperfectum reputare. Sunt enim hodie multi honestissimi exterius, qui parum proficiunt interius; et multi sunt dissoluti in gestibus, qui sunt in corde sanctissimi, aut amicissimi Dei. Aut, quod pejus est, aliqui sunt odoriferi hominibus, et coram Deo sunt fœtidissimi, et suæ exterioris sanctitatis jam *suam receperunt mercedem* [2]. Et aliqui apparent hominibus peccatores, et eorum conversatio interior est in cœlis. Non dico tamen, quin multoties conversatio exterior correspondeat interiori. Et quia hoc, vel etiam contrarium discernere non valemus, omnes esse Dei filios judicemus, et nos inferiores omnibus, nisi tamen manifeste contrarium videamus. Nam de bonis, et de sua eminentia sanctitatis incerti sumus, sed de nostra multiplici malitia sumus certi. Magna est enim præsumptio velle circa proximum meum limitare influentiam divinæ bonitatis, quia mihi omnes mores sui non placent. Et quid insanius, quam divinam influentiam, vel complacentiam, velle secundum meam complacentiam regulare? Hoc autem tunc facio, cum illud, quod non mihi placet, suspicor non placere Deo. Cum etiam vides aliquos circa exteriora implicari, tunc cogitare debes, quod illa ad laudem sui Creatoris referant, et magis in illis circa Deum afficiantur, quam tu, cum te recte convertis ad Deum. Fortasse enim, quia sic Deum diligunt, vehementer student ipsum quærere in omnibus creaturis, quia ipsum in omnibus nimis laudabilem, et desiderabilem esse credunt, et cognoscunt. Et hoc est magnum gaudium, et lætitia eorum, cum vident etiam in rebus vilissimis summam Dei potentiam, bonitatem, et sapientiam mirabiliter commendandam. Et ideo illa vilia forte sic libenter pertractant, ne assimilentur nobis, quibus omnia sunt nociva. Sed

[1] I *Cor.*, VII, 7. — [2] *Matth.*, VI, 2. — (*a*) *Cæt. edit.* timuit.

forte quando credis eos otiosos esse, inenarrabili tunc lætitia spirituali perfunduntur interius, quamvis hoc dissimulent, ut sapientes; aut forte, quia se reputant ita viles, non præsumunt se divinæ faciei continue præsentare, sed se vilibus adjungentes, nituntur reverti ipsi in corde, ita tamen quod ipsum in veritate aliquando contemplantur. Et hæc potest esse ratio, quare sic semper cum aliis jucundantur, quia oritur eis lætitia, quod sic viles homines sicut se esse existimant, possint cum eis, quos filios Dei reputant, consolari. Et si dicis propter aliquos: Ergo deberent cum melioribus conversari; dico quod forte illos meliores reputant, qui minorem simulant sanctitatem. Aut forte esse cum illis non reputant se dignos, quia nimis conversationi illorum est dissimilis vita sua. Et ideo sufficere eis videtur, si valent esse cum illis Dei filiis, quos possunt aliqualiter imitari. Sciunt enim, quod in habentibus symbolum facilior est transitus. Aut forte nolunt esse cum magnis vel nimis perfectis, ne sua bona intentio cognoscatur. Potes etiam cogitare, quod forte hoc concessit eis Dominus, ut circa ista extrinseca implicentur: et cum fratribus conversantur, quia sic est Deum difficilius possidere, quam si solitarii permanerent; et quanto cum majori pugna et labore Deum obtinent, tanto est eis laudabilius. Quis dubitat, quod si homo implicitus vitæ activæ negotiis adeo perfecte possideret Deum, sicut ille qui moratur solitarie, quin et laudabilius esset? Et certe ubi est major resistentia, ibi aliquando intenditur vis amoris, et per multiplicem intensionem actus, sive fervoris, augetur substantia charitatis, et inde majus præmium assequuntur. Cum ergo eos credis perdere, ipsi lucrantur: et cum eos existimabis infirmos invenire in via, in patria super te invenies exaltatos, si tamen ibi fueris. Multum enim timendum, ne sicut humilitas ipsos exaltat, ita nostra superbia, qua omnes alios volumus judicare, nos dejiciat in infernum. Aut cogita de eis, quod ipsi approbant posse se Deo servire perfecte in his, ad quæ se inveniunt paratos, magis quam accedere ad ardua, et deficere, sicut facis. Multum enim reputant, vel reputare debent incongruum, aliquid tanto Domino agere imperfecte. Aut forte tam magna in occulto, quam parva in publico, tam terrena, quam cœlestia attentant facere, ut in omnibus his inimicus humani generis impugnetur, et ipsi in omnibus mereantur. Et quamvis sic imperfecti tibi videantur, forte plus in uno interiori motu moventur, quam tu in multis, imo forte plusquam tu in omnibus. Et hoc ignorans, minores te non judices alios, sed lauda Dominum, qui dignatus (*a*) est te eis sociare, quorum forte meritis spiritualiter vivis, et si non vivis, per eos forsitan vives. Hæc autem dixi ad reprimendum diabolicam tentationem. Et quamvis sit sic aliquando, aut sic esse possit, et sic de proximo sit credendum; tamen simpliciter mihi magis placet, et credo quod magis placeat Deo, vita contemplativa, quam activa; et vita solitaria, quam domestica; et mihi magis placet honestas, quam dissolutio; et hanc credo magis esse eligendam, quam illa, quia, etsi illa posset ordinari in Deum, et in sapientibus ordinetur, tamen semper quod est propinquius fini, magis est eligendum; et magis ipse finis, quam quod est ad finem. Et ideo licet ita se habeant ista, tamen non est dubium, quod personæ ista habentes se habent ut excedentia, et excessa. Nam aliqui activi majoris sunt charitatis, et meriti, quam aliqui contemplativi, et e converso; et aliqui domestici, quam aliqui solitarii, et e converso. Quidquid tamen habeamus, dummodo Deo placeamus, magnum erit: quia in tanta multitudine hominum pauci sunt Deo grati. Cujus rei causa, et pro nobis, et pro ipsis debemus quotidie lacrymari non modicum, et deprecari, ut dignetur nos facere sibi gratos, aut si sumus, usque ad finem in gratia nos conservet. Quod ipse nobis concedat, qui propter hoc voluit incarnari, et lethaliter vulnerari. Amen.

CAPUT X.

Contra superbos, et de se præsumentes.

O superbe, o Luciferi imitator immunde, numquid te cogitas Deum esse, an omnia esse a Deo ignoras? Si ergo a te aliquid esse protestaris, certe Deum te esse fateris. Sed amplius vide, ut tua insania reprimatur. Nonne de alienis stultum est gloriari? Cum ergo cuncta sint a Deo, si de aliquo gloriaris, te comprobas esse stultum; si autem hæc ignoras, te comprobas esse cæcum. Audi ergo, insane. Si gloriari vis, et stultus apparere non vis, exclude quæ non sunt tua, et de reliquis glorieris. Sed certe

(*a*) *Cæt. edit.* dignus.

si omnia non tua excluseris, in nihilum redigeris. Ergo de nihilo gloriare, si non vis incurrere vanitatem.

Sed specialius ad dona gratum facientia descendamus. De illis gloriari non potes, quia hæc te habere ignoras; imo, si gloriaris, non habes. Sed etiam quod habeas supponamus; qualiter ea possideas, videamus. Tibi proditori, et infideli servo Domini tui, justitiam, quam habes, noster benignissimus Dominus, tanquam pannum albissimum dedit; et tu eam stillare non cessas sanguine menstruato. Sed, o vesania plene, utinam saltem frontem mulieris meretricis haberes. Quæso quæ sit meretrix sic corrupta, quæ de menstruo glorietur? Imo quasi nullam invenies meretricem, quæ de hoc non intime confundatur, nec etiam audet hoc sponsa amantissimo sponso revelare. Quid ergo, o stulte, in malitia gloriaris? Si tantum in mense semel ad modum mulieris deficeres, haberes forte causam gloriandi. Sed erubesce, et dole, quia quotidianus, et quasi continuus est fluxus tuus. Si ergo a te solum est malum, et a Deo tantum est bonum, non in te, sed in Domino glorieris, et de tua turpitudine coram oculis divinæ Majestatis continue erubescas, sicut deficere non desistis.

Sed dicis : In me nolo de cætero gloriari; sed tamen cupio ab omnibus commendari. Sed, o impie latro, audi. Nonne stultum est largissimo Domino, qui omnia tribuit abundanter, furari quod sibi charissimum est, maxime ut videat, et sibi displiceat, et sustinere non valeat? Sic est stultus, qui ab hominibus laudem quærit. Ideoque cum *universa propter semetipsum operatus* [1] sit Deus, omnes laudes, omniaque laude digna, ad honorem referas Dei tui, et in teipso cogita diligenter quod ad hoc creatus es et redemptus, ut non tu, sed Deus in tuis operibus commendetur. Tu ergo Domini voluntatem fideliter exequaris, ut laudari abhorreas, Deum autem gaudeas ab omnibus exaltari. Et quanto magis ab aliquo commendatur, tanto in majus gaudium eleveris, et studeas, quantum potes, mente, lingua et opere, Deum tuum omni tempore adorare, semperque actu solam suam laudem intendas. Si enim bene diligeres Dominum Deum tuum, ejusque honorem appeteres, ut deberes, malles amarissimis quibuscumque semper pasci, et ab omnibus stultus reputari, imo tanquam stercus abhorreri, quam quibuscumque deliciis abundare, et quantumcumque ab omnibus elevari, aut quantacumque corporali perfrui sospitate, si Deus tuus in te amplius non laudaretur. Et etiam posito, quod par esset præmium utrobique, hoc deberet gratissimum esse nobis, quod altissimus Deus noster a nobis et de nobis aliquod laudis munusculum recipere dignaretur. Sed propter nostras miserias in contrarium nitimur tota die. O mira, ineffabilis, amabilisque clementia Salvatoris, qui tam benignissime nostris condescendit miseriis! Quis illam poterit nuntiare? O homo, totaliter te involve in misericordia, et mirare, et tam dulci Domino gratias agere non desistas! O mi Domine, quid tibi contuli, quod tam dulciter me superbum atque arrogantem pertractas, et foves? Quæ est ista gratia, quam inveni, quod ante te me sustines ad momentum? Certe hoc non merui, sed potius cum feris habitare; imo, bone Jesu, nec etiam creatura tua mereor nominari. Quid tibi pro his faciam, o immensitas bonitatis? quid pro his tantis beneficiis potero tibi exhibere? Ego nescio tibi satisfacere pro delictis, nec etiam pro beneficiis laborare, nec tibi valeo aliquid dare, nisi tuum. Scio quid faciam. Me tibi totaliter exhibebo, et me ipsum in te totum projiciam, et semper timore et verecundia plenus, tibi, quantum potero, reverentiam exhibebo. Et si dignaberis, tibi fideliter continue ministrabo : et si hoc parum sit, quia quod potui, feci, non dubito, comprobabis. Sed hoc maximum mihi est, si dignaberis me tecum in area [2] commorari. O quam dulcis tunc mihi esset tua præsentia summe bona! Accedam cum silentio, et discooperiam pedes tuos, ut me digneris advenam in matrimonio copulare. Non quiescam certe, donec tuis amplexibus gaudeam, et inenarrabili dulcedine consopitus in tuis brachiis conquiescam. Tunc *deliciis affluam, et mirabitur, et dilatabitur cor* [3] meum; et mira suavitate potitus, nihil nisi te potero cogitare. Attamen obsecro, amabilis Domine, ut meo regimini nullo tempore me dimittas, quia sum animæ meæ lacerator, et lapidator impius. Omnia, quæ mihi volueris elargiri, sicut illa tribuis, tu conserva, et tibi soli sit honor, et gloria, etc.

[1] *Prov.*, XVI, 4. — [2] *Ruth*, III, 6, 7. — [3] *Isa.*, LX, 5.

CAPUT XI.

De paucitate bene obedientium.

Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis imbrem lacrymarum [1], ut plorare valeam perfectorum statum, quasi ad nihilum jam redactum? Nam terra culta divinis consiliis, et Christi exemplis, spinas et tribulos germinat pro frumento. Certe quanto res perdita est nobilior, tanto debet esse intensior dolor. Sed ut de multis aliqua videamus, de obedientia, tanquam de religionis fundamento, pertractemus.

Heu! curre, et discurre, utrum possis in sua perfectione in aliquibus eam invenire, et credo, quod vix aut nunquam in aliquo invenies eam latitantem. Sed mirari potes, quod cum religiones et religiosi multiplicentur, quomodo obedientiæ perfectio sit in paucis, imo quasi in nullis valeat reperiri? Certe si *multiplicata* est *gens, non* est tamen *magnificata lætitia* [2] spiritualis intensive. Quæso ut mihi dicas, quis est ille, qui velit habere prælatum ad præcipiendum. Nonne potius ad serviendum? Jam volumus prælatorum voluntatibus assentire? Certe non; sed volumus ut voluntates nostras debeant in omnibus adimplere. Et si aliquid deest, jam plus de ipsis, quam de scutiferis suis murmuramus : ipsis gladio linguæ non parcimus, et quod pejus est, quod nobis ab alio esset gratum, hoc ipso quod fit a prælatis, est nobis odiosum. Jam non cogitamus, quomodo possumus eorum voluntatem plenius adimplere, ac nostram voluntatem perfectius abnegare; sed quomodo possimus eis in omnibus resistere, et ad faciendum quod cupimus eos coarctare; aut ad renuendum quod nobis injungunt, excusare, et aliqua palliare; aut diligenter investigamus, quomodo non teneamur sibi in hoc, vel in alio aliquatenus obedire. Sed, heu! Luciferi imitator, qui præesse voluit potius quam subesse, timeo ne secum habitaculum habeamus, et ad confusionem nostram appareat Christus passus, qui pro nobis Patri *usque ad mortem* [3] voluit obedire, nihil sibi retinens de iis, quæ propria voluntas in omnibus appetere consuevit. *Se* enim *exinanivit* ad plenum. Hunc imitati sunt patres nostri, qui cum prælati essent, se subditos faciebant. Hoc sibi dulce, hoc delectabile, hoc sibi erat peramabile, in his, quæ magis suæ voluntati contraria existebant, in his, quæ ad exterioris hominis confusionem, afflictionem, exinanitionem spectabant, sibi infimis obedire. Non enim curiose librabant an hoc melius illo, hoc securius, hoc laudabilius esset, sicut quidam faciunt causa fugæ; sed cuncta, quæ non essent contra Deum, quantumcumque ardua et vilia, dum cernerent esse secundum beneplacitum prælatorum, adimplebant aviditate maxima. Tanta enim in eis erat obedientiæ dilectio, ut ad implenda jussa non timerent discurrere super aquas, nec ire ad capiendas leænas, cum injungeretur eis; et multa alia, quæ non sufficio enarrare, faciebant. Nec enim judicavit esse infructuosum, qui abbati obediens quasi imperturbabiliter (*a*), voluit per annum lignum aridum adaquare. Ibi apparuit obedientiæ celsitudo, quia quod mortuum et aridum fuerat, per obedientiæ meritum fructum fecit. Quid ergo de obedientia gloriamur? cur non potius de nostra superbia confundimur? Numquid viri contemplativi possumus nominari? Timeo, quod nec etiam Christiani; sed potius imitatores Luciferi possumus et dæmoniaci appellari. Quomodo enim Christianus dici potest, qui Christo contraria nititur adimplere? Numquid Christus consideravit, quod ipse erat Deus, et secundum humanitatem omni gratia et scientia plenus, imo quantum ad animam jam beatus, qui beatæ Virgini et Joseph *erat subditus* [4]? In solvendo etiam didrachma (*b*) [5], servis dæmonum voluit obedire. Nos vero sumus sepulcra dealbata hypocrisi, plena ossibus mortuorum, hominibus exterius mortui apparentes, et interius tumore superbiæ vegetamur. Jam obedire renuentes, dicimus quod non sumus vocati *in servitutem*, sed potius *in libertatem* [6]. Ignoramus enim quod obedire, vel servire Deo in hac obedientiæ servitute, regnare est. Quanto enim magis nosmetipsos subjicimus, tanto majori honore efficimur digniores. Non solum enim ipsa obedientia reges constituet in futuro; sed et nunc, si in sua perfectione existat, facit creaturis omnibus dominari. Ad statum reducit pristinum, et nihil contrarium, nisi ad profectum animæ fuerit, molestare permittit. Adversa facit prospera, et hominem adhuc in mortali corpore facit angelice se habere; necnon et sui Domini honorem appetere cum fervore, et om-

Exemplum obedientiæ.

[1] *Jerem.*, IX, 1. — [2] *Isa.*, IX, 9. — [3] *Philip.*, II, 8. — [4] *Luc.*, II, 51. — [5] *Matth.*, XVII, 26. — [6] *Gal.*, V, 13.

(*a*) *Cæt. edit.* importabiliter. — (*b*) Didragma.

nibus postpositis, laudem Dei facit quærere cum magna aviditate in qualibet creatura, nec momentum permittit pertransire a servitio Dei. O virtus mirabilis, quæ sui facit hominem oblivisci, et in suum semper tendere Redemptorem, et in terris ambulantem facit in cœlestibus habitare! Quid ergo murmuras de obedientia, o superbe? Cum enim dicit Apostolus [1], quod *in servitutem non* sumus *vocati*, innuit quod non debemus nec Deo, nec prælatis obedire timore servili ad modum servorum, sed timore filiali et liberali ad modum filiorum, ac si voluerit dicere, quod de cætero voluntatem nostram propriam non faciamus. Cum enim Dominus Jesus Christus dicit [2] : *Qui vult venire post me*, non adjunxit, beneplacitum suum sequatur, sed : *Abneget*, inquit, *semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* : et tota sacra Scriptura tam vetus, quam nova obedientiam laudat. Si enim bonam superbiam haberes, non renueres Deo tam in se, quam in alio quocumque prælato vilissimo obedire; sed potius dedignareris animam tuam tam nobilem subjicere alicui alii creaturæ vilissimæ. Mirum est autem, quod dedignatur homo Deo servire in prælato, et non dedignatur servire uni homini libero, aut alicui alii creaturæ vilissimæ, sed totum tempus suum nititur expendere circa nihil. Ideoque pauper solitarius, si cerneret quod plus quam alius offenderit, et contra Dominum superbe egerit, suam voluntatem in vindictam Dei et sui niteretur in omnibus abnegare, et seipsum abhorrens, vellet ab omnibus conculcari, semper tamen ad honorem Dei sui omnia referens. Quod facere ipse concedat nobis, qui volens Patri obedire, crucifixus est pro nobis redimendis.

CAPUT XII.

Quod tentationes sunt utiles servis Dei.

O miræ benignitatis Altissime, qui nos tentari permittis, non ut capiamur, sed ut timentes ad te portum tutissimum fugiamus, more bonæ matris facis, o Domine, quæ filium suum a se elongatum videre desiderans, et amplexari, per terribile aliquod timorem inducit, et extendens brachia filium recipit fugientem, cum gaudio sibi arridet, et oscula dulcia elargitur, et ne alias a se recedat, hortatur, ut non accidat sibi malum, consolatur ad se stringens, et demum ubera subministrat. O felix tentatio, quæ ad divinos amplexus fugere nos compellit! O dulcis Domine, qui nos permittis undique effugari, et te semper tribuis refugium salutare, ut tecum omni tempore commoremur! Non ergo te tentationes habere mireris, o homo; sed ad Deum fugias expavescens, ibique, si tentari nolueris, residebis : sin autem, capi poteris, et damnari. Si autem a Deo tuo nimium te elongatum repereris, nec potes ad eum recurrere, pleno corde ad Christum tibi proximum accelerabis, et in sui lateris *puteo* [3] panno superposito, absconderis : et ne timeas quod te inveniat inimicus.

Hoc semper pro regula generali habeas, quod quandocumque Deum volueris ad te profunde inclinare, in corde tuo vulnera Christi porta, et ejus conspersus sanguine te Patri quasi unigenitum præsentabit, et ipse tanquam pater dulcissimus tibi plenarie providebit. Accede ergo ad Christum, et eum suppliciter depreceris, ut ex quo non decet ipsum denuo vulnerari, dignetur in tuo corpore sua vulnera renovare, teque totaliter rubricare. Et sic indutus purpura poteris Regis palatium introire. O tentate, vulnera hæc meditare, et hæc semper tibi erunt refrigerium et solamen. Ne dubites, quod si ea in corde tuo impresseris, nulli aditus tentationi patebit. Quis videns Dominum gloriæ nostris sceleribus sic graviter vulneratum, auderet iterum scelera perpetrare, et sic, pro ipsorum vulnerum reverentia atque compassione, non desisteret a peccato? Saltem quia videret quod sine comparatione gravior pœna deberetur peccatori in omnibus, quam innocens (*a*), in peccato deberet timere, et etiam abstinere. Si autem contra te etiam propter tuas nequitias ipsum videris indignatum, ad spem peccatorum confugias, Matrem suam, et ipsi, tanquam Matri Dei, reverentiam exhibebis, ac fusis lacrymis ejus auxilium postulabis. Et si perseveraveris non quiescens, non dubites, quod ab ea, quod volueris, impetrabis. Secum enim *crevit miseratio* [4]; sibi pro miseris satisfacere ex officio est commissum. Et cum magna diligentia hoc exerceas, quia quod communiter exercet erga omnes, tibi non poterit denegare. Quod et si nullo modo te videris consolari, noscas Deum te diligere, et hoc facit, ut peccatorum tuorum profunditates agnoscas, et tuam miseriam non ignores : et hoc maximum Dei donum est. Non

[1] *Gal.*, v, 13. — [2] *Matth.*, xvi, 24. — [3] II *Reg.*, xvii, 19. — [4] *Job*, xxxi, 8.

(*a*) *Leg.* innocenti.

enim sibi placet præsumptio aliquorum, qui se justos reputant, et ad ipsum Altissimum tanquam ad familiarem amicum accedunt. Vult enim ut quantumcumque quis sit magnus, se miserum et quasi nihil reputans, ad ipsum veniat cum peccatorum suorum confusione, et magna reverentia et timore. Et magnum, imo maximum reputet quantumcumque magnus, si ipsum immensus Deus noster dignatur saltem a longe intueri. Ideoque pleno corde Dei magnitudinem, et suam parvitatem confiteatur, et dicat : Domine, non solum *non sum dignus, ut intres sub tectum meum* [1], sed nec ut tibi appropinquare valeam ullo modo. Sufficit enim mihi, ut tuæ pietatis oculis digneris me respicere a remotis. Dico quod si in hoc perseveraveris non quiescens, non solum te videbit, sed ad sua secretissima te introducet. Quod ipse facere dignetur, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT XIII.

Quod tentatio de prædestinatione reprimi debet.

Si de prædestinatione, aut præscientia Dei aliqua cogitatio tibi surrepat, sic responde diabolo talia propinanti : Quidquid sit de me, te certum est esse damnatum : sed si ego præscitus sum, et Deum non debeam habere post hanc vitam, totis tamen viribus laborabo, ut ipsum saltem habeam in præsenti, et ipsum possideam, quantum possum, ne in utroque statu caream tanto bono. Momentum ergo temporis de cætero non dimittam, quin secundum meum posse fruar ipso, et semper in ipso summa jucunditate delecter, ex quo æternam miseriam assequi debeo in futuro. Nonne mihi summa vesania esset, si certum est me æternalibus ignibus cruciandum, me inimico meo tradere in præsenti, et ex nunc incipere cum diabolo conversari? Non sufficit illa miseria, nisi me nunc miserum faciam ante tempus? Imo certe plus prædestinanti me Deo meo, prout potero, totaliter exhibebo, ut nihil sit in me, nec cor, nec lingua, nec cætera membra, quin continue sint in servitio Dei mei, ut saltem dum possum, et quantum possum, habeam summum bonum. Sicut enim sæculares, qui in Quadragesima non debent comedere carnes, volunt in carnisprivio carnibus abundare; sic certe de Deo deberet facere, qui de sua præscientia esset certus. Et hoc præcipue faceret, qui quam suavis est Dominus degustaret, cætera vero delicata absinthium reputaret. Sed quantumcumque me Deus præsciverit scientia, constat mihi, et scio, quod *seipsum negare non potest* [2]. Eum ergo totis visceribus amplexabor, et ipsum stringens fortiter, etiamsi *aurora* apparuerit, et non mihi *benedixerit, non* ipsum *dimittam* [3]; quod si benedixerit mihi, nec etiam tunc dimittam, et sine me recedere non valebit. Licitum est enim mihi inferre sibi violentiam in hac parte, cum ipse commendet [4] illos, qui *regnum cœlorum rapiunt violenter*. Aut certe scio quid faciam. In cavernis vulnerum suorum me abscondam, ibique quietus lætitabo, nec extra se me invenire poterit. Et etiam expellere non decebit, qui dicit [5] : *Eum qui venit ad me, non ejiciam foras*. Et sic me damnare non poterit, nisi seipsum judicare voluerit. Aut ad Matris suæ pedes provolutus stabo : et quod propter peccatores mater Dei facta sit, allegabo : et ut mihi veniam impetret, implorabo. Nec repulsam ab ea pati potero, quia fons pietatis ab omnibus prædicatur. Ipsa enim non misereri ignorat, et miseris non satisfacere nunquam scivit. Non credo, quod propter me novam velit addiscere lectionem. Ideoque ex compassione maxima ante Filium suum mecum, si dici potest, misera apparebit, et mihi ad indulgentiam suum unicum Filium inclinabit. Et sic triplex refugium habeo, quod *quasi triplex funiculus difficile confringetur* [6]. Quod si prædestinatus sum, et æternam patriam debeam cum angelis possidere, certe debeo ex nunc vitam angelicam ducere, non humanam. Totum me illi debeo, qui se mihi in præmium præparavit ; et hac proportione contentus, nihil aliud amodo debeo affectare. Justus est enim, et si aliud quam ipsum quærerem, contra me posset rationabiliter indignari, et quem visurus sum benevolum, viderem statim iratum contra me sententiam inferentem. Igitur in fine diabolo sic conclude : Quidquid de me futurum sit, a servitio Dei non desistam, et væ tibi, qui non potes tanto Domino ministrare, et ejus dulci præsentia jucundari, etc.

[1] *Matth.*, VIII, 8. — [2] II *Tim.*, II, 13. — [3] *Gen.*, XXXII, 26. — [4] *Matth.*, XI, 12. — [5] *Joan.*, VI, 37. — [6] *Eccle.*, IV, 12.

CAPUT XIV.

Quæstio carnis ad Deum Patrem de Christo.

Carnem contra spiritum per contemplationem elevatum, imo contra Christum, animam elevantem ausculta. Inquit caro : Tibi Deo Patri justo, ac misericordiæ infinitæ, de tuo Filio conqueror, ut tua justitia consideret violentiam mihi factam, et misericordia tua meæ miseriæ condescendat. Ille tuus Filius, plenus scientia et virtute, me sua sapientia circumvenit, et sua virtute violentiam mihi fecit. Ille tuus Filius sua sapientia se sub carne mihi simili occultavit, et ad me humilitate nimia et benignitate inenarrabili callide subintravit. Omnibus fuit humilior, omnibus despectior, omnium necessitates assumpsit, omnium infirmitates portavit, pro omnibus crudelissime voluit crucifigi, tam compassione, quam gravissima passione voluit affligi, cordis amorem per apertionem lateris sui voluit demonstrare, indeque voluit in remedium emanare sacramenta. Quid plura? Suam carnem constituit [1] in cibum, suum sanguinem in potum, et seipsum promisit in præmium. Tua præcepta facientes, matrem fratresque vocabat [2]. Deum non solum in via, sed etiam in patria promittebat [3], quod se succingeret, et eis ad mensam tuam comedentibus transiens ministraret. His omnibus, et aliis, quæ nec scio, nec valeo enarrare, animam mihi deputatam non modo allexit nimis, sed etiam intus intrans sua attraxit virtute in tantum, et sic sibi ipsam suis blanditiis conjunxit, ut jam de me non curet, sed potius affligat, dejiciat, et conculcet, et ad nihilum redigat, et quod gravius videtur, hæc (*a*) mihi inferentes diligat, et pro eo, vel eis, orationem specialem faciat, et si non inferantur, inferri appetat. Sicque mortificor, et non curat : in limo jaceo, et exultat. Sed quid dolorem dolori addit, et ut intense doleam cupit? Hæc sua gloria videtur esse, mihi inferre injuriam, contumeliam, et quidquid vilissimum credi potest. Sicque me desolatam afflictamque relinquit, et ipsa semper vult tuo Filio commorari, semper sua carne cibari, suo sanguine inebriari, et ubicumque fuerit, vult semper secum commorari. Nunc autem secum apparet in præsepio parva, nunc secum brachiis Virginis amplexatur, Virginis brachiis deportatur, lacte Virginis fovetur. Nunc secum famescit, nunc secum sitit, nunc secum conspuitur, nunc secum vulneratur, nunc secum in cruce tristatur, nunc secum in cœlis apud te lætatur, consolatur quocumque perrexerit, secum vadit, sine ipso esse non requirit, ad nihil potest se vertere sine ipso. Quid tibi dicam, Pater, de tuo Filio, qui animam mihi deditam sic suo inebriavit amore, sic autem alienavit a me? Si rapinam commisit, jubeas restitui. Nec enim mihi parum videtur sic rapere unam mentem. Cur enim mihi anima deputata solum Filium tuum diligit? cur me sic odit? cur cætera derelinquit? Tui Filii amore absorpta graditur sine sensu : jam nihil aliud audit, nihil aliud cogitat vel gustat, nihil aliud odorat, et semper vult inter sua brachia commorari. Ibi jucundatur, ibi lætatur, ibi deliciis abundat, ibi nimio amore inebriata cubat. Nec mirum, si hæc anima mea tantum Filio tuo adhæsit : quia nisi esset lapide durior, et ferro insensibilior, ex quo sibi tanta Filius tuus fecit, aliter facere non deberet. Et ubi iste est durus lapis, qui tanti amoris ardore non scinderetur, imo liquefieret sicut cera, si sibi fierent omnia supradicta? Et ideo non conqueror de ea tibi, benignissime Pater, quia fecit quod debuit; sed de tuo Filio, qui eam nimis allexit beneficiis, ac me in tanta miseria dereliquit.

[1] *Matth.*, XXVI, 26 et seq. — [2] *Luc.*, VIII, 21. — [3] *Luc.*, XII, 37.

CAPUT XV.

Responsio Patris ad carnem.

Attende, et audi, quid respondeat Pater clementissimus carni. Quia creatura mea es, tibi justitiam cum misericordia exhibebo. Nam cum ancilla animæ esses, semper tamen dominari voluisti, ac semper inordinate egisti : tibi, non mihi, eam servire fecisti, ipsam ad omnia mala pronam reddidisti, et quod pejus est, eam ad imaginem meam factam diabolicæ servituti subdidisti. Eam bestiis pejorem fecisti, eam fœtidam et abominabilem exhibuisti, eam super omnem caliginem denigrasti, et in tantum eam alterasti, ut creaturam tam nobilem cognoscere non valerem. Oportuit ergo, quia eam, quæ in carne erat, nimis diligebam, meum Filium incarnari, ut eam alliceret ad suum meumque amorem, et quia tibi carni anima adhærendo mortua erat, ut vivificaretur, meum volui Filium incarnatum

(*a*) *Cæt. edit.* hoc.

pro ea occidi. Nec fuit Filii mei hic aliqua circumventio vel deceptio, sed mea suaque ineffabilis dignatio. Et quia tu, caro, a tuæ (a) infusionis principio semper male egisti, meus vero Filius erga eam nimio exarsit amore, et se totum sibi exhibuit, non (b) justitia mea multa exigit, ut eam totam, et totaliter sibi dimittam, et ipsa te plusquam stercus abhorreat, et ab omnibus abhorreri cupiat? Sed quia non solum justitiam, sed et misericordiam implorasti; volo ut aliquando etiam in præsenti dulcedine, quam in meo sentit Filio, perfundaris, et insuper in futuro nobilissime ac perfectissime te dotabo; et si bene animæ obedieris, ex nunc non solum a pœna æterna, sed et a purgatorio te absolvo, qui vivo in æternum.

CAPUT XVI.

Meditatio super Ave Maria.

Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Tibi, Domine Deus, gratias ago, quas possum, ex intimis præcordiis meis, qui pro nobis indignis dignatus es nostram assumere naturam, et virginali utero bajulari, et ex ea Virgine nascens, lacte nutriri, ejus foveri gremio, et ejus subjici imperio, qui omnia conservas et regis, et me fœtidissimam saniem, et turpitudinem detestabilem, et abominatione plenum, et omni vita, imo essentia indignum, dignatus es tantum illustrare, ut sciam te Matrem habere, et hoc mihi indignissimo concessisti, ut ipsam possim, et audeam salutare. *Non* enim *fecisti taliter omni nationi* [1], et hoc summum beneficium *non manifestasti eis.* Ubi est, Domine, peculiaris ille populus, quem in manu potenti, et brachio extenso, de terra Ægypti per desertum in terram promissionis eduxisti, tot signis et prodigiis magnificentiæ tuæ? Nonne, Domine, iste est populus, cui hoc beneficium promisisti? Cur igitur non sibi tuis cultoribus, sed nobis idololatris et infidelibus hoc tuum summum, et maximum beneficium reservasti? Quare nobis paucis, cum multi et quasi infiniti populi hoc ignorent? Nonne, Domine, universorum es Creator, et omnes ad imaginem tuam fecisti? Nonne, Domine, secreta consueverunt pandi amicis? Cur nunc, Domine, inimicis, et maxime mihi, qui a vertice capitis usque ad plantam pedis infectus sum, et totus tendo ad ea, quæ tuæ sunt contraria voluntati? Cur, Domine, tam nobile donum, tam excellentem thesaurum tuo infidelissimo, et nequissimo servo dedisti? Nonne, Domine, tibi videtur, quod non honorem, sed derideam Matrem tuam, quando superbus humilem, imo humillimam superbissimus, castissimam immundissimus, cœlestissimam, imo divinissimam vanissimus et terrenissimus, sanctissimam impiissimus, Matrem Dei filius diaboli salutare præsumo? Ubi est, bone Domine, nunc reverentia Matris tuæ? Cur tales eam salutare permittis? Sed, o piissime Jesu, propter tuam erga nos nimiam charitatem non suffecit te omni derisui et contemptui propter nos subjacere; sed Matrem tuam jam ad dexteram tuam sedentem permittis pollutis labiis tractari, ut possis corda nostra tuo, et ejus amore inflammare. Nec dubium est, quod indignissimi sumus, et credo firmiter, quod nullus sit cœlestis angelus, qui eam, ut digna est, valeat salutare; quanto magis ego immundissima creatura? Mirum videtur, quomodo miser homo non tremit, et expavescit tantam Dominam salutare. Sed illud detestabile nimium est, ipsam nominare ore et corde, vana et inutilia, imo nefanda tractare, ipsamque alloqui tergo verso. Cum omni enim reverentia, honore et devotione est Virgo beatissima salutanda, et ipsa tales quærit qui ad eam devote et reverenter accedant. Hos enim diligit, hos nutrit, hos in filios suos suscipit. O beatus, qui de tam nobili Matre lætatur, ipsam corde amplectitur, opere imitatur! O felix, qui Matri Dei secundum posse suum nititur conformari! Hic est certe, qui, omni creatura contempta, soli Deo singulari amore inhæret, et crucifixus cum Christo salutem animarum sitit. O mirum vere, quomodo non capitur exultatione cor talem virginem salutantis! Matrem Dei alloquitur, Deum ex ipsa factum hominem contemplatur; hic videt ima summis, et summa imis pro se unitate conjungi. Quomodo, quæso, non liquescit in hac salutatione mens nostra, ubi Deum nos tantum dilexisse videmus, ut ex virginali utero dignatus sit fieri frater noster? Os enim nostrum, *et caro nostra est* [2]. O mira et ineffabilis diffusio bonitatis divinæ! Quanta, quæso, erga talem Virginem deberet cor nostrum devotione diffundi, per quam talem ad nos meruimus diffusionem divinam, per quam certe meruimus Deo esse fratres, et cohæredes

[1] *Psal.* CXLVII, 9. — [2] *Gen.*, XXXVII, 27.

(a) *Leg.* suæ. — (b) *Leg.* nonne.

in regno? Mira deberet dulcedine os nostrum abundare, cum tam dulcem Dominam, et benignam salutamus, et ejus benedicimus fructum. Suavissimus enim et dulcissimus est fructus ejus, et in ore, et in corde sapientis dulcescit. O quam mira est hujus virginis fœcunditas, quæ dum salutatur devote, ad cor salutantis suavissimum fructum emanat. Quanto autem in ejus fructu quis amplius jucundatur, tanto ab ea amplius impetrat; et nisi dicat: Sufficit, nunquam cessabit. O mira Domina, mirum videtur, quomodo non tantum delectamur in te salutando, quod, vel propter (*a*) te et fructum tuum, cætera ignoremus. Quomodo, quæso, non est ad te tantum intentus homo propter tuam suavitatem nimiam, ut et semetipsum a se abstractus ignoret? o raptrix cordium! o absorptrix mentium! Cur nos, Domina, ingravidas tuo affectu? Cur nos Deo nostro imprægnas? Cur luto imples cœlos (*b*), et vanissimos facis divinos? Cur nos, obsecro, Filii tui inebrias amore, cum nec sibi aliquid impendere valeamus? Quid tibi prodest, animarum amatrix, quod te et Filium tuum nimio diligamus amore? Nonne tibi cœlestia sufficiunt? Cur terrena corda requiris, cum tamen sint fœtidissima, et terrena? Accipe, animarum venatrix, et refove in sinu gratiæ tuæ. Quis enim potest, animarum venatrix, effugere claritatis tuæ fulgorem, et tuæ radios pietatis? Nec enim est qui a calore abscondere se possit, quia beneficiis tuis pleni sunt cœli, et terra. Quocumque enim pergamus, occurrit nobis diffusio uteri virginalis. Ecce ergo undique nos tuis beneficiis irretisti, et semper et ubique tuæ benignitatis laqueos extendisti, ut a te Matre dulcissima fugere rationabiliter nequeamus, sed semper in tuæ dulcedinis gremio quiescamus. Currite ergo, charissimi, undique, et tam nobilem et suavem virginem salutemus. *Ave.*

Patientiam habe, Domina, quod angelicam salutationem promo, et angelice non vivo, sed potius diabolice. Horrendus sum, et te salutare præsumo. Confido certe, dulcissima, de nimia bonitate tua, et tuo inflammatus amore, te, quamvis indignus nimium, non vereor salutare: *Ave.* Quid mihi, Domina, dulcius tuo *Ave?* O mirum *Ave*, quod quadam cœlesti dulcedine inebriat cor devotum! Certe jam dicere potest devote salutans: *Liquefacta est anima mea* [1], ut salutavi Dominam meam. *Deficit cor meum et caro mea* [2], dum alloquor Dominam meam. Quis in te non deficiet, Virgo sacra, dum cernit hac salutatione prævia te Filio Dei imprægnatam? Quis homo non deficit, dum cernit Dei Filium tuo utero bajulari, tuo lacte nutriri? Quid ergo libentius audis, o Domina, quam salutationem, qua recognosceris Mater Dei? Sic in te vis homines jucundari, ut semper in eum, cujus Mater es, refundatur affectus. Non enim puto, ut velis aliter, nisi ut Mater Dei salutari, nec etiam cognosci. Porta es crystallina, et per te vis tuo Filio nos conjungi. Sed ave, et vere ave: nam cor nostrum aperuit tuum: ave. O mirabile et superadmirabile ave, ad quod dæmones effugantur, peccatores liberantur, filii delectantur, angelus gratulatur, Verbum incarnatur, Virgo gravidatur. Certe ave, cujus fructu creaturæ renovantur, homines redimuntur, angeli reparantur. Ergo tibi *Ave* universa creatura sine fine promat. O dulcissimum, et suavissimum ave, quo terrestria lætantur, cœlestia jucundantur! O ave, quod intellectum irradiat, affectum satiat, mentem ad cœlestia levat: quo animus illustratur, pectus dulcoratur, caro maceratur! Igitur ave. O catenale ave, quod cor constringis cum Virgine, et separas a terrenis, cum misericordissima miserum, cum Domina servum, cum Matre filium firmissime ligas! O amabile ave! Accedat, ut salutet, qui vult catenari amore; et cum salutaverit ex corde, amplius fortiusque constringetur; et quanto constringetur fortius, libentius salutabit. Sicque amor, et ave, mutuo se augebunt, donec cor salutantis deficiat præ dulcore. O Virginis amor, divinum reddis amantem, virgineum facis jam multa sorde pollutum. Ergo ave, Domina mea, mater mea, imo cor meum et anima mea, Virgo Maria, et Maria mea, ave. O nomen suavissimum, nomen jucundissimum, nomen dulcissimum, nomen *Maria!* Quid feci, quid præsumpsi, quomodo excessi, quod nominare te audeo? Quis unquam talia audivit, ut perditionis filius, peccatorum sacculus, dæmonum famulus, te nominare præsumat? O amor mei, nomen Matris Dei revereri nescit amor. Mihi parce, Domina, quod me amare dicam te. Etenim si non sum dignus, non es indigna amari. Quis, o Domina, te amare desistet, cujus beneficiis gratiam et gloriam impetramus? Per te, Domina, franguntur vincula,

[1] *Cant.*, v, 6. — [2] *Psal.* LXXII, 26.

(*a*) *Forte legendum* præter. — (*b*) *Item* lutum... cœlis.

solvuntur debita, vincuntur vitia, solidantur confracta, reparantur perdita, renovantur vetera, roborantur infirma, magnificantur minima, exaltantur infima, incœpta promoventur, imperfecta perficiuntur, perfecta consummantur, cor purgatur, refulget mens, animus inflammatur, liquescit pectus, dulcescit gustus, decoratur aspectus, desponsatur peregrina, traducitur sponsa, et resolvitur anima. Omnia hæc per te, Virgo Maria : ergo *Ave, Maria.* Vere Maria *stella maris, amarum mare,* et *Domina.* Stella maris, mundo totaliter in amaritudine posito, lucis æternæ radium emittendo. Amarum mare, cor tuum in passione Filii tui in cruce pro nobis pendentis totaliter transformando. Domina, super omnes angelorum choros ad Filii dexteram ascendendo. Et stella maris es nos dirigendo ; amarum mare, compatiendo ; et Domina, protegendo. Stella maris es honestate, amarum mare pietate, sed Domina potestate. O Domine Deus, quid tibi retribuemus pro omnibus, quæ dedisti nobis ? Quid tibi faciemus, aut facere possumus, quod nobis in amaricatione amaritudinis positis, tenebris undique circumseptis, a portu salutis nimium elongatis, turbinibus et procellis ad naufragium agitatis, imo tempestate nimia pene submersis, tam nobile solatium, tam dulce consortium, tam efficax auxilium, tam pium subsidium Virginem Mariam irradiantem stellam dedisti ? O certe beata nox, et felix tenebra, et gloriosa caligo, quæ tali stella meruit irradiari ! Certe hæc nox *illuminatio mea in deliciis meis*[1]. O gloriosa Virgo, si es stella maris, semper volo in hac vita esse in mari, ut sis semper mea stella : semper in mari sim perfectæ amaritudinis, de peccatis meis gemendo, Christo crucifixo intime compatiendo, proximorum miseriis et vitiis condolendo. Semper volo in hoc triplici pelago navigare, ut habeam hujus stellæ ducatum. Væ illis, qui sunt in deliciis, et nolunt in hoc mare intrare, quia hac dulcissima stella carebunt. Currant undique tribulationes, et sepiant amaritudinibus inauditis, *non timebo, quia tu mecum es*[2]. Imo tunc vere mihi refulges, cum vallatus angustiis, cum omni humano auxilio destitutus, cum *intraverit aqua usque ad animam meam*[3], cum abjectus fuero et reprobatus ab omnibus creaturis. Me peccatorem nequissimum, et omni malo dignissimum, impugnet et stimulet, obsecro, tota mundi machina, ut mecum sit hæc stella maris Maria ! o felix, cum fuero ab omnibus exprobratus, et conculcatus, et ab hac stella susceptus ! Stella est maris, et in amaridine positis ipsa relucet. O quam dulce et delectabile oculis, videre hanc lucem ! o quam bona et amabilis commutatio, omnem mundi consolationem abhorrere, et longe a se irrecuperabiliter ejicere pro fulgenti stella maris ! Plus enim valet una sola illustratio illius stellæ, quam omnium mundanorum. Quis ergo omnis amaritudinis, et compassionis, et passionis mare non gaudenter intret, ubi refulget hæc stella ? Non paveat cor perfectum, quia impossibile est naufragium fieri hac stella radiante, nec potest nubes aliqua interponi nisi volenti ! O Domina mea, tu in hoc mari es nobis navis sustentans et portans, anchora stabiliens et firmans, gubernaculum dirigens et rectificans, velum deducens et obumbrans, stella refulgens et salutis portum demonstrans, imo impetrans et conservans. Quis ergo non libenter hoc mare compunctionis, compassionis et passionis intrabit, ubi tu in omnibus subvenis et ministras ? Imo, ut plus audeam dicere, tu es Maria *amarum mare* facta propter Filii tui passionem, et iniquitatum nostrarum compassionem. Non quod modo aliquid tristabile patiaris; sed considero mentem tuam, secundum quod in hac vita juxta crucem vivebas. Hoc ergo duplex intremus mare, scilicet tuo Filio crucifixo, et tuo cordi sibi infixo compatiendo, et de nostris iniquitatibus, quæ tantæ fuerunt necis occasio, intime contristando, si volumus cor tuum intrare, quod factum est *mare magnum et spatiosum* nimis[4]. Quis ergo non libenter intrabit hoc mare, ut possit cor Virginis introire ? Certe hi bene intrant cor tuum, et sunt continue in corde tuo, qui Filii tui ruminant continue passionem. Impossibile est enim, Mater piissima, Filii tui intrare vulnera, et non intrare cor tuum, quia illa vulnera sunt in corde tuo perpetuo collocata. Sicut enim illa stigmata semper erunt in Filii tui corpore, sic semper in Matris mente. Quis ergo amplius tardabit et pigritabit hoc navigium introire ? Dulce est de te audire, sed dulcius de te cogitare, et dulcissimum et suavissimum per Christi vulnera cor tuum intrare. Non ergo recedat homo a Christi passione, contumelia et vulnere, si non vult a corde tuo exire. Ibi fit homo totus virgineus, totus sanctissimus, totus divinus. Ibi obliviscitur homo sui, recogitans

[1] *Psal.* CXXXVIII, 11. — [2] *Psal.* XXII, 4. — [3] *Psal.* LXVIII, 2. — [4] *Psal.* CIII, 25.

quæ sunt Matris et Filii. Quod nobis concedat ille, qui benedictus vivit in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT XVII.

Meditatio humilis ac expositio super Orationem Dominicam.

Pater noster, qui es in cœlis, etc. O immensa clementia! o ineffabilis benignitas! o mira dignatio! o longitudo, latitudo, sublimitas et profundum charitatis divinæ! Vilissimum lutum, detestabilis sanies, nequissima creatura se Dei filium nuncupat, et Dominus dominorum, Rex regum et Dominus dominantium se meum Patrem dicit. *Cum oratis*, inquit [1], *dicite : Pater noster, qui es*, etc. Et quod hoc dicit Veritas, verissimum est. Et scio quod plus sine comparatione me diligit, quam pater carnalis vel mater, imo quam me ego ipse. De tanto ergo Patre elevabitur cor meum ut aquila, et, jam hæres cœli, omnia inferiora contemnam. Quid mihi ultra de terrenis honoribus, qui sum Filius Dei? Majus dedecus esset mihi appetere quantumcumque honorem terrenum, quam filio Imperatoris latrinæ officium. Quid ultra mihi de terrenis divitiis, qui regni æterni sum hæres? Ignominiosius esset mihi, de quantumcumque magnis divitiis terrenis curare, quam primogenitum Imperatoris de fimo equorum. Quid ultra de deliciis carnalibus, et cæteris quantumcumque magnis? Detestabilius mihi esset, filio Imperatoris summi, affici in quantumcumque allectiva creatura, quam filium regis in sanie fœtidissima. Quid bonum, quid pulchrum, quid utile, quid desiderabile me allicere potest, qui hæres sum omnis boni? Fons omnis pulchri et boni. Omnia enim respectu illius non sunt, nisi quædam similitudo et umbra. Accedam ergo ad Patrem meum, quia nihil aliud vult, nisi ut habeam ipsum. Numquid ergo negligens ero? Numquid ergo pausabo? Numquid aliis intentus ero? Certe cum impetu, omnibus postpositis, curram ad eum. Sufficit mihi, si habeam Patrem meum; et ideo toto corde tendam ad eum. Non aliud aspiciam, nec aliud videbo, nisi Dominum Deum meum, quia oculis mentis totus tendo ad eum, quia nimis allexit animum meum. *Pater noster*, etc. Mel et favum in ore meo, cum te Deum meum Patrem invoco meum. O dulcedo indicibilis! o jucunditas inæstimabilis! o jubilatio ineffabilis, cum audeam te Patrem meum vocare! o exultatio! o admiratio! o medullaris modulatio, quia Pater meus es tu. Quid ultra procedam? quid ultra dicam? quid ultra petam? Pater meus es tu. Sed ubi es tu, Pater mi, ubi es? Si ubique es, imo quia ubique es, quomodo sedes est tibi cœlum? Sed ideo benignissime vis, ut dicamus : *Pater noster, qui es in cœlis*, ut nos a terrenis ad cœlestia eleves, ubi maxime tua potentia, tua sapientia et bonitas elucescit, ut ibi, mi Pater, sit semper tecum conversatio nostra, ut a te cœlestia, non terrestria vel terrena quæramus, et non petamus; aut certe ut nos spirituales cœli facti, in nobis sit habitatio tua. Quid ergo nos retardabit, quid nos retrahet, quid impedimenta præstabit, quin cœlestem vitam, non terrenam ducamus, ut in nobis sit habitatio tua? o digna admissio, mira dignatio, et dignativa Christi habitatio in nobis! Ego fœtidissimus fimus, et abominabilis peccatorum latrina, valeo esse ex immensa clementia Dei mei tabernaculum ejus; et qui sum plenus sanie et fœtore, ero sanctum Dei templum, sapientiæ sedes, et habitaculum Spiritus sancti. O felix dies! o beata hora, cum talem hospitem possidebo! *Tenebo eum, nec dimittam* [2], *donec introducam eum*, imo ipse introducat me *in domum* illius [3], *quæ sursum est, Hierusalem matris meæ*, et *in cubiculum genitricis meæ* [2], scilicet in intima contemplationis quiete, ubi cubant, ubi quiescunt animæ delicatæ.

Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. O quam bene sequitur, quam bene continuatur, præelegantissime ordinatur petitio ad prædicta, scilicet, *sanctificetur nomen tuum*, ad *Pater noster, qui es in cœlis*, quasi (*a*) filialis devotio, cœlestis contemplatio totum animum reverentis filii convertit in Patrem cœlestem, ut clamet, et dicat : *Sanctificetur nomen tuum*; quasi dicat: Non terrenas divitias, delicias, et honores peto; sed ut sim in te totus conversus, et totus divinus. Sanctificetur ergo nomen tuum, ut scilicet mea vis rationalis (*b*) tua sapientia illustrata, et omni errore, ambiguitate et tenebrositate propulsata, purgatam habeam (*c*) conscientiam, id est, purissimam notitiam tui.

Adveniat regnum tuum, ut mea vis irascibilis tua potentia roborata ad arduitatem regni tui conscendat.

[1] *Matth.*, VI, 9; *Luc.*, XI, 2. — [2] *Cant.*, III, 4. — [3] *Gal.*, IV, 26.

(*a*) *Leg.* qua. (*b*) *Leg.* vi rationali, *vel infra legendum* habeat *pro* habeam.

Fiat voluntas tua, ut mea vis concupiscibilis, tua bonitate dulcorata, imo tua charitate perfecta plenissime tuo beneplacito acquiescat, ut ex vera dilectionis amicitia sit idem velle, idem nolle.

Vel : *Sanctificetur nomen tuum*, quantum ad puram notitiam intellectus; *Adveniat regnum tuum*, quantum ad fervens desiderium affectus; *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra*, quantum ad perfectum obsequium effectus.

Sanctificetur ergo *nomen tuum* in nobis, Domine, quod ab æterno sanctissimum est in se, ut quidquid videmus, quidquid audimus, quidquid intelligimus et sentimus, totum ad sanctissimi nominis tui notitiam ordinemus, ut sit in nobis nomen tuum sanctum, id est, sine terra et purum, ut excisi ab omni curiositate et vanitate, et omni inutili phantasia, te solum in omnibus cognoscamus. Semper, piissime et sanctissime Pater, mentis nostræ oculus ad te lumen æternum incessabiliter dirigatur; semper te, qui in omnibus es, et a quo omnia sunt, in omnibus te intuear, in omnibus te cognoscam! O quam dulce lumen et delectabile oculis, a te sole justitiæ nunquam mentis intuitum amovere! o quam dulcis et amabilis, quam admirabilis oculis nostris tuorum claritas radiorum! *Sanctificetur* ergo *nomen tuum*.

Adveniat regnum tuum. Nunc regnum hujus mundi occupavit totam animam meam, imo totam dissipavit animam meam, totam laceravit, totam fœdavit, totam denigravit sponsam tuam dilectam, animam meam. Totum cor meum, totum animum meum vanitas, imo fœditas hujus mundi allexit. Ideo nunc quæ mundi sunt, sentio; quæ carnis sunt, appeto; quæ terrena sunt, cogito et affecto : factus sum civis hujus mundi, et sub hujus mundi principe sollicite studeo militare. Sed, o Domine, nonne creatura tua sum? Ergo *adveniat regnum tuum*; [1] *princeps hujus mundi ejiciatur foras*. Tu solus in me regnes, tu solus inhabites mentem meam, totum me occupet regnum tuum, totum sibi vendicet desiderium meum, solus reficias affectum meum. Quid quæro, quid desidero, quid volo, quo vagor, quo discurro, quo distrahor? Sufficit mihi, Domine, regnum tuum, sit ibi habitatio mea, sit ibi refectio mea, sit ibi tota conversatio mea. Tu solus bonus, tu solus pulcher, tu solus amabilis, tu solus desiderabilis animarum amator. Tu solus me regas, tu solus me dirigas, tu solus me allicias, tu solus cor meum tecum habeas, animarum zelator. In te solum quiescat cor meum, et pectus meum. In te solum nunc dulcoretur cor meum, tu solus repleas animum meum. Cum impetu ascendam ad te centrum meum et regnum meum, animarum redemptor. Ergo *adveniat regnum tuum*.

Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra. Hoc volo, hoc desidero, hoc totis animi visceribus concupisco, ut in me, et de me, ac per me, non mea, sed tua fiat voluntas. Totus sim, totus in tuum solum plaudam honorem : ad hoc factus sum, ad hoc natus sum, ut tuum solum honorem requiram. Jam non flectar ad meum appetitum, jam non requiram proprium commodum, jam non desiderem amicorum affectum; sed solum nitar tuum solum in omnibus beneplacitum adimplere. Non cogitem quid amarum, quid dulce, quid onerosum vel leve, quid asperum vel suave; sed cum impetu et desiderio ferventi, et cum anxietate curem perficere, quæ tuæ sunt beneplacita voluntati. Hoc solum mihi jucundum, hoc mihi sit suave, hoc solum mihi sit leve, hoc delectabile et amabile, in quantumcumque asperis, vilibus, difficilibus, effusis et amaris, tuam requirere, perficereque voluntatem. O gaudium, et jucunditas, et exultatio medullaris! Utinam totum et totaliter, semper et ubique exponerem me ad omnem tui honorem, quem possem modo aliquo effectui mancipare? O utinam solus possem omnia tua mysteria, mi Domine, adimplere! Magis gaudeo, magis approbo, amplius totis artubus et visceribus concupisco, me totum exponere, et impendere tuo honori, me de me tuæ satisfacere voluntati pro te, quam etiam quantumcumque cœlestibus, et divinis deliciis jucundari. Si enim propter te, mi Domine, lacerarer, et passiones et mortes quascumque ad tui honorem reciperem, eas magis approbarem, magis diligerem, et de his magis gauderem, quam de quacumque delectatione, quam etiam in patria possem habere, nisi forte illa delectatio tantum aut plus cederet ad tui honorem : et hoc etiam non ratione delectationis, sed ratione tui honoris optarem. Non enim factus sum ad meam vanitatem consolandam, sed ad tuam magnificentiam honorandam. Quid mihi majus, quid mihi dulcius, quid mihi amabilius, quam me totum in tuum honorem resolvi? O gaudium Domini! o tripudium! o mihi omne jubi-

[1] *Joan.*, XII, 31.

lare solatium, quod possim aliquid quacumque difficultate facere ad tuum honorem? Hoc angelorum est gaudium, cœleste desiderium, posse tibi totaliter obsequi, totaliter te frui, tuæ voluntati plenarie conformari, et tuum honorem et magnificentiam admirari. Non dubito, imo certus sum, quod plus gaudent angeli et animæ sanctæ de magnificentia honoris tui, quam de magnificentia gloriæ suæ. Et ideo *fiat voluntas tua in cœlo*, id est, in cœlestibus spiritibus; *et in terra*, id est, in nobis hominibus. Et tuæ voluntati adeo libenter, et ferventer ac voluntarie obsequamur, ut ipsi secundum possibilitatem nostræ virtutis totaliter conformemur.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. O quam bene ordinat, quam eleganter conjungit hæc verba præmissis! et quamvis de pane materiali, et etiam spirituali possit exponi, de sacramentali tamen pane maxime exponamus ad præsens. Et ut dixi, in verbis Domini est egregius ordo. Quis enim adeo dignus, quis adeo est habilis ad susceptionem hujus sacramenti, ad offerendum Filium Deo Patri, ut ille, qui ut supra dictum est, se totaliter in Deum ordinavit, et quantum ad intellectum, affectum, et effectum, qui se totum Deo obtulit, totum se sacrificio consecravit, qui in se annulatus est, et in Deum totus illatus est, qui *non quæ sua sunt, quærit, sed quæ Jesu Christi* [1]? Ille enim in hoc sacrificio potest Jesum Christum recipere Jesum Christum Deo Patri pro se et aliis offerre : et ideo petitioni isti Magister verus præposuit : *Sanctificetur nomen tuum.* Et optime conjungit ad illud verbum : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Qui enim ex Ægypto peccatorum exivit, in *sanctificetur nomen tuum*, et mare rubrum tentationum inundantium submersis Ægyptiis sicco pede transivit, in *adveniat regnum tuum;* et in deserto contemplationis soli Deo intendit, et se totum Deo dedicavit, in *fiat voluntas tua :* jam in hoc deserto esuriens manna, id est, panem cœlestem, a cœlesti Patre requirit, in *panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Qui enim in Ægypto aliquando super ollas carnium sedit, nunc illis spretis, solum panem vivum, qui de cœlo descendit, exquirit, postulat et acquirit. O admiranda Christi dignatio! mira jubilatio mentis! Deus meus, sponsus meus, amor meus, factus est cibus meus. Sanctorum præmium, gaudium angelorum, Dei Patris Verbum est nutrimentum meum. Lux mundi, sol cœli, sapientia Dei est refectio animi mei. Proles virginea, redemptio humana, cœlique gloria facta est cibatio mea. Quid ultra affecto, quid ultra me potest allicere? Absit a me, Domine, ut ex quo cor meum habet tam nobilem cibum, quod circa aliquid, quod est in toto mundo, afficiatur. Quomodo, obsecro, post tam nobilissimum cibum, sufficientissimum, suavissimum et dulcissimum, potest cor meum circa vana, turpia et immunda delectari? Et si semper non possit ipsum sacramentaliter sumere, saltem cor meum ipsum spiritualiter non desinat ruminare. In veritate mirum, et plusquam mirum videtur, quomodo præ dulcore et nimio amoris fervore cor non deficit in hoc cibo. Tu solus, bone Jesu, sis cibus meus et refectio mea : te solum esuriam, te solum avido et insatiabili appetitu comedam, et semper sim famelicus tui. Quid te dulcius, quid suavius, quid amabilius, bone Jesu? Te solum volo comedere, te solum cupio masticare. Tu mihi semper dulcescis in corde. Si solus odor tuus deberet sufficere toti mundo, quanto magis cibatio tua? Si in verbo, quod de ore tuo procedit, reficimur et vivimus, quid est te Verbum æternum ore recipere, et cordis dentibus masticare? Quomodo in te cordis penetralia non liquescunt? Quomodo non sic cor meum delectatur in te, ut obliviscatur omnia præter te? Si aliquid terrenum, imo aliqua similitudo terreni tantum cor meum occupat aliquando, ut obliviscatur tui, quomodo tua verissima præsentia non me tantum reficit et inebriat, ut omnis mundi obliviscar, et etiam mei? Hunc ergo, Pater cœlestis, *panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Da nobis hunc panem, ut semper in præsenti, et semper præsentialiter eum habeamus. Sit semper præsens spiritualiter hic cibus, et nunquam sciat præteritum vel futurum. Sed *hodie* doces, bone Jesu, ut dicamus : cur, quæso, tantum festinas esse nobiscum? Quare non differs usque ad cras? Quid enim in nobis vides? quid in nobis sentis, quid in nobis agnoscis, quod in tantum nostro es inebriatus amore? Quid nobiscum lucraris, quid in nobis reperis, quem fructum de nobis habebis, quod nescis tardare? Sed sic amor nostri te urget, ut differre nequeas, quin statim velis esse nobiscum, cum quibus nullum habes lucrum? Nos autem, qui sumus fœtidissima sa-

[1] *Philip.*, II, 21.

nies, et indigni etiam tua creatura, quantumcumque vilissima, nominari, quomodo differimus, ex quo tantum desideras nos esse tecum, quin te summum bonum, *speculum sine macula*[1], impetremus? Tu ergo, bone Domine, differre non vis, ut ostendis; nec nos differre volumus amplius: hodie ergo te repetimus, ut habeamus. Non enim tarda est institutio : quod esset, si peteremus, et non impetraremus. Quia ergo te statim petimus et desideramus, et hoc ipsum tu cupis, accede ad cor nostrum, quia ad te ascendit cor nostrum. Et inebriatus es nostri, et nos tui amore. Te ergo ad nos, et nos ad te cum impetu jungit pondus amoris. Et jam, omni mora sublata, mutuus fit amplexus, et inter brachia tua deficit anima mea absorpta amoris fervore. Cum enim sensi amplexum tuum, excitasti animum meum; post cibasti; deinde inebriasti; tandem tuis amplexibus et osculis separasti animam meam, et in tuis brachiis quiescit : non eam quamvis indignam abjicis, non eam refugis; sed ad te stringens clamas, et dicis [2] : *Adjuro vos, filiæ Hierusalem, ne suscitetis, neque evigilare* (*a*) *faciatis dilectam, donec ipsa velit*. Sed adjuro clementiam tuam, bone Jesu, quare dixisti *quotidianum?* Nonne continue vis esse cibus noster? Nonne sufficit, si per unam diem in nobis habitas, et moraris nobiscum? Quid fecimus tibi? Quid ergo dicam de benevolentia tua? Nescio, quia in illis thesauris clementiæ tuæ deficit animus meus, ita ut non possit parvam considerare scintillam, tanta est abyssus ejus. Et ideo aliud nescio dicere, nisi ex quo vis semper esse nobiscum, nos omni tempore simus tecum, et nunquam a te sponso benignissimo et specioso, cibo suavissimo recedamus. Ita enim, Domine, tuo amore et devotione nos conglutines tecum, ut non possimus a te recedere, nec velimus.

Sic ergo *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Hoc sic ordina, et conjunge prædictis. O bone Jesu, nobilissimum cœlum nobis indignis servulis tuis benignissime et instantissime obtulisti. Sed quid? Timeo ad convivium Esther, ut Aman [3] invitari. Et si illa, bone Jesu, non sit intentio tua, tamen timeo de injustitia mea, quia agnosco peccata mea. Quid ergo? Convivium opulentissimum paratum est; nuntii, id est angeli sancti, ministrant; esuries me excitat, et compellit : tamen accedere non præsumo, quia peccavi. Quid ergo faciam? *Angustiæ sunt mihi undique* [4]. Sed certe quid eligam scio. *Ibo* enim *ad Patrem* [5] meum cœlestem, de quo supra dictum est : *Pater noster*, etc., et dicam ei : *Pater, peccavi in cœlum, et coram te. Jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis;* id est, *dimitte nobis debita nostra.* Sed, o felix recognitio culpæ, quæ promeretur Patris amplexus! Forte amoris fervore inter amplexus ejus resolvar, et mutabor in virum alterum, et aliquantulum audebo comedere de vitulo saginato. *Dimitte* ergo *nobis debita nostra.* O mira Dei nostri dignatio! ergo nos ipsum contempsimus, et pro vilissima sanie commutavimus; et tamen nobis suadet ut veniam petamus. Quomodo vult nobis veniam dimittere cum offensis, hoc autem non vult angelis elargiri? Quomodo, quæso, bone Domine, potes non amplius aspicere, qui ita turpiter a nobis abjicimus te? Ergo ex quo tu ipse suades : *Dimitte nobis debita nostra,* dimitte nobis : quia jam pro nobis ipse debitum solvisti, jam te ipsum pro nobis in sacrificio obtulisti. Tu es, qui nos doces, ut dicamus : *Dimitte nobis*, etc. Hoc facere potes. Nonne pax jam facta est? Nonne jam pacis convivium celebratum est, aut quotidie celebratur? *Dimitte* ergo *nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* O beatum proximi debitum! o felix offensa, quam allegare coram Deo possumus in remissionem debiti nostri! Non ergo, charissimi fratres, contristemur, si nos offendunt homines, si nobis injuriantur, si nos affligunt, rapiunt et accipiunt nostra; sed in his, quantum est pro nobis, exultemus, et gaudeamus, imo affectemus, et cupiamus : quia dimittendo ea proximis, allegare poterimus dimissionem debiti nostri. Non est dubium, quod magnæ virtutis, magnæque efficaciæ est allegatio ista, quam summus advocatus et judex noster nos docet. Ergo [6] *dimittite*, et *dimittetur vobis.*

Dimitte ergo *nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Quid* enim [7], Domine, *prodest baptizari*, vel lavari *a mortuo, si iterum tango mortuum?* Non sufficit mihi, Domine, ut peccata commissa dimittas, nisi etiam, mi Domine, a

[1] *Sap.*, VII, 26. — [2] *Cant.*, II, 7; III, 5; VIII, 4. — [3] *Esth.*, VII, 1. — [4] *Dan.*, XIII, 22. — [5] *Luc.*, XV, 18. — [6] *Luc.*, VI, 37. — [7] *Eccli.*, XXXIV, 30.

(*a*) Cæt. edit. *ne evigiletis, neque suscitare.*

culpis et a peccatis imminentibus custodias. Nam promptissimus sum ad peccatum, et nisi me custodias, sine freno irruam in peccatum. Quid, Domine, profuit Aman, quod a rege Assuero super omnes principes fuit elatus, cum postea inflatus superbia fuit suspensus in ligno? Quid enim mihi prodest quidquid in præmissis petitur verbis, nisi me contra tentationes conserves in bono? Ergo *et ne nos inducas in tentationem.* Vis, bone Jesu, ut sic petamus, quia multoties permittis nos tentationibus stimulari, ut ad te recurramus. Omnem modum et viam, qua possis nos ad te trahere, exerces, quia tecum nos cupis habere. Tentatus ergo ad amplexus paternos fugiam, ut recipiat me fugientem et timidum, et dicam ei : *Et ne nos inducas in tentationem.* Hoc vult, hoc desiderat, hoc expectat (*a*) Pater, ut ad refugium curram, et auxilium, et sinum ejus, ut totaliter de me diffidens solum de ipso confidam. Ergo *et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo. Amen.* Verum est, Domine, quia sumus digni omni malo, quia contempsimus omne bonum; sed vide, clementissime Pater, infinitam misericordiam tuam, et omnino detestabilem nequitiam nostram, et releva a nobis parvulis, nobis infimis importabile onus : a malo opprimente, destruente et retardante a bono, libera famulos tuos, ut libere possimus dominatui tuo servire, et vacare : et maxime ab illo terribili et horribili malo æterno nos libera, ne tua desiderabili visione privemur, quod horrent omnia ossa nostra. Quid enim mihi prodesset tuam creaturam fuisse, nisi te habeam, et totus in te ferar, et totaliter in vita æterna? Quam nobis concedat ille, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT XVIII.

Aliæ duæ breves expositiones super Orationem Dominicam.

Possunt autem supradicta aliter explicari sic, ut *Pater noster* præmittatur, ut confidenter ad Christum accedamus. *Qui es in cœlis*, ut [1] *quæ sursum sunt, quæramus, non quæ super terram. Sanctificetur nomen tuum,* quantum ad fidei illustrationem. *Adveniat regnum tuum,* quantum ad spei firmitatem. *Fiat voluntas tua*, quantum ad charitatis conformitatem, et perfectionem. *Panem nostrum quotidianum,* etc., quantum ad nutrimentum et fulcimentum temperantiæ, quod maxime exhibetur in pane Eucharistiæ. *Et dimitte nobis debita nostra,* etc. Quantum ad correspondentiam, et meritum justitiæ, per hoc quod subditur : *Sicut et nos dimittimus*, etc. *Et ne nos inducas in tentationem,* quantum ad actum prudentiæ, quæ est in præcavendis insidiis. *Sed libera nos a malo,* quantum ad actum fortitudinis, quæ est in tolerandis adversis. Amen.

Possumus autem supradictas petitiones exponere pro his, quæ habituri sumus in patria, ut *sanctificetur nomen tuum* referatur ad apertam visionem, quasi diceretur quod nunc per speculum et in ænigmate videmus, tunc pure, et sine terra, et sine aliquo medio videamus. *Adveniat regnum tuum,* quantum ad firmam tentionem, ut in æternum regnemus. *Fiat voluntas tua,* quantum ad consummatam dilectionem, quæ plene amantem in amatum transformat. Et tunc exponendum est *Sicut in cœlo et in terra,* id est, sicut in angelis et in hominibus fiat. *Panem nostrum quotidianum,* etc., quantum ad suavissimam fruitionem. Et exponendum est *quotidianum*, id est, continuum, quia semper ibi est dies. Et exponendum est *hodie* pro præsentia, quæ non habet præteritum et futurum, sed est tota simul, quod melius per præsens notatus. *Et dimitte nobis,* etc. In quo petitur adventus anni jubilei, in quo omnia debita dimittuntur veris Judæis, id est, pœnitentibus et confessis, et homo homini, et Deus hominibus talibus universa delicta dimittet. *Et ne nos inducas,* etc. In qua petitur illa pacis pulchritudo, de qua dicitur [2] : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis,* ubi non est amplius Satan, nec malus occursus. *Sed libera nos a malo,* quasi diceret : Duc nos ad illum statum, qui est omnium bonorum aggregatione perfectus, et in privatione omnium malorum jucundus, ubi vere liberati erimus a malo. Hæc autem expositio ultima multam admirationem, et miram vel nimiam devotionem, medullarem exultationem, plenam laudis persolutionem requirit, et in ea satis sunt miri et inenarrabiles contemplationis thesauri; sed non sufficio, nec sum dignus eos dispensare, nec ponere in os meum immundum, maxime cum regis Assueri aulam [3] ingredi non valeam non vocatus : et ideo simplicitati nostræ sufficiant, quæ supra diximus foris

Alia expositio.

[1] *Coloss.*, III, 1. — [2] *Isa.*, XXXII, 18. — [3] *Esth.*, IV, 2.

(*a*) *Cæt. edit.* expectamus.

in atrio existentes. Ipse autem Christus ad nos in clementiæ signum *virgam auream extendat* [1], ut possimus secure ad ipsum introire, secum in æternum regnare, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT XIX.

Meditatio super Salve Regina.

Ad salutandam beatam Virginem Mariam, primo debes ejus magnitudinem considerare. Nec enim circa Filium ejus potuit amplius elevari, quam ut Mater Dei vocaretur. Exultans ergo, et admirans magnitudinem Matris nostræ, devote et reverenter ad ipsam accedens dicito : *Salve.* Hoc dicto, statim in tuam resilias parvitatem, et magnificentiam Matris Dei, et dic : Patientiam habe in me, Domina, quod ego vilissimus hominum audeo assistere tantæ Dominæ, et salutare præsumo Reginam cœlorum, Dominam angelorum, et Matrem Dei mei. Sed de tua benignitate humili, et humilitate benigna confido, quod me indignissimum sustinebis. Et quamvis sis arca veteris testamenti, et ego multo ignobilior ; tamen cum te tetigero corde, et salutavero ore, non credo percuti, sed tuo amore potius inflammari, et tua pietate largissima in omnibus exaudiri. Ergo *Salve, Begina.* Sub tuo regimine, Domina, volo de cætero militare, et me totaliter tuæ dominationi committo, ut me plenarie regas et gubernes. Non mihi me relinquas, quia sum mihi ipsi contrarius nimis. Quidquid ergo mihi dimiseris, noveris miserrime deserviendum. Sed cum plenus sim miseria, et a planta pedis usque ad verticem putrefactus, gerens horrorem fœtoris, quomodo me regere dignaberis, tam nobilissima creatura? Certe, quia tu es *regina misericordiæ.* Et qui misericordiæ subditi sunt, nisi miseri? Sed regina misericordiæ es, et ego miserrimus peccatorum. Quomodo ergo, Domina, non exercebis in memetipsum tuæ miserationis effectum. Vere, Domina, regina es misericordiæ, quia non est in hac vita sic desperatus, sic miser, cui non impetres misericordiam salutarem, si ad tuum declinaverit regimen. Certe, Domina, cum te aspicio, nihil nisi misericordiam cerno. Nam pro miseriis Mater Dei facta es, misericordiam insuper genuisti, et demum tibi miserendi est officium commissum. Undique sollicita de miseris, undique misericordia vallaris, solum misereri tu videris appetere. Multum sollicita es miseros hos in tuos filios adoptare ; hos regere, Domina, voluisti, et ideo *regina misericordiæ* tu vocaris. Quid ergo de cætero formidamus, quid timemus, et quis a te, quod petierit, non habebit? Certe nullus, nisi qui se miserum non recognoscit, quia non subest tuo regimini nisi miser; aut etiam si se cognoscit miserum, de tua misericordia non confidit. Illi ergo paveant soli, qui se existimant esse justos, et superbi præsumptuosi, qui tuo regimini non subsunt (*a*), et illi miseri, qui tuam misericordiam non requirunt. Nos ergo miseri tecum de cætero consolemur, tecum amodo, Domina, habitemus, demum totis visceribus amplectamur, quia tu es *vita.* Vita vere, quæ mortem superbiæ vicisti : quæ nobis vitam gratiæ impetrasti, vitam gloriæ genuisti. Et non est dubium, quod vitam naturæ multis reddidisti. O vita mirabilis, quæ mortuos vivificare conaris! Per te, o Domina, a privatione est homo regressus ad habitum, o vita mortem non timens, mortem expellens, mortales immortales constituens! o certe vita amabilis, vita desiderabilis, vita delectabilis! o vita non senescens, sed potius senes ad juventutem reducens! o vita carnales vitas ad nihilum redigens et abhorrens! o vita, quæ nutris cœlestibus alimentis! o vita certe contraria vitæ mundi! Qui enim vult te habere, se affligat, delicias respuat, delicata quæque contemnat : et qui amplius mortificatus fuerit, amplius te possidebit. O vita divina fortificans potestate, scilicet impetratione divina, divina sapientia regulans, et divina vegetans bonitate! Si vita mea es, cur non semper in me es, cur non semper vegetas animam meam? Quis mihi tribuat, ut semper gaudeam beneficio hujus vitæ? *Dulcedo.* Vera dulcedo, quæ amaritudinem peccati, veniam impetrando, expellis; quæ nobis dulcedinem gratiæ et vitæ acquiris; quæ ad suaves cœlestis patriæ contemplationes introducis. O dulcis Domina, cujus sola memoria affectum dulcorat, cujus meditatio magnificentiæ mentem elevat, cujus pulchritudo oculum exhilarat, cujus amœnitatis immensitas cor meditantis inebriat! O Domina, quæ rapis corda dulcedine! Nonne cor meum, Domina, rapuisti? et ubi, quæso, posuisti illud, ut ipsum valeam invenire? Numquid in sinu tuo, ne inveniam, collocasti? Numquid inter ubera tua posuisti illud? Fortasse ibi posuisti illud cor

[1] *Esth.*, v, 2. — (*a*) *Cæt. edit.* subsistunt.

meum, ut quod friguerat tibi, calefiat. O raptrix cordium, quando mihi restitues cor meum? quare sic corda simplicium rapis? quare violentiam facis tuis amicis? Numquid semper vis ipsum tenere? Cum id a te postulo, mihi arrides, et statim tua dulcedine consopitus quiesco, et in me reversus cum iterum postulo, me amplexaris dulcissima, et statim inebrior tui amore, et tunc cor meum non discerno, nec aliquid scio petere nisi tuum. Sed ex quo sic est cor meum tuo dulcore inebriatum, guberna illud cum tuo, et in sanguine Agni conserva, et in latere Filii colloca. Tunc assequar, quod intendo; tunc possidebo, quod spero, quia tu es *spes nostra.* Nonne, Domina, tu es regina? nonne tu es nostri Mater præmii, scilicet Christi, qui est præmium bonorum et beatorum? Nonne tu es, quæ tantum nos exaltare desideras? Nonne plus sine comparatione nos diligis, ac bonum nostrum procuras amplius, quam mater carnalis? Si ergo nos vis facere gloriosos, imo quia vis, quis poterit te prohibere? *Sperent in te, qui noverunt nomen tuum, quoniam non derelinquis quærentes te* [1], Domina. Certe *qui sperant in te, mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ, volabunt, et non deficient : current, et non laborabunt* [2]. Quis enim non sperabit in te, quæ etiam adjuvas desperantes? Et quis non sperabit in te, per quam exauditæ sunt patrum preces, et eorum adimpleta sunt promissa! Quid potuerunt patriarchæ et prophetæ desiderare, quod per te, Domina, non fuerint assecuti? Si antiqui hæc omnia habuerunt per te, quomodo nos, qui sumus unici Filii tui sanguine redempti, non habebimus quod voluerimus postulare? Non dubito, quod si ad te venerimus, habebimus quod voluerimus. In te ergo speret, qui desperat; qui deficit, ad te recurrat confidenter; ad te perveniat, qui vult aliquid impetrare, dicendo : *Salve.* Quid ergo de cætero a tui salutatione poterit nos prohibere, ex quo es *vita, dulcedo et spes nostra?* Quid ergo a tua reverentia, ex quo es *regina,* nos poterit impedire? Et quid est salutationem replicare, nisi tibi sine fine reverentiam exhibere? Quid est salutare, et iterum salutare, nisi salutem et salutis profectum a te, Domina, postulare? Quid salutamus, et iterum salutamus, nisi ut tam interius, quam exterius per te, Domina, salubriter custodiamur? Quid saluto, nisi quia utrumque hominem tuæ reverentiæ expono? Quare te salutavi, nisi ut te haberem? Quare iterum te salutavi, nisi ut per te Filium tuum possiderem? Quare te salutavi, nisi ut redderem te attentam ad vota mea? Et iterum quare te saluto, nisi ut bene suscipias, et perficias ipsa vota mea? Aut certe primo te volumus salutare, ut te commendemus; secundo, ut post hanc miseriam, Filii tui gloria gaudeamus. Primo es, Domina, salutata, ut per te gratia impetretur; secundo, ut per te ad gloriam perveniatur. *Ad te,* ad te vere, quia tu sola Dominum genuisti, tu sola interemisti universam hæreticam pravitatem. Tu sola es Domina regni, tu sola es gubernatio præmii. Ad te matrem misericordiæ, matrem certe, quæ lavas nos a fæcibus peccatorum, quæ nos consolaris in cunabulis vagientes, parvulos esurientes lactas, cujus brachiis sustentamur deficientes. Tu vere consolidas vulneratos, ad salutem perducis ægrotos. Et non solum mater, sed etiam medicina facta es miserorum, quæ es Domina angelorum. Ad te certe, quæ non derelinquis delinquentes, quæ non respuis fugientes, quæ blandimentis nos allicis, deliciis nos foves et nutris. *Ad te clamamus.* Quomodo non clamaremus, qui vulnera sustinemus, plagas sentimus, quia inimicis undique circumdamur? Clamamus angustiati, miseriis infinitis oppressi; clamamus cordis anxietate, stomachi vacuitate, doloris acerbitate. Aut forte erga te amoris immensitate clamamus, ne somnolentia tibi erga nos inducatur. Quare enim obdormis, Domina? Surge, et adjuva nos. Clamamus etiam, ut nostram tibi manifestemus miseriam, quia clamare necessitas nos compellit. Et etiam ad te clamamus, ut te ad compassionem amplius moveamus. Propter hunc clamorem *raucæ factæ sunt fauces meæ* [3]. Quid ergo amplius moraris? Quid affligi nos permittis? Si ergo multum tardaveris, et vocem clamando amisero, ad te amplius clamare nequibo. Et heu mihi, quid tunc faciam, cum nec exaudire me poteris, nec audire? Quid faciam, Domina, cum a te fuero penitus destitutus, cum tua ubera non poteris ministrare? Cito, Domina, subvenias clamanti, ne in manibus subjiciar inimici. Curre, festina, Domina, et tuum nequissimum servum ac infidelissimum ad te clamantem parcendo adjuva, et eripe de manibus inimici, et periculis tui hostis. Si aliud, o Domina, te allicere non deberet, nisi quia tuus hostis audet tuos servos fraudulenter invadere, deberes ad nos quanto-

[1] *Psal.* IX, 11. — [2] *Isa.,* XL, 31. — [3] *Psal.* LXVIII, 4.

cius festinare. Curre, et libera nos, Domina, propter suam superbiam comprimendam. Curre, ne inimici tui dominentur in nobis clientulis. Curre, ne dicant : Ubi est Deus eorum, de cujus clementia confidebant? Nec mireris, Domina, si clamamus; quia sumus a te nimium elongati in regionem longinquam: dissipavimus partem nostram, quasi diceretur : Si prope essemus, planius possemus loqui; et ideo, quia longe sumus, *clamamus exules :* exules a patria, exules a visione divina : et utinam non exules a gratia, exules a consolatione materna! O anima, cur non es potius separata a corpore quam a tua Domina? Exaltata (*a*) es a Christo capite, et quomodo potes, misera, sine capite ambulare? Nonne ambulare sine capite monstruosum est? Heu mihi, cur in tam longum exilium relegatus sum! Quomodo vel quando videbo Deum Salvatorem meum, aut quando potero saltem Dominam meam intueri? Non dubito, Domina, quod si ad te tanquam exules clamaverimus corde, te et tuum Filium plene possidebimus. Cur ergo volumus hic quiescere? Cur ad patriam non anhelamus? cur non affectamus matrem dulcissimam amplexari? Quare non desideramus secum cum Filio suo commorari? O Domina, dum hic sumus, exules constituas nos, ne etiam tanquam in patria confidentes quærere te et Filium tuum desistamus. Sic tamen constituas exules in corpore, ut hic tecum simus cives in mente. *Filii Evæ.* Vere filii Evæ, quia superbi et præsumptuosi : vere filii Evæ, quia ambitiosi et avari, saltem scientia, et utinam non re aliena! gulosi, carnales, et inobedientes, et breviter in omnibus ipsam Evam sequentes, et promptissimi ad malum, difficilesque ad bonum. Et si contingat aliquem filium bonorum operum generare, cum quadam cordis tristitia et dolore parturimus, sed malum cum gaudio perpetramus. Nec nobis sufficiunt mala nostra; sed sicut Eva Adam, ita nos alios maculamus ad malum. Et etiam sicut ipse excusabat se, ita et nos in defectibus nostris excusamus, aut saltem si possumus, in alios retorquemus. Tædet nos vesci ligno vitæ, et in cruce Dominum contemplari, et manus ad lignum prohibitum applicamus. Non curamus per contemplationem paradisi deliciis consolari, sed potius volumus in peccatorum fæcibus habitare. Plus enim placet nobis in multo labore et sudore vilia agere et acquirere, quam Dominum gloriæ degustare. Nisi enim, Domina, nos adjuvisses, fortasse jam ad inferni profundissima venissemus. Nec enim est, quod nos possit excusare, quia non te, sed Evam in omnibus imitamur, ac propter hoc, Domina, *Ad te suspiramus.* Suspiramus autem de tam bonæ matris absentia, venire ad te, Domina, cupientes; suspiramus ad te, tuum Filium affectantes. Suspiramus ad te tanquam parvuli ad tua ubera anhelantes; suspiramus ad te desiderio tui; suspiramus et amore nostro. Nullus enim nisi tuus amor, quo erga te sumus, Domina, inebriati intrinsecus, cogit nos ad te, Domina, suspirare. Quis enim non te diligit reparatricem omnium, amoris caminum, pulchriorem sole, dulciorem melle, bonitatis thesaurum, honestatis speculum, omnis sanctitatis exemplum? Omnibus es amabilis, omnibus es affabilis, omnibus delectabilis. Sedes es sapientiæ, fluvius clementiæ, radius deitatis, nec est qui se abscondat a calore tuo. Quis ergo ad te non suspirabit? Amore etiam suspiramus, et dolore : undique namque nos angustiæ premunt. Quomodo ergo nunc non suspiramus ad te, quæ solatium es miserorum, refugium expulsorum, liberatio captivorum, medicina infirmorum, mater parvulorum, sponsa adultorum, regina bellatorum, Domina universorum, et etiam inimicorum, nec est qui tuæ voluntati valeat obviare? Sic afflicti, sic miseri, ad te talem Dominam suspiramus, *gementes et flentes in hac lacrymarum valle.* Tu, Domina, nonne vides quomodo et qualiter sumus amaritudine pleni? Intus sumus gementes et exterius flentes, in loco lacrymoso jacentes. Onerati peccatis, gemimus; aggravati molestiis flemus; abundantes miseriis, in valle lacrymarum sumus. Gemimus sauciati, flemus spoliati, in valle lacrymarum sumus destituti. Gemimus Solem justitiæ non videntes, flemus inimicis nostris servientes, in valle lacrymarum sumus tuum auxilium implorantes. Hæc est certe vallis lacrymarum, ad quam omnia lacrymabilia fluunt, gemebunda decurrunt, flebilia ruunt. Ad hanc vallem fluxerunt dæmones infernorum, peccatum protoplastorum, miseriæ antiquorum. Quid autem amplius dicam? Non sufficio, nec scio hujus vallis detestabilia enarrare. *Eia ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte.* O laudabilis clementia Creatoris, quæ sic afflictis tam nobile et laudabile subsidium dignatur elar-

(*a*) *Forte leg.* elongata.

giri! O certe Dei nostri mira benignitas, qui suis reis te Dominam tribuit advocatam, ut a Filio tuo inter nos et ipsum judicem constituta, quod volueris, pro nobis valeas impetrare! Nec enim dubium est, quod nostra culpa juste damnabat, quos conservat tuæ advocatio pietatis. O mirabilis erga nos misericordia Dei nostri, qui ne alias fugeremus pro sententia, non solum dignatus est communicare se nobis in judicem, ut esset Deus et homo Jesus Christus, a quo debet sententia promulgari; sed voluit ipse sua viscera misericordiæ, matrem suam, Dominam gratiæ, nostram instituere advocatam. Et ideo non timendum est, quin miserearis miseris, et ad illam partem inclines sententiam, quam defendis, et nobis exhibeas gloriam, quam causaris. Scio bene, quod post sententiam non est appellatio ad majorem : quia, et si judex sit homo tuus Filius, est tamen et Deus Filius Dei Patris. Non enim video, Domina, quomodo aliquid tibi valeat denegare, qui vult, ut per te cœlestem patriam habeamus. Hoc est enim quod cupit Deus noster; hoc est quod desiderat; hoc est pro quo te matrem constituit advocatam. Non ergo restat, Domina, nisi ut illos tuos misericordes oculos ad nos convertas. *Eia ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte.* Non enim dubito, quod si nostras aspexeris miserias, non poterit tua miseratio suum retardare officium. Mirabiles, necnon et amabiles tuorum radii oculorum, quibus nos allicis ad amorem et ad plenam, Domina, salutem venenatos oculos eruis basilisci. O Evæ oculi venenati, cur non offertis vos oculis Virginis, si vultis perfectam recipere medicinam! Nam suorum claritas oculorum umbras expellit, effugat catervas dæmonum, purgat vitia mentium, corda congelata succendit, demum ad cœlestia trahit. O Domina, quam beati sunt, quos viderint oculi tui! Hos ergo oculos ad nos converte. *Et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.* O venter mirabilis, qui potuit capere Creatorem! o venter laudabilis, qui meruit recipere Redemptorem! o venter desiderabilis, qui emanavit desiderium mentium, gratiarum fluvium, gloriæ præmium! o venter, non venter, sed cœlum empyreum! In hoc ventre fuit pretium perditorum, felicitas beatorum, Deus angelorum! o beatus venter! o beata viscera! o beata ubera! o Domina nostra! o fons pietatis, locus sanctitatis, flumen bonitatis, venter tuus, Domina! o felix venter, qui Solem genuisti, mundum reparasti, patriam recuperasti! o quam pretiosus venter, qui portavit medicinam infirmis, vitam mortuis, et paradisum justis! o venter eburneus, et sedes sapientiæ! o venter tornatilis, et celsitudo gloriæ! o venter amabilis, et dulcedo animæ! o elevatio mentium, inebriatio cordium, suavitas peccatorum, fructus tuus, Domina! hic est vere fructus beatus a principio sui ortus : hic est Jesus Filius Dei vivi : hic est Salvator noster, Dominus Deus noster. Hunc *Jesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende* benignum : ut ipsum videndo, ipsum habeamus; ipsum habendo, ipso perfruamur, *o clemens* indigentibus! *o pia* exorantibus! *o dulcis* diligentibus! o clemens pœnitentibus! o pia proficientibus! o dulcis contemplantibus! o clemens laborando! o pia largiendo! o dulcis te donando! o clemens consolando! o pia blandiendo! o dulcis osculando! O clemens in effectu! o pia in affectu! o dulcis in affatu! O clemens in conceptu, pia in aspectu, dulcis in amplexu, dulcis in amore rectis, clemens in subjectis, pia in correctis, et dulcis in dilectis! *O clemens, o pia, o dulcis Maria!* Amen.

CAPUT XX.

De statu beatorum in cœlesti Hierusalem.

Ad contemplandum quietem omnium, de cœlesti Hierusalem aliquid balbutiendo prorumpam. Nam locus est altissimus, splendidissimus, latissimus, et firmissimus. Societas est nobilissima, speciosissima, benignissima, purissima, incessabilissima, id est, nunquam cessabit, nec remittetur. Ibi habebimus Dominum potentissimum, excellentissimum, justissimum et liberalissimum, patrem nobilissimum, ditissimum, providentissimum et piissimum, fratrem humillimum, curialissimum, sapientissimum et optimum, sponsum pulcherrimum, singulariter summum, suavissimum et amore ferventissimum. Quantum ad nos, erit ibi aperta visio, firma tentio, consummata dilectio, continua laudatio, reverentia profundissima, admiratio altissima, exultatio sanctissima, et devotio intima; et in corpore erit agilitas, claritas, subtilitas, et impassibilitas. Ex prædictis omnibus consurget fruitio perfectissima, satietas sufficientissima, sobrietas sobriissima, voluptas pudicissima, cordialis diffusio, jucundissima amplexio seu complexio, medullaris transforma-

tio, centralis quietatio, omnis amœnitas, omnis suavitas, omnis securitas, et omnis libertas : quia liberi erimus ab omni injuria, violentia, culpa et miseria. Et sic *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis* sanctorum suorum, *et mors ultra non erit, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima transierunt*, ut veritas in Apocalypsi[1] testatur. Felices lacrymæ, quas manus Conditoris absterget. Et ideo veritas per Isaiam dicit[2] : *Ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis. Quomodo si mater blandiatur filio, ego consolabor vos, et in Hierusalem consolabimini.* Et quoniam tantum gaudebimus de bono alterius, quantum diligimus eum, et ibi vere diligemus omnes alios, sicut et nos, et Deum perfectissime plusquam nosmetipsos : ideo multiplicabitur gaudium nostrum secundum inæstimabilem numerum angelorum et sanctorum, de quorum gaudio gaudebimus sicut de nostro; et plus sine comparatione gaudebimus de immensitate divinæ potentiæ, sapientiæ et bonitatis, quam de felicitate nostra. Et quia istud est excessivum, sic absorbebimur gaudio de felicitate divina, et intrabimus in gaudium Domini intus, et foris undique absorpti et circumdati gaudio excessivo. Nec mirum, quia plus sine comparatione nos diligit Deus, quam nosipsi nos : et ideo sine comparatione plus dabit nobis gaudii et lætitiæ, quam sciremus aut possemus petere vel appetere. Sic ergo abundabimus et superabundabimus gaudio : quia diligentes, et quia dilecti : quia *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparasti diligentibus te*[3]. Imo non solum cor hominis viatoris, sed nec etiam comprehensoris, aut alicujus angeli potest aut poterit illud bonum infinitum, et gaudium nobis paratum et oblatum comprehendere. Sic ergo intrabimus in gaudium Domini nostri. Gaudens ergo gaudebo in Domino semper, et ei de tantis beneficiis gratias exibebo. Gaudebunt *labia mea, cum cantavero sibi, et anima mea*[4] quam sic nobiliter seipso redemit. *Lauda* ergo, *Hierusalem, Dominum; lauda Deum tuum, Sion*[5]. Imo laudent eum cœli et terra, mare et omnia quæ in eis sunt. Jam *per* (*a*) *omnes vicos Hierusalem alleluia*[6] dicamus. *Lauda* ergo, *anima mea, Dominum; laudabo Deum meum in vita mea*[7]; illum mecum laudet omnis creatura. Amen.

[1] *Apoc.*, VII, 17; XXI, 4. — [2] *Isa.*, LXVI, 12, 13. — [3] *Isa.*, LXIV, 4; I *Cor.*, II, 9. — [4] *Psal.* LXX, 23. — [5] *Psal.* CXLVII, 1. — [6] *Tob.*, XIII, 22. — [7] *Psal.* CXLV, 2.

(*a*) Cæt. edit. *super*.

FINIS TOMI DUODECIMI.

INDEX MATERIARUM QUÆ IN TOMO DUODECIMO

OPERUM

SANCTI BONAVENTURÆ CONTINENTUR

PRÆFATIONIS LOCO, examen operum quæ hicce duodecimus tomus exhibet. — ART. 1. Fr. Bened. a Cavalesio disquisitiones criticæ. 1
ART. 2. Animadversiones in præmisse. XLVIII
usculum cui titulus est ITINERARIUM MENTIS IN DEUM. Argumentum. Prologus. 1
Cap. 1. De gradibus ascensionis in Deum, et de speculatione ipsius per vestigia ejus in universo. 3
Cap. 2. De speculatione Dei in vestigiis suis in hoc sensibili mundo. 6
Cap. 3. De speculatione Dei per suam imaginem, naturalibus potentiis insignitam. 10
Cap. 4. De speculatione Dei in sua imagine, donis gratuitis reformata. 13
Cap. 5. De speculatione divinæ unitatis per ejus nomen primarium, quod est Esse. 16
Cap. 6. De speculatione beatissimæ Trinitatis in ejus nomine, quod est Bonum. 18
Cap. 7. De excessu mentali et mystico, in quo requies datur intellectui, affectu totaliter in Deum per excessum transeunte. 20
INCENDIUM AMORIS. — Argumentum. Prologus. 22
Cap. 1. De triplici modo se exercendi circa triplicem viam sapientiæ, et primo de meditatione. 23
Cap. 2. De oratione, quomodo per eam veniatur ad sapientiam veram. 27
Cap. 3. De contemplatione, quomodo per eam perveniendum sit ad sapientiam veram. 31
AMATORIUM. — Argumentum. — Prologus. 38
Opus ipsum. 39
LIGNUM VITÆ. — Argumentum. Præfatio. 67
Jesus ex Deo genitus. — Jesus præfiguratus. — Jesus emissus cœlitus. — Jesus e Maria natus. 69
Jesus conformis patribus. — Jesus tribus magis monstratus. — Jesus submissus legibus. — Jesus regno fugatus. 70
Jesus baptizatus. — Jesus ab hoste tentatus. — Jesus signis mirificus. — Jesus transfiguratus. 71
Jesus pastor sollicitus. — Jesus fletu rigatus. — Jesus rex orbis agnitus. 72
Jesus panis sacratus. — Jesus dolo venundatus. — Jesus orans prostratus. 73
Jesus turba circumdatus. — Jesus vinculis ligatus. — Jesus notis incognitus. 74
Jesus vultu velatus. — Jesus Pilato traditus. — Jesus morte damnatus. — Jesus spretus ab omnibus. 75
Jesus cruci elevatus. — Jesus junctus latronibus. — Jesus felle et aceto potatus. 76
Jesus sol morte pallidus. 77
Jesus translanceatus. — Jesus cruore madidus. — Jesus intumulatus. 78
Jesus triumphans mortuus. — Jesus resurgens beatus. — Jesus doctor præcipuus. 79
Jesus orbi prælatus. — Jesus ductor exercitus. — Jesus cœlo levatus. — Jesus largitor Spiritus. 80
Jesus laxans reatus. — Jesus testis veridicus. — Jesus judex iratus. 81
Jesus victor magnificus. — Jesus sponsus ornatus. — Jesus rex regis Filius. 82
Jesus liber signatus. — Jesus fontalis radius. — Jesus finis optatus. 83
SOLILOQUIUM de quatuor mentalibus exercitiis, quod dicitur imago vitæ, et dialogus. — Argumentum. — Prologus. 85
Cap. 1. Quomodo anima per mentale exercitium debet radium contemplationis reflectere ad interiora sua, ut videat qualiter est formata per naturam, deformata per culpam, et reformata per gratiam. 87
Cap. 2. Quomodo anima per mentale exercitium debet radium contemplationis convertere ad exteriora, ut cognoscat quam instabilis sit mundana opulentia, quam mutabilis mundana excellentia, et quam miserabilis mundana magnificentia. 104
Cap. 3. Quomodo anima per mentale exercitium debet radium contemplationis convertere ad inferiora, ut intelligat humanæ mortis inevitabilem necessitatem, judicii finalis formidabilem austeritatem, pœnæ infernalis intolerabilem pœnalitatem. 113
Cap. 4. Quomodo anima per mentale exercitium debet radium contemplationis convertere ad superiora, ut cognoscat et sapiat cœlestis gaudii inæstimabilem pretiositatem, ineffabilem deliciositatem, et interminabilem æternitatem. 117
DE SEX ALIS SERAPHIM. — Argumentum. — Prologus. — Cap. 1. Quod incipientes propter multa magistro indigent. 132
Cap. 2. Qui sunt qui magistro non indigent. 134
Cap. 3. Quod prima ala Prælatorum esse debet zelus justitiæ. 134
Cap. 4. Quod secunda ala Prælatorum est pietas. 138
Cap. 5. Quod tertia Prælatorum ala est sapientia. 140
Cap. 6. Quarta Prælatorum ala est, quod sit exemplaris in vita. 144
Cap. 7. Quod quinta ala Prælatorum est circumspecta discretio. 146
Cap. 8. Quod sexta Prælatorum ala est devotio ad Deum. 153
DE PUGNA SPIRITUALI CONTRA SEPTEM VITIA CAPITALIA. — Argumentum. — Cap. 1. De

certamine contra gulam, de natura gulæ, et ejus remediis. 158
Cap. 2. De pugna et natura luxuriæ, et ejus remediis. 159
Cap. 3. De philargyria vel avaritia, et remedio ejus. 159
Cap. 4. De ira, et remediis ejus. 160
Cap. 5. De invidiæ natura, de ortu ejus, atque remedio. 160
Cap. 6. De acedia, et remediis ejus. 161
Cap. 7. De tristitiæ natura, et pugna contra tristitiam. 162
Cap. 8. De vana gloria et remediis ejus. 162
Cap. 9. De superbia, et remediis ejus. 163
COLLATIO DE CONTEMPTU SÆCULI. — Argumentum. 165
EXERCITIA QUÆDAM SPIRITUALIA. — Argumentum. 169
DE EXERCITIIS SPIRITUALIBUS. — Argumentum. — Præfatio. 171
Cap. 1. Qualiter fiat memoria peccatorum. 172
Cap. 2. Generalis modus ad formandum meditationes de morte. 172
Cap. 3. Generales modi ad formandum meditationes de pœnis infernalibus. 173
Cap. 4. Generales modi meditandi circa extremum judicium. 174
Cap. 5. Generales meditationes de gloria cœlesti. 174
Cap. 6. Brevis modus meditandi circa beneficia Dei. 175
Cap. 7. De cœna Domini, et præparatione ad susceptionem corporis Christi. 176
Cap. 8. De generali materia exercendi se in passione Domini. 178
DE REGIMINE ANIMÆ ad Blancham Hispaniæ reginam. — Argumentum. 180
DE SEPTEM GRADIBUS CONTEMPLATIONIS. — Argumentum. 183
FORMULA AUREA DE GRADIBUS VIRTUTUM. — Argumentum. — Cap. 1. Gradus charitatis. 187
Cap. 2. Gradus obedientiæ. 188
Cap. 3. Gradus humilitatis. — Cap. 4. Gradus castitatis. 189
Cap. 5. Gradus patientiæ. — Cap. 6. Gradus misericordiæ. 190
Cap. 7. Gradus veritatis. — Cap. 8. Gradus paupertatis. 191
Cap. 9. Gradus prudentiæ. — Cap. 10. Gradus fortitudinis. — Cap. 11. Gradus justitiæ. 192
Cap. 12. Gradus temperantiæ. — Cap. 13. Gradus pacis. 193
Cap. 14. Gradus constantiæ. — Cap. 15. Gradus largitatis. 194
Cap. 16. Gradus compassionis. — Cap. 17. Gradu congratulationis. 195
Cap. 18. Gradus abstinentiæ. — Cap. 19. Gradus concordiæ. 196
Cap. 20. Gradus gratitudinis. — Cap. 21. Gradus religionis. — Cap. 22. Gradus contritionis. 197
Cap. 23. — Gradus confessionis. — Cap. 24. Gradus satisfactionis. 198
Cap. 25. Gradus contemplationis. — Cap. 26. Gradus discretionis. — Cap. 27. Gradus spei. 199
Cap. 28. Gradus timoris. — Cap. 29. Gradus doloris. — Cap. 30. Gradus gaudii. 200
EPISTOLA CONTINENS VIGINTI QUINQUE MIRABILIA. — Argumentum. — Prologus. 202
Memoralia generalia. 204
DE PERFECTIONE VITÆ AD SORORES. — Argumentum. — Prologus. 209
Cap. 1. Quomodo homo pervenit ad cognitionem sui ipsius. 210
Cap. 2. De humilitate, et quibus gradibus pervenitur ad humilitatem. 211
Cap. 3. De paupertate religiosorum. 214
Cap. 4. De silentio, et quod omnibus religiosis sit necessarium silentium. 216
Cap. 5. De studio orationis, et qualiter orandus est Deus. 218
Cap. 6. De passionis Christi memoria. 221
Cap. 7. De perfecta Dei charitate. 224
Cap. 8. De finali perseverantia. 225
SERMONES DE DECEM PRÆCEPTIS. — Argumentum. — Sermo 1. De iis quæ nos movere debent ad servandum mandata Dei, et de præceptis Decalogi in genere. 228
Sermo 2. De præambulis ad mandata Dei, deque primo mandato. 232
Sermo 3. De secundo mandato. 239
Sermo 4. De tertio præcepto. 242
Sermo 5. De quarto præcepto. 245
Sermo 6. De quinto, sexto et septimo præcepto. 248
Sermo 7. De octavo, nono et decimo præcepto. 252
EXPOSITIO MISSÆ. — Argumentum. — Cap. 1. De sacerdotalibus indumentis, et eorum significatione. 257
Cap. 2. Missa unde dicta, et de ingressu sacerdotis ad altare, usque ad offertorium. 258
Cap. 3. De offertorio, et aliis, usque ad canonem Missæ. 261
Cap. 4. De totius canonis Missæ explicatione. 263
DE PRÆPARATIONE AD MISSAM. — Argumentum. — Cap. 1. Quomode se probare debeat sacerdos Missam celebraturus. 278
Cap. 2. Quare Christus tantum continetur sub istis duabus speciebus. 279
Cap. 3. Quare Christus corpus suum dare voluerit velatum. 280
Cap. 4. De discussione conscientiæ ante communionem sacram, et cum quali proposito, seu dispositione accedendum sit. 280
Cap. 5. Ex quanta charitate, quantoque fervore accedendum sit communicaturo. 281
Cap. 6. Qualiter et per quæ homo ad celebrandum accenditur. 282
Cap. 7. Quare necesse sit animæ nostræ recipere sacramentum. 283
Cap. 8. Propter quod, et propter quam causam communicandum. 284
Cap. 9. De latria quæ soli Deo debetur. — Cap. 10. De dubia. 285
Cap. 11. De intentione celebrantis Missarum solemnia. 285
Cap. 12. De confessione celebrantis facienda. 286
Cap. 13. Quomodo sacerdos celebrans habere se debeat infra sacrum canonem. 286
Cap. 14. Quomodo se habeat sacerdos post communionem sacram. 287
DE INSTRUCTIONE SACERDOTIS AD SE PRÆPARANDUM AD CELEBRANDAM MISSAM. 288
Oratio. 290
DE INSTITUTIONE NOVITIORUM. — Argumentum. — Pars I, seu de compositione hominis exterioris. — Cap. 1. Quid semper novitiis considerandum. 292
Cap. 2. De obedientia. 292
Cap. 3. De pace cum Prælatis. — Cap. 4. De surgendo a somno. 293
Cap. 5. Qualiter in choro te gubernare debeas. 294

Cap. 6. Qualiter in capitulo te habeas. — Cap. 7. De correctione. 294
Cap. 8. Qualiter in mensa te habeas. — Cap. 9. De dormitione. 295
Cap. 10. De obsequiis. — Cap. 11. De obsequio ad Missam. — Cap. 12. De confessione. 296
Cap. 13. De cella et obedientia. — Cap. 14. De lectione. 297
Cap. 15. De non desiderando officium prædicationis, vel confessionis. 297
Cap. 16. De disciplina ubique servanda. — Cap. 17. De conversatione inter fratres habenda. — Cap. 18. De verecundia habenda. — Cap. 19. De incessu. 298
Cap. 20. De sessione. — Cap. 21. De risu. — Cap. 22. de lenitate verborum. 299
Cap. 23. De detractione. — Cap. 24. De rumoribus rescindendis. — Cap. 25. De jactantia. 299
Cap. 26. De multiloquio. — Cap. 27. De levitate verborum. — Cap. 28. De collocutione Dei. — Cap. 29. De pacifico auditu. — Cap. 30. De modo loquendi. — Cap. 31. De otio. — Cap. 32. De exemplo Christi in omnibus habendo. 300
Cap. 33. De vana gloria, et modo cantandi. 301
Cap. 34. De egrediendo foras. — Cap. 35. De non circumspiciendo per loca. 302
Cap. 36. Quomodo te habeas cum socio in via. 302
Cap. 37. De oratione et meditatione facienda inter exercitia. — Cap. 38. De bono exemplo dando in conversatione. — Cap. 39. De vitandis mulieribus. 303
Cap. 40. De cordis libertate. — Cap. 41. Epilogus sive compendium omnium supra dictorum. 304
Pars II, seu viginti passus de virtutibus bonorum religiosorum. 305
Cap. 1. De voluntaria novitiorum subjectione. — Cap. 2. De negligentia Prælatorum, seu mala libertate. — Cap. 3. De religionis fervore. 305
Cap. 4. De otio vitando, et vanitate sensuum. 306
Cap. 5. De evitatione pravarum cogitationum, et inutilium occupationum. 307
Cap. 6. De vitanda notabilitate, et curiositate. 307
Cap. 7. De compassione peccantibus habenda. 308
Cap. 8. De tribus vitiis communibus. — Cap. 9. De non habendo res curiosas. 309
Cap. 10. Quod religiosus non debet affectare hominibus placere. 309
Cap. 11. De patiendis humiliter odio et detractione. 310
Cap. 12. De sui ipsius correctione. — Cap. 13. De eodem. 311
Cap. 14. Quare non sit affectanda hominum dilectio. 312
Regula novitiorum. — Argumentum. — Præfatiuncula. — Cap. 1. De officio. 313
Cap. 2. De oratione. 314
Cap. 3. De confessione. 316
Cap. 4. De sacramento Eucharistiæ. 317
Cap. 5. De comestione. 318
Cap. 6. De abstinentia. 319
Cap. 7. De dormitione. — Cap. 8. De otiositate fugienda. 320
Cap. 9. De honestate. — Cap. 10. De tentatione. 321
Cap. 11. De familiaritate mundi. 322
Cap. 12. De judicio vitando. — Cap. 13. De obedientia. 323
Cap. 14. De paupertate. 324
Cap. 15. De silentio. 325
Brevis et utilis doctrina juvenum. 326
De profectu religiosorum. Liber I. — Prologus. 327
Alius prologus. — Cap. 1. De quatuor cautelis novitiorum. 328
Cap. 2. De quatuor tentationibus. 330
Cap. 3. De tribus generibus religiosorum. 332
Cap. 4. De triplici statu religiosorum. 335
Cap. 5. De reformatione rationis. 336
Cap. 6. De reformatione voluntatis. — Cap. 7. De reformatione memoriæ. — Cap. 8. Quomodo naturales vires animæ et motus affectionum deformati sunt. 337
Cap. 9. De triplici superbia. — Cap. 10. Quando bona nostra, et mala ostendere debemus, vel occultare. 339
Cap. 11. De quadruplici defectu. — Cap. 12. Descriptio septem vitiorum capitalium. 341
Cap. 13. De affectu invidiæ. — Cap. 14. De affectu iræ. — Cap. 15. De affectu tristitiæ. — Cap. 16. De affectu gaudii. 342
Cap. 17. De affectu avaritiæ. — Cap. 18. De appetitu victualium. 343
Cap. 19. De affectu dilectionis. — Cap. 20. De spe. 344
Cap. 21. De timore. — Cap. 22. De pudore. — Cap. 23. De singulorum vitiorum natura, et descriptione. 345
Cap. 24. De tribus quæ expellunt vitia. 346
Cap. 25. De generalibus remediis contra vitia. 347
Cap. 26. De remediis specialibus singulorum vitiorum. — Cap. 27. De remediis superbiæ. 348
Cap. 28. De triplici invidia. — Cap. 29. De remediis invidiæ. 349
Cap. 30. De ira. — Cap. 31. De remediis iræ. 350
Cap. 32. De acedia. 351
Cap. 33. De remediis acediæ. 352
Cap. 34. De avaritia. — Cap. 35. De remediis avaritiæ. 353
Cap. 36. De gula. — Cap. 37. De remediis gulæ. 354
Cap. 38. De luxuria. 355
Cap. 39. De remediis contra luxuriam. 358
Liber II. — Cap. 1. Quod profectus religiosi septem processibus distinguuntur. 362
Cap. 2. De speciebus tentationum. 365
Cap. 3. De remediis contra acerbissimas tentationes. — Cap. 4. De generalissima tentatione. 368
Cap. 5. De utilitate subtractionis spiritualis consolationis. 369
Cap. 6. Quibus modis sit resistendum tentationibus. 371
Cap. 7. Quintus processus. — Cap. 8. De sanitate animæ. — Cap. 9. De actione. 372
Cap. 10. De locutione. 373
Cap. 11. De disciplina morum. 374
Cap. 12. De cordis compositione. 375
Cap. 13. De quibusdam communibus exercitiis spiritualibus. — Cap. 14. De agilitate ad incipiendum bonum. 376
Cap. 15. De velocitate abstrahendi se a malis. 377
Cap. 16. De pace cordis. — Cap. 17. De parcitate utendi his quæ sunt mundi. 378
Cap. 18. De humili æstimatione sui. 379
Cap. 19. De maturitate et seriositate. — Cap. 20. De suspensione mentis in Deum. 380
Cap. 21. Sequitur processus sextus. 381
Cap. 22. De habitu religionis. 382
Cap. 23. De charitate. 384
Cap. 24. De virtutum connexione. 385
Cap. 25. De tribus gradibus charitatis. 386

Cap. 26. De dilectione proximi. 387
Cap. 27. Detestatio carnalis amoris. 388
Cap. 28. De gradibus dilectionis proximi. 390
Cap. 29. De humilitate. 391
Cap. 30. De humilitate ad nos ipsos. — Cap. 31. De humilitate ad proximum. 392
Cap. 32. De humilitate ad Deum. — Cap. 33. De triplici gradu humilitatis. 393
Cap. 34. De patientia. 394
Cap. 35. De probatione patientiæ. 395
Cap. 36. Ad quid valet patientia. 396
Cap. 37. De gradibus sive profectibus patientiæ. 397
Cap. 38. De obedientia. — Cap. 39. Cur sit obediendum aliis. 398
Cap. 40. De triplici obedientia. 399
Cap. 41. De triplici gradu obedientiæ. 400
Cap. 42. De paupertate. — Cap. 43. De duplici contemptu divitiarum. 401
Cap. 44. De quatuor causis quare contemptus divitiarum consulitur. 402
Cap. 45. De triplici gradu contemptus divitiarum. 403
Cap. 46. De sobrietate. 404
Cap. 47. In quibus consistit sobrietas. — Cap. 48. De triplici gradu sobrietatis. 405
Cap. 49. Alia distinctio graduum abstinentiæ, vel sobrietatis. 406
Cap. 50. Quod virtus tenet medium vitiorum. — Cap. 51. Quod vitia se esse virtutes mentiuntur. 407
Cap. 52. De castitate. — Cap. 53. De quatuor utilitatibus castitatis. 408
Cap. 54. De his quæ valent ad acquisitionem castitatis. — Cap. 55. De divisione castitatis. — Cap. 56. De gradibus castitatis prout religiosis competit. 409
Cap. 57. Incipit processus septimus. — Cap. 58. De profectu vitæ contemplativæ. 411
Cap. 59. De intentione. — Cap. 60. De tribus modis orandi. 412
Cap. 61. De diversis affectibus, et imaginationibus diversarum personarum in orante, et in eo quem orat. 413
Cap. 62. De gratiarum actione. — Cap. 63. De septuplici consideratione, quæ accendit ad gratiarum actionem. 416
Cap. 64. De laudatione Dei. — Cap. 65. De septuplici materia laudis Dei. 417
Cap. 66. De triplici utilitate orationis. — Cap. 67, al. 66. De effectibus orationis. 420
Cap. 68, al. 67. De præsentatione Dei in affectu orantis. 421
Cap. 69, al. 68. De formis orantis. 422
Cap. 70, al. 69. De utilitate orationis. 423
Cap. 71, al. 70. De retrahentibus ab affectu sive salute. — Cap. 72, al. 71. De causis quare non exaudiuntur orantes. 425
Cap. 73, al. 72. De specialibus orationibus. 426
Cap. 74, al. 73. De septem generibus devotionum, sive compunctionum. 432
Cap. 75, al. 74. De revelationibus et visionibus, et imaginariis demonstrationibus. — Cap. 76, al. 75. De quatuor generibus visionum. 433
Cap. 77, al. 76. De modis revelationum. 435
Cap. 78, al. 77. De tentationibus devotorum. 439
Cap. 79, al. altera pars, cap. 77. Raro, an sæpe sit communicandum. 440
Cap. 80, al. 78. De diversis affectibus quibus trahimur ad communicandum. 442
Speculum disciplinæ ad novitios. — Argumentum. 443
Prologus. 444
Pars I. De præparatione ad disciplinam. — Cap. 1. De vetustatis depositione. — Cap. 2. De constantia mentis, et cautela contra tentationes diabolicas. 445
Cap. 3. Quomodo necessaria sit ad disciplinæ susceptionem humilitas. 446
Cap. 4. De captivitate voluntatis propriæ. 447
Cap. 5. De præsumptione, tam in re quam in signo. 450
Cap. 6. De irreverentia. 452
Cap. 7. De disciplina in generali. 455
Cap. 8. De disciplina in speciali. — Cap. 9. De disciplina circa confessionem privatam. 456
Cap. 10. De disciplina circa confessionem publicam. 457
Cap. 11. De disciplina quoad positionem boni. — — Cap. 12. De disciplina circa cordis informationem: et primo de oratione. 458
Cap. 13. De lectione. 459
Cap. 14. De divino officio in generali. — Cap. 15. De disciplina officii in choro. 460
Cap. 16. De disciplina officii extra chorum. 463
Cap. 17. De altaris ministerio curando. 464
Cap. 18. De disciplina circa ea, quæ ad corpus sunt. — Cap. 19. De disciplina in gestu. 465
Cap. 20. De disciplina in modo loquendi. 468
Cap. 21. De disciplina circa comestionem. 470
Cap. 22. De disciplina in opere manuali. 472
Cap. 23. De disciplina in incessu. 474
Cap. 24. De disciplina in gestu membrorum. 475
Cap. 25. De disciplina circa habitum servanda. 476
Cap. 26. De disciplina in officinis inter fratres. 478
Cap. 27. De modo conversandi in omni loco sæcularium. — Cap. 28. De modo conversandi in itinere constitutis. 479
Cap. 29. De modo conversandi in ecclesiis sæcularium. 480
Cap. 30. De disciplina in hospitio servanda. 482
Cap. 31. De disciplina verborum inter sæculares. 484
Cap. 32. De disciplina comedendi inter sæculares. 485
Part. II. Cap. 1. De ordinatione respectu Dei. 487
Cap. 2. De ordinatione respectu sui. 489
Cap. 3. De ordinatione circa proximum. 491
Cap. 4. De rerum custodia. 492
Cap. 5. De profectu et defectu novitiorum, sive differentia conversorum. 493
Cap. 6. De noviter professis in ordine. 495
Remedium defectuum religiosi. — Argumentum. 498
Alphabetum religiosorum incipientium. 501
Alphabetum religiosorum. — Argumentum. 502
De sex alis seraphim. — Argumentum. — De prima ala. 504
De compunctione cordis. 505
De secunda ala. — De tertia ala. 506
De quarta ala. 507
De quinta ala. — De sexta ala. 508
Meditationes vitæ Christi. — Argumentum. 509
Proœmium. 510
Cap. 1. De sollicita pro nobis intercessione angelorum. 511
Cap. 2. De contentione inter misericordiam et justitiam, veritatem et pacem. 512
Cap. 3. De vita Mariæ Virginis, et septem petitionibus ejus. 513

Cap. 4. De incarnatione Christi. 514
Cap. 5. Quomodo beata Virgo visitavit Elisabeth, et quomodo Magnificat et Benedictus facta fuerunt. 516
Cap. 6. Quomodo Joseph voluit dimittere Mariam, et quomodo Deus permittit suos tribulari. 517
Cap. 7. De nativitate Christi, et aliis. 518
Cap. 8. De circumcisione et fletu Domini. 520
Cap. 9. De Epiphania, sive apparitione Domini. 522
Cap. 10. De mora Dominæ apud præsepe. 523
Cap. 11. De Purificatione B. Virginis. 524
Cap. 12. De fuga Domini in Ægyptum. 525
Cap. 13. De reditu Domini ex Ægypto. 528
Cap. 14. Quomodo puer Jesus remansit in Hierusalem. 529
Cap. 15. Quid Dominus fecit a duodecimo anno usque ad trigesimum. 531
Cap. 16. De baptismo Domini nostri Jesu Christi. 533
Cap. 17. De jejunio et tentationibus Christi. — Item de reditu ejus ad montem. — De quatuor quibus pervenitur ad cordis puritatem. — De oratione plura bona. — De resistendo gulæ. Quare et pro quo Deus fecit mirabilia. 538
Cap. 18. De apertione libri in synagoga. — Cap. 19. De vocatione discipulorum. 541
Cap. 20. De conversione aquæ in vinum ad nuptias. 542
Cap. 21. De sermone Domini in monte, quem incœpit a paupertate. 543
Cap. 22. De servo centurionis, et filio reguli a Domino liberatis. — Cap. 23. De paralytico misso per tectum, et a Domino curato. — Cap. 24. De socru Simonis liberata. 545
Cap. 25. De dormitione Domini in navicula. — Cap. 26. De filio viduæ a Domino suscitato. — Cap. 27. De puella suscitata, et Martha curata. — Cap. 28. De conversione Magdalenæ, et aliis. 546
Cap. 29. Quomodo Joannes misit discipulos ad Jesum. — Cap. 30. De obitu Joannis Baptistæ. 548
Cap. 31. De locutione cum Samaritana. — Cap. 32. Quomodo voluerunt præcipitare Dominum de supercilio montis. 550
Cap. 33. De habente manum aridam, et a Domino curato. — Cap. 34. De multiplicatione panum, et quomodo se diligentibus subvenit. 551
Cap. 35. De fuga Domini, quando voluerunt eum facere regem. — Item contra mundi honores. 552
Cap. 36. Quomodo Dominus oravit in monte, et descendens ambulavit super aquas, et multo plura de oratione. 555
Cap. 37. De Chananæa. — Quomodo angeli nostri nobis fideliter serviunt, notabilis discursus. 560
Cap. 38. Qualiter aliqui ex verbis Domini scandalizati sunt. — Cap. 39. De retributione relinquentium omnia. 561
Cap. 40. Qualiter Dominus quæsivit a discipulis quid diceretur de eo. — Cap. 41. De transfiguratione Domini in monte. 562
Cap. 42. De ejectione ementium et vendentium de templo. — Cap. 43. De probatica piscina. — Item, ne sis fratris judex temerarius. 563
Cap. 44. Quomodo discipuli Christi vellebant spicas. — Item de paupertate. 564
Cap. 45. De ministerio Marthæ et Mariæ. — Item de ordine contemplationis, et quod duas habet partes. 569
Cap. 46. Activa præcedit contemplativam. 570
Cap. 47. De oratione; item, septem quæ præcedunt bonum doctorem. 571
Cap. 48. De exercitio activæ vitæ. 573
Cap. 49. De exercitio vitæ contemplativæ. 574
Cap. 50. De tribus generibus contemplationis. 576
Cap. 51. De contemplatione humanitatis Christi. 577
Cap. 52. De contemplatione cœlestis curiæ. — Cap. 53. De contemplatione majestatis Dei; item, quod quatuor sunt genera contemplationis. 578
Cap. 54. De modo vivendi in activa vita; item auctoritas Beanardi bona. 580
Cap. 55. De modo vivendi in vita contemplativa. 582
Cap. 56. De quatuor impedimentis contemplationis. 583
Cap. 57. Vita contemplativa præfertur activæ. 585
Cap. 58. Ex tribus causis contemplator reducit se ad activam. — Item de eo quod fides sine operibus mortua est. 586
Cap. 59. Quomodo Dominus dixit Judæis, quod Ecclesia devolveretur ad gentiles, sub similitudine cultorum vineæ, qui filium Domini sui occiderunt. — Cap. 60. Quomodo voluerunt Jesum capere in sermone. — Cap. 61. De cæco illuminato in Hierico, et multis aliis. 588
Cap. 62. Qualiter Dominus intravit domum Zachæi. — Cap. 63. De cæco a nativitate illuminato. 590
Cap. 64. Quomodo Dominus fugit de templo, et abscondit se, quando Judæi voluerunt eum lapidare. — Cap. 65. Quomodo alia vice voluerunt lapidare Jesum. — Cap. 66. De resuscitatione Lazari. 591
Cap. 67. De maledictione ficus. — Cap. 68. De muliere in adulterio deprehensa. 592
Cap. 69. De conspiratione Judæorum contra Jesum, et de fuga ejus in civitatem Ephrem. — Cap. 70. Quomodo Dominus Jesus rediit in Bethaniam, ubi Maria Magdelena unxit pedes ejus. 593
Cap. 71. De adventu Domini in Hierusalem super asello; ibidem quomodo Jesus dicitur tribus saltem modis flevisse. 594
Cap. 72. Quomodo Dominus Jesus mortem suam prædixit matri. 595
Cap. 73. De cœna Domini; item de ablutione pedum; item de institutione Eucharistiæ; item quinque meditanda ex sermone Domini. 596
Cap. 74. Meditatio de passione Domini in generali. 599
Cap. 75. Meditatio passionis Christi ante matutinum. 600
Cap. 76. Meditatio passionis Christi hora prima. 603
Cap. 77. Meditatio passionis Christi hora tertia. 604
Cap. 78. Meditatio passionis Christi hora sexta. 605
Cap. 79. Meditatio passionis Christi hora nona. 606
Cap. 80. De apertione lateris Christi. 607
Cap. 81. Hora vespertina, meditatio. 608
Cap. 82. Hora completorii. 609
Cap. 83. Meditatio post completorium. 410
Cap. 84. Meditatio de Domino et sociabus; de sabbato. 611
Cap. 85. Meditatio de Domino Jesu, die sabbati descendente in infernum. 612
Cap. 86. De resurrectione Domini, et quomodo primo apparuit Matri dominica die. 616
Cap. 87. Quomodo Magdalena, et aliæ duæ Mariæ venerunt ad monumentum et de cursu Petri et Joannis. — Cap. 88. Quod Dominus apparuit tribus Mariis. 617

Cap. 89. Quod Dominus apparuit Joseph, Jacobo minori, et Petro. — Cap. 90. De reditu Domini ad sanctos Patres post resurrectionem. 619
Cap. 91. Quod Dominus apparuit duobus discipulis euntibus Emmaus. — Cap. 92. Quod Dominus apparuit reclusis in die resurrectionis. 620
Cap. 93. Quod Dominus apparuit discipulis in octava Paschæ, et erat cum eis Thomas. 621
Cap. 94. Quod Dominus apparuit discipulis in Galilæa. — Cap. 95. Quod Dominus apparuit discipulis ad mare Tiberiadis. — Cap. 96. Quod Dominus apparuit plusquam quingentis fratribus simul, et de apparitionibus. 622
Cap. 97. De ascensione Domini. 623
Cap. 98. De missione Spiritus sancti. 627
Cap. 99. Excitatio desiderii ad patriam, per mortis appetitum. — Cap. 100. De modo meditandi vitam Christi, et de conclusione opusculi. 628
STIMULUS AMORIS. — Argumentum. 631
Prologus. — Alius prologus. 632
Part. I. Cap. 1. Quomodo debet homo libenter Christi passionem meditari. 633
Oratio. Cap. 2. Qualiter debet homo niti ad compatiendum Christo crucifixo. 635
Oratio. Cap. 3. Meditatio compassiva, in Parasceve, doloris quem tunc habuit beata Virgo Maria. 638
Cap. 4. Circa passionem Domini sex consideranda. 639
Cap. 5. Qualiter passio Domini adaptatur quatuor affectibus animi. 641
Cap. 6. Qualiter passio Domini adaptatur fidei nostræ, et cæteris virtutibus præsertim theologicis. — Cap. 7. De septemplici ascensu contemplationis in passione secundum septiformem gratiam Spiritus sancti. 642
Cap. 8. Quod Christus in sua passione beatitudines octo perfecte habuit. — Cap. 9. Quod in cruce apparent duodecim fructus spiritus, quos enarrat Apostolus ad Galatas. — Cap. 10. Quod in cruce speculari possumus pulcherrimum exemplar decem mandatorum Decalogi. 651
Cap. 11. Quod a passione Domini omnia sacramenta ecclesiastica trahunt virtutem, et quod sine ea impossibile est intelligere sacram scripturam. — Cap. 12. Quomodo in beatissima Domini passione relucent omnium angelicarum hierarchiarum officia. 652
Cap. 13. Quod summa potentia, sapientia, et clementia summa ibi relucent, et etiam circa hæc quædam excitativa vel exercitativa. 655
Cap. 14. Quod in passione Domini excitetur et inflammetur cor hominis ad septem opera misericordiæ corporalis. 657
Cap. 15. Oratio valde devota circa passionem Domini. 659
Pars II. Cap. 1. Qualiter homo possit amplius proficere, et magis Deo placere. 662
Cap. 2. Qualiter homo ad amorem Dei se debet excitare, et, quantum potest, cor suum unire, vel ignire. 663
Cap. 3. Qualiter homo debet libenter Deo dare cor suum. — Cap. 4. Qualiter homo ordinet cogitationes suas ad Deum, ita quod Deum semper habeat in corde. 666
Cap. 5. Qualiter homo operum Dei memor plus in amore ejus et servitio ferveat. 667
Cap. 6. Qualiter homo se perfecte odiat, ut Deum perfecte diligat. 668
Cap. 7. Qualiter homo debet in omni actione frui contemplatione. 670
Cap. 8. Quoddam delectabile et allectivum. — Cap. 9. Quomodo sit homo bene ordinatus in cogitatione, locutione et operatione. 672
Cap. 10. De ordinatione ad proximum. 673
Cap. 11. Qualiter zelator animarum se ordinare et habere debeat. 674
Cap. 12. Quod anima debet affici tantum amore Christi, terrenorum vilitate contempta. — Cap. 13. Descriptio beatitudinis. 675
Cap. 14. Oratio devotissima. — Cap. 15. Quædam notabilia. — Cap. 16. Quædam alia notabilia. 676
Cap. 17. Qualiter se debet habere sacerdos, cum ad corpus Christi venit. — Cap. 18. Petitio ad excitandum cor in amorem dulcissimi Jesu. 677
Pars III. Cap. 1. Quæ sunt quæ inducunt hominem ad contemplationis quietem. 677
Cap. 2. Quam gloriosum sit, et qualiter possit homo mutari in Deum. — Cap. 3. Quod mirabile est gustantem semel Deum, posse ab eo amplius separari. — Cap. 4. Quod homo in brevi potest fieri perfectus. 678
Cap. 5. Quomodo anima inebriatur in contemplatione a Creatore suo. 679
Cap. 6. Quod homo ante raptum diversimode inebriatur. 680
Cap. 7. Quod contemplativus debet gaudere de bonis proximi; quod si non fecerit, tria mala committet. — Cap. 8. Quod contemplativus non judicet alios propter defectus in ipsis apparentes. 681
Cap. 9. Quod contemplativus non reputet alios impares sibi. 683
Cap. 10. Contra superbos, et de se præsumentes. 685
Cap. 11. De paucitate bene obedientium. 687
Cap. 12. Quod tentationes sunt utiles servis Dei. 688
Cap. 13. Quod tentatio de prædestinatione reprimi debet. 689
Cap. 14. Quæstio carnis ad Deum Patrem de Christo. — Cap. 15. Responsio Patris ad carnem. 690
Cap. 16. Meditatio super Ave Maria. 691
Cap. 17. Meditatio humilis ac expositio super Orationem dominicam. 694
Cap. 18. Aliæ duæ breves expositiones super Orationem dominicam. 698
Cap. 19. Meditatio super Salve Regina. 699
Cap. 20. De statu beatorum in cœlesti Jerusalem. 702

FINIS INDICIS TOMI DUODECIMI.

VESONTIONE. — EX TYPIS OUTHENIN-CHALANDRE FILII.

BQ
6464
1864

BQ 6464 1864 v.12 I.M.S.

S. Bonaventurae
Opera Omnia

LIBRARY
Pontifical Institute of Mediaeval Studies
113 ST. JOSEPH STREET
TORONTO, ONT., CANADA M5S 1.14